STEPHANI BALUZII

TUTELENSIS

MISCELLANEA

NOVO ORDINE DIGESTA

ET NON PAUCIS INEDITIS MONUMENTIS

OPPORTUNISQUE ANIMADVERSIONIBUS AUCTA

OPERA AC STUDIO

JOANNIS DOMINICI MANSI LUCENSIS.

Tomus Primus

Continens Monumenta Historica tum sacra tum profana.

LUCÆ MDCCLXI.

Apud VINCENTIUM JUNCTINIUM.

SUPERIORUM PERMISSU.

SUMPTIBUS JOANNIS RICCOMINI.

IN NOVAM EDITIONEM MISCELLANEORUM BALUZII CUM ADDITAMENTIS JOANNIS DOMINICI MANSI

PRÆFATIO.

Viri Cl. Stephani Baluzii Tutelensis in re Literaria egregia sunt merita. Viro huic in laudis portionem maximam cessit, quod undique conquisitis veteris aevi monumentis segetem ingentem comparavit, qua, & sibi profuit, & alios mirifice juvit. Nihil enim ab eo prodiit sive liber sit, sive ad aliorum opera adnotationes, quod floribus hisce plenis manibus non resperserit; unde factum est, ut studiosi omnes in varios usus sibi inde traxerint ad rem suam adjumenta. Quanquam tamen multa in suum usum Baluzius transtulit, multa tamen adhuc seposuerat, quae sive ut in succum suum traheret res ipsa non permittebat; sive sero adeo venerunt in manus, ut procusis jam Operibus, eis uti cum maxime opus esset prohibebatur. Igitur opportune illi succurrit, ut quae sibi supererant, in plures collecta fasces daret in Miscellaneis. Ex his producta sunt septem illa Miscellaneorum Volumina, quorum novam editionem hic Eruditis proferimus: nec importunum id nobis visum est consilium, nec ingratum accidet eruditis, ut recusum habeant Opus, cujus unica adhuc usque confecta editio est, eademque non continuata Typorum serie, nec annorum successione prodierit. Ex quo factum est, ut Bibliothecae recens erectae utilissimo hoc Opere sive ex toto careant, sive voluminibus tantum aliquot potiantur, & reliqua desiderent.

Cum vero in hoc refertissimo monumentorum penu incommodum fore expertus ego animadverterim, quod ordine destituatur; unde fit ut quae maxime optantur monumenta, laboriosa per omnia volumina excursione quaerere non raro cogerer; incommodo huic plane molesto providendum nova hac editione opportunum existimavi, totum Opus in quinque portiones partiendo. Harum prior documenta exhibet historica, sive profana sint, sive sacra aut ecclesiastica (neque enim tanta copia erat saecularium, ut ea distinguere ab ecclesiasticis necesse fue-

fuerit); pars altera continet Sacra sive canonica sint, ut Capitularia, Conciliaria, Exegetica in Sacram Scripturam, Dogmatica & alia id generis. Tertia est diplomatica, in quam congessi Imperatorum diplomata, Epistolas varias, & alias his affinia. Erit pars quarta de Miscellaneis, quae nec apte conferri possunt inter historica, nec inter sacra, & diplomatica; continebit & in suas recte distributa Classes ea omnia & singula opuscula, quae vel nostros fugerint oculos, vel non satis opportune ad nostras manus devenerint, amicorum opera, ut in sua propria & prima sede collocarentur. Quae non capiet quarta Pars seu IV. volumen ad aequam molem deductum, ea omnia demum excipiet Pars quinta, in quo quinto & postremo volumine profecto erunt Baluzii omnia, nempe & sui operis ad Colbertum dedicatio, & praefationes suis septem praefixae Libris &c. Ibi erit & noster omnium chronologicus Index; ac demum Universalis absolutissimus index rerum omnium & singularum, quae in toto opere in quinque Tomos in folio distributo continebuntur.

Ne vero contingat, ut de me eruditi querantur, quod ex mea hac totius operis divisione ignorare cogantur, quo in Libro ex septem singula monumenta Baluzius collocaverit (quod scire interdum juvabit) hanc ego querelam tollendam censui, curando ut in volumine V. opportuno loco adsit omnium opusculorum Elenchus & secundum ordinem editionis primae Baluzianae, & elenchus quoque secundum ordinem editionis nostrae. Eruditorum enim commodo inservire omnino nobis decretum est.

Est & aliud, de quo monendos lectores meos judicavi. Post vulgatos a Baluzio Monumentorum libros nonnulla successu temporis reperta sunt Monumenta, sive ampliora, sive correctiora, quam quae ex eo prodierunt; hic & illa pariter dantur, non manca, qualia reperit Baluzius, sed integra & correcta. Ita Altinensis Concilii Synodicam ex Codice manco legitur apud Baluzium; Ego ex Vaticano saniorem sufficio; testimonia de Indulgentia S. Francisci multo ampliora hic sunt ex meo Codice, quam in Baluzio appareant. Si quae pariter erunt alia (& sane alia sunt) eadem ratione corrigentur, indicatis diligenter iis ex quibus profeci.

Neque his tantum res litteraria nova hac editione juvabitur. Post singularum classium Baluziana documenta subdentur anecdota ex meo penu deprompta nec sane rara, nec plane inutilia. Ex his vetustissima sunt quaedam, alia sequiorum saeculorum, sed non omnino proletaria; quamquam hac in re palmam cedere Baluzio necesse sit, neque enim quidquam daturus sum, quod cum Lucii Cælii historia, cum passionibus Martyrum sinceris, cum Collatione Catholicorum & Donatistarum, vel aliis Baluzianis comparari possit. Attamen vetusta sunt & mea; forte & utilia. Praefigam singulis Praefationem, ex qua intelligant eruditi unde eruta sint, quibus usibus valeant, & quid afferant lucis rei litterariae.

Cur vero ista omnia mea cum Baluzianis minime, ut chronologicam seriem efficerent, intermiscuerim, necessitas potius coëgit, quam ratio suasit; cum enim typi essent in promptu, nec ea adhuc parassem quae primo promenda erant, Baluziana statim dare oportuit; ea vero semel cepta ut interrumperentur, mei praefixi ordinis ratio denegabat. Insuper primus editionis scopus fuit ut Baluzii Miscellanea recuderentur, mea non nisi accessiones habenda sunt; ineptum vero haberetur, ut quod est accessorium, id anteverteret quod est primum & potissimum. Ceterum si quid est hac in re incommodi, chronologico, ut dixi, quem in fine operis daturi sumus, indice tolletur.

STE-

STEPHANI BALUZII

ELOGIUM HISTORICUM.

VIR cl. Stephanus Baluzius in lucem egressus est anno 1631. Tutelæ, quæ urbs est in Provincia Lemovicensi, ibidemque primùm studiorum curriculum feliciter confecit; nam & ingenium a natura tulit vividum, amœnum, & studii patiens. Transiit dein Tolosam, ubi & in collegio S. Martialis locum obtinuit, tantumque brevi profecit, ut annis natus parum supra viginti Antifrizonium ediderit opusculum eruditione refertum, quo errata Petri Frizonii in sua *Gallia Purpurata* detegit, & emendat. Nec haud ita multo post dissertationem emisit investigaturus, qua demum ætate S. Sacerdos (gallice S. Sadroc) floruerit, cui sequenti anno alteram adjunxit dissertationem de SS. Claro, Laudo &c. Ex his tantam nomini suo famam peperit, ut ea excitatus cl. Petrus de Marca tunc Tolosanus Archiepiscopus ad se Parisium adsciverit studiorum suorum adjutorem & socium, quod honori Baluzio fuit summo, & profectui. Ea occasione plurimum invaluit in amicitia D. Colberti summi Galliæ Cancellarii, quo instante, atque urgente privatam bibliothecam viri illius curandam accepit, idque muneris tandiu gessit, quandiu Colbertus advixit. Interim adhærebat Domino de Marca ad infulas Parisienses demum translato. Eo Archiepiscopo defuncto, Professor juris canonici renunciatur anno 1670. ibique cathedram juris canonici in Universitate Urbis illius in ejus gratiam institutam primus rexit, quam cum teneret varios in lucem publicam libros emisit doctos oppido, & selecta eruditione refertos, quod magis magisque valuit ad augendam viri opinionem & proventus. Nam & a Rege multa, & Rege digna obtinuit. Sed Aulæ favor non diu illi velificatus est; cum enim Cardinali Buillonio adhæsisset intime, a quo & historiam familiæ suæ scribere jussus est, eodem cum illo fato est obvolutus. Quare Lugdunum primum relegatur; nec amicorum favor, quorum multos & potentes sibi comparaverat, quicquam pro eo valuit, nisi ut nimia ab urbe regia remotio ad breviorem redigeretur: Ita e remota exilii urbe transiit Rothomagum, dein Turonem, ac tandem Aurelianum. Pace demum reddita Buillonìis, rediit Lutetiam, sed nunquam deinceps pristinum Directoris & Professoris regii munus una cum aulæ proventibus impetrare potuit.

Octogenarius licet, numquam tamen studia intermisit; mortemque oppetiit, quo tempore impressio operum S. Cypriani, quæ dum in exilio esset curaverat, urgebatur. Obiit die 28. Julii anno 1718. ætate 88. annorum grandævus.

Vir fuit eruendis, evolvendisque MSS. Codicibus natus, qua in re maxime utilis extitit Ecclesiæ, itidem & reipublicæ literariæ; multa enim ejus beneficio habemus historiæ civili & Ecclesiasticæ reformandæ opportuna; permulta veteris disciplinæ capita eo opitulante illustrantur. Illi demum plurimum debet Chronologia, Philologia, totaque denique eruditio, ut qui operibus Baluzii nunc caret, necessario ad studia auxilio destitui credatur. Scribebat eleganter, candide, & indefesse, uti plurima ejus opera vulgata volumina testantur. Ex his ejus scriptis hæc typis mandata sunt.

OPERUM BALUZII

CATALOGUS.

1. ANtifrizonius Tolosæ 1652. in 12.
2. *Dissertation sur le tems où a vécu S. Sadroc* (latine *Sacerdos*) *Evêque de Limoges. Tulles* 1655. *in*-12.
3. Dissertatio de Sanctis Claro, Laudo, Ulfardo, Baumado, quorum sacræ Reliquiæ servantur in Cathedrali Ecclesia Tutelensi apud Lemovices. Tutelæ 1656. in 8.

4. Petri de Marca de concordia Sacerdotii & Imperii, seu de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib. VIII. a Stephano Baluzio emendati. Parisiis 1663. fol. Item Parisiis 1704. fol. Hujus operis quidem libros quatuor priores ab authore suo jam inde ab anno 1641. lucem aspexerant; sed quam, post ejus obitum editionem curavit Baluzius, multo auctiorem & correctiorem fuisse constat. Multo etiam absolutior est editio anni 1669. in qua Baluzius absolutam a se dedit tractationem de legatis vix a Marca inceptam. Demum absolutissima est anni 1704. superiora omnia continens, atque insuper auctior est adnotationibus a Baluzio adjectis in defensionem opinionum quarundam auctoris clarissimi.
5. Salviani Massiliensis & Vincentii Lirinensis opera cum notis Baluzii. Parisiis 1653. in 8. Item Parisiis 1669. in 8. Item Parisiis 1684. in 8. & hæc est optima editio.
6. Servati Lupi Presbyteri, & Abbatis Ferrariensis opera. Parisiis 1664. in 8. cum notis Baluzii.
7. S. Agobardi Archiepiscopi Lugdunensis opera. Item epistolæ & opuscula Leidradi & Amolonis Archiepiscopi Lugdunensis notis illustratæ. Parisiis 1666. in 8. vol. 2.
8. Concilia Galliæ Narbonensis cum notis Baluzii. Parisiis 1668. in 8.
9. S. Cæsarii Arelatensis Episcopi Homiliæ 14. notis illustratæ Parisiis 1669. in 8.
10. Reginonis Abbatis Prumiensis libri duo de ecclesiasticis disciplinis, & Religione Christiana. Accessit Rabani Archiepiscopi Moguntini epistola ad Heribaldum Episcopum Antissiodorensem cum notis. Parisiis 1671. in 8.
11. Antonii Augustini Archiepiscopi Tarraconensis dialogorum libri duo de emendatione Gratiani cum notis. Parisiis 1672. in 8.
12. Marii Mercatoris opera cum notis. Parisiis 1684. in 8.
13. Miscellanea, hoc est collectio veterum monumentorum, quæ hactenus latuerant in variis codicibus, ac bibliothecis. Parisiis in 8. vol. 7. Miscellanea ista plurimi æstimantur; quod plurima contineant opuscula summi pretii, quorum desiderio eruditi tenebantur, quin & sunt nonnulla antehac ne nomine quidem nota. Prodierunt Parisiis variis annis; nam prius volumen lucem aspexit an. 1678., secundum anno 1679. tertium 1680. quartum 1683. quintum 1700. sextum 1713. septimum demum anno 1715.
14. Petri Gallandi vita Petri Castellani magni Franciæ Eleemosynarii, edente cum notis Stephano Baluzio, qui etiam duas ejusdem Castellam orationes habitas in funere Regis Francisci I. adjecit. Parisiis 1674. in 8.
15. Capitularia Regum Francorum. Additæ sunt Marculphi Monachi & aliorum formulæ veteres, & notæ doctissimorum virorum. Parisiis 1677. fol. Tom. 2.
16. Lucii Cæcilii Firmiani Lactantii liber ad Donatum Confessorem de Mortibus Persecutorum, nunc primum opera & studio Stephani Baluzii cum notis. Parisiis 1680. in 8. Editio hujus secunda prodiit cum notis variorum, & recensuit Paulus Bauldri. Ultrajecti 1692. in 8.
17. Epistolarum Innocentii III. Pontificis Romani libri XI. Accedunt gesta ejusdem Innocentii. Parisiis 1682. in fol. Tom. 2.
18. Nova collectio Conciliorum cum notis. Parisiis 1683. in fol.
19. Marca Hispanica, sive limes Hispanicus, hoc est geographica, & historica descriptio Catalauniæ, Barcinonis, & circumjacentium populorum, auctore Petro de Marca. Parisiis 1688. in fol. Cum opus illud ex obitu Domini de Marca impressionem retardatam habuisset, Baluzius peragendum illud in se assumpsit, addito de suo quarto libro, multa scitu digna continente; id vero in causa fuit, cur & liber proxime sequens ederetur.
20. Petri de Marca Archiepiscopi Parisiensis opuscula, nunc primum in lucem edita. Parisiis 1681. in 8.
21. Vitæ Paparum Avenionensium. Parisiis 1693. in 4. tom. 2. opus est maximi momenti, & inter ea quæ Baluzius dedit, optime elaboratum.
22. *Histoire Généalogique de la Maison d'Auvergne, justifiée par des Cartes, Titres, Histoires anciennes & autres preuves autentiques*. Parisiis 1708. in fol. vol. 2. Opus istud causa fuit Baluzii perdendi.
23. *Lettres pour servir de reponse à divers ecrits qu'on a semez dans Paris & à la Cour contre quelques anciens Titres, qui prouvent que Messieurs de Bouillon descendent en ligne directe & masculine des anciens Ducs de Guyenne & Comtes d'Auvergne. Paris 1698. fol.*
24. Historiæ Tutelensis libri tres. Parisiis 1717. in 4.
25. *Lettres au P. Tournemine sur l'edition de S. Cyprien qu'il prepare*. Insertæ sunt in actis Trevoltianis Martii 1713. Septembris 1714.
26. Epistola ad V. C. Eusebium Renaudotum de vita & morte Caroli *du Fresne du Cange*.
27. S. Cæcilii Cypriani Episcopi Carthaginensis & Martyris Opera ad MSS codices recognita & illustrata studio & labore Stephani Baluzii. Absolvit post Baluzium ac Præfationem, & Vitam S. Cypriani adornavit unus ex Monachis Congregationis S. Mauri. Parisiis 1726. in fol.

Demum ejus carmen in laudem Joannis B. Brossard Canonici & Officialis Leodiensis extat in sexto volumine part. I. operis inscripti *Memoires du P. des Molets*.

ELEN-

E L E N C H U S

Eorum quæ in hoc primo Tomo continentur.

Ade-

Acta

MONU-

MONUMENTORUM HISTORICORUM

APPENDIX

Chro-

Fun-

STE-

STEPHANI BALVZII
MISCELLANEA.

JOANNIS DOMINICI MANSI
IN OPVSCVLVM LACTANTII
PRAEMONITIO.

Quod monumentorum omnium a Baluzio editorum historiam Lucii Caecilii caput esse voluerim, fecit eximia ejus praestantia, cum sine controversia, antiquitate, utilitate, ac singularitate, reliqua omnia deinceps ex eodem Baluzio vulganda longe superet. Antiquitate quidem, si ex vetustate Colbertini codicis repetatur, de quo codice Baluzius in notis mox subjiciendis. Ejus etiam author eo fere tempore scribebat, quo gesta illa martyrum, quae deiu sequuntur in Baluzio, chartis mandabantur. Neque enim Passio SS. Seraphiae, & Sabinae, S. Mariae martyris, ac tandem S. Pontii (quamvis martyres illi L. Caecilii aetatem superunt), ante redditam ecclesiae pacem vulgatas esse censeo; ac de sinceritate actorum S. Pontii merito ambigi possit. Utilitas vero hujus opusculi longe est maxima cum ad reformandam priorum trium saeculorum chronologiam, tum ad historiam Diocletianeam illustrandam. Singularitas in eo sita est, quod huc usque nonnisi in unico Colbertino codice repertum sit. Cur vero in hac praefatiuncula authoris nomen integrum nequaquam expresserim, suppressis duobus illis Firmiani Lactantii, *fecit agitata inter criticos quaestio, num reipsa L. Caelio Lactantio Institutionum scriptori celebri liber sit tribuendus, cum in nomine ambo isti varient, hic enim Caecilius, ille Caelius appelletur, nec in Colbertino codice, nisi duo prima legantur, ut ex notis Baluzii hic recudendis docemur. Ea de causa P. Nourry Benedictinus Dioppeasis duplici dissertatione authori plane a Lactantio diverso, licet ejusdem aetatis, tribuendum opusculum censuit, cui assensum alii nonnulli dederunt, de quibus consulendus Fabricius Biblioth. med. & infim. Latinitatis lib. xi. v.* Lactantius. *Attamen ut Lactantio potius illud asseram plus me movet authoritas S. Hieronymi* Librum de persecutione *inter Lactantii scripta recensentis, quam adductae a scriptoribus istis recentioribus conjecturae, cum praesertim, quae e diversitate nominum* Caelii, & Caecilii *affertur in exscriptorem rudem admodum, & mendosum referri possit, qui cum in codice suo nomen Caelii prioribus tantum literis indicatum offendisset, integrum describere curans pro Caelio Caecilium reddendum facile censuit. Reliqua eorum argumenta Baluzius anticipatione quadam praesensit, & in notis refutavit.*

LVCII CAECILII
FIRMIANI LACTANTII

Liber ad Donatum Confessorem de mortibus persecutorum.

Miscell. lib. II. pag. 1. AUDIVIT Dominus orationes tuas, Donate carissime, quas in conspectu ejus per omnes horas tota die fundis, ceterorumque fratrum nostrorum qui gloriosa confessione sempiternam sibi coronam pro fidei suae meritis quaesierunt. Ecce adeptur his omnibus adversariis; & restituta per orbem tranquillitate, profligata nuper Ecclesia rursum exsurgit, & majore gloria templum Dei, quod ab impiis fuerat eversum, misericordia Domini fabricatur. Excitavit enim Deus principes qui tyrannorum nefaria & cruenta imperia resciderunt, humano generi providerunt, ut jam quasi discusso transacti temporis nubilo mentes omnium pax jocunda & serena laetificet. Nunc post tantae tempestatis violentos turbines placidus aër & optata lux refulsit. Nunc placatus servorum suorum Deus jacentes & afflictos cælesti auxilio sublevavit. Nunc mœrentium lacrymas, extincta impiorum conspiratione, detersit. Qui adversati erant Deo jacent; qui templum sanctum everterant, ruina majori ceciderunt; qui justos excarnificaverant, cælestibus plagis & cruciatibus meritis nocentes animas profuderunt. Distulerat enim pœnas eorum Deus ut ederet in eos magna & mirabilia exempla, quibus & posteri discerent & Deum esse unum & eundem mortem digna ultione superbis & impiis ac persecutoribus inrogare. De quo exitu . . . . . testificari placuit, ut omnes qui pro-

cui moti fuerunt, vel qui p . . . . turi sunt, scirent quatenus virtutem ac majestatem suam in . . . . dis delendisque nominis sui hostibus Deus summus ostenderet . . . . est, si à principio ex quo est Ecclesia constituta qui fuerint auctores . . . . & quibus pœnis in eos cælestis judicii severitas vindicaverit exponam.

II. Extremis temporibus Tiberii Cæsaris, ut scriptum legimus, Dominus noster Jesus Christus à Judæis cruciatus est post diem decimum Kalendarum Aprilis, duobus Geminis Consulibus, cum resurrexisset die tertio, congregavit discipulos quos metus comprehensionis ejus in fugam verterat, & diebus quadraginta cum his commoratus, aperuit corda eorum, & scripturas interpretatus est, quæ usque ad id tempus obscuræ atque involutæ fuerunt. Ordinavitque eos & instruxit ad prædicationem dogmatis ac doctrinæ suæ, disponens testamenti novi solemnem disciplinam. Quo officio repleto, circumvolvit eum procella nubis, & subtractum oculis hominum rapuit in cælum. Et inde discipuli, qui tunc erant undecim, assumptis in locum Judæ proditoris Matthia & Paulo, dispersi sunt per omnem terram ad evangelium prædicandum, sicut illis magister Dominus imperaverat, & per annos XXV. usque ad principium Neroniani imperii per omnes provincias & civitates Ecclesiæ fundamenta miserunt. Cumque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit, & editis quibusdam miraculis quæ virtute ipsius Dei data sibi ab eo potestate faciebat, convertit multos ad justitiam, Deoque templum fidele ac stabile collocavit. Qua re ad Neronem delata, cùm animadverteret non modò Romæ sed ubique cotidie magnam multitudinem deficere à cultu idolorum & ad religionem novam damnata vetustate transire, ut erat execrabilis ac nocens tyrannus, prosilivit ad excidendum cæleste templum delendamque justitiam, & primus omnium persecutus Dei servos, Petrum cruci adfixit, & Paulum interfecit. Nec tamen abiit impune. Respexit enim Deus vexationem populi sui. Dejectus itaque fastigio imperii, ac devolutus à summo tyrannus impotens, nusquam repentè comparuit, ut ne sepulturæ quidem locus in terra tam malæ bestiæ appareret. Unde illum quidam deliri credunt esse translatum ac vivum reservatum, Sibilla dicente matricidam profugum à finibus esse venturum, ut qui a primus persecutus est, idem etiam novissimus persequatur & antichristi præcedat adventum. . nefas est credere, sicut duos Prophetas vivos esse translatos in ultima . . . . initium Christi sanctum ac sempiternum, cum descendere cœperit . . . . promuntiant, eodem modo etiam Neronem venturum putant . . . . . cursor diaboli ac prævius sit venientis ad vastationem terræ & humani generis eversionem.

III. Post hunc, interjectis aliquot annis, alter non minor tyrannus ortus est; qui cum exerceret invisam dominationem, subjectorum tamen cervicibus incubavit quàm diutissimè, tutusque regnavit, donec impias manus adversus Dominum tenderet. Postquam verò ad persequendum justum populum instinctu dæmonum incitatus est, tunc traditus in manus inimicorum luit pœnas. Nec satis ad ultionem fuit quòd est interfectus domi. Etiam memoria nominis ejus erasa est. Nam cum multa mirabilia opera fabricasset, cùm capitolium aliaque nobilia monumenta fecisset, senatus ita nomen ejus persecutus est ut neque imaginum neque titulorum ejus relinqueret ulla vestigia, gravissimis decretis etiam mortuo notam inureret ad ignominiam sempiternam. Rescissis igitur actis tyranni, non modò in statum pristinum Ecclesia restituta est, sed etiam multò clarius ac floridius emicuit; secutisque temporibus, quibus multi ac boni principes Romani imperii clavum regimenque tenuerunt, nullos inimicorum impetus passa, manus suas in orientem occidentemque porrexit, ut jam nullus esset terrarum angulus tam remotus quò non religio Dei penetrasset, nulla denique natio tam feris moribus vivens ut non suscepto Dei cultu ad justitiæ opera mitesceret. Sed enim postea longa pax rupta est.

IV. Extitit enim post annos plurimos execrabile animal Decius, qui vexaret Ecclesiam. Quis enim justitiam nisi malus persequatur? Et quasi hujus rei gratia provectus esset ad illud principale fastigium, furere protinus contra Deum cœpit ut protinus caderet. Nam profectus adversùm Carpos, qui tum Daciam Mœsiamque occupaverant, statimque circumventus à barbaris, & cum magna exercitus parte deletus, nec sepultura quidem potuit honorari; sed exutus ac nudus, ut hostem Dei oportebat, pabulum feris ac volucribus jacuit.

V. Non multò pòst Valerianus quoque non dissimili furore correptus, impias manus in Deum intentavit, & multum, quamvis brevi tempore, justi sanguinis fudit. At illum Deus novo ac singulari pœnæ genere adfecit, ut esset posteris documentum adversarios Dei sæpe dignam scelere suo recipere mercedem. Hic captus à Persis, non modò imperium, quo fuerat insolenter usus, sed etiam libertatem, quam ceteris ademerat, perdidit, vixitque in servitute turpissimè. Nam Rex Persarum Sapores, qui eum ceperat, si quando libuerit aut vehiculum ascendere aut equum, inclinare sibi Romanum jubebat ac terga præbere, & imposito pede super dorsum ejus, illud esse verum dicebat, exprobrans ei cum risu, non quod in tabulis aut parietibus Romani pingerent. Ita ille dignissimè triumphatus, aliquandiu vixit ut diu barbaris Romanum nomen ludibrio ac derisui esset. Etiam hoc ei accessit ad pœnam, quod cum filium haberet Imperatorem, captivitatis suæ tamen ac servitutis extremæ non invenit ultorem, nec omnino repetitus est. Postea verò quàm pudendam vitam in illo dedecore finivit, direpta est ei cutis, & exuta visceribus pellis, infecta rubro colore, ut in templo barbarorum deorum ad memoriam clarissimi triumphi poneretur, legatisque nostris semper esset ostentui, ne nimium Romani viribus suis fiderent, cùm exuvias capti Principis apud deos suos cernerent. Cùm igitur tales pœnas de sacrilegis Deus exegerit, nonne mirabile est ausum esse quemquam postea non modò facere sed etiam cogitare adversus majestatem singularis Dei regentis & continentis universa?

VI. Aurelianus, qui esset natura vesanus & præceps, quamvis captivitatem Valeriani meminisset, tamen oblitus sceleris ejus & pœnæ, iram Dei crudelibus factis lacessivit. Verum illi ne perficere quidem quæ cogitaverat licuit, sed protinus inter initia sui furoris extinctus est. Nondum ad provincias ulteriores cruenta ejus scripta pervenerant, & jam Cœnofrurio, qui locus est Thraciæ, cruentus ipse humi jacebat, falsa quadam suspicione ab amicis suis interemptus. Talibus & tot exemplis coërceri posteriores tyrannos oportebat. At hi non modò territi non sunt, sed audacius etiam contra Deum confidentiusque fecerunt.

VII. Diocletianus, qui scelerum inventor & malorum machinator fuit, cum disperderet omnia, nec à Deo quidem manus potuit abstinere. Hic orbem terræ simul & avaritia & timiditate subvertit. Tres enim participes regni sui fecit, in quatuor partes orbe diviso, & multiplicatis exercitibus, cum singuli eorum longè majorem numerum militum habere contenderent quàm priores Principes habuerant cum soli rem publicam gererent. Adeo major esse cœperat numerus accipientium quàm dantium, ut enormitate indictionum consumptis viribus colonorum, desererentur agri & culturæ verterentur in silvam. Et ut omnia terrore complerentur, provinciæ quoque in frusta concisæ, multi præsides & plura officia singulis regionibus ac penè jam civitatibus incubare, item rationales multi & magistri & vicarii Præfectorum, quibus omnibus civiles actus admodum rari, sed condemnationes tantum & proscriptiones frequentes, exactiones rerum innumerabilium, non dicam crebræ, sed perpetuæ, & in exactionibus inju-

riae

riæ non ferendæ. Hæc quoque tolerari possunt quæ ad exhibendos milites spectant. Idem insatiabili avaritia thesauros nunquam minui volebat, sed semper extraordinarias opes ac largitiones congerebat, ut ea quæ recondebat integra atque inviolata servaret. Idem cum variis iniquitatibus immensam faceret caritatem, legem pretiis rerum venalium statuere conatus est. Tunc ob exigua & vilia multus sanguis effusus, nec venale quicquam metu apparebat, & caritas multò deterius exarsit, donec lex necessitate ipsa post multorum exitium solveretur. Huc accedebat infinita quædam cupiditas ædificandi, non minor provinciarum exactio in exhibendis operariis & artificibus & plaustris omnibus quæcunque sint fabricandis operibus necessaria. Hic basilicæ, hic circus, hic moneta, hic armorum fabrica; hic uxori domus, hic filiæ. Repentè magna pars civitatis exceditur. Migrabant omnes cum conjugibus ac liberis, quasi urbe ab hostibus capta. Et cum perfecta haec fuerant cum interitu provinciarum, Non rectè facta sunt, ajebat, alio modo fiant. Rursus dirui ac mutari necesse erat, iterum fortasse casura. Ita semper dementabat, Nicomediam studens urbi Romae coaequare. Iam illud praetereo, quam multi perierint possessionum aut opum gratia. Hoc enim usitatum & ferè licitum consuetudine malorum. Sed in hoc illud fuit praecipuum, quòd ubicunque cultiorem agrum viderat aut ornatius aedificium, jam parata domino calumnia & pœna capitalis, quasi non posset rapere aliena sine sanguine.

VIII. Quid frater ejus Maximianus, qui est dictus Herculius, non dissimilis ab eo? Nec enim possent in amicitia tam fideli cohaerere nisi esset in utroque mens una, eadem cogitatio, par voluntas, aequa sententia. Hoc solum differebant, quòd avaritia minori altero fuit plus, majori verò minus, sed plus timiditatis, plus verò animi, non ad bene faciendum, sed ad malè. Nam cùm ipsam imperij sedem teneret Italiam, subjacerentque opulentissimae provinciae vel Africa vel Hispania, non erat in custodiendis opibus tam diligens, quarum illi copia suppetebat. Et cum opus esset, non deerant locupletissimi senatores qui subornatis indiciis affectasse imperium dicerentur, ita ut effoderentur assiduè lumina senatus. Cruentissimus fiscus malè partis opibus affluebat. Iam libido in homine pestifero, non modò ad corrumpendos mores, quod est odiosum ac detestabile, verum etiam ad violandas primorum filias. Nam quacunque iter fecerat, avulsae à conspectu parentum virgines, statim praesto. His rebus beatum se judicabat; his constare felicitatem imperij sui putabat, si libidini & cupiditati malae nihil denegatet.

Constantium praetereo, quoniam dissimilis ceterorum fuit, dignusque qui solus orbem teneret.

IX. Alter verò Maximianus, quem sibi generum Diocletianus asciverat, non his duobus tantum quos tempora nostra senserunt, sed omnibus qui fuerunt malis pejor. Inerat huic bestiae naturalis barbaries, efferitas à Romano sanguine aliena. Non mirum, cum mater ejus Transdanuviana infestantibus Carpis in Daciam novam transjecto amne confugerat. Erat etiam corpus moribus congruens, statu celsus, caro ingens & in horrendam magnitudinem diffusa & inflata. Denique & verbis & actibus & aspectu terrori omnibus ac formidini fuit. Socer quoque eum metuebat acerrimè. Cujus timoris haec fuit causa. Narseus Rex Persarum concitatus domesticis exemplis avi sui Saporis, ad occupandum orientem cum magnis copiis inhiabat. Tunc Diocletianus, ut erat in omni tumultu meticulosus animique disjectus, simul & exemplum Valeriani timens, non ausus est obviam tendere, sed hunc per Armeniam misit, ipse in oriente subsistens & aucupans exitus rerum. Ille insidiis suis barbaros, quibus mos est cum omnibus suis ad bellum pergere, multitudine impeditos & sarcinis occupatos non difficiliter oppressit; fugatoque Narseo Rege, reversus cum praeda & manubiis ingentibus, sibi attulit superbiam, Diocletiano timorem. In tantos namque fastus post hanc victoriam elevatus est ut jam detractaret Caesaris nomen. Quod cum in litteris ad se datis audisset, truci vultu ac voce terribili exclamabat: Quousque Caesar? Exinde insolentissimè agere cœpit, ut ex Marte se procreatum & videri & dici vellet, tamquam alterum Romulum; maluitque Romulam matrem stupro infamare, ut ipse diis oriundus videretur. Sed differo de factis ejus dicere, ne confundam tempora. Postea enim quàm nomen Imperatoris accepit, exuto socero, tum demum furere cœpit & contemnere omnia. Diocles enim ante imperium vocabatur. Cùm rem publicam talibus consiliis & talibus sociis everteret, cùm pro sceleribus suis nihil non mereretur, tamdiu tamen summa felicitate regnavit quandiu manus suas justorum sanguine non inquinaret. Quam verò causam persequendi habuerit, exponam.

X. Cum ageret in partibus orientis, ut erat pro timore scrutator rerum futurarum, immolabat pecudes, & in jecoribus earum ventura quaerebat. Tum quidam ministrorum scientes Dominum, cum adsisterent immolanti, imposuerunt frontibus suis immortale signum. Quo facto, fugatis daemonibus, sacra turbata sunt. Trepidabant aruspices, nec solitas in extis notas videbant; & quasi non litassent, saepius immolabant. Verum identidem mactatae hostiae nihil ostendebant, donec magister ille aruspicum Tagis, seu suspicione, seu visu, ait idcirco non responderе sacra quòd rebus divinis profani homines interessent. Tunc ira furens sacrificare non eos tantùm qui sacris ministrabant, sed universos qui erant in palatio jussit, & in eos, si detractassent, verberibus animadverti; datisque ad Praepositos litteris, etiam milites cogi ad nefanda sacrificia praecepit, ut qui non paruissent, militia solverentur. Hactenus furor ejus & ira processit, nec amplius quicquam contra legem aut religionem Dei fecit. Deinde interjecto aliquanto tempore in Bithyniam venit hyematum; eodemque tum Maximianus quoque Caesar inflammatus scelere advenit, ut ad persequendos Christianos instigaret senem vanum, qui jam principium fecerat. Cujus furoris hanc causam fuisse cognovi.

XI. Erat mater ejus deorum montium cultrix, mulier admodum superstitiosa. Quae cum esset dapibus sacrificabat pene cotidie, ac vicariis suis epulis exhibebat. Christiani abstinebant; & illa cum gentibus epulante, jejuniis hi & orationibus insistebant. Hinc concepit odium adversùs eos, ac filium suum non minus superstitiosum querelis muliebribus ad tollendos homines incitavit. Ergo habito inter se per totam hyemem consilio, cum nemo admitteretur, & omnes de summo statu rei publicae tractari arbitrarentur, diu senex furori ejus repugnavit, ostendens quàm perniciosum esset inquietari orbem terrae, fundi sanguinem multorum. illos libenter mori solere. satis esse si palatinos tantùm ac milites ab ea religione prohiberet. Nec tamen deflectere potuit praecipitis hominis insaniam. Placuit ergo amicorum sententiam experiri. Nam erat hujus malitiae. Cum bonum quid facere decrevisset, sine consilio faciebat, ut ipse laudaretur. Cùm autem malum, quoniam id reprehendendum sciebat, in consilium multos advocabat, ut aliorum culpae ascriberetur quicquid ipse deliquerat. Admissi ergo judices pauci & pauci militares, ut dignitate antecedebant, interrogabantur. Quidam proprio adversùs Christianos odio inimicos deorum & hostes religionum publicarum tollendos esse censuerunt, & qualiter sentiebant, intellecta hominis voluntate, vel timentes vel gratificari volentes in eandem sententiam congruerunt. Nec sic quidem flexus est Imperator ut accommodaret assensum, sed deos potissimum consulere statuit, misitque aruspicem ad Apollinem Miletium. Respondit ille ut divinae religionis inimicus. Traductus est itaque à proposito. Et quoniam nec amicis nec Caesari nec Apollini poterat reluctari, hanc moderationem tenere conatus est ut eam rem sine sanguine transigi ju-

beret, cùm Caesar vivos cremari vellet qui sacrificio repugnassent.

Virg. 4. Æneid. XII. Inquiritur peragendæ rei dies aptus, & felix, ac potissimum Terminalia deliguntur, quæ sunt ad septimum Kalendas Martias, ut quasi terminus imponeretur huic religioni. Ille dies primus leti primusque malorum causa fuit quæ & ipsis & orbi terrarum acciderunt. Qui dies cùm illuxisset, agentibus consulatum senibus ambobus octavum & septimum, repentè adhuc dubia luce ad Ecclesiam profectus cum ducibus & tribunis & rationalibus venit; & revulsis foribus, simulacrum Dei quæritur. Scripturæ repertæ incenduntur, datur omnibus præda. Rapitur, trepidatur, discurritur. Ipsi verò in speculis (in alto enim constituta Ecclesia ex palatio videbatur) diù inter se concertabant utrum ignem potiùs supponi oporteret. Vicit sententia Diocletianus, cavens ne magno incendio facto pars aliqua civitatis arderet. Nam multæ ac magnæ domus ab omni parte cingebant. Veniebant igitur prætoriani acie structa cum securibus & aliis ferramentis; & immissi undique, tamen illud editissimum paucis horis solo adæquarunt.

XIII. Postridie propositum est edictum quo cavebatur ut religionis illius homines carerent omni honore ac dignitate, tormentis subjecti essent ex quocunque ordine aut gradu venirent, adversùs eos omnes actio valeret, ipsi non de injuria, non de adulterio, non de rebus ablatis agere possent, libertatem denique ac vocem non haberent. Quod edictum quidam, etsi non rectè, magno tamen animo diripuit & conscidit, cùm irridens diceret victorias Gothorum & Sarmatarum propositas. Statimque productus, non modò extortus, sed etiam legitime coctus, cum admirabili patientia postremò exustus est.

XIV. Sed Cæsar non contentus est edicti legibus. Aliter Diocletianum aggredi parat. Nam ut illum ad propositum crudelissimæ persecutionis impelleret, occultis ministris palatio subjecit incendium. Et cum pars quædam conflagrasset, Christiani arguebantur velut hostes publici, & cum ingenti invidia simul cum palatio Christianorum nomen ardebat. illos consilio cum eunuchis habito de extinguendis Principibus cogitasse, duos Imperatores domi suæ penè vivos esse combustos. Diocletianus verò, qui semper se volebat videri astutum & intelligentem, nihil potuit suspicari; sed ira inflammatus, excarnificari omnes suos protinus præcepit. Sedebat ipse, atque innocentes igne torrebat. Item judices universi, omnes denique qui erant in palatio magistri, data potestate torquebant. Erant certantes quis prior aliquid inveniret. Nihil usquam reperiebatur; quippe cum familiam Cæsaris nemo torqueret. Aderat ipse & instabat, nec patiebatur iram inconsiderati senis deflagrare. Sed quindecim diebus interjectis, aliud rursum incendium molitus est. Sed celerius animadversum, nec tamen auctor apparuit. Tunc Cæsar medio hyemis profectione parata prorupit, eodem die contestans fugere se ne vivus arderet.

XV. Furebat ergo Imperator jam non in domesticos tantùm, sed in omnes, & primam omnium filiam Valeriam conjugemque Priscam sacrificio pollui coëgit. Potentissimi quondam eunuchi necati, per quos palatium & ipse antè constabat. Comprehensi Presbyteri ac ministri, & sine ulla probatione ad confessionem damnati, cum omnibus suis deducebantur. Omnis sexus & ætatis homines ad exustionem rapti. Nec singuli, quoniam tanta erat multitudo, & gregatim circumdato igni ambiebantur domestici, alligatis ad collum molaribus mari mergebantur. Nec minùs in ceterum populum persecutio violenter incubuit. Nam judices per omnia templa dispersi, universos ad sacrificia cogebant. Pleni carceres erant. Tormentorum genera inaudita excogitabantur; & ne cui temerè jus diceretur, aræ in secretariis ac pro tribunali positæ, ut litigatores priùs sacrificarent, atque ita causas suas dicerent. sic ergo ad judices tamquam ad deos adiretur. Et jam litteræ ad Maximianum atque Constantium commeaverant ut eadem facerent. Eorum sententia in tantis rebus expectata non erat. Et quidem senex Maximianus libens paruit per Italiam, homo non adeo clemens. Nam Constantius, ne dissentire à majorum præceptis videretur, conventicula, id est parietes, qui restitui poterant, dirui passus est, verum autem Dei templum, quod est in hominibus, incolume servavit.

XVI. Vexabatur ergo universa terra, & præter Gallias, ab oriente usque ad occasum tres acerbissimæ bestiæ sæviebant. Non mihi si linguæ centum, oraque centum, ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas, omnia pœnarum percurrere nomina possem quæ judices per provincias justis atque innocentibus intulerunt. Verum quid opus est illa narrare, præcipuè tibi, Donate carissime, qui præter ceteros tempestatem turbidæ persecutionis expertus es? Nam cum incidisses in Flaccinum Præfectum, non pusillum homicidam, deinde in Hieroclem ex Vicario Præsidem, qui auctor & consiliarius ad faciendam persecutionem fuit, postremò in Prisellianum successorem ejus, documentum omnibus invictæ fortitudinis præbuisti. Novies enim tormentis cruciatibusque variis subjectus, novies adversarium gloriosa confessione vicisti. Novem prœliis zabulum cum satellitibus suis debellasti, novem victoriis seculum cum suis terroribus triumphasti. Quàm jocundum illud spectaculum Deo fuit cùm victorem te cerneret, non candidos equos, aut immanes elephantos, sed ipsos potissimum triumphatores currui tuo subjugantem? Hic est verus triumphus cùm dominatores dominantur. Victi enim tua virtute ac subjugati sunt, quandoquidem nefanda jussione contempta, omnes apparatus ac terriculas tyrannicæ potestatis fide stabili & robore animi profligasti. Nihil adversùs te verbera, nihil ungulæ, nihil ignis, nihil ferrum, nihil varia tormentorum genera valuerunt. Adimere tibi fidem ac devotionem nulla vis potuit. Hoc est esse discipulum Dei, hoc est militem Christi, quem nullus hostis expugnet, nullus lupus de castris cælestibus rapiat, nullus laqueus inducat, nullus dolor vincat, nullus cruciatus affligat. Denique post illas novem gloriosissimas pugnas, quibus à te zabulus victus est, non est ausus ulterius congredi tecum, quem tot prœliis expertus est non posse superari. Et cùm tibi parata esset victrix corona, desijt amplius provocare, ne jam sumeres. quam licet non acceperis in præsenti, tamen integra tibi pro virtutibus tuis & meritis in regno Dei reservatur. Sed redeamus ad ordinem rerum. Virgil. 6. Æneid.

XVII. Hoc igitur scelere perpetrato Diocletianus, cùm jam felicitas ab eo recessisset, perrexit statim Romam, ut illic vicennalium diem celebraret, qui erat futurus ad duodecimum Kalendas Decembres. Quibus solemnibus celebratis, cum libertatem populi Romani ferre non poterat, impatiens & æger animi prorupit ex urbe impendentibus Kalendis Ianuarijs, quibus illi nonus consulatus deferebatur. Tredecim dies tolerare non potuit ut Romæ potiùs quàm Ravennæ procederet Consul. Sed profectus hyeme, sæviente frigore, atque imbribus verberatus, morbum levem ac perpetuum traxit; vexatusque per omne iter, lectica plurimùm vehebatur. Sic æstate transacta, per circuitum ripæ strigæ Nicomediam venit, morbo jam gravi insurgente. Quodcunque se premi videret, prolatus est tamen ut circum quem fecerat dedicaret anno post vicennalia repleto. Deinde ita langore oppressus ut per omnes deos pro vita ejus rogaretur, donec Idibus Decembribus luctus repentè in palatio, mœstitia & lacrymæ, judicum trepidatio, & silentium. Tota civitate jam non modò mortuum sed etiam sepultum dicebant, cum repentè manè postridie pervagari fama quòd viveret, domesticorum ac judicum vultus alacritate mutari. Non defuerunt qui suspicarentur celari mortem ejus donec Cæsar veniret, ne quid fortè à militibus novaretur. Quæ suspicio tantum valuit ut nemo crederet eum vivere nisi Kalendis Martijs prodisset, vix

agno-

agnoscendus, quippe qui anno ferè toto ægritudine tabuisset. Et ille Idibus Decembribus morte sopitus animam receperat, nec tamen totam. Demens enim factus est, ita ut certis horis insaniret, certis resipisceret.

XVIII. Nec multis post diebus Cæsar advenit, non ut patri gratularetur, sed ut eum cogeret imperio cedere. Iam conflixerat nuper Maximiano sene, eumque terruerat injecto armorum civilium metu. Aggressus est ergo Diocletianum, primum molliter & amicè, jam senem esse dicens, jam minùs validum & administrandæ rei publicæ inhabilem, debere illum requiescere post labores. Simul & exemplum Nervæ proferebat, qui imperium Trajano tradidisset. Ille verò aiebat ei indecens esse si post tantam sublimis fastigij claritatem in humilis vitæ tenebras decidisset, & minùs tutum, quòd in tam longo imperio multorum sibi odia quæsisset. Nerva verò uno anno imperante, cùm pondus & curam tantarum rerum vel ætate vel insolentia ferre non quiret, abjecisse gubernaculum rei publicæ, atque ad privatam vitam redisse, in qua consenuerat. Verùm si nomen Imperatoris cuperet adipisci, impedimento nihil esse quo minus omnes Augusti nuncuparentur. At ille, qui orbem totum jam ipse inhiaverat, cùm inde sibi aut nihil præter nomen aut multum videbat accedere, respondit debere ipsius dispositionem in perpetuum conservari, ut duo sint in re publica majores, qui summam rerum teneant, item duo minores, qui sint adjumento. inter duos facile posse concordiam servari, inter quatuor pares nullo modo. Si ipse cedere noluisset, se sibi consulturum, ne amplius minor & extremus esset. Iam fluxisse annos quindecim in Illyricum vel ad ripam Danuvij relegatus cum gentibus barbaris luctaret, cùm alij intra laxiores & quietiores terras delicatè imperarent. His auditis senex languidus, qui jam Maximiani senis litteras acceperat scribentis quæcunque locutus fuisset, & didicerat augeri ab eo exercitum, lacrymabundus, Fiat, inquit, si hoc placet. Supererat ut communi consilio omnium Caesares legerentur. Quid opus est consilio, cùm sit necesse illis duobus placere quicquid nos fecerimus. Ita planè. Nam illorum filios nuncupari necesse est. Erat autem Maximiano (filius) Maxentius, hujus ipsius Maximiani gener, homo perniciosae ac malae mentis, adeo superbus & contumax ut neque patrem neque socerum solitus sit adorare. Et idcirco utrique invisus fuit. Constantio quoque filius erat Constantinus, sanctissimus adolescens, & illo fastigio dignissimus, qui insigni & decoro habitu corporis, & industria militari, & probis moribus, & comitate singulari, à militibus amaretur, à privatis & optaretur. Eratque tunc praesens, jampridem à Diocletiano factus Tribunus ordinis primi. Quid ergo fiet? Ille, inquit, dignus non est. Qui enim me privatus contempsit, quid faciet cùm imperium acceperit? Hic verò & amabilis est & ita imperaturus ut patre suo melior & clementior judicetur. Ita fiet ut ego non possim facere quae velim. Eos igitur oportet nuncupari· qui sint in mea potestate, qui timeant, qui nihil faciant nisi meo jussu. Quos ergo faciemus? Severum, inquit. Illumne saltatorem, temulentum, ebriosum, cui nox pro die & dies pro nocte? Dignus, inquit, quoniam militibus fideliter praebuit, & eum misi ad Maximianum, ut ab eo induatur. Esto. Alterum quem dabis? Hunc, inquit, ostendens Daiam adulescentem quendam semibarbarum, quem recens jusserat Maximinum vocari de suo nomine. Iam & ipsi Diocletianus nomen ex parte mutaverat hominis causa, quia Maximianus fidem summa religione praestabat. Quis est hic quem mihi offers? Meus, inquit, affinis. At ille gemebundus. Non, inquit, eos homines mihi das quibus tutela rei publicae committi possit. Probavi eos, inquit. Tu videris, qui regimen imperij suscepturus es. Ego satis laboravi & providi quemadmodum me imperante res publica staret incolumis. Si quid accesserit adversi, mea culpa non erit.

XIX. Cùm hæc essent constituta, proceditur Kalendis Maiis. Constantinum omnes intuebantur. Nulla erat dubitatio. Milites qui aderant, & priores militum electi & acciti ex legionibus, in hunc unum intenti gaudebant, optabant, & vota faciebant. Erat locus altus extra civitatem ad milia ferè tria, in cujus summo Maximianus ipse purpuram sumpserat; & ibi columna fuerat erecta cum Jovis signo. Eò pergitur. Concio militum convocatur. Inquit senex cum lacrimis, alloquitur milites se invalidum esse, requiem post labores petere, imperium validioribus tradere, alios Cæsares subrogare. Summa omnium expectatio quid afferret. Tunc repentè pronuntiat Severum & Maximinum Cæsares. Obstupescunt omnes in tribunali. Constantinus astabat sursum. sciscitari inter se num Constantini immutatum nomen esset, cùm in conspectu omnium Maximianus manum retrorsum extendens protraxit à tergo Daiam, Constantino repulso, & exuto vestem privatam, constituit in medium. Mirari omnes qui esset, unde esset. Nemo tamen reclamare ausus est, cunctis insperatae novitate rei turbatis. Hunc purpuram Diocletianus injecit suam, qua se exuit, & Diocles iterum factus est. Tum descenditur; & theda per civitatem veteranus Rex foras exportatur, in patriamque dimittitur. Daia verò sublatus nuper à pecoribus & silvis, statim scutarius, continuò Protector, mox Tribunus, postridie Cæsar, accepit orientem calcandum & conterendum, quippe qui neque militiam neque rem publicam sciret, jam non pecorum sed militum pastor.

XX. Maximianus, postquam senibus expulsis quod voluit & fecit, se jam solum totius orbis dominum esse ferebat. Nam Constantium, quamvis priorem nominari esset necesse, contemnebat, quòd & natura mitis esset & valitudine corporis impeditus. Hunc sperabat brevi obiturum; & si non obisset, vel invitum exuere facile videbatur. Quid enim faceret si à tribus cogeretur imperium deponere? Habebat ipse Licinium veteris contubernij amicum & à prima militia familiarem, cujus consiliis ad omnia regenda utebatur. Sed eum Cæsarem facere noluit, ne filium nominaret, ut postea in Constantij locum nuncuparet Augustum atque fratrem, tunc verò ipse principatum teneret, ac pro arbitrio suo debacchatus in orbem terræ vicennalia celebraret, ac substituto Caesare filio suo, qui tunc erat novennis, & ipse deponeret, ita cùm imperij summam tenerent Licinius ac Severus, & secundum Cæsarum nomen Maximinus & Candidianus, inexpugnabili muro circumseptus securam & tranquillam degeret senectutem. Hoc consilia ei ostendebant. Sed Deus, quem sibi fecit infestum, cuncta illius cogitata dissolvit.

XXI. Adeptus igitur maximam potestatem, ad vexandum orbem quem sibi patefecerat animum intendit. Nam post devictos Persas, quorum hic ritus, hic mos est ut Regibus suis in servitium se addicant, & Reges populo suo tamquam familia utantur, hunc morem nefarius homo in Romanam terram voluit inducere, quem ex illo tempore victoriæ sine pudore laudabat. Et quia id apertè jubere non poterat, sic agebat ut & ipsa libertatem hominibus auferret. In primis honores ademit. Torquebantur ab eo non modò decuriones, sed primores etiam civitatum egregij ac perfectissimi viri. Et quidem in causis levibus atque civilibus, si morte digni viderentur, cruces stabant. Sin minùs, compedes parati. Matresfamilias ingenuæ ac nobiles in gynecæum rapiebantur. Si quis esset verberandus, defixi in stabulo pali quatuor stabant, ad quos nullus unquam servus distendi solebat. Quid lusorium vel delitias ejus referam? Habebat ursos ferociæ ac magnitudinis suæ simillimos, quos toto imperij sui tempore elegerat. Quotiens delectari libuerat, horum aliquem afferri nominatim jubebat. His homines non planè comedendi sed obsorbendi objectabantur: quorum artus cùm dissiparentur, ridebat suavissimè; nec unquam sine humano cruore cænabat. Dignita-

tatem non habentibus pœna ignis fuit, & exilij primo adversus Christianos permiserat, datis legibus ut post tormenta damnati lentis ignibus urerentur. Qui cum deligati fuissent, subdebatur primò pedibus lenis flamma tamdiu donec callum solorum contractum igni ab ossibus revelleretur. Deinde incensæ faces & extinctæ admovebantur singulis membris, ita ut locus nullus in corpore relinqueretur intactus. Et inter hæc suffundebatur facies aqua frigida, & os humore abluebatur, ne arescentibus siccitate faucibus citò spiritus redderetur, quod postremò accidebat. tunc per multum diem decocta omni cute, vis ignis ad intima viscera penetrasset. Hinc rogo facto cremabantur. Corpora jam cremata, lecta ossa & in pulverem comminuta jactabantur in flumine ac mare.

XXII. Quæ igitur in Christianis excruciandis didicerat, consuetudine ipsa in omnes exercebat. Nulla pœna penes eum levis, non insulæ, non carceres, non metalla, sed ignis, crux, feræ, in illo erant cotidiana & facilia. Domestici & administratores lancea emendabantur. In causa capitis animadversio gladii admodum paucis quasi beneficij (loco) deferebatur, qui ob merita vetera impetraverant bonam mortem. Iam illa his levia fuerant. Eloquentia extincta, causidici sublati, jureconsulti aut relegati aut necati. Litteræ autem inter malas artes habitæ; & qui eas noverant, pro inimicis hostibusque protriti & execrati. Licentia rerum omnium, solutis legibus, adsumpta & judicibus data. Judices militares humanitatis litterarum rudes, sine adsessoribus in provincias immissi.

XXIII. At verò illud publicæ calamitatis & communis luctus omnium fuit, census in provincias & civitates semel missus, censitoribus ubique diffusis & omnia exagitantibus, hostilis tumultus & captivitatis horrendæ species erant. Agri glebatim metiebantur, vites & arbores numerabantur, animalia omnis generis scribebantur, hominum capita notabantur, in civitatibus urbanæ ac rusticæ plebes adunatæ, foras omnia gregibus familiarum referta, unusquisque cum liberis cum servis aderant, tormenta ac verbera personabant, filij adversùs parentes suspendebantur, fidelissimi quique servi contra dominos vexabantur, uxores adversus maritos. Si omnia defecerant, ipsi contra se torquebantur: & cum dolor vicerat, adscribebantur quæ non habebantur. Nulla ætatis, valitudinis excusatio. Ægri & debiles deferebantur, æstimabantur ætates singulorum; parvulis adiciebantur anni, senibus detrahebantur. Luctu & mœstitia plena omnia. Quæ veteres adversus victos jure belli fecerant, & ille adversus Romanos Romanisque subjectos facere ausus est, quia parentes ejus censui subjugati fuerant quem Trajanus Dacis assiduè rebellantibus pœnæ gratia victor imposuit. Post hoc pecuniæ pro capitibus pendebantur, & merces pro vita dabatur. Non tamen hisdem censitoribus fides habebatur; sed alij super alios mittebantur, tamquam plura inventuri. Et duplicabatur semper illis non invenientibus, sed ut libuit addentibus, ne frustra missi viderentur. Interea minuebantur animalia, & mortales obibant, & nihil minùs solvebantur tributa pro mortuis, ut nec vivere jam nec mori saltim gratis liceret. Mendici supererant soli, à quibus nihil exigi posset, quos ab omni genere injurietatis miseria & infelicitas fecerat. Atquin homo impius misertus est illis ut non egerent. Congregari omnes jussit, & exportatos naviculis in mare mergi. Adeo hominem misericordem, qui providerit ne quis illo imperante miser esset. Ita dum cavit ne quis simulatione mendicitatis censum subterfugiat, multitudinem virorum miserorum contra omne jus humanitatis occidit.

XXIV. Iam propinquavit illi judicium Dei, secutumque tempus est quo res ejus dilabi ac fluere cœperunt. Noudum animum intenderat ad evertendum pellendumve Constantium, dum est occupatus his rebus quas superiùs exposui, & expectabat obitum ejus, sed tam celeriter non putabat obiturum. Qui cùm graviter laboraret, miserat litteras ut filium suum Constantinum remitteret sibi videndum, quem jamdudum (frustra repetierat.) Ille verò nihil minus volebat. Nam & in insidiis sæpe juvenem adpetiverat, quia palam nihil audebat, ne contra se arma civilia &, quod maximè verebatur, odia militum concitaret. Sub obtentu exercitij ac lusus feris illum objecerat. Sed frustra, quoniam Dei manus hominem protegebat, qui illum de manibus ejus liberavit in ipso cardine. Namque sæpius, cum jam diu necare non posset, dedit illi sigillum inclinante jam die, præcepitque ut postridie manè acceptis mandatis proficisceretur, vel ipse illum occasione aliqua retentaturus, vel præmissurus litteras ut à Severo teneretur. Quæ cùm ille prospiceret, quiescente jam Imperatore post cœnam properavit exire: sublatisque per mansiones multas omnibus equis publicis, evoluvit. Postridie Imperator, cum consultò ad medium diem usque dormisset, vocari eum jubet. Dicitur ei post cœnam statim profectus. Indignari ac fremere cœpit. Poscebat equos publiquos, ut eum retrahi faceret. Nudatus ei cursus publicus nuntiatur. Vix lacrymas tenebat. At ille incredibili celeritate usus, pervenit ad patrem jam deficientem, qui ei militibus commendato imperium per manus tradidit, atque ita in lecto suo requiem vitæ, sicut optabat, accepit. Suscepto imperio Constantinus Augustus nihil egit priùs quàm Christianos cultui ac Deo suo reddere. Hæc fuit prima ejus sanctio sanctæ religionis restituta.

XXV. Paucis post diebus laureata imago ejus adlata est ad malam bestiam. Deliberavit diù an susciperet. In eo penè res fuit ut illam & ipsum qui attulerat exureret, nisi eum amici ab illo furore flexissent, admonentes eum periculi, quòd universi milites, quibus invitis ignoti Cæsares erant facti, suscepturi Constantinum fuissent, atque ad eum concursuri alacritate summa, si venisset armatus. Suscepit itaque imaginem admodum invitus, atque ipsi purpuram misit, ut ultrò ascivisse illum in societatem videretur. Iam turbatæ rationes ejus fuerant, nec poterat alterum extra numerum nuncupare, ut voluerat. Sed illud excogitavit, ut Severum, qui erat ætate maturior, Augustum nuncuparet, Constantinum verò non Imperatorem, sicut erat factus, sed Cæsarem cum Maximino appellari juberet, ut eum de secundo loco reiceret in quartum.

XXVI. Compositæ ei res quodam modo jam videbantur, cùm subitò illi alius terror adlatus est, generum ipsius Maxentium Romæ factum Imperatorem. Cujus motus hæc fuit causa. Cùm statuisset censibus institutis orbem terræ devorare, ad hanc usque prosiluit insaniam ut ab hac captivitate ne populum quidem Romanum fieri vellet immunem. Ordinabantur jam censitores qui Romam missi describerent plebem. Eodem ferè tempore castra quoque prætoria sustulerat. Itaque milites pauci qui Romæ in castris relicti erant, opportunitatem nancti, occisis quibusdam judicibus, non invito populo, qui erat concitatus, Maxentium purpuram induerant. Quo nuntio allato, aliquantum rei novitate turbatus est, nec tamen nimiùm territus. Et oderat hominem, & tres Cæsares facere non poterat. Satis visum est semel fecisse quod noluit. Severum arcessit, hortator ad recipiendum imperium, mittit eum cum exercitu Maximiani ad expugnandum Maxentium, & mittit Romam, in qua milites illi summis delitiis sæpissime excepti non modò salvum esse illam urbem sed ibi vivere optarent. Maxentius tanti facinoris sibi conscius, licèt jure hereditatis paternos milites traducere ad se posset, cogitans tamen fieri posse ut Maximianus socer idipsum metuens Severum in Illyrico relinqueret, atque ipse cum suo exercitu ad se oppugnandum veniret, quærebat quatenus se à periculo impendente muniret. Patri suo post depositum imperium in Campania moranti purpuram mittit, & bis Augustum nominat. Ille verò & rerum novarum cupidus, & qui deposuerat in-

vi-

vitus, libenter arripuit. Severus interim vadit, & ad muros urbis armatus accedit. Statim milites ſublatis ſignis abeunt, & ſe contra quem venerant tradunt. Quid reſtabat deſerto niſi fuga? Sed occurrebat jam reſumpto imperio Maximianus, cujus adventu Ravennam confugit, ibique ſe cum paucis militibus incluſit. Qui cum videret futurum ut Maximiano traderetur, dedit ſeſe ipſe, veſtemque & purpuram eidem à quo acceperat reddidit. Quo facto, nihil aliud impetravit niſi bonam mortem. Nam venis ei inciſis, leniter mori coactus eſt, ab hoc capite ſuos perſequi.

XXVII. Herculius verò cùm Maximiani noſſet inſaniam, cogitare cœpit illum audita nece Severi, inflammatum ira, cum exercitu eſſe venturum, & fortaſſe adjuncto Maximiano ac duplicatis copiis, quibus reſiſti nullo modo poſſet, urbe munita & rebus ceptis inimicis diligenter inſtruens, proficiſcitur in Galliam, ut Conſtantinum partibus ſuis conciliaret ſuæ minoris filiæ nuptiis. Ille interea coacto exercitu invadit Italiam, ad urbem accedit, ſenatum extincturus, populum trucidaturus. Verum clauſa & munita omnia offendit. Nulla erat ſpes irrumpendi, oppugnatio difficilis, ad circumſedenda mœnia non ſatis copiarum; quippe qui nunquam viderat Romam, æſtimaretque illam non multò eſſe majorem quàm quas noverat civitates. Tunc quædam legiones deteſtantes ſcelus quòd ſocer generum oppugnaret, & quòd Romani milites Romam, tranſlatis ſignis imperium reliquerunt. Et jam ceteri milites nutabant, cum ille fracta ſuperbia dimiſſiſque animis, Severi exitum metuens, ad pedes militum provolutus orabat ne hoſti traderetur, donec promiſſis ingentibus felix animus quorum & retro ſigna convertit ac fugam trepidus capeſſivit; in qua opprimi facillimè potuit, ſi cum paucis quiſpiam ſequeretur. Quod cum timeret, dedit militibus poteſtatem ut diſperſi quàm latiſſimè diriperent omnia vel corrumperent; ut ſi quis inſequi voluiſſet, utenſilia non haberet. Vaſtata eſt igitur ea pars Italiæ quò peſtiferum illud agmen inceſſit, expilata omnia, mulieres corruptæ, virgines violatæ, extorti parentes & mariti ut filias, ut conjuges, ut opes ſuas proderent. Abactae tanquam de barbaris prædae pecorum ac jumentorum. Hoc modo ſe ad ſedes ſuas recepit, cum Romanus quondam Imperator, nunc populator Italiae, hoſtiliter univerſà vexaſſet. Olim quidem ille, ut nomen Imperatoris acceperat, hoſtem ſe Romani nominis erat profeſſus; cujus titulum immutari volebat, ut non Romanum imperium, ſed Daciſcum cognominaretur.

XXVIII. Poſt hujus fugam, cùm ſe Maximianus alter è Gallia recepiſſet, habebat imperium commune cum filio. Sed juveni magis parebatur quàm ſeni, quippe cùm prior & major filij poteſtas, qui etiam patri reddiderat imperium. Ferebat iniquo animo ſenex quòd non poſſet liberè facere quod vellet, & filio ſuo puerili æmulatione invidebat. Cogitabat ergo expellere adoleſcentem, ut ſibi ſua vindicaret. Quod facile videbatur, quia milites erant qui Severum reliquerant. Advocavit populum ac milites, quaſi concionem de praeſentibus reipublicae malis habiturus. De quibus cum multa dixiſſet, convertit ad filium manus, & illum eſſe dicens auctorem malorum, illum principem calamitatum quas res publica ſuſtineret, diripuit ab humeris ejus purpuram. Exſutus ille, praecipitem ſe de tribunali dedit, & à militibus exceptus eſt. Quorum ira & clamore perturbatus eſt ſenex impius, & ab urbe Roma tamquam ſuperbus alter exactus eſt.

XXIX. Rediens rurſus in Gallias, ubi aliquantulum moratus eſt, profectus ad hoſtem filij ſui Maximianum, quaſi ut de componendo reipublicae ſtatu cum eo diſputaret, re autem vera ut illum per occaſionem reconciliationis occideret ac regnum ejus teneret, excluſus à ſuo, quocunque veniſſet. Aderat ibi Diocles à genero nuper accitus, ut quod antè non fecerat, praeſente illo imperium Licinio daret, ſubſtituto in Severi loco. Itaque fit utroque praeſente. Sic uno tempore ſex fuerunt. Quare impeditus conſiliis ſenex Maximianus tertiam quoque fugam moliebatur, redit in Galliam plenus malae contagionis ac ſceleris, ut Conſtantinum Imperatorem generum ſuum, generi filium, dolo malo circumveniret; & ut poſſet fallere, deponit regiam veſtem. Francorum gens in armis erat. Perſuadet nihil ſuſpicanti ne omnem ſecum exercitum duceret, paucis militibus poſſe barbaros debellari, ut & ipſe haberet exercitum quem occuparet, & ille opprimi poſſet ob militum paucitatem. Credit adoleſcens, ut perito ac ſeni, paret ut ſocero, proficiſcitur relicta militum parte majore. Ille paucis diebus expectatis, cum jam Conſtantinum aeſtimaret intraſſe fines barbarorum, repentè purpuram ſumit, theſauros invadit, donat ut ſolet largè, fingit de Conſtantino quae in ipſum protinus reciderunt. Imperatori properè quae geſta ſunt nuntiantur. Admirabili celeritate cum exercitu revolat. Opprimitur homo ex improviſo, nondum ſatis inſtructus; milites ad Imperatorem ſuum redeunt. Occupaverat Maſſiliam, & portas obſeraverat. Accedit propiùs Imperator, & in muro adſtantem alloquitur, non aſperè, nec hoſtiliter; ſed rogat quid ſibi voluiſſet, quid ei defuiſſet, cur faceret quod ipſum praecipuè non deceret. Ille verò ingerebat maledicta de muris. Tum ſubitò à tergo ejus portae reſerantur, milites recipiuntur. Trahitur ad Imperatorem rebellis Imperator, pater impius, ſocer perfidus. Audit ſcelera quae fecit, detrahitur ei veſtis, & increpito vita donatur.

XXX. Sic amiſſo Imperatoris ac ſoceri honore, humilitatis impatiens, alias rurſus inſidias machinatus eſt. Quia ſemel abiit impunè, vocat filiam Fauſtam, eamque nunc precibus nunc blandimentis ſollicitat ad proditionem mariti, alium digniorem virum pollicetur, petit cubiculum patens relinqui & negligentiùs cuſtodiri ſinat. Pollicetur illa facturam, & refert protinus ad maritum. Componitur ſcena qua manifeſtò facinus teneretur. Supponitur quidam vilis eunuchus, qui pro Imperatore moriatur. Surgit ille nocte intempeſta, videt omnia inſidiis opportuna. Rari excubitores erant, & ij quidem longiùs; quibus tamen dicit vidiſſe ſomnium quod filio ſuo narrare vellet. Ingreditur armatus, & ſpadone obtruncato, proſilit gloriabundus, ac profitetur quod admiſerit. Repentè ſe ex altera parte Conſtantinus oſtendit cum globo armatorum. Profertur è cubiculo cadaver occiſi, hæret manifeſtarius homicida, & mutus ſtupet quaſi dura ſilex aut ſtet Marpeſia cautis, impietatis ac ſceleris increpatur. Poſtremò datur ei poteſtas liberæ mortis, ac nodum informis leti trabe nectit ab alta. Ita ille Romani nominis maximus Imperator, qui per longum temporis intervallum cum ingenti gloria viginti annorum vota celebravit, eliſo & fracto ſuperbiſſimo gutture, vitam deteſtabilem turpi & ignominioſa morte finivit.

Virgil. 6. Æneid.

Idem lib. 12.

XXXI. Ab hoc Deus, religionis ac populi ſui vindex, oculos ad Maximianum alterum tranſtulit, nefandæ perſecutionis auctorem, ut in eo etiam vim majeſtatis oſtenderet. Iam de agendis & ipſe vicennalibus cogitabat, . . . qui jamdudum provincias afflixerat auri argentique indictionibus factis, quæ promiſerat redderet, etiam in nomine vicennalium ſecurem alteram afflixit. Qua vexatione generis humani exactio celebrata ſit, maximè rei annonariæ, quis enarrare dignè poteſt? Officiorum omnium milites, vel potius carnifices, ſingulis adhærebant, cui prius ſatisfieret incertum, veniam non habentibus nullas ſuſtinendi multiplicis cruciatus, niſi exhiberetur ſtatim quod non erat, multis cuſtodiis circumſepto nulla reſpirandi facultas, nullo tempore anni vel exigua requies, frequens ſuper hiſdem hominibus vel ipſis judicibus vel militibus judicum pugna, nulla area ſine exactore, nulla vindemia ſine cuſtode, nihil ad victum laborantibus relictum. Quæ quàm tolerabilia ſint, eripi à labore hominum cibos labore quæſitos, tamen tolerabile aliquo modo vel

ſpe

spe futurorum. Quid vestis omnis generis quid aurum, quid argentum? Nonne hæc necesse est ex venditis fructibus comparari? Vnde igitur hoc, ô dementissime tyranne, praestabo, cum omnes fructus auferas, universa nascentia violenter eripias? Quis ergo non bonis suis eversus est ut opes quæ sub imperio ejus fuerunt conraderentur ad votum quod non erat celebraturus?

XXXII. Nuncupato igitur Licinio Imperatore, Maximinus iratus, nec Cæsarem se nec tertio loco nominari volebat. Mittit ergo ad eum sæpe legatos, orat sibi pareat, dispositionem suam servet, cedat ætati, & honorem deferat canis. At ille tollit audaciùs cornua, & præscriptione temporis pugnat se priorem esse debere qui prior sumpserit purpuram, preces ejus & mandata contempsit. D let bestia & mugit quod eum ideo ignobilem fecisset Cæsarem ut sibi obsequens esset, is tamen tanti beneficij sui oblitus, voluntati ac precibus suis impiè repugnaret. Victus contumacia, tollit Cæsarum nomen, & se Liciniumque Augustos appellat, Maxentium & Con- stantinum filios Augustorum. Maximinus postmodum scribit quasi nuntians in campo Martio proximè celebrato Augustum se ab exercitu nuncupatum. Recepit ille mœstus ac dolens, & universos quatuor Imperatores jubet numerari.

XXXIII. Iam decimus & octavus annus agebatur cum percussit eum Deus insanabili plaga. Nascitur ei ulcus malum in inferiori parte genitalium, serpitque latius. Medici secant, curant. Sed inductam jam cicatricem scindit vulnus, & rupta vena, fluit sanguis usque ad periculum mortis. Vix tamen cruor sistitur. Nova ex integro cura. Tamen perducitur ad cicatricem. Rursus levi corporis m..... vulneratus, plus sanguinis quàm antè decurrit. Albescit ipse, atque absumptis viribus tenuatur; & tunc quidem rivus cruoris inhibetur. Incipit vulnus non sentire medicinam, proxima quæque cancer invadit, & quanto magis circum secatur, latius sævit; quanto curatur, increscit. Cessere magistri Phyllides, Cironia, Metonius, Melamphius. Vndique Medici nobiles trahuntur. Nihil humanæ manus promovent. Confugitur ad idola. Apollo & Asclepius orantur, remedium flagitatur. Dat Apollo curam. Malum multò pejus augetur. Jam non longè pernicies aberat, & inferiora omnia corripuerat. Computrescunt forinsecus viscera, & in tabem sedes tota dilabitur. Non desinunt tamen infelices Medici, vel sine spe vincendi mali, fovere, curare. Repercussis medullis, malum recidit introrsus, & interna comprehendit, vermes intus creantur. Odoritatem non modò pe. palatium, sed totam civitatem pervadit. Nec mirùm, cum jam confusi essent exitus stercoris & urinæ. Comestus à vermibus, & in putredinem cor-
Virgil. 2. Æneid. pus cum intolerandis doloribus solvitur. Clamores simul horrendos ad sidera tollit, quales mugitus nugit saucius taurus. Apponebantur ad sedem fluentem cocta & calida animalia, ut vermiculos eliceret calor. Queis resolutis, inæstimabile scatebat examen: & tamen multò majorem copiam tabescendorum viscerum pernicies fecunda generaverat. Iam diverso malo partes corporis amiserant speciem. Superior usque ad vulnus aruerat, & miserabili macie cutis lurida longè inter ossa consederat. Inferior, sine ulla pedum forma, in utrium modum inflata discreverat. Et hæc facta sunt per annum perpetem, cùm tandem malis domitus Deum coactus est confiteri, novi doloris urgentis per intervalla exclamat se restituturum Dei templum, satisque pro scelere facturum. Et jam deficiens edictum misit hujusmodi.

XXXIV. *Inter cetera quæ pro reipublicæ semper commodis atque utilitate disponimus, nos quidem voluceramus antehac juxta leges veteres & publicam disciplinam Romanorum cuncta corrigere atque id providere ut etiam Christiani, qui parentum suorum reliquerant sectam, ad bonas mentes redirent. Siquidem quadam ratione tanta eosdem Christianos voluntas invasisset & tanta stultitia occupasset ut non illa veterum instituta sequerentur quæ forsitan primi parentes eorundem constituerant, sed pro arbitrio suo atque ut hisdem erat libitum, ita sibimet leges facerent quas observarent, & per diversa varios populos congregarent. Denique cùm ejusmodi nostra jussio extitisset ut ad veterum se instituta conferrent, multi periculo subjugati, multi etiam deturbati sunt; atque cùm plurimi in proposito perseverarent, ac videremus nec dijs eosdem cultum ac religionem debitam exhibere, nec Christianorum Deum observare, contemplationem mitissimæ nostræ clementiæ intuentes & consuetudinem sempiternam qua solemus cunctis hominibus veniam indulgere, promptissimam in his quoque indulgentiam nostram credidimus porrigendam, ut denuo sint Christiani & conventicula sua componant, ita ut ne quid contra disciplinam agant. Alia autem epistola judicibus significaturi sumus quid debeant observare. Vnde juxta hanc indulgentiam nostram debebunt Deum suum orare pro salute nostra & rei publicæ ac sua, ut undiqueversum res publica perstet incolumis, & securi vivere in sedibus suis possint.*

XXXV. Hoc edictum proponitur Nicomediæ pridie Kalendas Maias, ipso octies & Maximino iterum Consulibus. Tunc apertis carceribus, Donate carissime, cum ceteris confessoribus è custodia liberatus es, cùm tibi carcer sex annis pro domicilio fuerit. Nec tamen ille hoc facto veniam sceleris accepit à Deo; sed post dies paucos, commendatis Licinio conjuge sua & filio atque in manu traditis, cum jam totius corporis membra defluerent, horrenda tabe consumptus est. Idque cognitum Nicomediæ mensis ejusdem, cùm futura essent vicennalia Kalendis Martiis impendentibus.

XXXVI. Quo nuntio Maximinus audito, dispositis ab oriente cursibus pervolavit ut provincias occuparet, ac Licinio morante, omnia sibi usque ad fretum Chalcedonium vindicaret. Ingressusque Bithyniam, quò sibi ad præsens favorem conciliaret, cum magna omnium lætitia sustollit censum. Discordia inter ambos Imperatores, ac penè bellum. Diversas ripas armati tenebant. Sed conditionibus certis pax & amicitia componitur, & in ipso freto fœdus fit, ac dexterae copulantur. Redit ille securus, & fit qualis in Syria & in Ægypto fuit. In primis indulgentiam Christianis communi tutelo datam tollit, subornatis legationibus civitatum quae peterent ne intra civitates suas Christianis conventicula extruere liceret, ut quasi coactus & impulsus facere videretur quod erat sponte facturus. Quibus annuens, novo more sacerdotes maximos per singulas civitates singulos ex primoribus fecit, qui & sacrificia per omnes deos suos cotidie facerent, & veterum sacerdotum ministerio subnixi darent operam (ut) Christiani neque fabricarent neque publicè aut privatim colerent, sed comprehensos suo jure ad sacrificia cogerent vel judicibus offerrent. Parumque hoc fuit, nisi etiam provinciis ex altiore dignitatis gradu singulos quasi Pontifices superponeret, & eos utrosque candidis chlamydibus ornatos jussit incedere. Facere autem parabat quae in orientis partibus fecerat. Nam cum clementiam specie tenus profiteretur, occidi servos Dei vetuit, debilitari jussit. Itaque confessoribus effodiebantur oculi, amputabantur manus, pedes detruncabantur, nares vel auriculae desecabantur.

XXXVII. Haec ille moliens, Constantini litteris deterretur. Dissimulavit ergo. Et tamen si quis inciderat, mari occultè mergebatur. Consuetudinem quoque suam non intermisit ut in palatio per singulos dies sacrificaretur. Et hoc primus invenerat ut animalia omnia quibus vescebatur, non à coquis, sed à sacerdotibus ad aras immolarentur, nihilque prorsus mensae apponeretur nisi aut delibatum aut sacrificatum aut perfusum mero; ut quisquis ad cœnam vocatus esset, inquinatus inde atque impurus exiret. In ceteris quoque magistri sui similis. Nam si quid reliqui vel Diocles vel Maximianus reliquerunt, hic

abra-

abrasit, sine ullo pudore auferens omnia. Itaque horrea privatorum claudebantur, apothecae obsignabantur, debita in futuros annos exigebantur. Hinc fames agris (non) ferentibus, hinc caritas inaudita. Armentorum ac pecorum greges ex agris rapiebantur ad sacrificia cotidiana, quibus eos adeo corruperat ut aspernarentur annonam, & effundebant passim sine delectu, sine modo, cùm lites universos, quorum numerus ingens erat, pretiosis vestibus & aureis nummis expungerent, gregariis & tyronibus argentum daret, barbaros omni genere largitionis honoraret. Nam quòd viventium bona vel auferebat, vel dono suis dabat, (prout) quisque petierat aliena, nescio an agendas illi fuisse gratias putem quod more clementium latronum incruenta spolia detrahebat.

XXXVIII. Illud verò capitale & supra omnes qui fuerunt corrumpendi cupiditas, quid dicam nescio, nisi caeca & effrenata, & tamen his verbis exprimere pro indignatione sua non potest. Vincit officium linguae sceleris magnitudo. Eunuchi, lenones, scrutabantur omnia. Vbicunque liberalior facies erat, secedendum patribus ac maritis fuit. Detrahebantur nobilibus feminis vestes, itemque virginibus, & per singulos artus inspiciebantur, ne qua pars corporis regio cubili esset indigna. Si qua detractaverat, in aqua necabantur, tamquam majestatis crimen esset. Sub illo adultero aliqui constupratis uxoribus, quas ob castitatem ac fidem carissimas habebant, cùm dolorem ferre non possent, se ipsos etiam necaverunt. Sub hoc ministro pudicitiae integritas nulla, nisi ubi barbaram libidinem deformitas insignis arcebat. Postremò hunc jam induxerat morem ut nemo uxorem sine permissu ejus duceret, ut ipse in omnibus nuptiis praegustator esset. Ingenuas virgines
* f. invitas * imminutas servis suis donabat uxores. Sed & Comites ejus sub tali Principe imitabatur .... suorum cubilia impune violabant. Quis enim vindicaret? Mediocrium verò filias ut cuique libuerat rapiebat. Primariae, quae rapi non poterant, in beneficiis petebantur; nec recusari licebat, subscribente Imperatore, quin aut pereundum esset, aut habendus gener aliquis barbarus. Nam ferè nullus stipator in latere ei nisi ex gente eorum qui à Gothis tempore vicennalium terris suis pulsi, Maximiano se tradiderunt, malo generis humani, ut illi barbaram servitutem fugientes, in Romanos dominarentur. His satellitibus & protectoribus cinctus orientem ludibrio habuit.

XXXIX. Denique cùm libidinibus suis hanc legem dedisset ut fas putaret quicquid concupisset, ne ab Augusta quidem, quam nuper appellaverat matrem, potuit temperare. Venerat post obitum Maximiani ad eum Valeria, cum se putaret in partibus ejus tutiùs moraturam, eo maximè quod habebat uxorem. Sed animal nefarium protinus inardescit. Adhuc in atris vestibus erat mulier, nondum luctus tempore impleto. Legatis praemissis in matrimonio postulat, ejecturus uxorem si impetrasset. Respondit illa liberè quae sola poterat; primò non posse de nuptiis in illo ferali habitu agere, tepidis adhuc cineribus mariti sui patris ejus; deinde illum impiè facere quòd sibi fidam conjugem repudiet, idem utique facturus & sibi; postremò, nefas esse illius nominis ac loci feminam sine more, sine exemplo, maritum alterum experiri. Nuntiatur homini quid esset ausa. Libido in iram furoremque convertitur. Statim mulierem proscribit, bona ejus rapit, aufert comites, spadones in tormentis necat, ipsam cum matre in exilium relegat, nec in locum certum, sed huc atque illuc praecipitem cum ludibrio exturbat, & amicas ejus afflicto adulterio damnat.

XL. Erat clarissima femina cui ex filiis juvenibus jam nepotes erant. Hanc Valeria tamquam matrem alteram diligebat, cujus consilio negatam sibi suspicabatur. Dat negotium Praesidi Eratineo ut eam cum dedecore interficiat. Huic aliae duae adjunguntur aequè nobiles, quarum altera vestalem famulam virginem Romae reliquerat, furtivè tunc Valeriae familiaris. Altera virum habuit senatorem, non nimis Augustae proxima. Sed utraque ob eximiam pulchritudinem corporis ac pudicitiam necabatur. Rapiuntur subitò mulieres, non ad judicium, sed ad latrocinium. Nec enim quisquam accusator extabat. Invenitur quidam Judaeus ob alia facinora reus, qui spe impunitatis inductus adversùs insontes mentiatur. Judex aequus & diligens extra civitatem eum praesidio, ne lapidibus obruatur, protulit. Agebatur haec tragœdia Nicaeae. Inrogantur tormenta Judaeo, dum quae jussus .... loqueretur, pugnis à tortoribus coercentur. Innocentes duci jubentur. Fletus & comploratio, non illius tantùm mariti, qui aderat bene meritae uxori, sed omnium quos res indigna & inaudita contraxerat. Ac ne impetu populi de carnificum manibus raperentur, promoti militari modo instructi veluti & sagittarii prosequuntur. Ita mediae inter cuneos armatorum ad supplicium deductae. Jacuissent insepultae, domesticis in fugam versis, nisi eas furtiva amicorum misericordia sepelisset. Nec adultero impunitas promissa persolvitur; sed patibulo adfixus, aperuit omne mysterium, & sub extremo spiritu inquit omnibus qui videbant, innocentes occisas esse testatur.

XLI. Augusta verò in desertas quasdam Syriae solitudines relegata, patrem, suum Diocletianum per occultos gnarum calamitatis suae fecit. Mittit ille legatos, & rogat ut ad se filiam remittat. Nihil proficit. Iterum ac saepius obsecrat. Non remittitur. Postremò cognatum suum quendam militarem ac potentem virum legat, qui eum beneficiorum suorum admonitum deprecetur. Is quoque imperfecta legatione irritas preces renuntiat.

XLII. Eodemque tempore senis Maximiani statuae Constantini jussu revellebantur, & imagines cum quo pictus esset detrahebantur. Et quia senes ambo simul plerunque picti erant, & imagines simul deponebantur amborum. Itaque cùm videret vivus quod nulli unquam Imperatorum acciderat, duplici aegritudine adfectus, moriendum sibi esse decrevit. Jactabat se huc atque illuc, aestuante anima per dolorem, nec somnum nec cibum capiens. Suspiria & gemitus, crebrae lacrymae, jugis volutatio corporis, nunc in lecto, nunc humi. Ita viginti annorum felicissimus Imperator, ad humilem vitam dejectus adeo & proculcatus injuriis, atque in odium vitae dejectus, postremò fame atque angore confectus est.

XLIII. Vnus jam supererat de adversarijs Dei, cujus nunc exitum ruinamque subnectam. Cum haberet aemulationem adversùs Licinium quia praelatus ei à Maximiano fuerat, licèt nuper cum eo amicitiam confirmasset, tamen ut audivit Constantini sororem Licinio esse desponsam, existimavit affinitatem illam duorum Imperatorum contra se copulari. Et ipse legatos ad urbem misit occultè, societatem Maxentij atque amicitiam postulans. Scribit etiam familiariter. Recipiuntur legati benignè, fit amicitia, utriusque imagines simul locantur. Maxentius tamquam divinum auxilium libenter amplectitur. Iam enim bellum Constatino indixerat quasi necem patris sui vindicaturus. Vnde suspicio inciderat senem illum intestabilem finxisse discordiam cum filio ut ad alios succidendos viam sibi faceret, quibus omnibus sublatis, sibi ac filio totius orbis imperium vindicaret. Sed id falsum fuit. Nam id propositi habebat, ut & filio & ceteris extinctis, se ac Diocletianum restitueret in regnum.

XLIV. Iam mota inter eos fuerant arma civilia. Et quamvis se Maxentius Romae contineret quòd responsum acceperat periturum esse si extra portas urbis exisset, tamen bellum per idoneos duces gerebatur. Plus virium Maxentio erat, quod & patris sui exercitum receperat à Severo, & suum proprium de Mauris atque Italis nuper extraxerat. Dimicatum, & Maxentiani milites praevalebant, donec postea confirmato animo Constantinus, & ad utrumque paratus, copias omnes ad urbem propius admovit, &

è regione pontis Mulvij consedit. Imminebat dies quo Maxentius imperium ceperat, qui est ad sextum Kalendas Novembris, & quinquennalia terminabantur. Commonitus est in quiete Constantinus ut caeleste signum Dei notaret in scutis, atque ita praelium committeret. Fecit ut jussus est, & transversa X littera summo capite circumflexo Christo (a) in scutis notat. Quo signo armatus exercitus capit ferrum. Procedit hostis obviam sine Imperatore, pontemque transgreditur. Acies pari fronte concurrit. Summa vi utrinque pugnatur. Neque his fuga nota, neque illis. Fit in urbe seditio, & dux increpitatur velut desertor salutis publicae. Cùmque repentè populus, Circenses enim natali suo & debita * voce subclamat Constantinum vinci non posse. Qua voce consternatus proripit se, ac vocatis quibusdam senatoribus, libros Sibyllinos inspici jubet, in quibus repertum est illo die hostem Romanorum esse periturum. Quo responso in spem victoriae inductus procedit, in aciem venit. Pons à tergo ejus scinditur. Eo viso pugna crudescit, & manus Dei supererat aciei. Maxentianus proterretur; ipse in fugam versus properat ad pontem, qui interruptus erat, ac multitudine fugientium pressus in Tyberim deturbatur. Confecto tandem acerbissimo bello, cum magna senatus populique Romani laetitia susceptus Imperator Constantinus Maximini perfidiam cognoscit, litteras deprehendit, statuas & imagines invenit. Senatus Constantino virtutis gratia primi nominis titulum decrevit, quem sibi Maximinus vindicabat: ad quem victoria liberatae urbis cum fuisset adlata, non aliter accepit quàm si ipse victus esset. Cognito deinde Senatus decreto sic exarsit dolore ut inimicitias apertè profiteretur, convicia jocis mixta adversus Imperatorem maximum diceret.

* supp. edebat.

XLV. Constantinus rebus in urbe compositis, hyeme proxima Mediolanum contendit. Eodem Licinius advenit, ut acciperet uxorem. Maximinus ubi eos intellexit nuptiarum solemnibus occupatos, exercitum movit è Syria hyeme quàm cùm maximè saeviente & mansionibus geminatis in Bithyniam concurrit debilitato agmine. Nam maximis imbribus & nivibus & luto & frigore & labore jumenta omnis generis amissa sunt, quorum miserabilis per viam strages speciem jam futuri belli & similem cladem militibus nuntiabat. Nec ipse intra fines suos moratus est; sed transjecto protinus freto, ad Byzantij portas accessit armatus. Erant ibi milites praesidiarij, ad hujusmodi casus à Licinio conlocati. Hos primùm muneribus & promissis illicere tentavit, postea vi & oppugnatione terrere. nec tamen quicquam vis aut promissa valuerunt. Iam consumpti erant dies undecim, per quos fuit spatium nuntios litterasque mittendi ad Imperatorem, cùm milites non fide sed paucitate diffisi seipsos dediderunt. Hinc promovit Heracleam: & illic eadem ratione detentus, aliquot dierum tempus amisit. Et jam Licinius festinato itinere cum paucis Adrianopolim venerat, cum ille accepta in deditione Perintho, aliquanto moratus, processit ad mansionem milia decem & octo. Nec enim poterat ulterius, Licinio jam secunda mansionem tenentem. destante millibus totidemque collectis ex proximo quantis potuit militibus pergente obviam Maximino, magis ut eum moraretur quàm proposito dimicandi aut spe victoriae. Quippe cum ille septuaginta milium armatorum exercitum duceret, ipse vix triginta milium numerum collegisset. Sparsi enim milites per diversas regiones fuerant, & adunari omnes angustiae temporis non sinebant.

XLVI. Propinquantibus ergo exercitibus, jam futurum propediem praelium videbatur. Tum Maximinus ejusmodi votum Jovi vovit, ut si victoriam cepisset, Christianorum nomen extingueret funditusque deleret. Tunc proxima nocte Licinio quiescenti adsistit angelus Dei monens ut ocyus surgeret atque oraret Deum summum cum omni exercitu suo, illius fore victoriam si fecisset. Post has voces cùm surgere sibi visus esset, & cum ipso qui monebat adstaret, tuc docebat eum quomodo & quibus verbis esset orandum. Discusso deinde somno, notarium jussit asciri, & sicut audierat, haec verba dictavit. *Summe Deus, te rogamus. Sancte Deus, te rogamus. Omnem justitiam tibi commendamus, salutem nostram tibi commendamus, imperium nostrum tibi commendamus. Per te vivimus, per te victores & felices existimus. Summe sancte Deus, preces nostras exaudi. Brachia nostra ad te tendimus. Exaudi sancte summe Deus.* Scribuntur haec in libellis pluribus, & per Praepositos Tribunosque mittuntur, ut suos quisque milites doceat. Crevit animus universis victoriam sibi credentibus de caelo nuntiatam. Statuit Imperator praelium dici Kalendarum Maiarum, quae octavum annum nuncupationis ejus implebant; ut suo potissimùm natali vinceretur, sicut ille victus est Romae. Maximinus voluit praeire maturiùs; pridie manè aciem composuit, ut natalem suum postridie victor celebraret. Nuntiatur in castra movisse Maximinum. Capiunt milites arma, obviamque procedunt. Campus intererat sterilis ac nudus, quem vocant serenum. Erat jam utraque acies in conspectu. Liciniani scuta deponunt, galeas resolvunt, ad caelum manus tendunt, praeeuntibus Praepositis, & post Imperatorem precem dicunt. Audit acies peritura precantium murmur. Illi oratione ter dicta, virtute jam pleni, reponunt capitibus galeas, scuta tollunt. Procedunt Imperatores ad colloquium. Ferri non potuit Maximinus ad pacem. Contemnebat enim Licinium, ac desertum iri à militibus existimabat, quòd ille esset in largiendo tenax, ipse autem profusus; eoque proposito moverat bellum, ut exercitu Licinij sine certamine accepto, ad Constantinum duplicatis viribus statim pergeret.

XLVII. Ergo propiùs acceditur, tubae canunt, signa procedunt. Liciniani impetu facto adversarios invadunt. Illi verò perterriti, nec gladios expedire nec tela jacer quiverunt. Maximinus aciem circumire, ac milites Licinianos nunc precibus sollicitare, nunc donis. Nullo loco auditur. Fit impetus in eum, & ad suos refugit. Caedebatur acies ejus impune, & tantus numerus legionum, tanta vis militum à paucis metebatur. Nemo nominis, nemo virtutis, nemo veterum praemiorum memor; quasi ad devotam mortem non ad praelium venissent, sic eos Deus summus jugulandos subjecit inimicis. Iam strata erat ingens multitudo. Videt Maximinus aliter rem geri quàm putabat. Projecit purpuram, & sumpta veste servili fugit, ac fretum trajecit. ac in exercitu pars dimidia prostrata est, pars autem vel dedita vel in fugam versa est. Ademerat enim pudorem deserendi desertor Imperator. At ille Kalendis Maijs, id est, una nocte atque una die, Nicomediam alia nocte pervenit, cùm locus praelij abesset milia centum sexaginta; raptisque filiis & uxore & paucis ex palatio comitibus, petivit orientem. Sed in Cappadocia collectis ex fuga & ab oriente militibus substitit. Ita vestem resumpsit.

XLVIII. Licinius verò, accepta exercitus parte ac distributa, trajecit exercitum in Bithyniam paucis post pugnam diebus; & Nicomediam ingressus, gratiam Deo, cujus auxilio vicerat, retulit, ac die Iduum Iuniarum Constantino atque ipso ter Consulibus de restituenda Ecclesia hujusmodi litteras ad praesidem datas proponi jussit.

Cùm feliciter tam ego Constantinus Augustus quàm etiam ego Licinius Augustus apud Mediolanum convenissemus, atque universa qua ad commoda & securitatem publicam pertinerent in tractatu haberemus, hac inter cetera qua videbamus pluribus hominibus profutura, vel in primis ordinanda esse credidimus quibus divinitatis reverentia continebatur, ut daremus & Christianis & omnibus liberam potestatem sequendi religionem quam quisque voluisset, quod quidem divinitas in sede caelesti nobis atque omnibus qui sub potestate nostra sunt constituti placata ac propitia possit existere. Itaque hoc consilio salubri ac rectissima ratione ineundum esse credidi-

(a) *Haec ita intelligenda sunt ut Christi monogramma circumflexum fuerit in capite labari, ut videmus in nummis veteribus.* Baluzii.

didimus ut nulli omnino facultatem abnegandam putaremus qui vel observationi Christianorum vel ei religioni mentem suam dederet quam ipse sibi aptissimam esse sentiret, ut possit nobis summa divinitas, cujus religioni liberis mentibus obsequimur, in omnibus solitum favorem suum benevolentiamque praestare. Quare scire dicationem tuam convenit placuisse nobis ut amotis omnibus omnino conditionibus quae prius scriptis ad officium tuum datis super Christianorum nomine videbantur, nunc cavere ac simpliciter unusquisque eorum qui eandem observandae religioni Christianorum gerunt voluntatem, citra ullam inquietudinem ac molestiam sui idipsum observare contendant. Quae sollicitudini tuae plenissime significanda esse credidimus, quo scires nos liberam atque absolutam colendae religionis suae facultatem hisdem Christianis dedisse. Quod cùm hisdem à nobis indultum esse pervideas, intelligit dicatio tua etiam aliis religionis suae vel observantiae potestatem similiter apertam & liberam pro quiete temporis nostri esse concessam, ut in colenda quod quisque delegerit habeat liberam facultatem, quas . . . . . honori neque cuiquam religioni aut aliquid à nobis. Atque hoc insuper in persona Christianorum statuendum esse censuimus, quòd si eadem loca ad quae antea convenire consueverant, de quibus etiam datis ad officium tuum litteris certa antehac forma fuerat comprehensa, priore tempore aliquid vel à fisco nostro vel ab alio quocunque videntur esse mercati, eadem Christianis sine pecunia & sine ulla pretii petitione, postposita omni frustratione atque ambiguitate, restituant. Qui etiam dono fuerunt consecuti, eadem similiter hisdem Christianis quantocyus reddant, etiam vel hi qui emerunt, vel qui dono erunt consecuti, si putaverint de nostra benevolentia aliquid, Vicarium postulent, quo & ipsis per nostram clementiam consulatur. Quae omnia corpori Christianorum protinus per intercessionem tuam ac sine mora tradi oportebit. Et quoniam iidem Christiani non in ea loca tantùm ad quae convenire consueverunt, sed alia etiam habuisse noscuntur ad jus corporis eorum, id est Ecclesiarum, non hominum singulorum, pertinentia, ea omnia lege qua superiùs comprehendimus citra ullam prorsùs ambiguitatem vel controversiam hisdem Christianis id est corpori & conventiculis eorum reddi jubebis, supradicta scilicet ratione servata, ut ii qui eadem sine pretio, sicut diximus, restituerint, indemnitatem de nostra benevolentia sperent. In quibus omnibus supradicto corpori Christianorum intercessionem tuam efficacissimam exhibere debebis, ut praeceptum nostrum quantocyus compleatur, quo etiam in hoc per clementiam nostram quieti publicae consulatur. Hactenus fiet ut sicut superiùs comprehensum est, divinus juxta nos favor, quem in tantis sumus rebus experti, per omne tempus prosperè successibus nostris cum beatitudine publica perseveret. Ut autem hujus sanctionis benevolentiae nostrae forma ad omnium possit pervenire notitiam, prolata programmate tuo haec scripta & ubique proponere & ad omnium scientiam te perferre conveniet, ut hujus benevolentiae nostrae sanctio latere non possit.

His litteris propositis, etiam verbo hortatus est ut conventicula in statum pristinum redderentur. Sic ab eversa Ecclesia usque ad restitutam fuerunt anni decem, menses plus minus quatuor.

XLIX. Sequenti autem Licinio cum exercitu tyrannum, profugus concessit, & rursus Tauri montis angustias petit, munimentis ibidem ac turribus fabricatis iter obstruere conatus est, & inde dextrorsum perrumpentibus omnia victoribus, Tarsum postremò confugit. Ibi cùm jam terra marique perterreretur, nec ullum speraret refugium, angore animi ac metu confugit ad mortem quasi ad remedium malorum quae Deus in caput ejus ingessit. Sed priùs cibo se infersit ac vino ingurgitavit, ut solent hi qui hoc ultimo se facere arbitrantur. Et sic hausit venenum. Cujus vis, referto stomacho repercussa, valere non potuit in praesens, sed in languorem malum versa pestilentiae similem, ut diutiùs protracto spiritu cruciamenta sentiret. Iam saevire in eum coeperat virus; cujus vis cùm praecordia ejus ureret, insustentabili dolore usque ad rabiem mentis elatus est, adeo ut per dies quatuor insania percitus hausiam manibus terram velut esuriens devoraret. Deinde post multos gravesque cruciatus, cum caput suum parietibus infligeret, exilierunt oculi ejus de caveis. Tunc demum, amisso visu, Deum videre coepit candidatis ministris de se judicantem. Exclamabat ergo sicut ii qui torqueri solent, & non se sed alios fecisse dicebat. Deinde quasi tormentis adactus fatebatur, Christum subinde deprecans & plorans ut sibimet misereretur. Sic inter gemitus, quos tamquàm cremaretur edebat, nocentem spiritum detestabili genere mortis efflavit.

L. Hoc modo Deus universos persecutores nominis sui debellavit, ut eorum nec stirps nec radix ulla remaneret. Nam Licinius summa rerum potitus, in primis Valerium, quem Maximinus iratus nec post fugam quidem, cùm sibi videret esse pereundum, fuerat ausus occidere, idem Candidianum, quem Valeria ex concubina genitum ob sterilitatem adoptaverat, necari jussit. Mulier tamen ut eum vixisse cognovit, mutato habitu comitatui ejus se miscuit, ut fortunam Candidiani specularetur. Quia Nicomediae se obtulerat, & in honore haberi videbatur, nihil tale metuens occisus est. Et illa, exitu ejus audito, protinus fugit. Idem Severi filium Severianum, jam aetate robustum, qui fugientem Maximinum fuerat ex acie secutus, tamquam post obitum ejus de sumenda purpura cogitasset, capitali sententiae subjectum interemit. Qui omnes Licinium jampridem quasi malum metuentes, cum Maximino esse maluerant, prae Valeria, quae volens Licinio in omnes Maximiani hereditates jure suo cedere, idem Maximino negaverat. Ipsius quoque Maximini filium suum maximum agentem in annis octo, & filiam septennem, quae desponsa fuerat Candidiano, extinxit. Sed priùs mater eorum in orientem praecipitata est. Ibi saepe illa castas feminas mergi jusserat. Sic omnes impii vero & justo judicio Dei eadem quae fecerant receperunt.

LI. Valeria quoque per varias provincias quindecim mensibus plebejo cultu pervagata postremò apud Thessalonicam cognita, comprehensa cum matre poenas dedit. Ductae igitur mulieres cum ingenti spectaculo & miseratione tanti casus ad supplicium; & amputatis capitibus, corpora earum in mare abjecta sunt. Ita illis pudicitia & conditio exitio fuit.

LII. Quae omnia secundum fidem scientium loquor, ita ut gesta sunt mandanda litteris credidi, ne aut memoria tantarum rerum interiret, aut si quis historiam scribere voluisset, non corrumperet veritatem, vel peccata illorum adversùm Deum vel judicium Dei adversùs illos reticendo. Cujus aeternae pietati gratias agere debemus, qui tandem respexit in terram quòd gregem suum partim vastatum à lupis rapacibus, partim verò dispersum, reficere ac recolligere dignatus est & bestias malas extirpare, quae divinis gregis pascua protriverant, cubilia dissipaverant. Ubi sunt modò magnifica illa & clara per gentes Joviorum & Herculiorum cognomina, quae primùm à Dioclete ac Maximiano insolenter assumpta, ac postmodum ad successores eorum translata, viguerunt? Nempe delevit ea Dominus & erasit de terra. Celebremus igitur triumphum Dei cum exultatione, victoriam Domini cum laudibus frequentemus, diurnis nocturnisque precibus celebremus, ut pacem post annos decem plebi suae datam confirmet in seculum. Tu praecipuè, Donate carissime, qui à Deo mereris audiri, Dominum deprecare ut misericordiam suam servet etiam famulis suis propitius ac mitis, ut omnes insidias atque impetus diaboli à populo suo arceat, ut florescentes Ecclesias perpetua quietè custodiat.

Eiusdem Lactantij fragmentum de extremo judicio.

NVllus vel negat vel dubitat per Jesum Christum tale quale sacris litteris pronuntiatur novissimum futurum judicium, nisi qui eisdem litteris nescio qua incredibili animositate seu caecitate non credit, quae jam veritatem suam orbi demonstravere terrarum. In illo itaque judicio vel circa id judicium has res didicimus esse venturas, Heliam Thesbitem fide Judaeorum Antichristum persecuturum, Christum judicaturum, mortuorum resurrectionem, bonorum malorumque direptionem, mundi conflagrationem, ejus denique renovationem. Quae omnia quidem ventura esse credendum est. Sed quibus modis & quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientia quàm nunc ad perfectum hominum intelligentia valet consequi. Existimo tamen eo quo à me commemorata sunt ordine esse ventura.

PASSIO SANCTI SAVINI

Episcopi & martyris.

MAximiano Augusto quintodecimo Kalendas Mai in circo maximo misso sexto Venetos vincente, pars major populi clamabant dicentes: Christiani tollantur, & voluptas constat. Dictum est duodecies. Per caput Augusti, Christiani non sint. Spectantes verò Hermogenianum Praefectum urbis, item clamaverunt decies: Sic Augustus vincas, voces nostras à Praefecto exquire. Tunc Hermogenianus Praefectus urbis intimavit voces paganorum. Eodem tempore Augustus Maximianus jussit ut in capitolio omnes convenirent, & conventus est factus in capitolium decimo Kalendas Mai. Innumerabilis verò multitudo populi advenit. Hoc itaque adloquitur Augustus populum dicens; Viri coetus & religiosi temporum nostrorum, dignum nobis videtur ut intimatione vestra religio temporum nostrorum augeatur. Tamen, patres conscripti, concedam facultatem ut ubicunque inventi fuerint Christiani, teneantur à Praefecto nostro urbis, vel ab officio ejus, & sacrificent diis. Et statim discesserunt omnes una voce dicentes: Auguste tu vincas, & cum diis floreas.

II. Quo audito, venit quidam ad Praefectum urbis Hermogenianum, dicens ei: Est quidam Episcopus qui cotidie conventicula cum Christianis facit, & libros exponit, seducens populum. Cumque haec audisset Hermogenianus Praefectus urbis, continuò renuntiavit haec Augusto Maximiano, dicens ei; Est quidam Episcopus qui removet populum ne sacrificent diis nostris. Tunc Maximianus Augustus gaudio repletus * atque auctoritate jussit dirigi ad quendam Venustianum Augustalem Tusciae dicens: Suggestionem patris nostri Hermogeniani Praefecti urbis apud nos claruisse cognosce, quia justa petitio occultari non debet, ut seculum nostrum nostraque promulgatio non laedatur. Ideoque commonemus ut ubicunque Christiani nomen auditum fuerit, superstitionem colentes, aut sacrificare cogantur diis, aut certè poenis intereant, facultatibusque nudati, eadem fisco cum tributis adplicandae socientur. Vale Pater. Data pridie Kalendas Mai.

* f. hanc auctoritatem

III. Eodem tempore Venustianus Augustalis Tusciae coepit curiosè quaerere si alicubi occultum Christianum inveniret. Et devulgatus est ei Savinus Episcopus, vir eloquentissimus, & delimato sermone clarus, in omnibus divinis instructionibus gratia Domini Jesu Christi repletus. Mittens ergo milites, tenuit eum in civitate Asisinati, & in eodem loco custodiae mancipavit cum duobus Diaconibus, id est, Marcello & Exsuperantio, & multis Clericis eum eis. Alia autem die venit * Sitinnium. Postera verò die jussit sibi Venustianus vir clarissimus tribunal parari in medio foro. & ita factum est. Tunc oblatus est ei Savinus Episcopus cum duobus Diaconibus suis. Quem ita aggreditur Venustianus, dicens ei: Designa nobis nomen tuum. Dicit ei Episcopus: Peccator Savinus vocor, gratia Domini nostri Jesu Christi repletus. Dicit Venustianus vir clarissimus Augustalis Tusciae ad sanctum Savinum Episcopum: Servus es, aut liber? Dicito mihi. Savinus Episcopus dixit: Servus sum Christi, liberatus à diaboli servitute. Venustianus vir clarissimus Augustalis Tusciae dixit: Quo honore fungeris? Savinus Episcopus dixit: Nos peccatores non meriti officio fungimur nomine episcopatus: Venustianus vir clarissimus Augustalis Tusciae dixit. Hi duo quo honore funguntur? Savinus Episcopus dixit: Diaconi mei sunt. Venustianus vir clarissimus dixit contra Savinum Episcopum: Quae tibi auctoritas praestat numinem ut doctrinas occultè facias & doceas populum ut derelinquat deos & sequatur hominem mortuum? Savinus Episcopus dixit: Tamen est in cognitione tua quia mortuus est Dominus noster Jesus Christus? Venustianus vir clarissimus dixit: Et verè occisus est & sepultus. Savinus Episcopus dixit: Quia tertia die resurrexit non scis? quod tamen integrè cognoscere debes. Venustianus vir clarissimus dixit: Elige tibi de duobus unum, aut sacrifica diis & vive, aut certè tormentis quibus dignus es necaberis; & resurge sicut dominus tuus Christus. Respondens verò Savinus Episcopus dixit: Et ego hoc desidero, necari & mori, ut resurgam sicut Dominus meus Jesus Christus.

* Assisium

IV. Venustianus vir clarissimus dixit: Consule tibi, & pollicere te diis sacrificare, & vive. Savinus Episcopus dixit: Si cognosceres veritatem, non blasphemiam proferres ex ore tuo, sed humiliares te Deo patri omnipotenti & Christo Jesu filio ejus & Spiritui sancto, qui mortem captivavit & vitam donavit, qui pedibus mare ambulavit, & qui ei imperavit, & cessavit ab ira sua, qui credentes in se resuscitabit in die magno & terribili adventus sui. Dicito mihi si justum est ut derelinquam creatorem caeli & terrae, & adorem ligna & lapides & aeramenta, aurum vel argentum, simulachra muta & surda, quae nec sibi auxiliantur nec aliis, sed potiùs eos qui illis credunt in perditionem mittunt. Simulachra daemonia sunt vana & surda, muta & sine sensu.

V. Venustianus vir clarissimus dixit: Ergo non sunt dij gubernatores rei publicae? Sanctus Savinus Episcopus dixit: Non sunt dij, sed daemones, qui destruunt rem publicam vestram. Sed ut scias quia nihil est boni colere daemonia, deferatur huc deus tuus. Tunc Venustianus vir clarissimus deum suum, quem habebat in cubiculum suum ubicunque mansisset, jussit adduci in medio, quia erat mirae facturae ex lapide corallite Jovis, & vestimenta ejus deaurata erant. Qui cum adductus fuisset cum lampadibus & vociferationibus in manibus, Venustianus vir clarissimus dixit; Ecce propitiator nostri. Tunc subridens sanctus Savinus Episcopus dixit. O vana instantia, ut dimittatur Deus creator omnium, & colatur lapis foedidissimus! Venustianus vir clarissimus dixit: Ergo non sunt dij? Sanctus Savinus dixit: Non. Sed ut scias quia non sunt dij, dimitte me facere quod volo, & modò vides. Venustianus vir clarissimus dixit: Si praesumis, fac quod vis. Tunc beatus Savinus accepto Jove in manibus suis, oratione facta, continuò elisit eum in pavimento, & confregit deum Jovem.

VI. Hoc videns Venustianus vir clarissimus tutudit cum furore frontem suam dicens; Sacrilegum Savinum, qui pertinacia sua confregit deum Jovem nostrum, omnibus praesentibus truncari praecipio. Eadem vero hora praecisae sunt manus ejus ambae. Et cùm hoc factum fuisset, coeperunt Marcellus & Exuperantius dintissimè timere & trepidare Diaconi sancti Savini. Eadem verò hora beatus Savinus Episcopus manibus praecisis confortare coepit Diaconos

suos

ſuos Exuperantium & Marcellum, dicens eis: Filij cariſſimi & fratres mei, nolite timere minas diaboli, ſed confidite in Domino Jeſu Chriſto, qui fidelibus ſuis dat coronam & vitam aeternam. Exuperantius autem & Marcellus accepta fiducia coeperunt clamare una voce pariter dicentes: Pereant dij daemoniorum, & laetetur cor quaerentium Dominum.

VII. Tunc Venuſtianus vir clariſſimus eadem hora collegit fragmenta dei ſui Jovis in linteaminibus, & collocavit in capſa argentea, & miſit in domum ſuam, & iracundia plenus juſſit in conſpectu ſuo Marcellum & Exuperantium in equuleo ſuſpendi, praeſente ſancto Savino Epiſcopo, dicens eis: Sacrificate dijs, aut certè poenis interibitis. Reſpondens autem ſanctus Savinus dixit ad Diaconos ſuos; Filij, conſtantes eſtote animo & corde, & nolite timere terrorem inimici. Reſpondit Marcellus & dixit: Nos ſemel nos ipſos obtulimus ſacrificium Deo. Aliud quid reſpondere non habemus niſi ut peccatis noſtris ignoſcat Deus, quia in his quae patimur jam, diabolo locum non damus, nec obedimus ei, quia fallax eſt, & non dabit vitam, ſed mortem. Venuſtianus vir clariſſimus dixit: Macerate eos fuſtibus in conſpectu Savini, qui manibus pollutis confregit deum noſtrum Jovem. Et cùm diù caederentur, clamabant vocibus magnis dicentes: Gloria tibi Domine Jeſu bone, quia meruimus introire in requiem tuam. Et cùm diu clamarent ambo pariter, dicit ad eos Venuſtianus vir clariſſimus Auguſtalis Tuſciae: Jam deponite mentes ſacrilegas, & adorate deos, ut non pereatis. Illi autem clamantes dixerunt: Nos in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti renovati ſumus. Venuſtianus vir clariſſimus Auguſtalis Tuſciae dixit: Modò vos ego renovabo. Et juſſit ut unguibus raderentur latera eorum * ponentem, ſubitò ambo expiraverunt. quorum corpora praecepit jactari in fluvium. Savinum verò Epiſcopum truncatum in carcerem mancipavit. Audiens verò quidam piſcator & Presbyter collegerunt corpora ſanctorum martyrum Exuperantij & Marcelli, & ſepelierunt eos juxta viam ſub die pridie Kalendarum Juniarum.

VIII. Poſt dies verò ſex audiens haec quaedam matrona nomine Serena de civitate Spoletana, quae erat vidua annis triginta uno, Chriſtianiſſima & timens Deum, orationibus, jejuniis, & eleemoſinis vacans, haec veniebat nocte ad ſanctum Savinum, & curam ei faciens, pedes ejus amplexabatur, & oſculabat eos. Haec colligens manus ejus beati Savini Epiſcopi in domum ſuam, collocavit eas in dolio vitreo, & cum aromatibus condivit: quas die noctuque tangens, in oculos ſuos ponebat.

IX. Ipſo autem tempore dixit ad ſanctum Savinum Epiſcopum Serena caecum nepotem ſuum, quem unicè diligebat, in quo medici omnem artem medicinae exercuerant, & non poterant eum curare. Praeſentatoque ſancto Savino Epiſcopo, dixit ad eum Serena: Domine meus, per Chriſtum te conjuro, in quem tu credis, & ego in ejus virtutem credo, ut ponas ulnas tuas ſuper hunc famulum tuum, & ores Deum caeli & terrae creatorem omnium, & credo quia illuminabitur. Tunc Savinus Epiſcopus poſuit truncos ſuos ſuper oculos caeci, & coepit cum lacrymis dicere: Domine Deus omnium creator & miſericors, fac voluntatem tuam bonam ſperantibus in te. Et genu flexo cum fletu hoc dicebat: Domine Deus, propitius eſto mihi peccatori te invocanti, qui lumen es verum, illumina ſperantes in te, quia nos non ſumus digni, qui relicti ſumus in peccatis noſtris. In te ſperant ſervi tui. Illumina tenebras noſtras, quia tu es lumen veritatis & vitae. Et tu dixiſti Domine, Quaecunque petieritis in nomine meo accipietis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum & Spiritum ſanctum, qui tecum vivit & regnat in ſecula ſeculorum. Et cùm reſpondiſſent Amen, poſuit ſanctus Savinus truncos ſuos ſuper oculos caeci dicens: Aperiat tibi oculos qui aperuit mare & induxit Iſrael per medium ejus. Ipſe introducat lumen in oculos tuos, ut cognoſcant omnes gentes quia ipſe eſt creator omnium viſibilium & inviſibilium quia ipſe eſt qui nato caeco oculos aperuit. Tunc aperti ſunt oculi Priſciani nepotis Serenae. Et viderunt omnes qui erant in cuſtodia mirabilia Dei quae per ſanctum Savinum Epiſcopum Dominus Jeſus Chriſtus fecit, & miſerunt ſe ad pedes ſancti Savini, & rogantes dicebant ſancto Epiſcopo ut baptizaret eos. & baptizati ſunt eodem die numero undecim. Hoc autem factum non potuit occultari, quia caecus illuminatus fuiſſet per ſanctum Savinum Epiſcopum.

X. Poſt dies vero triginta & tres indoluerunt oculi Venuſtiano viro clariſſimo Praeſidi Tuſciae, & prae nimio dolore nec cibum nec ſomnum potuit percipere, ita ut nullus medicorum ejus dolorem mitigare non potuiſſet. Eodem tempore Venuſtiano viro clariſſimo Praeſidi Tuſciae nunciatum eſt quod ſanctus Savinus Epiſcopus illuminaſſet caecum: & miſit uxorem ſuam & duos filios, & cum grandi gloria rogavit ſanctum Savinum Epiſcopum. At ubi dictum eſt ſancto Savino in carcere dixit: Gloria tibi Domine, quia me dignatus es vocare inter ſervos tuos. Et perrexit ad domum Venuſtiani viri clariſſimi. Tunc levaverunt eum in manibus, & projecerunt eum ante pedes ſancti Savini Epiſcopi. Quem ut vidit ſanctus Savinus Epiſcopus, lacrymabiliter dixit voce clara: Illuminet te Chriſtus, qui caecum natum illuminavit. Reſpondit Venuſtianus cum uxore & filiis cum fletu, & dicebant: Peccavimus in mundo iſto. Reſpondit ſanctus Savinus Epiſcopus, & dixit: Si credis ex toto corde tuo, & poenitentiam agis, omnia miniſtrabuntur credenti. Deferantur huc fragmenta ſimulachri. Et ſtatim ut imperavit ſanctus Savinus, adducta ſunt ante conſpectum ejus. Quae cum vidiſſet, omnia juſſit comminui & projici in fluvio.

XI. Urgebatur autem Venuſtianus doloribus. Dicit ei ſanctus Savinus? Credis ex toto corde tuo? Reſpondit Venuſtianus & dixit: Ego credo; ſed peccatum meum, quod in te exercui, ipſum mihi cruciatum oſtendis. Reſpondit ſanctus Savinus & dixit ei: Mea delicta hoc mihi fecerunt. Tu vero innocens monſtraberis. Ex hoc te commoneo ut poenitearis & credas in Dominum Jeſum Chriſtum, & baptiſmum percipias, & ſalvus eris, & vitam aeternam conſequeris. Venuſtianus vir clariſſimus dixit: Baptiza me in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut percipiam promiſſa tua. Tunc ſanctus Savinus Epiſcopus genibus poſitis oravit; & manibus abſciſſis catechizavit eum cum uxore & filiis, & accepta aqua, baptizavit eos dicens: Credis in Deum patrem omnipotentem? Reſpondit Venuſtianus; Credo. Et in Chriſto Jeſu filio ejus? Reſpondit: Credo. Et in Spiritu ſancto? Reſpondit Venuſtianus: Credo. Et in eum qui paſſus eſt & reſurrexit? Reſpondit Venuſtianus: Credo. Et in eum qui aſcendit in caelos, & iterum venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſeculum per ignem? Dixit: Credo. Et in adventu ipſius, & regnum ejus in remiſſionem peccatorum, & carnis reſurrectionem? Venuſtianus reſpondit: Credo in Chriſtum Dei filium, qui me illuminet.

XII. Eadem vero hora levatus à pelve, aperti ſunt oculi Venuſtiani, ita ut nullum dolorem poſt baptiſmum pateretur. Tenens vero pedes ſancti Savini, lacrymis rigavit dicens; Ora Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ut dimittat mihi quod in te exercui. Reſpondit ſanctus Savinus, dixitque ei; Ego, fili, propter infelicitatem peccatorum meorum omnia haec pertuli. Tu enim nihil in me peccaſti. Et habitaverunt ſimul.

XIII. Hoc autem nunciatum eſt Maximiano Auguſto, quia Venuſtianus baptizatus eſt. Et iratus miſit Tribunum ſuum & ſcriptionem ſimul; & damnari praecepit Savinum, & ipſum Venuſtianum capite truncari juſſit. Veniens autem Lucius Tribunus, ſine auditione ipſum Venuſtianum Auguſtalem

Tu-

Tusciae cum uxore & filiis capite truncavit in civitate Asisinati. quorum corpora absconsa sunt à Christianis. quorum quidem corpora nusquam potuerunt inveniri.

XIV. Eodem vero tempore tenuit sanctum Savinum Episcopum, & adduxit eum in civitatem Spoletanam, & sine auditione tamdiu praecepit caedi quousque deficeret. Qui cum diu caederetur, emisit spiritum. Cujus corpus collegit quaedam matrona nomine Serena, quae manus ejus antea collegerat, & junxit eas cum corpore, & sepelivit eum miliario a civitate Spoletana plus minus secundo, sub die septimo Idus Decembris. In quo loco exuberant beneficia Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi. Caeci illuminantur, infirmi sanantur, daemones effugantur, ad laudem & honorem Domini nostri Jesu Christi, qui semper fidelibus suis dat palmam victoriae, cui est imperium, honor, & regnum in secula seculorum. Amen.

INCIPIUNT CONFESSIONES ET ACTUS martyrum Saturnini Presbyteri, Felicis, Dativi, Ampelii, ceterorumque infra scriptorum, qui propter collectas & scripturas dominicas sub Anulino tunc Proconsule Africae die pridie Idus Februarij Carthagine Dominum confessi, diversis locis temporibusque discretis beatissimum sanguinem profuderunt.

QUi religionis sanctissimae fide exultat & gloriatur in Christo, quique dominica veritate gaudet, errore damnato, ut Ecclesiam catholicam teneat, sanctamque communionem à prophana discernat, acta martyrum legat, quae necessario in archivo memoriae conscripta sunt, ne seculis transeuntibus obsolesceret gloria martyrum & damnatio traditorum. Aggredior itaque caelestes pugnas novaque certamina gesta per fortissimos milites Christi, bellatores invictos, martyres gloriosos, aggredior inquam ex actis publicis scribere, non tam ingenio praeditus quàm civili quo illis sum amore conjunctus, contuitu quidem hoc faciens, duplici scilicet modo, ut & imitatoribus eorum ad martyrium animos praeparemus, & quos vivere in perpetuum atque cum Domino Christo regnare confidimus, etiam confessionis ipsorum pugnas atque victorias, cùm in litteris digerimus, aeternae memoriae conferamus. Sed non invenio, fratres dilectissimi, quibus utar exordiis, quove principio laudis aggrediar sanctissimorum martyrum felicissimam confessionem. Magnis enim rebus magnisque virtutibus rapior; & quicquid est quod in ipsis aspicio, hoc totum divinum atque caeleste admiror, in devotione fidem, in vita sanctitatem, in confessione constantiam, in passione victoriam. Quae res quanto solae in suis virtutibus fulgent, tanto sunt omnes in singulis martyribus clariores. Placet igitur in principio causam ipsius belli tractare totiusque mundi discrimen necessario breviter omni celeritate discurrere; ut agnita veritate, & praemia martyrum & poenas quis noverit traditorum.

II. Temporibus namque Diocletiani & Maximiani bellum diabolus Christianis indixit isto modo ut sacrosancta Domini testamenta scripturasque divinas ad exurendum peteret, basilicas dominicas subverteret, & ritus sacros coetusque sanctissimos celebrari Domino prohiberet. Sed non tulit exercitus Domini Dei immane praeceptum, sacrilegamque jussionem perhorruit; & mox fidei arma corripuit, descendit in praelium, non tam contra homines quàm contra diabolum pugnaturus. Et quamvis tradendo gentilibus scripturas dominicas atque testamenta divina prophanis ignibus comburenda, à fidei cardine cecidere nonnulli, conservando tamen eas, & pro ipsis libenter suum sanguinem effundendo, fortiter fecere quamplurimi, quique pleni Deo, devicto atque prostrato diabolo, victricem palmam in passione gestantes, sententiam in traditores atque in eorum consortes, qua illos ab Ecclesiae communione rejecerant, cuncti martyres proprio sanguine consignabant. Fas enim non fuerat ut in Ecclesia Dei simul essent martyres & traditores. Advolabant igitur undiqueversum ad certaminis campum immensa agmina confessorum; & ubi quisque hostem repererat, castra illic dominica collocabat. Namque in civitate Alutinensi in domo Occani Felicis cum bellica canerent tuba, dominica signa gloriosi martyres erexerunt; ibique celebrantes ex more dominica sacramenta, à coloniae magistratibus atque ab ipso stationario milite apprehenduntur, Saturninus Presbyter cum filiis quatuor, id est, Saturnino juniore & Felice lectoribus, Maria sanctimoniali, Hilarione infante, itemque Dativus, qui & senator, Felix, alius Felix, Emeritus, Ampelius, Rogatianus, Quintus, Maximianus, Thelica, Rogatianus, Rogatus, Januarius, Cassianus, Victorianus, Vincentius, Caecilianus, Restituta, Prima, Eva, Rogatianus, Guinalius, Rogatus, Pomponia, Secunda, Januaria, Saturnina, Martinus, Elautus, Felix, Margareta major, Honorata, Regiola, Victorianus, Pelusius, Faustus, Dacianus, Matrona, Caecilia, Victoria, Herectina, secunda Matrona, Januaria.

III. Qui apprehensi producebantur alacres ad forum. Adhuc in primum certaminis campum prior Dativus ibat, quem sancti parentes candidum senatorem caelesti curiae genuerunt. Ibat etiam Presbyter Saturninus numerosa vallatus propagine liberorum; cujus partus partem sibi sociam martyrio destinavit, partem sui nominis pignus Ecclesiae relinquebat. Hos agmen dominicum sequebatur, in quo fulgebat caelestium splendor armorum, scutum fidei, lorica justitiae, salvationis galea, & gladius bifrons sermo Dei: quorum praesidio fulti, spem victoriae fratribus promittebant. Sed jam ad supradictae civitatis pervenerunt forum. Ibi primùm congressi, confessionis palmam magistratus elogio sustulerunt. In illo namque foro jam pro scripturis dominicis dimicaverat caelum, cùm Fundanus civitatis quondam Episcopus scripturas dominicas traderet exurendas: quas cùm magistratus sacrilegus igni apponeret, subitò imber sereno caelo diffunditur, ignis scripturis sanctis admotus extinguitur, grandines adhibentur, omnisque ipsa regio pro scripturis dominicis, elementis furentibus, devastabatur. De hac igitur civitate martyres Christi exoptata prima vincula susceperunt; directique ad Carthaginem, alacres ac laeti per totum iter hymnos Domino canticaque psallebant. Qui cum ad officium Anulini tunc Proconsulis pervenissent, starentque in acie constanter ac fortiter, saevientis impetus diaboli dominica constantia retundebant. Sed cum non contra omnes simul milites Christi diabolica rabies praevaleret, singulos in certamina postulavit. Quorum certaminum pugnas non tam meis exequar quàm martyrum dictis; ut & saevientis hostis audacia in tormentis atque in ipsa sacrilega invectione noscatur, & Christi Domini praepotentis virtus in tolerantia martyrum atque in ipsa confessione laudetur.

IV. Cùm igitur ab officio Proconsuli offerrentur, suggereretúrque quòd à magistratibus Alutinensium transmissi essent Christiani qui contra interdictum Imperatorum & Caesarum collectam dominicam celebrassent, primùm Proconsul Dativum interrogat cujus esset conditionis & utrum collectam fecisset: qui cùm se Christianum & in collecta fuisse profiteretur, auctor ab ipso collectionis sanctissimae postulatur; statimque jubetur officium eundem in equuleum sublevare extensumque ungulis praeparare. Sed cùm carnifices jussa crudelia atroci velocitate complerent, starentque saevientes in dictis, & denudatis ad vulnera martyris lateribus, erectis ungulis imminerent, subito sese per medium Thelica fortissimus martyr tormentis subjecit & clamavit, Quia Christiani sumus nos, Nos, inquit, colleginus.

Sta-

Statimque Proconsulis furor exarsit, & ingemiscens, spiritali gladio graviter vulneratus, martyrem Christi gravissimis ictibus tutulit, in equuleum suspensum extendit, ungulis perstridentibus laniavit. At contrà gloriosissimus Thelica martyr media de ipsa carnificum rabie hujusmodi preces Domino cum gratiarum actione effundebat: Deo gratias. In nomine tuo, Christe Dei filius, libera servos tuos. Talia precanti Proconsul, Quis est, inquit, auctor tecum congregationis vestrae? Qui crudeliùs saevienti carnifici clara voce respondit: Saturninus Presbyter & omnes. O martyrem primatum omnibus dantem. Non enim Presbyterum fratribus praetulit, sed Presbytero fratres confessionis consortio copulavit. Quaerente igitur Proconsule Saturninum, ostendit, non quod illum prodiderit, quem secum adversùs diabolum pariter dimicare cernebat, sed ut illi panderet integrè se celebrasse collectam, quando cum ipsis etiam Presbyter fuerat. Manabat igitur cum voce sanguis Dominum deprecantis, & praeceptorum evangelij memor, inimicis suis veniam martyr in ipsa corporis sui laniamenta poscebat. Inter ipsos namque vulnerum gravissimos cruciatus, tortores pariter & Proconsulem his vocibus exprobrabat. Injustè facitis, infelices, contra Deum facitis. Deus altissime, noli illis consentire ad haec peccata. Peccatis, infelices, adversùs Deum facitis. Custodimus praecepta Dei altissimi. Injustè agitis, infelices; innocentes laniatis. Non sumus homicidae, non fraudem fecimus. Deus, miserere. Gratias tibi ago. Pro nomine tuo, Domine, da sufferentiam. Libera servos tuos de captivitate hujus seculi. Gratias tibi ago, nec sufficio tibi gratias agere. Et cùm ictibus ungularum concussa fortiùs latera sulcarentur, profluensque sanguinis unda violentis tractibus emanaret, Proconsulem sibi dicentem audivit: Incipies sentire quae vos pati oporteat. Et adjecit: Ad gloriam. Gratias ago Deo regnorum. Apparet regnum aeternum, regnum incorruptum. Domine Jesu Christe, Christiani sumus, tibi servimus; tu es spes nostra, tu es spes Christianorum. Deus sanctissime, Deus altissime, Deus omnipotens, tibi laudes pro nomine tuo agimus. Cui talia oranti cùm à diabolo per judicem diceretur, Custodire te oportuit jussionem Imperatorum & Caesarum: defatigato jam corpore, forti atque constanti sermone victor animo proclamavit: Non curo nisi legem Dei, quam didici. Ipsam custodio, pro ipsa morior, in ipsa consumor, praeter quam non est aliud. Talibus itaque dictis gloriosissimi martyris in suis tormentis magis ipse Anulinus torquebatur: cujus tandem rabies ferocitate saginata, postea reclusum in carcere, passione condignum martyrem destinavit.

V. post hunc Dativus à Domino in certamine erigitur, qui Thelice ad fortissimum praelium de proximo conjunctus est: qui cùm pendendo in equuleo extensus, se voce saepius repetita Christianum esse & collectam fecisse fortiter proclamaret, emersit sanctissimae victoriae martyris frater, vir sanè togatos, sed à religionis Christianae sanctissimo cultu ipsis temporibus alienus; qui suspensum in equuleo martyrem prophanis vocibus hactenus arguebat: Hic est, ait, Domine, qui per absentiam patris nostri, nobis hic studentibus, sororem nostram Victoriam seducens, hinc de splendidissima Carthaginis civitate unà cum Secunda & Restituta ad Alutinensem coloniam secum usque perduxit, quique nunquam domum nostram ingressus est nisi tunc quando quibusdam persuasionibus puellares animos illiciebat. Sed non tulit Victoria clarissima martyr Domini collegam & commartyrem suum falso appeti senatorem; statimque Christiana libertate prorumpens. Nullius, inquit, persuasione profecta sum, nec cum ipso ad Alutinensem coloniam veni. Hoc possum per cives probare. Omnia mea sponte atque voluntate perfeci. Nam & in collecta fui, & dominicum cum fratribus celebravi, quia Christiana sum. Tunc impudens advocatus maledicta exaggerabat in martyrem. Et contrà martyr gloriosus de equuleo cuncta vera responsione solvebat.

VI. Inter haec Anulinus ardescens, premi ungulas in martyrem jubet. Statim carnifices nuda praeparataque ictibus latera cruentis vulneribus invenerunt. Advolabant truces in manus jussis velocibus, secretaque pectoris, dirupt is costibus visceribusque divulsis, nefandis aspectibus prophanorum adnixa crudelitate pandebant. Inter haec martyris mens immobilis; & licèt membra rumpantur, divellantur viscera, latera dissipentur, animus tamen martyris integer inconcussusque perdurat. Denique dignitatis suae memor Dativus, qui & senator, tali voce preces Domino sub carnifice rabiente fundebat: O Christe Domine, non confundar. His dictis beatissimus martyr quod à Domino poposcerat, tam facilè meruit quàm breviter postulavit. Denique mox Proconsul mente concussa, lingua volente parcere profilivit. Cessavere carnifices. Fas enim non erat martyrem Christi in commartyris suae Victoriae causa torqueri. Namque cum contra eum etiam Pompeianus suspicionis indignae saevus accusator accederet, calumniosamque conjungeret actionem, despectus à martyre est & percussus. Quid agis hoc in loco, diabole? Quid contra martyres Christi adhuc usque conaris? A senatore Domini ac martyre & potestas simul & forensis rabies superata est. Sed clarissimus martyr etiam pro Christo tortus, cùm interrogatus utrum in collecta fuisset, profiteretur constanter & diceret eum collecta fuisset se supervenisse & dominicum cum fratribus congrua religionis devotione celebrasse, auctoremque ejusdem collectionis sanctissimae unum fuisse, in sese rursus proconsulem acriùs excitavit; cujus recrudescente saevitia, geminata martyris dignitas iterato ungulis sulcantibus exaratur. At martyr ad vulnerum cruciatus saevissimos pristinam suam repetens orationem, Rogo, ait, Christe, non confundar. Quid feci? Saturninus est Presbyter noster.

VII. Hujus cùm latera, duri trucisque carnificis magistra crudelitate monstrante, aduncis ungulis raderentur, Saturninus Presbyter ad praelium postulatur: qui caelestis regni contemplatione considerans parva admodum ac levia suos commartyres sustinere, congredi etiam ipse taliter coepit. Nam dicente Proconsule, Tu contra jussionem Imperatorum & Caesarum fecisti, ut hos omnes colligeres, respondit Presbyter Saturninus, Domini spirim suggerente securus: Dominicum celebravimus. Proconsul ait: Quare? Respondit: Quia non potest intermitti dominicum. Qui mox ut haec dixit, contra Dativum statim jubet aptari. Spectabat interea Dativus laniamenta corporis sui potiùs quàm dolebat; & cujus ad Dominum mens animusque pendebat, nihil dolorem corporis aestimabat; sed tantum Dominum precabatur dicens: Subveni rogo Christe, habe pietatem, serva animam meam, custodi spiritum meum, non confundar. Rogo Christe, da sufferentiam. Cui cùm à Proconsule diceretur, Ex hac splendidissima civitate magis debueras alios ad bonam mentem vocare, & non contra praecepta Imperatorum & Caesarum facere, fortiùs atque constantius acclamabat: Christianus sum. Qua voce diabolus superatus, Parce, inquit. Simulque illum in carcerem tradens, passioni condignae martyrem reservavit.

VIII. At vero Presbyter Saturninus recenti martyrum sanguine delibutus, cum penderet in equuleo, admonebatur in eorum fide persistere in quorum cruore perstabat. Hic cùm interrogaretur utrum auctor ipse esset & omnes ipse adunasset, & diceret, Etiam, ego praesens in collecta fui, Emeritus lector ad certamen exiliens, congrediente Presbytero, Ego sum auctor, inquit, in cujus domo collecta facta fuit. At Proconsul, qui jam totiens victus fuerat, impetus Emeriti perhorrebat; & tamen in Presbyterum versus, Quare contra praeceptum, inquit, faciebas, Saturnine? Cui Saturninus, Intermitti dominicum non potest, ait. Lex sic jubet. Tunc Proconsul: Non tamen debuisti prohibita contemnere,

sed

ſed obſervare potiùs, & non rem facere contra praeceptum Imperatorum. Et meditata jamdiu in martyribus voce, terrorem ſuae irae commovit; cui non pigro paretur obſequio. Nam carnifices in ſenile corpus Presbyteri ruunt, & graſſante rabie, rupta nervorum connexione, diſcerpunt. Ingemiſcenda ſupplicia & novi generis in ſacerdotem Dei exquiſita tormenta videres, quaſi in pabulo vulnerum famis rabie ſaevire carnifices, apertiſque viſceribus, ad horrorem videntium inter ruborem ſanguinis, oſſa nudata pallere, & nec inter moras torquentium, excluſam animam corpus ſupplicio pendente deſerere. At tali voce Dominum Presbyter precabatur: Rogo te Chriſte, exaudi. Gratias tibi ago Deus. Jube me decollari. Rogo Chriſte, miſerere. Fili Dei ſubveni. Cui Proconſul: Quare contra praeceptum facis? Et Presbyter, Lex ſic jubet, lex ſic docet, inquit. O admiranda ſatis ac praedicanda Presbyteri doctoris divina reſponſio. Legem ſanctiſſimam etiam in tormentis Presbyter praedicat, pro qua libenter ſupplicia ſuſtinebat. Legis denique voce deterritus Anulinus, Parcam, inquit; cumque in cuſtodiam carceris redigens, exoptato ſupplicio deſtinavit.

IX. At vero Emerito applicito, in tua, inquit Proconſul, domo collectae factae ſunt contra praecepta Imperatorum? Cui Emeritus ſancto ſpiritu inundatus, In domo mea, inquit, egimus dominicum. At ille, Quare permittebas, ait, illos ingredi? Reſpondit: Quoniam fratres mei ſunt, & non poteram illos prohibere. Sed prohibere, inquit, illos debuiſti. At ille, Non potui, ait, quoniam ſine dominico non poſſumus. Statim etiam ipſe in equuleo jubetur extendi, extenſuſque vexari. Qui cum validos ictus innovato carnifice pateretur, Rogo, ait, Chriſte ſubveni. Contra praeceptum Dei facitis, ô infelices. Et interloquenti Proconſuli, Non oportuerat te eos ſuſcipere, reſpondit: Non potueram quin ſuſciperem fratres meos. At Proconſul ſacrilegus, Sed prior, inquit, erat juſſio Imperatorum & Caeſarum. Contrà religioſiſſimus martyr, Deus, inquit, major eſt quàm Imperatores. Rogo Chriſte, tibi laudes. Chriſte Domine, da ſufferentiam. Cui talia precanti haec Proconſul injecit: Habes ergo ſcripturam aliquam in domo tua? Et reſpondit: Habeo, ſed in corde meo. Et Proconſul, in domo inquit, tua habes, an non? Emeritus martyr ait: In corde meo illas habeo. Rogo Chriſte, tibi laudes. Libera me, Chriſte, in nomine tuo. Breviter patior, libenter patior. Chriſte, non confundar. O martyrem Apoſtoli memorem, qui legem Domini conſcriptam habuit, non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus. O martyrem legis ſacrae idoneum diligentemque cuſtodem, qui traditorum facinus perhorreſcens, ſcripturas dominicas, ne perderet, inter ſecreta ſui pectoris collocavit. Quo cognito, Proconſul, Parce, inquit. Ejuſque confeſſionem in memoriam unà cum ceterorum confeſſionibus redigens, Pro veſtris meritis omnes, inquit, ſecundùm confeſſionem veſtram poenas meritas perſolvetis.

X. Sed jam ferina rabies ore cruento tormentis martyrum ſaginata languebat, Sed cum Felix nomine & paſſione proceſſiſſet in praelium, acieſque Domini omnis incorrupta invictaque perſtaret, tyrannus mente proſtratus, voce demiſſus, anima & corpore diſſolutus, Spero vos, inquit, hanc partem potiùs eligere, qua poſſitis vivere, ut juſſiones ſervetis. Contra quae confeſſores Domini, invicti martyres Chriſti, tamquam ex uno ore dixerunt: Chriſtiani ſumus, non poſſumus niſi Domini legem ſanctam uſque ad effuſionem ſanguinis cuſtodire. Qua voce percuſſus inimicus Felici dicebat: Non quaero utrum Chriſtianus ſis, ſed an collectam feceris, vel ſcripturas aliquas habeas. O ſtulta judicis & ridenda interrogatio. Chriſtianus, inquit, utrum ſis tace. Et addidit: Si in collecta fuiſti? Reſpondit: Quaſi Chriſtianus ſine dominico poſſit, aut dominicum ſine Chriſtiano celebrari. An neſcis, Satanas, in dominico Chriſtianum & in Chriſtiano dominicum conſtitutum, ut nec alterum ſine altero valeat eſſe? Cum nomen audieris, frequentiam Domini diſce; & cum collectam audieris, nomen agnoſce. Denique cognoſceris à martyre & rideris, tali reſponſione confunderis. Collectam, inquit, glorioſiſſimè celebravimus, ad ſcripturas dominicas legendas in dominicum convenimus ſemper. Qua confeſſione confuſus graviter Anulinus, fuſtibus caeſum exanimem, caeleſti concilio martyrem properantem ad ſiderea tribunalia, expleta paſſione, conſociat.

XI. Sed Felicem ſequitur alius Felix nomine pariter & confeſſione atque ipſa paſſione conſimilis. Pari etenim virtute congreſſus, etiam ipſe fuſtium laeſione quaſſatus, animam in tormenta carceris ponens, ſuperioris Felicis eſt martyrio copulatus. Poſt hos ſuſcepit certamen Ampelius cuſtos legis, ſcripturarum divinarum fideliſſimus conſervator. Hic quaerente Proconſule an in collecta fuiſſet, hilaris atque ſecurus alacri voce reſpondit: Cum fratribus, inquit, feci collectam, dominicum celebravi; & ſcripturas dominicas habeo mecum, ſed in corde meo conſcriptas. Chriſte, tibi laudes refero. Exaudi Chriſte. Qui cum haec dixiſſet, cervicibus contuſis, quaſi jam in tabernaculum dominicum laetus cum fratribus relegatur. Hunc ſequitur Rogatianus: qui confeſſus Domini nomen, ſupradictis fratribus jungebatur illaeſus. Quintus verò applicitus, egregie nomen Domini magnificèque confeſſus, caeſus fuſtibus in carcerem truditur, condigno martyrio reſervatus. Hunc ſequebatur & Maximianus, in confeſſione par, in congreſſione conſimilis, in victoriae triumphis aequalis. Poſt quem junior Felix ſpem ſalutemque Chriſtianorum dominicum eſſe proclamans, cùm ſimiliter etiam ipſe fuſtibus caederetur, Ego, inquit, devota mente celebravi dominicum, collectam cum fratribus feci, quia Chriſtianus ſum. Qua confeſſione ſupradictis fratribus meruit etiam ipſe ſociari.

XII. At junior Saturninus, martyris Saturnini Presbyteri progenies, in certamen optatum feſtinus acceſſit, approperans patris virtutibus glorioſiſſimis adaequari. Cui cum Proconſul furibundus diabolo ſuggerente dixiſſet, Et tu, Saturnine, interfuiſti, reſpondit Saturninus: Chriſtianus ſum. Non à te quaero hoc, ait, ſed utrum egeris dominicum. Cui Saturninus reſpondit: Egi dominicum, quia ſalvator eſt Chriſtus. Quo nomine ſalvatoris audito, Anulinus exarſit, & in filium patrium inſtaurat equuleum. Extentoque Saturnino, Quid, inquit, Saturnine profiteris? Vides ubi poſitus ſis. Habes aliquas ſcripturas? Reſpondit: Chriſtianus ſum. Proconſul verò ait: Ego quaero an conveneris, & an ſcripturas habeas. Reſpondit: Chriſtianus ſum. Aliud non eſt nomen quod poſt Chriſtum oporteat nos ſanctum obſervare. Qua confeſſione diabolus inflammatus, Quoniam permanes, inquit, in obſtinatione tua, etiam te oportet tormentis affici. Dic an aliquas ſcripturas habeas. Et ad officium dixit: Vexa illum. Ibant in adoleſcentis latera paternis vulneribus laſſati tortores, & adhuc humectantem in ungulis patrium ſanguinem cognato filii cruori miſcebant. Videres per hiantium vulnerum ſulcos de lateribus antea genitoris ſanguinem fluere, & cruorem filii paterno permixtum unguiis rotantibus emanare. At juvenis gemini ſanguinis admixtione recreatus, modelam potiùs quam tormenta ſentiebat, & recepta in tormentis fortitudine, fortiſſimis vocibus exclamabat: Scripturas dominicas habeo, ſed in corde meo. Rogo Chriſte, da ſufferentiam. Spes eſt vitae. Anulinus inquit: Quare contra praeceptum faciebas? Reſpondit: Quia Chriſtianus ſum. Quo audito, Parce, inquit. Et ſtatim ceſſante tormento, in patrium conſortium relegatur.

XIII. Interea meſceat in noctem horis labentibus dies, & contumpeis cum ſole tormentis, defecit atra tortorum rabies, & cum ſui judicis crudelitate languebat. Sed legiones dominicae, in quibus Chriſtus, perpetuum lumen, armorum caeleſtium coruſco ſplendore fulgebat, fortiùs atque conſtantiùs

in

in certamina prosiliebant. Cùm vero adversarius Domini tot martyrum praeliis gloriosissimis victus, tantisque ac talibus congressionibus superatus, desertus à die, comprehensus à nocte, deficiente jam carnificum rabie, profligaturus cum singulis congredi ulteriùs non valeret, totius exercitus Domini animos percontatur, devotasque sanctorum mentes tali interrogatione propulsat. Vidistis, inquit, eos qui perseveraverunt, quid sustinuerunt, vel quid in sua confessione perstantes adhuc habeant sustinere. Et ideo qui vult ex vobis ad indulgentiam pervenire, ut salvus esse possit, profiteatur. Ad haec confessores Domini, gloriosi martyres Christi, laeti ac triumphantes simul, non ex Proconsulis dictis, sed ex victoria passionis Spiritu sancto ferventes, fortiùs clariùsque tamquam ex uno ore dixerunt; Christiani sumus. Qua voce prostratus est diabolus; & concussus Anulinus confususque, omnes sanctos in carcerem trudens, illos martyrio destinavit.

XIV. Et ne devotissimus feminarum sexus florentissimusque sacrarum virginum chorus certaminis tanti gloria privaretur, omnes feminae, Christo Domino auxiliante, in Victoria congressae sunt & coronatae. Etenim Victoria sanctissima feminarum, flos virginum, decus & dignitas confessorum, honesta natalibus, religione sanctissima, moribus temperata, in qua naturae bonum candida pudicitia relucebat, respondebatque pulchritudini corporis fides pulchrior mentis & integritas sanctitatis, ad secundam palmam restitutam se in Domini martyrio laetabatur. Huic namque ab infantia jam clara pudicitiae signa fulgebant, & rudibus adhuc annis, apparebat rigor castissimus mentis & quaedam dignitas futurae passionis. Denique postquam plena virginitas ultimum aetatis tempus explevit, cùm puella nolens & reluctans in nuptias à parentibus cogeretur, invitamque tradere sponso praedo suggereret, clam se per praeceps puella dimittit, aurisque famulantibus supportata, incolumis gremio terrae suscipitur. Neque fuerat postmodum pro Christo Domino passura, si pro sola tunc pudicitia moreretur. Liberata igitur nuptialibus taedis, illusoque simul cum parentibus sponso, media penè de ipsa nuptiarum frequentia prosiliens, ad aedem pudicitiae portumque pudoris Ecclesiam intacta virgo confugit, ibique consecrati Deo dicarique capitis in perpetuam virginitatem sacratissimum crinem inconcusso pudore servavit. Haec ergo ad martyrium properans, florentem pudicitiae palmam triumphali dextera praeferebat. Namque interroganti Proconsuli quid profiteretur, clara voce respondit: Christiana sum. Et cùm à Fortunatiano fratre togato ejusque defensore vanis argumentationibus mente capta esse diceretur, Victoria respondit: Mens mea est, inquit, nunquam mutata sum. Ad haec Proconsul, Vis, inquit, ire cum Fortunatiano fratre tuo? Respondit: Nolo, quia Christiana sum, & illi sunt fratres mei qui Dei praecepta custodiunt. O puellam divinae legis auctoritate fundatam. O virginem gloriosam aeterno Regi meritò consecratam. O beatissimam martyrem evangelica professione clarissimam, quae dominica voce respondit: Hi sunt fratres mei qui Dei praecepta custodiunt. Quibus auditis, Anulinus deposita judicis auctoritate, ad persuasionem puellae descendit. Consule tibi, inquit. Vides enim fratrem tuum providere cupientem saluti tuae. Cui martyr Christi: Mens mea est, inquit; nunquam mutata sum. Nam & in collecta fui, & dominicum cum fratribus celebravi, quia Christiana sum. Mox cùm haec Anulinus audisset, furiis agitatus exarsit, & puellam sacratissimam martyrem Christi in carcerem unà cum ceteris relegans, passioni omnes reservavit.

XV. Sed Hilarianus adhuc supererat, unus de natis Presbyteri martyris Saturnini, qui aetatem suam parvulam ingenti devotione vincebat. Hic patris fratrumque triumphis approperans jungi, diras tyranni minas non tam exhorruit quàm in nihilum duxit. Huic cùm diceretur, Patrem tuum aut fratres tuos secutus es? subito brevi de corpore vox juvenilis auditur, & angustum pueri pectus ad confessionem Domini totum aperitur in voce respondentis: Christianus sum, & mea sponte atque voluntate cum patre meo & cum fratribus meis feci collectam. Audiebas patris Saturnini martyris vocem per dulcis filij meatus exire & confitentem Christum Dominum linguam de fratris exemplo secuturam. Sed Proconsul stultus, non intelligens contra se non homines sed Deum in martyribus dimicare, nec quia in puerilibus annis ingentes animos sentiebat, putabat puerum tormentis infantiae posse terreri. Denique amputabo, inquit, & comam tibi & nasum & auriculas, & sic te dimitto. Ad haec Hilarianus puer, patris fratrumque virtutibus gloriosus, qui jam didicerat à majoribus suis tormenta contemnere, clara voce respondit: Quicquid facere volueris, fac, quia Christianus sum. Mox in carcerem recipi etiam ipse jubetur; ingentique cum gaudio vox Hilariani auditur dicentis: Deo gratias. Hic certaminis magni pugna perficitur, hic diabolus superatur & vincitur, hic martyres Christi de passionis futurae gloria aeterna congratulatione laetantur.

XVI. Verùm quoniam nos, ut suprà diximus, schismatis tempus admonuit confessionibus tantis ac talibus martyrum decreta conjungere constitutionesque sanctissimas amicorum Dei gestis superioribus catenare, necessario breviter cuncta quae martyres in carcere ex auctoritate legis divinae sanxerunt, servandaque posteris reliquerunt, discurram, nec lapsorum superbiam atque audaciam traditorum in hac ipsa mea festinatione praeteream. Coëgit enim me transcendere nihil gestorum fides, amor legis, Ecclesiae status, salus publica, vita communis. His enim de rebus Ecclesia catholica quae sit poterit recognosci, si labes pestifera traditorum nefandis actibus suis sententiaque martyrum, omnibus seculis declaretur. Postquam igitur supradictos martyres Christi exoptatus carcer recepit, confessores qui priores illic detruti fuerant, victricibus palmis triumphales dexteras venientibus adjungebant. Veniebant praeterea ad eundem locum & ex diversis provinciae partibus alij quoque quamplurimi confessores; inter quos erant Episcopi, Presbyteri, Diaconi, ceterique Clerici, qui legem Domini asserentes, collectam dominicumque constanter & fortiter celebrabant, quique scripturas dominicas divinaque testamenta de flamma atque de incendio conservantes, seipsos diris ignibus cruciatibusque diversis, Machabaeico more, pro divinis legibus obtulerunt.

XVII. Ea igitur tempestate, cùm horridus carcer crassaeque tenebrae intra se clausos retinerent testes fidelissimos Dei, & ingentia catenarum pondera devota membra vincirent, cùm debilitaret fames, fatigaret sitis, frigus quateret, turba comprimeret, latera ipsa recenti ungularum laceratione disrupta fervèrent, inter catenas & ferrum instrumentaque tormentorum ex auctoritate legis divinae, quod sibimet posterisque martyribus conservarent, celebrantes Concilium, caelestia decreta condebant. Verè enim vivus ille spiritus sanctus confessorum mentes aeternis aspirando & divinis colloquiis exercebat. Sed post crudelem tempestatem ac persecutionis horribiles minas, quibus Christianam religionem tyrannica rabies infestaverat, quo iterum purior ac serenior Christiani nominis pax aeterna lucesceret, nec defuit traditorum omnium callidissima fraus conspiratioque pestiferorum naufragorum diabolica arte composita, quae sub pretextu religionis religionem impugnaret, fidem everteret, legem divinaque jura turbaret, maximè cùm etiam Mensurius Carthaginensis quondam Episcopus recenti scripturarum traditione pollutus, sceleris sui amentiam pejore coepisset ferocia publicare: quippe qui combustorum veniam librorum à martyribus poscere atque implorare debuerat, ut delicta sua majoribus flagitiis cumularet, eo animo saeviebat in martyres quo divinas tradiderat leges. Etenim hic tyranno saevior, carnifice crudelior, idoneum sceleris sui ministrum Diaconum suum elegit Caecilianum; idemque lora & flagra cum armatis ante

fores carceris ponit, ut ab ingressu atque aditu cunctos qui victum potumque in carcerem martyribus afferebant, gravi affectos injuria propulsaret. Et caedebantur a Caeciliano passim qui ad alendos martyres veniebant, sitientibus intus in vinculis confessoribus pocula frangebantur ante carceris limina, cibi passim lacerandi canibus spargebantur, jacebant ante carceris fores martyrum patres matresque sanctissimae, & ab extremo conspectu liberorum excussi, graves nocte dieque vigilias ad ostium carceris exercebant. Erat fletus horribilis & acerba nimium qui aderant lamentatio, prohibere pios martyrum complexus, & divelli à pietatis officio Christianos, Caeciliano saeviente tyranno & crudeli carnifice.

XVIII. Interea martyres Christi non carceris squalor, non viscerum dolor, non denique ulla rerum penuria commovebat, sed meritis jam Domino & confessione vicini direxerunt in posteros salutem, quae communem Christiani nominis progeniem ab omni recidiva communione traditorum secerneret, tali sub comminatione: *Si quis traditoribus communicaverit, nobiscum partem in regnis caelestibus non habebit*. Et hanc sententiam suam sancti spiritus auctoritate conscriptam tali comparatione firmabant. *Scriptum est*, inquiunt, *in Apocalypsi, Quicumque adjecerit ad librum istum apicem unum aut litteram unam, adiciat illi Deus innumerabiles plagas; & quicumque deleverit, deleat partem ejus Dominus de libro vitae. Si ergo additus apex unus, aut littera una dempta de libro sancto radicitus amputat, & sacrilegum facit, & subvertit auctorem, necesse est omnes eos qui testamenta divina legesque venerandas omnipotentis Dei & Domini nostri Jesu Christi prophanis ignibus tradiderunt exurendas, aeternis gehennae ardoribus atque inextinguibili igne torqueri. Et ideo, ut suprà diximus, si quis traditoribus communicaverit, nobiscum partem in regnis caelestibus non habebit*. Haec communicantes singuli ad passionis gloriam festinabant, supremaque testatione unusquisque martyrum cruore proprio consignabat. Exinde Ecclesia sancta sequitur martyres, & detestatur execratae perfidiae traditores.

XIX. Igitur cum haec ita sint, quisnam est divini juris perita pollens, fide praeditus, devotione praeclarus, religione sanctus, qui judicis Dei memor veritatem ab errore discernat, a fide perfidiam disjungat, simulationemque fictam à certa & integra sanctitate secludat, separet à stante lapsum, ab integro vulneratum, à justo reum, ab innocente damnatum, à custode legis proditorem, à confessore Christi nominis negatorem, à martyre Domini persecutorem, & unum atque idem esse existimet & Ecclesiam martyrum & conventicula traditorum? Nemo scilicet, quoniam haec inter se ita repugnant contrariaque sibi sunt ut lux tenebris, vita morti, sanctus angelus diabolo, Christus Antichristo, Paulo
2. Cor. 6 Apostolo dicente: *Quasi filiis dico, dilatamini & vos, & nolite conjungi cum infidelibus. Quae est enim participatio justitiae ad iniquitatem, aut quae communicatio luminis ad tenebras, quae particula est fideli cum infideli, quae est autem conventio templi Dei cum simulacris? Vos autem templum Dei vivi estis. Dicit enim: Quia inhabitabo in eis & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Propter quod discedite de medio eorum & separamini, dicit Deus omnipotens & immundum ne tetigeritis & ego recipiam vos, & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens*. Quamobrem fugenda bonis & vitanda est semper religiosis conspiratio traditorum, hypocritarum domus, Pharisaeorumque sententia. Utinam adoptiones filiorum filiarumque Dei in sancta Ecclesia spiritaliter nati dignè succedant, & non alienis facinoribus immersi, pro luce tenebras & pro vita mortem, interitum sibi pro salute acquirant. Talis est enim Ecclesia Domini, quae una semper singularisque contra sese & in partes duas dividi non potest, sed post teterrimam persecutionis noctem turbinesque pestiferos tyrannorum, ad deceptionem innocentium praedamque populorum diabolus versutia callidissimae fraudis adinvenit; ut quos aperta persecutionis clade transvorare non valuit, nec in sacrilego seculo idolorum servitio mancipandos delictorum nexibus in perpetuam perniciem potuit retinere, eos pollutis traditionibus jungens sibi, sub praetexto sanctissimae religionis extinguat. Denique illi falsi sacrorum ritus fictaque mysteria non tam in salutem quàm in perniciem miserorum celebrantur, cum erigit altare sacrilegus, celebrat sacramenta prophanus, baptizat reus, curat vulneratus, veneratur martyres persecutor, legit evangelia traditor, hereditatem caeli promittit divinorum testamentorum exustor, quos Dominus increpat & objurgat in evangelio dicens: *Vae vobis Scribae & Pharisaei hypocri-* Matth. 23.
tae, qui circuitis mare & aridam facere unum proselytum, & cùm factus fuerit, facitis eum filium gehennae dupliciter plus quàm estis vos. Et propheta polluta eorum sacrificia respuens ait: *Sacrificia eo-* Ose. 9.
rum tamquam pannus illotus. Omnis qui tetigerit illum, inquinabitur. Sed & per Aggaeum clarissimum Agg. 2.
Prophetarum, *Interroga*, inquit Dominus, *sacerdotes legem. Si acceperit homo carnem sanctam in summo vestimenti sui, & tetigerit summitas vestimenti ejus aliquam partem panis, vini, aut olei, si sanctificabitur? & dixerunt sacerdotes: Non. Et dixit Aggaeus: Si tetigerit inquinatus in anima horum aliquid, si inquinabitur? Et dixerunt sacerdotes: Inquinabitur. Et dixit Aggaeus: Sic & populus hic, & gens haec coram me, dicit Dominus, & omnis quicumque accesserit illic, inquinabitur*.

XX. Fugienda est ergo & execranda pollutorum omnium congregatio vitiosa, & appetenda omnibus beatissimorum martyrum successio gloriosa, quae est Ecclesia sancta, una & vera catholica, ex qua martyres processi sunt, & à quibus divina testamenta servata sunt. Haec etenim sola persecutionis infestae impetum fregit, haec legem Domini usque ad effusionem sanguinis conservavit: in hac virtutes populi sancti spiritus praesentia frequentantur, baptisma à Salvatore perficitur, vita perpetua reparatur. Semper enim illis propitius Deus adest, Dominus Christus collaetatur, & gaudet spiritus sanctus, in confessoribus victor, in martyribus triumphator. Postremo cum nec Mensurius nec minister ejus Caecilianus ab hac immani crudelitate cessare vellent, Anulino Proconsule aliisque persecutoribus interim circa alia negotia occupatis, beati martyres isti, corporeis alimentis destituti, paulatim & per intervalla dierum naturali conditioni, famis atrocitate cogente, cesserunt, & ad siderea regna cum palma martyrij migraverunt, praestante Domino nostro Jesu, qui cum patre regnat in secula seculorum. Amen.

INCIPIT PASSIO SANCTI FELICIS
Episcopi Tubyzacensis, qui propter legem Domini decollatus est XVIII. Kalendas Februarij.

IN diebus illis, Diocletiano octies & Maximiano Anno Christi 304.
septies Consulibus Augustis, exivit edictum eorundem Caesarum vel Imperatorum super omnem faciem terrae, & propositum est per colonias & civitates principibus & magistratibus, suo cuique loco, ut libros deificos extorquerent de manibus Episcoporum & Presbyterorum. Tunc programma positum est in civitate Tubyzacense die Nonarum Januariarum. Tunc Magnilianus Curator ipsius civitatis jussit ad se perduci Presbyteros, quia Felix Episcopus Carthaginem erat profectus, Januarium Presbyterum, Fortunatium & Septiminum lectores jussit ad se perduci. Quibus Magnilianus Curator dixit: Episcopum habetis? Januarius Presbyter respondit: Habemus. Magnilianus Curator dixit: Ubi est? Januarius Presbyter respondit: Nescio. Magnilianus dixit: Libros deificos habetis? Januarius respondit: Habemus. Magni-

gnilianus dixit: Date illos igni aduri. Januarius Presbyter, Fortunatius & Septiminus lectores dixerunt: Epiſcopus noſter apud ſe illos habet. Magnilianus Curator dixit: Eritis ergo ſub officio donec Anulino Proconſuli rationem reddatis. Poſtera autem die Felix Epiſcopus à Carthagine venit Tubyza. Cùmque ejus adventum Magnilianus comperiſſet, ſtatim eum ſibi per officium praeſentari conſtituit. Qui cum dicto citiùs adveniſſet, Magnilianus Curator dixit ad eum: Tu es Felix Epiſcopus hujus civitatis? Felix Epiſcopus dixit: Ego. Magnilianus Curator dixit: Da libros vel membranas qualeſcunque penes te habes. Felix Epiſcopus dixit: Habeo; ſed non trado legem Domini Dei mei, quem ego colo. Magnilianus dixit: Ergo major eſt Deus tuus à diis noſtris? Felix Epiſcopus dixit: Grandis & metuendus eſt Deus noſter, qui fecit caelum & terram, mare, & omnia quae in eis ſunt. Nam dij veſtri lapides ſunt, manu hominum facti, de quibus ſcriptum eſt:
Psal. 113. *Oculos habent & non videbunt, aures habent & non audient, os habent & non loquentur. Similes illis fiant qui faciunt ea & omnes qui confidunt in eis.* Magnilianus Curator dixit: Primum eſt quod Imperatores juſſerunt, quia nihil eſt quod loqueris. Quapropter trade libros omnes quos habes, ut poſſint, ſicut conſtitutum eſt, igni aduri. Felix Epiſcopus dixit: Melius eſt ut corpus meum tradam igni quàm ſcripturae dominicae per me videantur aduri: quia bonum eſt Deo obedire perpetuo Regi & immortali quàm Imperatori hujus ſeculi iniqua jubenti. Magnilianus dixit: Iam dixi tibi quia primum eſt quod Imperatores juſſerunt quàm ea quae loqueris. Felix Epiſcopus dixit; Primum eſt praeceptum Dei cuſtodire quàm hominibus obedire. Magnilianus Curator dixit: Interim inter hoc triduum recogita tecum; quia ſi in hac propria civitate ea quae praecepta ſunt implere neglexeris, ad Proconſulem ibis, & ea quae nunc loqueris, apud ejus acta proſequeris. Poſt diem autem tertium Magnilianus Curator juſſit ſibi ſanctum Felicem Epiſcopum praeſentari. Ad quem cum Felix Epiſcopus fuiſſet adductus, idem Magnilianus dixit: Deliberaſti tecum quidnam melioris conſilij videaris aſſequi? Felix dixit: Sermo meus unus eſt. In quo coepit, in hoc etiam Deo praeſule finiet. Quae enim primo loquutus ſum, haec & nunc eadem loquor, & ante Proconſulem aliud penitùs non ſum dicturus. Magnilianus Curator dixit: Ibis ergo jam nunc ad Proconſulem, & ibi redditurus es in examine rationem. Tunc viros ſuos bis allocutus eſt verbis: Quoniam Felix Epiſcopus juxta Imperatorum decreta ea quae nobis mandare dignati ſunt facere nullo modo maturavit, vobis comitantibus Carthaginem perducatur. Felix Epiſcopus dixit: Deo gratias. Tunc deſignatus eſt illi ductor Vincentius nomine Decurio civitatis Tubyzacenſis. Profectus eſt autem Felix Epiſcopus Carthaginem. Ubi cum veniſſent, oblatus eſt Legato Proconſulis. Cui idem Legatus dixit: Quare ſcripturas non tradis ſupervacuas? Felix Epiſcopus dixit: Habeo quidem, ſed non do. Scripturae quae à nobis habentur, ſupervacuae non ſunt, nec tradi à nobis ullo modo poſſunt. Tunc juſſit eum Legatus in ima carceris mitti. Ubi cùm Felix Epiſcopus fuiſſet ingreſſus, Dominum Deum ſuum deprecatus eſt dicens: Domine Deus, omnium creator & conditor, Domine Ieſu Chriſte, ne me derelinquas, quia propter te & propter teſtamentum tuum haec patior. Miſerere mei, & recipe ſpiritum meum, & dereinque in hoc ſeculo corpus mortale, ut à te, Domine, ſicut promittere dignatus es, tecum merear ſuſcipere immortale. In te enim ſemper Domine vivens, nunquam adversùs me habebit mors poteſtatem. Poſt dies autem ſedecim, hora noctis quarta, de carcere productus Felix Epiſcopus Anulini Proconſulis ilico eſt praeſentatus aſpectibus. Cui Anulinus Proconſul dixit: Quod tibi nomen eſt? Felix Epiſcopus dixit: Chriſtianus ſum. Anulinus Proconſul dixit: Non te de vocabulo quaeſivi profeſſionis, ſed percunctatus ſum quo nomine nuncuperis. Felix Epiſcopus dixit: Sicut tibi jam dixi, hoc nunc & iterum dico, quia Chriſtianus ſum & Epiſcopus. Tunc iratus Anulinus Proconſul quod ei nomen ſuum dicere noluiſſet, ait illi: Habes ſcripturas ſupervacuas? Felix Epiſcopus dixit: Habeo ſcripturas; ſed non ſunt, ut aſſeris, ſupervacuae: quas cognoſce à me nequaquam eſſe tradendas. Tunc Anulinus Proconſul tranſmiſit eum Romae ad Praefectum praetorij. Cùmque Felix Epiſcopus ibidem adveniſſet, & eidem Praefecto oblatus fuiſſet, juſſit eum in carcere recipi & majoribus vinculis alligari. Poſt dies autem duodecim juſſit eum Praefectus praetorij poſt Imperatores navigare. Tunc Felix Epiſcopus navem conſcendit catenarum duris nexibus colligatus, & fuit in ſubſanio navis quatuor diebus & quatuor noctibus jacens ſub pedibus equorum, panem non comedens, nec aquae quippiam bibens. Iejunus autem venit Nolam. Tunc Cognitor ejuſdem civitatis venientem Felicem Epiſcopum ſibi praeſentari conſtituit vinculis gravioribus innodatum. Cui idem Cognitor ſic ait: Felix, quomodo huc veniſti? Felix Epiſcopus dixit: Quomodo Deus voluit. Cognitor dixit: Si in tua propria civitate vel apud Carthaginem ſcripturas deificas tradidiſſes, ad me huc uſque minime adveniſſes. Felix Epiſcopus dixit: Habeo quidem ſcripturas divinas; ſed, ſicut diverſis inquirentibus me reſpondiſſe non neſcis, hoc etiam tibi praeſens modo certiſſimè manifeſto, quia eas nullo modo trado. Cognitor dixit: Si ſcripturas deificas tradere nolueris, capite plecteris. Felix Epiſcopus dixit: Plus paratus ſum plecti capite quam libros dominicos ſacrilegio tradere. Tunc memoratus Cognitor juſſit ut ſacra Imperatorum recitarentur. Cumque à Vincentio ſcriba quae conſtituta fuerant legerentur, Cognitor dixit: Quoniam iſte homo tantum in eadem confeſſione duravit, ſecundùm praeceptum hunc eundem Felicem Epiſcopum gladio animadverti conſtituo. Felix Epiſcopus elevans oculos ad caelum dixit: Deus: gratias tibi ago, qui per quinquaginta & ſex annos in iſto ſeculo virginitatem meam in me cuſtodire dignatus es. Domine Deus Caeli & terrae, Domini noſtri Ieſu Chriſti pater, propter te & propter legem tuam & pro timore tuo hoc patior, & cervicem meam flecto ad victimam. Accipe ſpiritum meum de hoc mortali ſeculo. Solus enim es Deus vivens atque invictus & permanens glorioſus in ſempiterna ſecula ſeculorum. Amen. Completa hac oratione, ductus à militibus, ibidem, id eſt, in Nola, decollatus eſt die octavo decimo Kalendas Februarij; ibique in Nola corpus ejus poſitum eſt, & reliquiae ejus ad almam Carthaginem per religioſos Dei ſervos & matris Eccleſiae filios perlatae ſunt & poſitae in via quae dicitur Scillitanorum. In eodem autem venerabili loco multa mirabilia fiunt, & languores univerſi curantur in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui eſt cum Deo patre honor & laus & gloria in Spiritu ſancto per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

GESTA PVRGATIONIS FELICIS EPISCOPI Aptungitani, qui ordinavit Caecilianum Epiſcopum Carthaginenſem, habita Carthagini apud Ælianum Proconſulem Africae Voluſiano & Anniano Conſſ.

Deſunt plurima

in municipio Autumnitanorum Gallienus Duumvir dixit: Quoniam praeſens es, Caeciliane, audi litteras Domini mei Ælij Paulini viri ſpectabilis agentis vicariam praefecturam, quid jubere ſit dignatus ſecundum epiſtolam ad nos datam, quae declarare te compellit & ſcribam quem habuiſti tunc temporis adminiſtrationis tuae & tabularium. Sed quoniam tabularius ejus temporis vita functus eſt, & omnes actus adminiſtrationis tuae ſecundum fidem litterarum ejuſdem mei Domini tecum perferre debebis, & ad coloniam Carthaginienſem cum ſcriba tuo profici-

ficisci necesse est. Praesens est Curator, sub cujus praesentiam vos compellimus. Quid ad hoc respondes? Caecilianus dixit: Mox ad me epistolam Ælij Paulini viri spectabilis agentis vicariam praefecturam pertulistis, statim ad scribam Miccium misi ut veniret & acta ipsius temporis confecta mihi obtulisset, & usque adhuc inquirit, quoniam non modicum tempus est ex quo duumviratum administravi. anni sunt undecim. Itaque cùm invenerit, parebo tanto praecepto. Gallienus Duumvir dixit: Tua interest jussioni parere. Vides enim jussionem esse sacram. Caecilianus dixit: Devotus sum tanto praecepto. Item cum paulò pòst scriba Miccius supervenisset, Fuscius Duumvir dixit: Audisti & tu Micci, quod & tu unà cum Caeciliano necessarius es ire ad officium viri spectabilis Vicarij, instructionem ejus temporis ut vobiscum perferatis. Ad haec quid dicis? Miccius respondit: Magistratus suppleto anno omnes actus suos domum suam tulit. si mei in cera possint inveniri inquiro. Et cùm quaereret, Quintus Sisenna Duumvir dixit: Quod cognovit officium respondit. Apronianus dixit: Si omnes actus suos tulerat magistratus, unde acta quae tunc emissa erant, vel confecta tanto tempore? Et cum diceret, Ælianus Proconsul dixit: Et mea interrogatio & singularum personarum responsio actis continetur. Agesilaus dixit: Sunt praeterea & aliae epistolae huic rei necessariae. Interest ut legantur. Ælianus Proconsul dixit: Lege Caeciliano audiente, ut agnoscat an ipse dictaverit. Agesilaus recitavit. Volusiano & Anniano Consulibus, XIIII. Kalendas Septembris, in jure apud Aurelium Didymum Speretium sacerdotem Jovis optimi maximi Duumvirum splendidae coloniae Carthaginiensium Maximus dixit: Loquor nomine seniorum Christiani populi catholicae legis. Apud maximos Imperatores causa agenda erit contra Caecilianum & Felicem, qui principatum ejusdem legis omnia conatur invadere. Contra ipsos documenta criminum ejus conquiruntur. Nam cum persecutio esset indicta Christianis, id est, ut sacrificarent, aut quascunque scripturas haberent, incendio traderent, Felix, qui tunc Episcopus fuit autumnos, consensum adtulerat ut de manu Galatij scripturae traderentur, ut igni concremari possent; & erat tunc temporis magistratus Alfius Caecilianus, quem praesentem videre dignaris. Et quoniam ejus temporis officium incumbebat ut ex jussione proconsulari omnes sacrificarent, & si quas scripturas haberent, offerrent secundum sacram legem, quaeso secundum senis est, & senem vides, & non potest ad comitatum sacrum pergere, apud acta deponat utrumne jam de pactione secundum ab eodem habita litteras dederit, & utrum ea quae in litteris contulerit, vera sint; ut horum actus & fides in judicio sacro detegi possit. Adstanti Caeciliano Speretius Duumvir dixit: Audis quae apud acta sint deposita? Alfius Caecilianus dixit: Zamae eram propter lineas comparandas cum Saturnino. Et cum veniremus illò, mittunt ad me in praetorio ipsi Christiani ut dicerent: Sacrum praeceptum ad te pervenit? Ego dixi: Non, sed vidi jam exempla. Et Zama & Furnis dirui basilicas & uri scripturas vidi. Itaque proferte si quas scripturas habetis, ut jussioni sacrae pareatur. Tunc mittunt in domum Episcopi Felicis, ut tollerent inde scripturas, ut exuri possent secundum sacrum praeceptum. Sic Galatius nobiscum perrexit ad locum ubi orationes celebrare consueti fuerant. Inde cathedram tulimus & epistolas salutatorias, & ostia omnia combusta sunt secundùm sacrum praeceptum. Et cum ad domum ejusdem Felicis Episcopi mitteremus, renuntiaverunt officiales publici illum absentem esse. Nam cum posteriori tempore adveniret Ingentius scriba Augentij, cum quo aedilitatem administravi, dictavi epistolam eidem collegae quam feci ad eundem Episcopum Felicem. Maximus dixit: Praesens est. Eadem epistola ei offeratur, ut eandem recognoscat. Respondit: Ipsa est. Maximus dixit: Quoniam recognovit epistolam suam, hanc lego, & oro plena actis inseratur. Et recitavit. *Caecilianus parenti Felici salutem. Cùm Ingentius collegam meum Augentium amicum suum conveniret, & inquisisset anno duoviratus mei an aliquae scripturae legis vestrae secundùm sacram legem adustae sint.* * *quam Galatius unus ex lege vestra publicè epistolas salutatorias de basilica protulerit. Opto te bene valere.* Hoc signum, quod deprecatorium ad me miserant Christiani, & ipse cujus est praetorium. & dixisti: Tolle clavem, & quos inveneris in cathedra libros & super lapide codices, tolle illos. Sanè vide officiales ne tollant oleum & triticum. Et ego dixi tibi: Tu nescis quia ubi scripturae inveniuntur, ipsa domus diruitur? Et dixisti: Quid ergo faciemus? Et dixi ego vobis: Tollat aliquis de vestris in area ubi orationes facitis, & illic ponantur. Et ego venio cum officiales, & tollo. Et nos illo venimus, & omnia tulimus secundùm sacrum praeceptum. Maximus dixit: Quoniam ejus epistolae lectio apud acta recitata est, quam ipse agnovit se misisse, quae dixit quaesumus actis haereant. Speretius Duumvir dixit: Quae dixit scripta sunt. Agesilaus dixit: Ad praesente epistolam recognovit; residuam partem, quam nunc legit, falsam esse dicit. Caecilianus dixit: Domine, usque ad hoc dictavi usquequo habet: *Opto te, parens carissime, bene valere.* Apronianus dixit: Semper sic falsum per terrorem, per scenam, per irreligiosam mentem actum est ab his qui catholicae Ecclesiae consentire noluerunt. Nam Paulino hic administrante vices Praefectorum, subornatus est quidam privatus homo, qui modum cursoris haberet, qui ad catholicae unitatem veniret, atque eos induceret & terreret. Detecta igitur factio est. Nam componebatur Felici religiosissimo Episcopo per mendacium ut videretur scripturas prodidisse & exussisse. Ingentius quidem, cùm hoc totum, quicquid agebat, obesset sanctitati & religioni Caeciliani, subornatus est ut veniret cum litteris velut Felicis Episcopi ad Caecilianum Duumvirum, & ei confingeret à Felice se esse mandatum. Dicat ipsa verba quibus hoc est confictum. Ælianus Proconsul dixit: Dic. Apronianus dixit: Dic, inquit, Caeciliano amico meo quod codices accepi pretiosos deificos XI. quiaque me nunc convenit ut illos restituam, dic quod anno magistratus tui eos exusseris, ne reddam illos. Qua de re igitur de Ingentio quaerendum est, quatenus haec machinata sint ac fabricata, & quatenus voluerit circumscribere magistrum ad mendacium, ut Felicem aspergeret infamia, dicat à quo missus sit verumtamen machinationem istam in conscientiam Felicis, quo Caeciliani pudori & initio derogaret. Est enim quidam qui per Mauritaniam & Numidiam legatus missus sit ex diversa parte. Et adstante Ingentio, Ælianus Proconsul dixit: Cujus praecepto ea suscepisti agenda quae tibi obiciuntur? Ingentius dixit: Vbi? Ælianus Proconsul dixit: Quoniam fingis te non intelligere quod interrogaris, dicam apertiùs. Quis te ad magistratum Caecilianum misit? Ingentius dixit: Nemo me misit. Ælianus Proconsul dixit: Quomodo ergo venisti ad magistratum Caecilianum? Ingentius dixit: Cùm venissemus, & ageretur causa Mauri ab Vtica Episcopi, qui episcopatum sibi redemit, ad urbem ascendit Autumnitanus Episcopus Felix ut tractaret, & dixit: Nemo communicet, quia falsum admisit. Et dixi illi ego è contrà: Nec tibi, nec illi, qui traditor es. Dolui enim causam Mauri hospitis mei, quia communicaveram cum illo in peregrè, quia evasi persecutionem. Exinde ibi in patria ipsius Felicis, duxi mecum tres seniores, ut viderent an verum tradidisset, an non. Apronianus dixit: Non ita venit ad Caecilianum quaerere de Caeciliano. Ælianus Proconsul Caeciliano dixit: Quomodo ad te venit Ingentius? Caecilianus respondit: Domi ad me venit. prandebam cum operarijs. venit illac. stetit in janua. Caecilianus ubi est, dixit. Respondi: Hic. Ego dico ei: Quid est? Omnia rectè? Omnia, dicit. Respondi illi: Si non fallidis prandere, veni, prande. Dicit mi-

mihi: Revertor huc. Venit illuc solus, Dicere mihi cœpit ecce sic mihi curare & inquirere an adusta fuerit scriptura anno duoviratus mei. Dico illi ego: Molestus es mihi, tu homo immissus es: laxa hinc te à me. Et sprevi illum à me. Et venit illo iterato cum collega meo, cum quo fui Ædilis. Ait mihi collega meus: Felix noster Episcopus misit hunc hominem ut facias illi litteras quia accepit codices pretiosos, & noluit revocare illos. scribas illo quod anno duoviratus tui combusti sunt. Et dixi ego: Haec est fides Christianorum; Ingentius dixit: Domine, veniat & Augentius. Et ego honorificus sum, & honor meus pereat, & hujus latera habemus. Ælianus Proconsul Ingentio dixit: Revinceris alio titulo. Ælianus Proconsul dixi ad officium: Apta illum. Cùmque aptaretur, Ælianus Proconsul dixit: Suspendatur. Cumque suspenderetur, Ælianus Proconsul Caeciliano dixit: Quomodo ad te Ingentius venit? Respondit: Misit huc me Felix, dixit, noster, ut scribas illo quia est unus perditus, nescio qui, habens penes me codices pretiosissimos, & nolo illos restituere. Itaque fac litteras quia adusti sunt, ne revocem illos. Et ego dixi: Christiani fides haec est? Et cœpi illum corripere. Et ait collega meus: Scribe illo Felici nostro. Et sic ego epistolam dictavi, quae paret usquequo dictavi. Ælianus Proconsul dixit: Audi sine metu recitationem epistolae tuae. Recognosce quousque dictaveris. Agesilaus recitavit. *Opto te, parens carissime, multos annos bene valere*. Ælianus Proconsul Caeciliano dixit: Hucusque dictasti? Respondit: Hucusque. reliquum falsum est. Agesilaus recitavit. Hoc signo quod de praetorium ad me misisti nisi ego & tu & cujus est praetorium. & dixit: Tolle clavem, & quos invenies in cathedra libros & super lapide codices, tolle illos. Sanè vide officiales ne tollant oleum & triticum. Et ego dixi: To nescis quia ubi scripturae inveniuntur, & ipsa domus diruitur? Et dixisti: Quid ergo faciemus? Et dixi ego vobis: Tollat aliquis de vobis in areis ubi orationes facitis, & illic ponantur. Et ego venio cum officiales, & tollo. Et nos illò venimus, & omnia tulimus secundùm placitum, & adossimus secundùm sacrum praeceptum. Maximus dixit: Quoniam ejus epistolae tenor etiam apud acta recitatus est, quam ipse agnovisse ac misisse dixit, quaesumus hoc actis tuis haereat. Spercius dixit: Quae dixistis scripta sunt. Caecilianus respondit: Cillo est falsum, quousque est epistola mea, quousque dixi: *Bene vale parens carissime*. Ælianus Proconsul dixit: Quem dicis addidisse ad epistolam? Caecilianus dixit: Ingentium. Ælianus Proconsul dixit: Professio tua actis haeret. Ælianus Proconsul Ingentio dixit: Torqueris, ne mentiaris. Ingentius dixit: Erravi, huic epistolae ego addidi, dolens causa Mauri hospitis mei. Ælianus Proconsul dixit: Constantinus Maximus semper Augustus & Licinius Caesares ita pietatem Christianis exhibere dignantur ut disciplinam corrumpi nolint, sed potius observari religionem istam & coli velint. Noli itaque tibi blandiri quod mihi dicas Decurionem te esse, ac propterea non possis torqueri. Torqueris, ne mentiaris, quod alienum Christianis esse videtur. Et ideo dic simpliciter, ne torquearis. Ingentius dixit: Jam confessus sum sine tormento. Apronianus dixit: Dignare de eo quaerere qua auctoritate, quo dolo, qua insania circuierit Mauritanias omnes, Numidias etiam, qua ratione seditionem commoverit catholicae Ecclesiae. Ælianus Proconsul dixit: Ad Numidias fuisti? Respondit: Non, Domine. sit qui probet. Ælianus Proconsul dixit: Nec in Mauritania? Respondit: Negotiari illo fui. Apronianus dixit: Et in hoc mentitur, Domine, (nam ad Mauritaniae situm nonnisi per Numidias pergitur) quatenus dicit se in Mauritania fuisse, non fuisse in Numidia. Ælianus Proconsul Ingentio dixit: Cujus conditionis es? Ingentius respondit: Decurio sum Ziquensium. Ælianus Proconsul ad officium dixit: Submitte illum. Quo submisso, Ælianus Proconsul Caeciliano dixit: Falsa dicis quae dixisti. Caecilianus respondit: Non, Domine. Is qui scripsit epistolam, jube veniat. Amicus ipsius est. Ipse dicet quousque dictavi epistolam. Ælianus Proconsul dixit: Quis est ille quem venire desideras? Caecilianus dixit: Augentium, cum quo fui Ædilis. Non possum probare nisi per ipsum Augentium, qui scripsit epistolam, quousque dictavi illi. Ipse dicere potest. Ælianus Proconsul dixit: Constat ergo falsam esse epistolam? Caecilianus respondit: Constat, Domine, non mentior in sanguine meo. Ælianus Proconsul dixit: Cum duumviratum egeris in patria tua, oportet fidem verbis tuis habere. Apronianus dixit: Nec novum est illis hoc facere. Ceterùm & actis addiderunt quod voluerunt. Iam artificium est illis. Ælianus Proconsul dixit: Ex professione Caeciliani, qui acta falsata esse dicit atque epistolae plurima addita, manifestum est qua voluntate haec gesserit Ingentius. Et ideo recipiatur in carcerem. Est enim artiori interrogationi necessarius. Felicem autem religiosum Episcopum liberum esse ab exustione instrumentorum deificorum manifestum est, cùm nemo in eum aliquid probare potuerit quod religiosissimas scripturas tradiderit vel exusserit. Omnium enim interrogatio suprascripta manifestata est, nullas scripturas deificas vel inventas, vel corruptas, vel incensas fuisse. Hoc actis continetur, quod Felix Episcopus religiosus illis temporibus neque praesens fuerit, neque conscientiam accommodaverit, neque tale aliquid fieri jusserit. Agesilaus dixit: De his qui ad potestatem vestram instruendam venerunt quid jubet potestas tua? Ælianus Proconsul dixit: Revertantur ad sedes suas.

Explicit gesta purgationis Felicis Episcopi Autumnitani ordinatoris Caeciliani Carthaginis.

CONSTANTINI IMPERATORI

Epistola ad Probianum Proconsulem Africae.

IMperatores Caesares Flavius Constantinus Maximus & Valerius Licinianus Licinius Probiano Proconsuli Africae. Ælianus praedecessor tuus, merito, dum vir perfectissimus * Verus Vicarius Prae- * Verinus
fectorum tunc per Africam nostram incommoda valetudine teneretur, ejusdem partibus functus, inter cetera etiam id negotium vel invidiam, quae de Caeciliano Episcopo Ecclesiae catholicae videtur esse commota, ad examen suum atque jussionem credidit esse revocandam. Etenim eum jam Superium * Cen- * Saturninum
turionem, & Caecilianum magistratum Aptungitanorum, & Saturninum Excuratorem, & Calibium juniorem ejusdem civitatis Curatorem, atque Solonem servum publicum suprascriptae civitatis praesentes esse fecisset, audientiam praebuit competentem, adeo ut cum Caeciliano fuisset objectum quod à Felice eidem episcopatus videretur esse delatus, cui divinarum scripturarum proditio atque exustio videretur objecta, innocentem de eo Felicem fuisse constiterit. Denique cùm Maximus Ingentium Decurionem Ziquensium civitatis epistolam Caeciliani Exduumviri falsasse contenderet, eundem ipsum Ingentium suspensum actis, quae suberant, pervidimus, & ideo minimè tortum quod se Decurionem Ziquensium civitatis asseveraverit. Vnde volumus ut eundem ipsum Ingentium sub idonea prosecutione ac comitatum meum Constantini Augusti mittas, ut illis qui in praesentiarum agunt, atque diuturnis diebus interpellare non desinunt, audientibus & coram assistentibus apparere & intimari possit frustra eos Caeciliano Episcopo invidiam comparare atque adversus eum violenter insurgere voluisse. Ita enim fiet ut omissis, sicut oportet, ejusmodi contentionibus, populus sine dissensione aliqua religioni propriae cum debita veneratione deserviat.

IN-

***INCIPIUNT GESTA UBI** constat traditorem Silvanum, qui cum ceteris ordinavit Majorinum, cui Donatus successit.*

Anno Christi 310. CONstantino Maximo Augusto & Constantino juniore nobilissimo Caesare Conss. Idibus Decembribus, Sexto Thamugadiensi indueto, & applicito Victore Grammatico, adsistente etiam Nundinario Diacono, Zenophilus vir clarissimus Consularis dixit: Quis vocaris? Respondit: Victor. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Cujus conditionis es? Victor dixit: Professor sum Romanarum litterarum, Grammaticus Latinus. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Cujus dignitatis es? Victor dixit: Patre Decurione Constantiniensium, avo milite. in comitatu militaverat. Nam origo nostra de sanguine Mauro descendit. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Memor fidei & honestatis tuae simpliciter designa quae causa fuerit dissensionis inter Christianos. Victor dixit: Ego dissensionis originem nescio: unus sum de populo Christianorum. Siquidem cum essem apud Carthaginem, Secundus Episcopus cum Carthaginem tandem aliquando venisset, dicuntur invenisse Caecilianum Episcopum nescio quibus non recte constitutum. illi contra alium instituerunt. Inde illic apud Carthaginem coepta dissensio est; & inde originem scire dissensionis plenè non possum, quoniam semper civitas nostra unam Ecclesiam habet, & si habuit dissensionem, nescimus omnio. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Silvano communicas. Victor respondit: Ipsi. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Cur ergo intermisso eo cujus innocentia purgata est? Et adjecit: Adseveratur praeterea te aliud certissimè scire, quod Silvanus traditor sit. de eo confitere. Victor respondit: Hoc nescio. Zenophilus V. C. Consularis Nundinario Diacono dixit: Negat se Victor scire quod Silvanus traditor sit. Nundinarius Diaconus dixit: Scit ipse num tradidit codices. Victor respondit: Fugeram hanc tempestatem; &, si mentior, peream. Cum incursum pateremur repentinae persecutionis, fugivimus in montem Bellonae. Ego sedebam cum Marte Diacono; & Victor Presbyter, cum ab eodem Marte quaererentur omnes codices, negavit se habere. Tunc Victor dedit nomina omnium lectorum. Ventum est ad domum meam. Cum absens essem, ascensum est à magistratibus, & sublati sunt codices mei. Cum ego venissem, inveni codices sublatos. Nundinarius Diaconus dixit: Tu ergo respondisti apud acta, quoniam dedisti codices. Quare negantur haec quae prodi possunt? Zenophilus V. C. Consularis Victori dixit: Simpliciter confitere, ne strictius interrogeris. Nundinarius Diaconus dixit: Legantur acta. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Legantur. Et dedit Nundinarius, & exceptor recitavit. Diocletiano VIII. & Maximiano VII. Consulib. XIV. Kalendas Junias, ex actis Munatij Felicis flaminis perpetui Curatoris coloniae Cirtensium. Cum ventum esset ad domum in qua Christiani conveniebant, Felix flamen perpetuus Curator Paulo Episcopo dixit: Proferte scripturas legis, & si quid aliud hic habetis, ut praecepto & jussioni parere possitis. Paulus Episcopus dixit: Scripturas lectores habent, sed nos quod hic habemus, damus. Felix flamen perpetuus Curator Paulo Episcopo dixit: Ostende lectores, aut mitte ad illos. Paulus Episcopus dixit: Omnes cognoscitis. Felix flamen perpetuus Curator reipublicae dixit: Non eos novimus. Paulus Episcopus dixit: Novit eos officium publicum, id est, Edusius & Iunius exceptores. Felix flamen perpetuus Curator reipublicae dixit: Manente ratione de lectoribus, quos demonstrabit officium, vos quod habetis date. Sedente Paulo Episcopo, Montano, & Victore, Deusatelio, & Memorio Presbyteris, adstant Marte cum Helio & Marte Diacones, Marcuclio, Catullino, Silvano, & Caroso Subdiacones, Ianuario, Meraclo, Fructuoso, Miggine, Saturnino, Victore Samsurici, & ceteris fossoribus, contrascribente Victore Aufidij, in brevi sic: Calices duo aurei, item calices sex argentei, urceola sex argentea, cucumellum argenteum, lucernas argenteas septem, cereofala duo, candelas breves aeneas cum lucernis suis septem, item lucernas aeneas undecim cum catenis suis, tunicas muliebres LXXXII. mafortea XXXVIII. tunicas viriles XVI. caligas viriles paria XIII. caligas muliebres paria XLVII. coplas rusticanas XIX. Felix flamen perpetuus Curator reipublicae Marcoclio, Silvano, & Caroso fossoribus dixit: Proferte hoc quod habetis. Silvanus & Carosus dixerunt: Quod hic fuit, totum hoc ejecimus. Felix flamen perpetuus Curator reipublicae Marcuclio, Silvano, & Caroso dixit: Responsio vestra actis haeret. Posteaquam in bibliothecis inventa sunt ibi armaria inania. Ibi protulit Silvanus capitulatam argenteam & lucernam argenteam, quod diceret se post orcam eas invenisse. Victor Aufidij Silvano dixit: Mortuus fueras, si non illas invenisses. Felix flamen perpetuus Curator reipublicae Silvano dixit: Quaere diligentius, ne quid hic remanserit. Silvanus dixit: Nihil remansit, totum hoc ejecimus. Et cum apertum esset triclinium, inventa sunt ibi dolia IV. & orcas sex. Felix flamen perpetuus Curator reipublicae dixit: Proferte scripturas quas habetis, ut praeceptis Imperatorum & jussioni parere possitis. Catulinus protulit codicem unum pernimium majorem. Felix flamen perpetuus Curator reipublicae Marcuclio & Silvano dixit: Quare unum tantummodo codicem dedistis? Proferte scripturas quas habetis. Catulinus & Marcuclius dixerunt: Plus non habemus, quia Subdiacones sumus: sed lectores habent codices. Felix flamen perpetuus Curator reipublicae Marcuclio & Catulino dixit: Demonstrate nobis lectores. Marcuclius & Catulinus dixerunt: Non scimus ubi maneant. Felix flamen perpetuus Curator reipublicae Catulino & Marcuclio dixit: Si ubi maneant non nostis, nomina eorum dicite. Catulinus & Marcuclius dixerunt: Nos non sumus proditores. Ecce sumus, jube nos occidi. Felix flamen perpetuus Curator reipublicae dixit: Recipiantur. Et cum ventum esset ad domum Eugenij, Felix flamen perpetuus Curator reipublicae dixit Eugenio: Profer scripturas quas habes, ut praecepto parere possis. & protulit codices quatuor. Felix flamen perpetuus Curator reipublicae Silvano & Caroso dixit: Demonstrate ceteros lectores. Silvanus & Carosus dixerunt: Iam dixit Episcopus quia Edusius & Iunius exceptores omnes noverunt. Ipsi tibi demonstrent ad domus eorum. Edusios & Iunios exceptores dixerunt: Nos eos demonstramus, Domine. Et dum ventum fuisset ad domum Felicis sarsoris, protulit codices quinque. Et cum ventum esset ad domum Victorini, protulit codices octo. Et cum ventum fuisset ad domum Projecti, protulit codices V. majores & minores duos. Et cum ad Grammatici domum ventum fuisset, Felix flamen perpetuus Curator Victori Grammatico dixit: Profer scripturas quas habes, ut praecepto parere possis. Victor Grammaticus obtulit codices II. & quiniones quatuor. Felix flamen perpetuus Curator Victori dixit: Profer scripturas, plus habes. Victor Grammaticus dixit: Si plus habuissem, dedissem. Et cum ventum fuisset ad domum Euticij Caesarianensis, Felix flamen perpetuus Curator Euticio dixit: Profer scripturas quas habes, ut praecepto parere possis. Euticius dixit: Non habeo. Felix flamen perpetuus Curator Euticio dixit: Professio tua actis haeret. Et cum ventum fuisset ad domum Coddeonis, protulit uxor ejus codices sex. Felix flamen perpetuus Curator reipublicae dixit: Quaere, ne plus habeatis. profer. Mulier respondit: Non habeo. Felix flamen perpetuus Curator reipublicae Bovi servo publico dixit: Intra, & quaere, ne plus habeat. Servus publicus dixit: Quaesivi, & non inveni. Felix flamen perpetuus Curator reipublicae Victorino, Silvano, & Caroso dixit: Si quid minus factum fuerit, vos contingit periculum. Quibus lectis, Zenophilus V. C. Consularis Victori dixit:

Con-

Confitere simpliciter. Victor respondit: Non fui praesens. Nundinarius Diaconus dixit: Legimus epistolas Episcoporum factas a Forte, & legit exemplar libelli traditi Episcopis a Nundinario Diacono. Testis est Christus & angeli ejus quoniam tradiderunt quibus communicastis, id est, Silvanus a Cirta traditor est & fur rerum pauperum. Quod omnes vos Episcopi, Presbyteri, Diacones, Seniores scitis de quadringentis follibus Lucillae, clarissimae feminae, pro quo vobis conjurastis ut fieret Majorinus Episcopus: & inde factum est schisma. Nam & Victor fullo vestri praesentia & populi dedit folles viginti ut factus esset Presbyter. quod scit Christus & angeli ejus. Et recitatum est exemplum epistolae. Purpurius Episcopus Silvano coepiscopo in Domino salutem. Venit ad me Nundinarius Diaconus filius noster, & petiit has litteras deprecatorias a me ad te, sanctissime, dirigerem, ut si fieri posset, pax inter te & ipsum sit. Hoc enim volo fieri, ut nemo sciat quid inter nos agatur. Si volueris, scripto tuo (agatur) ut & ego solus ibi in re praesenti veniam, & dissensionem ipsam de inter vos amputem. Manu sua enim mihi tradidit libellum rei gestae, pro qua causa tuo praecepto fuerit lapidatus. Non est verum ut pater castiget filium contra veritatem, & scio quia vera sunt quae in libello mihi tradito sunt conscripta. Quaere remedium quomodo poterit ibi malignitas ista extingui antequam flamma exsurgat, quae post demum extingui non poterit sine sanguine spiritali. Adhibete conclericos & seniores plebis ecclesiasticos viros, & inquirant diligenter quae sunt istae dissensiones, ut ea quae fiunt secundum fidei praecepta fiant. Non declinabis ad dextram vel ad sinistram. Libenter autem aurem commodare nolis malis instructoribus, qui nolunt pacem. Omnes nos occidetis. *Et alia manu*. Vale. Item & exemplum epistolae. Purpurius Episcopus Clericis & Senioribus Cirtensium in Domino aeternam salutem. Clamat Moyses ad omnem senatum filiorum Israel, dixitque illis, quae Dominus jubeat fieri sine consilio seniorum nihil agebatur. Itaque & vos, carissimi, quos scio omnem sapientiam caelestem & spiritalem habere, omni vestra virtute cognoscite quae sit dissensio haec, & perducite ad pacem. Dicit enim Nundinarius Diaconus quod nihil vos lateat unde haec dissensio est inter carissimum nostrum Silvanum & ipsum. Tradidit enim mihi libellum in quo omnia sunt conscripta. Dixit enim & vos non latere. Ego scio quia auris non est. Bonum quaerite remedium quomodo extinguatur haec res sine periculo animae vestrae; ne tuo to enim personam accipitis, in judicio veniatis. Justum judicium inter partes judicate secundum gravitatem vestram & justitiam. Cavete vobis ne declinetis in dexteram neque in sinistram. Dei res agitur, qui scrutatur cogitationes singulorum. Elaborate nemo sciat quae sit conjuratio haec. Vera sunt quae libello continentur. non est bonum. Dicit enim Dominus; *Ex ore* Matth. 12. *tuo condemnaberis, & ex ore tuo justificaberis*. Item alia recitata. Silvano fratri carissimo Fortis in Domino aeternam salutem. Venit ad me filius noster Nundinarius Diaconus, & retulit ea quae inter te & illum contigerunt per malivoli intercessum, qui vult animas justorum a via veritatis avertere. Cum haec audirem, mente dejectus sum, quod talis dissensio inter vos venit. Dei enim sacerdos, ut ad hoc veniat quod non nobis expediat fiat. Nunc ergo petite eum ut, quod potest, cum ipso pax Domini salvatoris Christi sit. Non ad publicum veniamus & a gentibus damnemur. Scriptum est enim: *Videte ne* Gal. 5. *dum mordetis, & causamini in invicem, ab invicem consumamini*. Ergo peto Dominum ut tollatur de medio nostrum hoc scandalum, ut possit res Dei cum gratiarum actione celebrari, Domino dicente: Ioa. 14. *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*. Quae pax poterit esse ubi dissensio est, aemulationes sunt? Nam cum ego a militibus essem ali[illegible] separatus & in illo vetuissem, cum injuria tali, Deo commendavi animam meam, & remisi tibi, quia Deus videt mentes hominum & eorum, sive a te ad illos perductus sum, sed Deus nos liberavit, & tecum servimus. Ergo, sicuti dimissum est nobis, & vos reconciliamini paci, ut in nomine Christi possimus cum gaudio pascha celebrare. Nemo sciat. Fratribus & filiis, clero & senioribus, Fortis in Domino aeternam salutem. Venit ad me filius meus Nundinarius Diaconus vester, & retulit de ea quae contra vos sunt gesta, necnon utique a vobis debuit componi, ne ventum esset ut talem insaniam passi, a quibus lapidarentur pro veritate, quod & vos & nos scimus, sicuti nobis retulistis & scriptum est; *Non est sapiens quisquam inter vos qui possit* 1. Cor. 6. *judicare inter fratres? sed frater cum fratre judicatur, sed apud infideles*. sicuti vos cum in judicio non intenditis. Sic ad hoc exitum est ut gentibus demus tale exemplum, ut qui per nos Deo credebant, ipsi nobis maledicant, cum ad publicum pervenimus? Ergo, ne ad hoc veniatur, vos, qui spiritales estis, facite ut nemo sciat, ut cum pace Pascha celebremus; & hortemini eos paci reconciliari, & dissensio non sit, ne cum ad publicum ventum fuerit, incipiatis & vos periclitari, si hoc factum fuerit, & postea vobis imputetis. Dabitis quam plurime, tu possessor Donati Presbyter, singuli Valeri & Victor, qui omnia scitis actum date operam ut pax sit vobiscum. Item alia recitata. Fratri Silvano Sabinus in Domino aeternam salutem. Pervenit ad nos Nundinarius filius tuus, non tantum ad me, sed & ad fratrem nostrum Fortem, fortem & gravem querelam referens. Miror gravitati tuae, sic te egisse cum filium tuum, quem tu nutristi & ordinasti. Si enim aedificium terrae structum sit, non additur quid caecitate, quod per manum sacerdotis aedificatur. Sed non est tibi mirandum, scriptura dicente: *Perdam sapientiam sapientium, & pruden-* 1. Cor. 1. *tiam prudentium reprobabo*. Et iterum dicit: *Potius* Ioa. 3. *dilexerunt homines tenebras magis quam lucem*, sicuti & tu facis. Sufficiat vobis omnia scire. super quod & frater noster Fortis tibi scripsit. Nunc petierim de caritate tua, frater benignissime, ut suppleas dictum Esaiae Prophetae: *Expellite maligni-* Isa. 1. *tatem de animis vestris, & venite, disputemus, dicit Dominus*. Et iterum: *Projicite malum de medio vestrum*. Sic & tu fac. Subjuga & averte seditionem, quae noluerunt esse pacem inter te & filium tuum. Sed filius tuus Nundinarius in pace tecum Pascha celebret, ne res ad publicum veniat praeterea jam omnibus nobis nota. Rogaverim te, frater benignissime, mediocritatis meae compleas petitionem. Nemo sciat. Item alia recitata. Fratri Forti Sabinus in Domino aeternam salutem. Quae sit caritas juxta omnes collegas, certus sum peculiariter, tamen secundum Dei voluntatem qui dixit, *Quosdam diligo super animam meam*. Silvanum te coluisse certus sum. Quare non dubitavi haec scripta ad te dare, quia scripta tua ad eum facta dari feci propter nomen Nundinarii: & qui impigre agit, semper res Dei impetu procedit. Ne praetendas excusationem. Occupatio namque nos diebus istis stringit, & incunctanter commovet circa haec usque ante diem solemnissimum Paschae, ut per te fiat pinguissima pax, ut digni coheredes Christi inveniamur, qui dixit: *Pacem meam do vobis, pacem meam re-* Ioa. 14. *linquo vobis*. Et iterum. Peto ut facias. *Et alia manu*. Opto te in Domino bene valere & nostri memorem esse. Vale. Sed rogo te, nemo sciat. Quibus lectis Zenophilus V. C. Consularis dixit: Et actis & literis quae recitatae sunt traditorem constat esse Silvanum; & Victori dixit: Simpliciter confitere utrum scias eum aliquid tradidisse. Victor dixit: Tradidit, sed non me praesente. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Quid administrabat tunc Silvanus in clero? Victor respondit: Sub Paulo Episcopo orta est persecutio, & Silvanus Subdiaconus fuit. Nundinarius Diaconus respondit: Quando ventum est illic, ait, ut factus esset Episcopus, respondit populus: Alius fiat, exaudi Deus. Zenophilus V. C. Consularis Victori

di-

dixit: Dictum est à populo, Silvanus traditor? Victor dixit: Ego ipse luctatus sum Episcopus. Zenophilus V. C. Consularis Victori dixit: Ergo sciebas traditorem? De hoc confitere. Victor respondit: Traditor fuit. Nundinarius Diaconus dixit: Vos seniores clamabatis: Exaudi Deus, civem nostrum volumus, ille traditor est. Zenophilus V. C. Consularis Victori dixit: Clamasti ergo cum populo quod traditor esset Silvanus, & non deberet fieri Episcopus? Victor dixit: Clamavi & ego & populus. Nos enim civem nostrum petebamus integrum virum. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Qua causa putabatis eum non mereri? Victor dixit: Integrum petebamus, & civem nostrum. Sciebam enim * causam Imperatorum ad hoc nos esse venturos, dum enim talibus committitur. Item inductis & adplicitis Victore Samsurici & Saturnino fossoribus, Zenophilus V. C. Consularis dixit: Quis vocaris? Respondit: Saturninus. Zenophilus V. C. dixit: Cujus conditionis es? Saturninus respondit: Fossor. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Silvanum scis esse traditorem? Saturninus dixit: Scio lucernam tradidisse argenteam. Zenophilus V. C. Consularis Saturnino dixit: Quid aliud? Saturninus respondit: Aliud nescio, nisi quia de post orcam eam ejecit. Et remoto Saturnino, Zenophilus V. C. Consularis dixit adstanti: Et tu, quis vocaris? Respondit: Victor Samsurici. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Cujus conditionis es? Victor dixit: Artifex sum. Zenophilus V. C. dixit: Tabulam argenteam quis tradidit? Victor respondit: Non vidi. quod scio, hoc dico. Zenophilus V. C. Consularis dixit Victori: Licèt jam constiterit ex responsione eorum qui suprà sunt interrogati, tamen tu confitere utrum Silvanus traditor sit. Victor dixit: Secundo petato quomodo hoc dimisit ut duceremur ad Carthaginem, ore ipsius Episcopi audivi. Data est mihi lucerna argentea, & capitulata argentea, & has tradidi. Zenophilus V. C. Victori Samsurici dixit: A quo audisti? Victor dixit: A Silvano Episcopo. Zenophilus V. C. Consularis Victori dixit: Ab ipso audisti quod tradidisset? Victor dixit: Ab ipso audivi quod suis manibus tradidisset illas. Zenophilus V. C. dixit: Ubi audisti? Victor dixit: In basilica. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Apud Constantinam? Victor dixit: Ibi cœpit alloqui populum dicens: De quo dicum me traditorem esse, de lucerna & capitulata? Zenophilus V. C. Consularis Nundinario dixit: Quid aliud putas ex his esse quaerendum? Nundinarius dixit: De cupis fisci, quis illas tulit. Zenophilus V. C. Consularis Nundinario dixit: Quas cupas? Nundinarius dixit: In templo Sarapis fuerunt, & tulit illas Purpurius Episcopus: acetum quod habuerunt, tulit illum Silvanus Episcopus, Dontius Presbyter, & Lucianus. Zenophilus V. C. Consularis Nundinario dixit: Sciunt id factum qui adsistunt? Nundinarius respondit: Sciunt. Diaconus Saturninus dixit: Dicebant majores nostri quia sublatae sunt. Zenophilus V. C. Consularis dixit: A quo sublatae dicuntur? Saturninus dixit: A Purpurio Episcopo, & acetum à Silvano & Dontio & Superio Presbyteris & Luciano Diacono. Nundinarius dixit: Viginti folles dedit, & factus est Presbyter Victor? Saturninus dixit. * Et cùm diceret, Zenophilus V. C. Consularis Saturnino dixit: Cui dedit? Saturninus dixit: Silvano Episcopo. Zenophilus V. C. Consularis Saturnino dixit: Ergo, ut fieret Presbyter, Silvano Episcopo viginti folles premium dedit? Saturninus dixit: Dedit. Zenophilus V. C. Consularis Saturnino dixit: Ante Silvanum positum est? Saturninus dixit: Ante cathedram Episcoporum. Zenophilus V. C. Consularis Nundinario dixit: A quo pecunia sublata est? Nundinarius dixit: Ipsi Episcopi diviserunt eam inter se. Zenophilus V. C. Consularis Nundinario dixit: Donatum desideras exhiberi? Nundinarius dixit: Utique veniat, de quo clamavit populus biduo post * pare: Exaudi Deus, civem nostrum volumus. Zenophilus V. C. Consularis Nundinario dixit: Certè clamavit hoc populus? Respondit: Clamavit. Zenophilus V. C. Consularis Saturnino dixit: Traditorem clamavit Silvanum? Saturninus dixit: Utique. Nundinarius dixit: Quando factus est Episcopus, non illi communicavimus, quia dicebatur traditor esse. Saturninus dixit: Quod dicit, verum est. Nundinarius dixit: Vidi quia Mutus harenarius tulit eum in collo. Zenophilus V. C. Consularis Saturnino dixit: Sic factum est? Saturninus dixit: Sic. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Vera sunt omnia quae dicit Nundinarius, quia ab harenariis factus est Episcopus Silvanus? Saturninus dixit: Vera Nundinarius dixit. prostibulae illic fuerunt. Zenophilus V. C. Consularis Saturnino dixit: Harenarij illum gestaverunt? Saturninus dixit: Ipsi eum tulerunt, & populus. Nam cives in area martyrum fuerunt inclusi. Nundinarius Diaconus dixit: Numquid populus Dei ibi fuit? Saturninus dixit: In casa majore fuit inclusus. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Certa omnia quae dicit Nundinarius, vera sunt? Saturninus dixit: Vera. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Tu quid dicis? Victor dixit: Vera sunt omnia, Domine. Nundinarius dixit: Purpurius Episcopus tulit centum folles. Zenophilus V. C. Consularis Nundinario dixit: De quadringentis follibus quos putas interrogandos? Nundinarius dixit: Lucianus Diaconus exhibeatur, quia ipse totum scit. Zenophilus V. C. Consularis Nundinario dixit: Hinc sciunt? Nundinarius dixit: Non sciunt. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Exhibeatur Lucianus. Nundinarius dixit: Sciunt illi acceptos esse quadringentos folles; sed quia Episcopi eos diviserunt, nesciunt. Zenophilus V. C. Consularis Nundinario & Victori dixit: Scitis acceptos esse folles à Lucilla? Saturninus & Victor dixerunt: Scimus. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Pauperes non acceperunt? Dixerunt: Nemo nihil accepit. Zenophilus V. C. Consularis Saturnino & Victori dixit: Nihil de fano Sarapis sublatum est? Saturninus & Victor dixerunt: Purpurius tulit cupas, & Silvanus Episcopus & Dontius & Superius Presbyteri & Lucianus Diaconus tulerunt acetum. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Responsione Victoris Grammatici & Victoris Samsurici & Saturnini claruit vera esse omnia quae suggessit Nundinarius. Submoveantur & exeant. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Quos alios putas interrogandos? Nundinarius dixit: Castum Diaconum, ut dicat si non est traditor. Ipse illum ordinavit. Et inducto & applicito Casto Diacone, Zenophilus V. C. Consularis dixit: Quis vocaris? Respondit: Castus. Zenophilus V. C. Consularis Casto dixit: Cujus conditionis es? Castus dixit: Nullam dignitatem habeo. Zenophilus V. C. Consularis Casto dixit: Licet nunc per Victorem Grammaticum quam etiam per Victorem Samsurici & Saturninum venerunt in confessionem quae Nundinarius obicit, tamen etiam tu confitere utrum traditor sit Silvanus. Castus respondit: Dicebat quod invenerit lucernam post orcam. Zenophilus V. C. Consularis dixit Casto: Etiam de cupas de fano Sarapis sublatas & aceto confitere. Castus respondit: Purpurius Episcopus tulit cupas. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Acetum quis? Respondit Castus quod tulerunt inde acetum Silvanus Episcopus, Dontius & Superius Presbyteri. Zenophilus V. C. Consularis Casto dixit: Confitere quot folles dedit Victor ut Presbyter fieret? Castus dixit: Obtulit, Domine, sacellum, & quid habuerit, nescio. Zenophilus V. C. Consularis Casto dixit: Cui datum est sacellum? Castus dixit: Illò tulit eum in casa majore. Zenophilus V. C. Consularis Casto dixit: Populo non est divisa pecunia? Castus respondit: Non est data, nec vidi. Zenophilus V. C. Consularis Casto dixit: De folles quos Lucilla dedit, populus minutus nihil accepit? Castus dixit: Non vidi accipere neminem. Zenophilus V. C. Consularis Casto dixit: Quò ergo pervenerunt? Castus dixit: Nescio. Nundinarius dixit: Utique vel audi-

*f. ante Imperatores

audisti vel vidisti si dictum est pauperibus: Dat & vobis de re sua Lucilla. Castus dixit: Non vidi aliquem accipere. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Manifesta est Casti confessio quod folles quos Lucilla donavit, populo divisos esse nesciret, & ideo amoveatur. Et applicito Crescentiano Subdiacono, Zenophilus V. C. Consularis dixit: Quis vocaris? Respondit: Crescentianus. Zenophilus V. C. Consularis Crescentiano dixit: Simpliciter sicut & ceteri confitere utrum scias traditorem Silvanum. Crescentianus dixit: Priores qui fuerunt Clerici, ipsi retulerunt singula. Zenophilus vir clarissimus Consularis Crescentiano dixit: Quid retulerunt? Crescentianus dixit: Referebant quod traditor esset. Zenophilus vir clar. Consularis Crescentiano dixit: Dixerunt illum traditorem? Et adjecit: Qui dicebant? Crescentianus dixit: Qui cum illo conversabantur in plebe, dixerunt quod aliquando tradidisset. Zenophilus V. C. Consularis Crescentiano dixit: De Silvano dicebant? Crescentianus dixit: Utique. Zenophilus V. C. Consularis Crescentiano dixit: Cum factus fuisset Episcopus, praesto fuisti? Crescentianus dixit: Praesens cum populo fui, inclusus in casa majore. Nundinarius Diaconus dixit: Campenses & harenarij fecerunt illum Episcopum. Zenophilus V. C. Consularis Crescentiano dixit: Mutus harenarius certe eum sustulit? Dixit: Manifeste. Zenophilus V. C. Consularis Crescentiano dixit: Cupas de fano Sarapis scis esse sublatas? Crescentianus dixit: Plures dicebant quod Purpurius Episcopus ipse sustulerit cupas & acetum, quod ad senem nostrum Silvanum pervenisset, & filij Æltonis dicebant. Zenophilus V. C. Consularis Crescentiano dixit: Quid audisti? Crescentianus dixit: Acetum sublatum à sene Silvano & Donatio & Superio Presbyteris & Luciano Diacono. Zenophilus V. C. Consularis Crescentiano dixit: Ex quadringentis follibus quos Lucilla donavit, populus aliquid accepit? Crescentianus dixit: Nihil inde nemo accepit, nescio, nec quis illos erogaverit. Nundinarius dixit: Aniculae nunquam inde aliquid acceperunt? Crescentianus dixit: Nihil. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Certe quotiens aliquid tale donatur, omnes inde populares publice accipiunt. Crescentianus dixit: Non audivi vel vidi dedisse illum aliquos. Zenophilus V. C. Consularis Crescentiano dixit: Nihil ergo datum est de quadringentis follibus populo? Crescentianus dixit: Nihil. Utique pervenisset aliqua partiuncula ad nos. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Quò ergo sublati sunt? Crescentianus dixit: Nescio. Nemo nihil accepit. Nundinarius dixit: Victor quot folles dedit ut fieret Presbyter? Crescentianus dixit: Vidi allatos cophinos cum pecunia. Zenophilus V. C. Consularis Crescentiano dixit: Cui dati sunt cophini? Crescentianus dixit: Episcopo Silvano. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Silvano dati sunt? Crescentianus dixit: Silvano. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Populo nihil datum est? Respondit: Nihil. Necesse est ut & nos aliquid acciperemus, si distribuerentur sicut solet. Zenophilus V. C. Consularis Nundinario dixit: Quid aliud de Crescentiano putas esse requirendum? Nundinarius dixit: Ipsud est. Zenophilus V. clar. Consularis dixit: Quoniam de omnibus Crescentianus Subdiaconus simpliciter confessus est, submoveatur. Item inducto & applicito Ianuario Subdiacono, Zenophilus V. clar. Consularis dixit: Quis vocaris? Respondit...

Caetera desunt.

PASSIO SANCTARUM
SERAPHIAE ET SABINAE.

CUm dies itaque metuendus persecutionis innotuisset Christianis, multi etiam per orbem terrarum subirent in nomine Christi martyria, erat virgo sancta Seraphia apud oppidum Vendinensium, civis Antiochena, in domo Sabinae, quae fuit uxor Valentini & filia Herodis metallarij cujusdam, qui sub Vespasiano Augusto ter in urbe Roma candidam confessionem dedit Romanis. Cùm igitur eam memorata sancta Seraphia hortaretur, suadens etiam illi ut Iesu Christi notitiam gereret, credens sancta Sabina in Domino Iesu crescebat in fidem & bonam conversationem. Ad quam tunc misit Virillus Praeses ut sanctae Dei virgines apparerent ad tribunal. Primum quidem illustrissima femina sancta Sabina adhibitis pueris seu puellis restitit illis. Et post paululum dixit ad eam sancta Seraphia. Domina mater, permitte mihi ut eam. Tu tantummodo ora, & fidens esto in Dominum Iesum Christum. Credo enim ego, etsi indigna & peccatrix sum, quod dignam me faciet Dominus meus Iesus Christus ancillam suam. Dicit ad eam Sabina. Filia & domina mea virgo Seraphia, aut vivere aut mori tecum habeo, non te dimittam. Et cùm ei satis immineret, jussit sibi parari basternam, & perrexit ad praetorium.

II. Cùmque nuntiatum fuisset Praesidi Sabinam illustrissimam feminam ante fores praetorij stare habentem etiam secum Christianissimam illam Seraphiam, surrexit Praeses, & ingressus est in porticum praetorij, honorans & dicens. Quid tibi ipsa derogas, aut quare temetipsam vilem reddis, aut quare non consideras quae es aut cujus filia? Conjunxisti enim te Christianis, & oblita es natales tuos & memoriam tanti viri cui fuisti juncta & deorum, quorum iram vereor ne incurras. Revertere magis in domum tuam, & dimitte illam nefandam, quae maleficiis te expulsa demultavit à deorum cultura. Sabina respondit. Illius sanctae puellae maleficiis utinam & tu suadearis sicut & ego ab ea justè suasa sum ut ab immundis recederem idolis & verum & certissimum agnoscerem Deum, qui bonos ad aeternam vocat vitam; & malos in poenam relinquit perpetuam. Praeses tunc quidem reveritus illam, recepit se in praetorium. Illa autem cum sancta virgine reversa est in domum suam.

III. Praeses vero post tertium diem paravit lusorium trans pontem super arcum Albini, ubi solebat fieri themela; & jussit officio ut adducerent Seraphia, quia rapuisset ad officium. Sancta autem Sabina secuta est eam pedibus, & venit ad lusorium; & cùm vidisset se non posse juvare illam, exclamavit dicens Praesidi. Canis rabide Asiatice, noli contra salutem tuam sanctam Dei Virginem & dominam tuam contristari injurijs. Propè est enim immo adest Dominus noster, qui te & Imperatores tuos torquebit sempiternis tormentis, qui tanta mala excogitaverunt servientibus Deo vivo. & recepit se in domum suam cum magno fletu.

IV. Praeses vero jussit sisti sanctam Seraphiam, dicens illi. Sacrifica diis immortalibus, quibus sacrificant Domini Imperatores. Seraphia respondit. Timeo & colo omnipotentem Deum, qui fecit caelum & terram & quae sunt in eis. Nam deos quos jubes me adorare, non sunt dij, sed sunt daemones. Et non licet mihi adorare eos, quia Christiana sum. Praeses dixit. Accede igitur, & sacrifica Christo tuo. Seraphia respondit. Ego cotidie illi offero sacrificia, adorans illum & deprecans die ac nocte. Praeses dixit. Et ubi est templum Christi tui, vel quod sacrificium illi offers? Seraphia respondit. Ut me ipsam mundam exhibeam per castam conversationem, & ut alios adducam ad illam professionem per ipsius misericordiam. Praeses dixit. Hoc est templum Dei & sacrificium Christi tui? Seraphia respondit. Majus nihil est quàm verum Deum cognoscere & piè vivere & illi servire. Praeses dixit. Ergo tu es ipsa templum Dei tui, ut dicis? Seraphia respondit. Si ipso juvante munda permansero, illius sum templum. Sic enim dicit divina scriptura: *Vos estis templum Dei vivi, & spiritus sanctus habitat in vobis.* 1. Cor. 6.
Praeses dixit. Si ergo violata fueris, desines esse templum Dei tui? Seraphia respondit. Dicit scriptu-

1. Cor. 6. ra divina: *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.*

V. Praeses autem peccatum ignorans jussit duobus juvenibus lascivis Ægyptiis eam tradi, ut ea per integram noctem abuterentur. Quam suscipientes horridi juvenes, perduxerunt eam in locum secretum, ubi erat cubiculum valde obscurissimum. Tunc stans sancta Seraphia in memorato cubiculo orabat dicens: Sancte sancte sancte, te invoco Domine Iesu Christe, qui es verus custos & conservator. Te invoco Domine Iesu Christe, qui es lumen & gaudium sempiternum. Te invoco Domine Iesu Christe, qui sanctos Apostolos tuos in carceris custodia detentos clausis januis visitasti & confortasti. Adesto nunc precor mihi miserae & peregrinae ancillae tuae Seraphiae, & libera me à sordida contagione juvenum illorum. Obscurentur oculi eorum ne videant & non valeant contingere me ancillam tuam confidentem in te, & non contamineat sigillum tuum tua consecratione signatum. Confunde impudentiam eorum, & munda me à coinquinatione carnis, & ad te jube me transire, & adesto Domine Iesu Christe cum ancilla tua Sabina. Corrobora eam in tua magnitudine, ut non inimicus diabolus exultet super eam, quae multa sustinuit propter nomen sanctum tuum circa me ancillam tuam. Domine Iesu Christe, exaudi me, qui es benedictus & gloriosus & superlaudabilis filius cum patre & spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

VI. Et cum memorati juvenes circa horam primam noctis cœpissent contra propositum virginis Christi accedere, subito sonus magnus factus est & terrae motus horribilis, ita ut per totum oppidum sentiretur. Iuvenes autem illi tremefacti, ceciderunt exanimes in terram, membris omnibus dissolutis. Sancta vero Dei ancilla immaculata videns adesse caeleste auxilium, extensis ad caelum puris manibus pernoctavit deprecans Dominum. Diluculo autem properaverunt missi a profanissimo Praeside ut vocarent juvenes, & si praecepta implessent maligni, interrogarentur. Ingressi autem invenerunt sanctam Dei virginem orantem, juvenes vero dejectos in terram velut mortuos, penitus non habentes potestatem erigendi se. Sed neque loqui poterant, sed tantummodo oculi eorum erant aperti. Concursus autem factus est non modicus.

VII. Praeses autem cum audisset, jussit praeparari tribunal & produci sanctam Dei ancillam. Et cum ducta fuisset, Praeses dixit. Quid est, puella? Fecerunt juvenes illi satis desiderio tuo, an delectaris adhuc? Sancta Seraphia respondit. Tu quidem secundum perversam mentem tuam, quam pervertit & possedit inimicus diabolus, irridens loqueris. Ego autem juvenes quos dicis, nec sensi, nec fuerunt mecum. Praeses dixit. Quid ergo, hac nocte tecum non fuerunt? Seraphia respondit. Mecum fuit cujus sum & ad quem pertineo. Praeses dixit. Quis est ille? Seraphia respondit. Custos & conservator meus Dominus Iesus Christus. Praeses dixit. Quid tantam multitudinem tricas? Dic mihi quomodo vel quibus maleficiis juvenes enervasti. Seraphia respondit. Nobis Christianis non licet esse maleficos. Nam quos per maleficia vestra interfecistis, noster & omnium Dominus Iesus Christus invocatus vivificat eos. Praeses dixit: Si ergo superat Christus tuus omnes maleficas artes, invoca eum propter juvenes illos ut reddatur illis sanitas pristina, & dicant si luserunt tecum per noctem an non. Ego certissime scio quia ideo quibusdam illos maleficiis dementes fecisti ne te de turpitudine tua detegerent. Seraphia respondit. Deus, cujus ego ancilla sum, omnipotens est, & apud eum nihil impossibile est. Praeses dixit. Igitur si apud illum Deum tuum nihil impossibile est, fac ut juvenes illi ad se redeant & loquantur. Seraphia respondit. Vt tu suspicaris, maleficia ego ignoro; sed oratio est mihi ad Deum meum, per quam praestat non mihi tantummodo sed omnibus invocantibus eum ex toto corde. Praeses dixit. Quomodo vis fac, tantum ut loquantur juvenes, & tunc videbimus integritatem tuam. Seraphia respondit. Iam tibi dixi quia maleficia facere nescio, sed adorare & exorare Deum ut annuat. Praeses dixit. Perge igitur ad locum ubi sunt juvenes, & precare super eos Deum tuum. Seraphia respondit. Vt non alij scandentur miraculo, aut male sentiant sicut & tu, quid opus est ut ego illuc vadam? Iube eos huc perduci in conspectu omnium. Et jussit Praeses perduci juvenes, quos portantes manibus perduxerunt ad tribunal. Et erant quasi nunquam habuissent linguam nec pedes ad ambulandum neque manus ad palpandum. Omnibus enim membris erant omnino resoluti.

VII. Igitur omnibus mirantibus, Praeses dixit. Seraphia, precare nunc Christum tuum super istorum sanitatem. Sancta autem Seraphia extendens ad caelum manus dixit. Domine Deus omnipotens, qui fecisti caelum & terram, mare & omnia quae in eis sunt, qui per sanctos Apostolos tuos mortuos resuscitasti, leprosos mundasti, daemones fugasti, mutis linguam donasti, surdis auditum praestitisti, nunc precor exaudi me ancillam tuam confidentem in te, & ne dissimules propter hunc infelicem & incredulum, sed releva juvenes istos in conspectu omnium expectantium te per meam orationem ad confusionem istius stulti, qui insanit adversum credentes. Accelera Domine, ut cognoscant quia tu es Deus solus, qui facis mirabilia, & non est alius praeter te. Et accedens tetigit juvenes illos dicens. In nomine Domini nostri Iesu Christi erigite vos in statu vestro. Qui mox audierunt, & steterunt in pedibus suis, & cœperunt loqui.

VIII. Et cum haec vidisset populus & miraretur, Praeses dixit. Videns quia non adimplebat artem maleficij sui nisi eos manibus perpalparet. Et ait Praeses juvenibus. Quid faciendo haec mulier dementes vos fecit? Et resoluti juvenes dixerunt. Domine Praeses, nos secundum praeceptum sublimitatis tuae mox ut ad illam accessissemus, ingressus est quidam juvenis decorae miraeque magnitudinis, & totus splendebat sicut sol, & stetit inter nos & puellam hanc, & prae claritate illius tremor & caligo & defectio nos comprehendit, & exinde non habuimus sensum usque modo. Cognosce hoc Domine Praeses, quia haec puella malefica est, aut vere Deus ejus magnus est. Praeses ad puellam dixit. Dic mihi, Seraphia, genus maleficiorum, quibus artibus haec facis, & mox te dimittam. Seraphia respondit. Ego maleficia odi. Sed omnes qui Christiani sunt, Christum nominantes maleficia ad nihilum redigunt, & non valebunt nocere eis. Praeses dixit. Ecce jam nunc videamus si valebit ars tua. Et si non sacrificaveris, caput tuum faciam incidi. Seraphia respondit. Fac quod vis, non sacrifico daemoniis; nec facio voluntatem patris tui Satanae, quia Christiana sum.

IX. Et jussit ei Praeses apponi duas lampades ardentes. Et cum applicatae fuissent lampadae, mox extinctae sunt. Et qui lampades tenebant, ceciderunt retrorsum. Sancta autem Seraphia elevans oculos suos ad caelum dicebat. Domine Iesu Christe, erubescant & conturbentur nimis omnes inimici mei, Psal. 6. avertantur retrorsum & confundantur valde velociter. Praeses dixit. Sacrifica diis, ut non moriaris. Seraphia respondit. Ideo non sacrifico daemonijs vestris ne moriar morte vera. Praeses dixit. Biothanata & malefica, audi imperiale praeceptum, & sacrifica diis immortalibus, & libera te de cruciatibus & morte. Seraphia respondit. Biothanati & malefici vos estis, qui negatis Deum vivum & verum, & daemonia adoratis, cum ipsis pariter morituri. Deo autem immortali ego me ipsam offero sacrificium, si me dignatur suscipere, licet peccatricem, tamen Christiana sum. Praeses autem jussit eam fustibus caedi. Et cum caederetur, subito terrae motus factus est magnus, & quasi astula de fustibus unde caedebatur Dei virgo attigit dextrum oculum Praesidis, & post triduum amisit.

X. Tunc repletus furore Praeses dedit sanctae Dei puel-

puellae capitalem sententiam dicens. Quoniam Seraphiam non solum imperialia praecepta contemnentem, verum etiam tantis deprehensam maleficiis, gladio jussi percuti. Et incisum est caput sanctae virginis Christi Seraphiae trans arcum Faustini juxta aream Vindiciani ducis ducum. Passa est autem sancta Seraphia III. Nonas Septembris. Illustrissima autem femina Sabina colligens reliquias sanctae & intactae virginis Christi Seraphiae, ex more celebratis venerabilibus exequiis, ut thesaurum sempiternum vel margaritam pretiosam reposuit in monumento suo quod ipsa sibi cum summo studio & ornatu fecerat. Et non cessabat ex eo die facere eleemosynas multas, confidens in nomine Christi Iesu, & permanens in fide quam ei tradiderat sancta virgo Seraphia. Studebat autem cotidie visitare infirmos & in carceribus inclusos, praestans eis omnia quae necessaria erant abunde.

XI. Veniente igitur Praefecto Helpidio rabidissimo cane, Praeses indicavit ei religiosissimam feminam Sabinam & omnia quae gesta fuerant. Quam cum exhibuissent, introduxerunt in praetorium. Et videns eam Praefectus interrogavit dicens. Tu es Sabina uxor Valentini illustrissimae memoriae & filia Herodis? Sabina respondit. Ego sum. Praefectus dixit. Quare oblita es tui, & sociasti te Christianis, quorum mors est, & non adoras Deos, & non honoras quos adorant Domini & Augusti nostri? Sabina respondit. Ego gratias ago Iesu Christo Domino, qui me peccatricem per sanctam famulam suam Seraphiam de multis sordibus & potestate daemonum liberare dignatus est ut non amplius errarem, sicut vos video errare, adorando daemones. Praefectus dixit. Vt tu dicis, non solum nos, sed & Domini & Augusti nostri dæmones adorant, & non Deum? Sabina respondit. Vtinam Deum adoraretis, qui fecit omnia, cujus nutu cuncta reguntur atque gubernantur visibilia & invisibilia, & non stulta aut insensata simulacra daemonum adoraretis, quia cum ipsis pariter in gehenna ignis arsuri estis vos & Imperatores vestri. Praefectus dixit. Per deos omnes juro quod si non sacrificaveris, non elongabo à te capitalem subire sententiam, sed mox te faciam gladio vita privari. Sabina respondit. Non sacrifico, diabole insane, daemoniis tuis, quia Christiana sum, & Christum habeo Deum, & ipsius sum ancilla & cultrix, & illi soli me oportet sacrificare. Tunc diaboli minister Praefectus protulit in eam sententiam dicens. Sabinam diis inobedientem, Dominos quoque & Augustos nostros blasphemantem, gladio percuti decrevimus, atque omnes facultates ejus publicis titulis praesignari.

XII. Amputato igitur capite sanctae & venerabilis Christi martyris Sabinae, Christiani cum gaudio magno corpus ejus sustulerunt & posuerunt in monumento ipsius in oppido Vindenensi ad arcum Faustini, ubi ipsa venerabiliter reposuerat magistram fidei suae virginem Christi Seraphiam. Passa est autem Sabina IV. Kalendas Septembris, & coronata est una cum fortissima virgine Christi Seraphia, qui omnibus in se credentibus virtutem dat & praemia sempiterna.

PASSIO SANCTAE MARIAE

Martyris.

ADrianus & Antoninus Imperatores per omnes populos quos regebant legem miserunt cunctos Christianae religionis viros ad sacrificium debere compelli, rebellibus vero poenam mortis intendi. Illo itaque tempore Maria probata ovis Domini martyrium singulare perpessa est. Namque cum Tertulli principalis esset ancilla, nobilitatem domini mentis benignitate vincens, Christo se probat ingenuam, sicut scriptum est: *Qui in Deo vocatus est servus, libertus est Domino.* Natale itaque filij celebrante Tertullo, cum impuris idolis vanisque simulacris hostias immolaret, Maria incumbebat jejuniis, & sociam suam, ne proderetur dominae, occulta simulatione fallebat. Diù tamen, insidiante conserva, latere non potuit. Prodita, vocatur mox à domina, diciturque ei: Quae est causa jejunij? An occasio ista tristitiae est quod natum tibi super Deum perhorrescit? Maria respondit: Numquid novum aliquid nunc usurpo? Semper mihi sunt haec observata jejunia. Quomodo tristitiae illud adscribitur quod consuetudinis causa servatur? Christiana sum, Christiano nascor ex genere, hereditarius mihi iste cultus est Christi. Tunc imperante domina ut cibi aliquid hauriret, Maria sancto spiritu caelestis escae memor invocato Deo sic clamavit ad dominam: Corpori potes imperare, non animae. Plus Deus meretur quàm filius tuus. Delectet illum turpis cantus & saltatus obscoenus & quicquid ad delitias parvorum diligens fingit cura nutricum. Dei vero non vanus & inanis est cultus, sed plenus felicitatis & gratiae. Tuenda castitas, amanda sobrietas, esca fugienda est. Ad haec domina indignatione flammata verbera ei gravia, nisi dicto obtemperaret, pollicetur, & ipsam etiam, si repugnet, poenam mortis indixit. Illa respondet: Fac quod vis, opto omnia perferre pro Christo.

II. Sed dum altercatio ista verborum est cogentis dominae & repugnantis ancillae, pedem à foro referens Tertullus ingreditur, qui ab uxore rebus omnibus exquisitis, inauditam statim flagellari praecepit ancillam, & afflictam diutino verbere in abdita membri parte detrudi, administrato modico & vili cibo, quo non satietur fames, sed deficientis quotidie animae pars extrema servetur. Sed devota mens Christo frangi hoc dolore non potuit. Quin etiam cotidianis orationibus incumbebat, ut facultas esset majora tolerandi.

III. Emensis vero triginta diebus, Praesidi adnunciatur Tertullum principalem ipsius civitatis occultare in domo sua Christianae religionis ancillam, quod Imperatorum praecepta prohibebant. Statim ad tribunal Tertullus adducitur, & primoribus convocatis, adsistente etiam vulgi corona, recitari legem Praeses jussit ex codice, cujus hac forma est. *Maximianus, Adrianus, Antoninus, pij, felices, augusti, omnibus nostris jure viventibus salutem. Pervenit ad nos varietas religionis a quibusdam nuper inventum. Nonnulli enim esse perhibentur quibus nec sacrificia cordi sunt nec cultus ille quem colimus, per quos sine dubio, nisi cito poenae formido succurrat, obliteranda est omnis antiqua credulitas & veneratio extinguenda majorum. Damus itaque omnibus populis hanc legem, & singulis judicibus observanda haec edicta proponimus, ut compellantur ad sacrificium singuli, & rebelles gladio ultore feriantur. Malumus enim paucos interfici quàm omnes errare, nec vagari ut pecora, sed potiùs unius esse sententiae. Si quis igitur hujus legis aut cultus occultandum aliquem putaverit cujuslibet aetatis aut sexus, ferro ipse exhalet spiritum legibus repugnantem, facultates verò ejus fisci commodis inferantur. Delator autem tanti criminis ex aerario publico quadringentorum denariorum conlatione gratuletur, ut omnes agnoscant nec peccatum perire nec praemium.*

IV. Lecta itaque hac constitutione, ad circumstantes Praeses ait: Quid sum ad ista facturus; Numquid repugnare possumus his praeceptis? Responderunt principes curiae dicentes: Humanius nos audire dignare. Tunc praeses scribi quae dicerentur jubet. Surrexit scholasticus Nigagores, ut erat fandi peritus & artifex ad loquendum, omnium persona suscepta publico ore sic loquitur. Lucifer summe, lumen totius civitatis & populi, ut benignius nos audias deprecamur. Hic vir multis publicis functionibus & natalium splendore decoratus, magnum curiae nostrae praestat auxilium. Fuit Augustorum Pontifex, praeterea Munerarius civitatis, tum deinde legationibus plurimis pro publica utilitate susceptis tantum sibi gloriae quantum amoris adscivit. Magis prae-

aerea largitionibus ejus aucta respublica est, infinitarum pecuniae suae in diversis fabricis & balnearum calefactióne dispersit. Sunt & alia majora quae enumerare perlongum est. Nam primum aetatis tempus, in quo lubrica vita & teneri anni juvenili calore flammantur, religioni divinae obtemperans vicit aetatem, & moderationis fraeno naturae ipsius jura superavit. At cum aevo gravior, maturioris cœpit esse consilij, satisfecisse se credens divinis praeceptis, aliquid etiam quod populo placeret invenit. Munera itaque anni auspicantis exsolvit, & magnis spectaculis propriis viribus comparatis, communem totius populi satiavit aspectum. Plurima agonum insignia in Caesarea civitate complevit. Æmulas etiam praelij voluptates gladiatorum inter se dimicantium civibus non negavit. Necessitates proprias in re familiari, lucra venientia, patriae semper credidit postponenda. Placuit itaque sacerdotio muneribus civitatis. Tunc quod est maximum, aetatem suam vicit juvenis, sacerdos edocuit, ostendit non repudiandam in annis gravioribus voluptatem.

V. Praefectus scholastico inquit: Praeteritae actionis ornamenta commemoras, crimen quod intenditur non repellis. Respondit advocatus. Puella haec, cujus scelere dominus perurguetur, ut dotalia instrumenta demonstrant, ab uxore donata est. Praefectus dixit. Tertulli uxor ingenua est? Respondit advocatus. Ingenua, quin etiam nobilitatis eximiae. Oritur namque patre Cleonide. Praefectus ait. Comparata est haec ancilla, an vernaculi educatione suscepta? Tertullus dixit. Nata quidem domi videtur, sed parentes ejus ad nos ex comparatione venerunt. Praefectus Tertullo ait. Socer tuus incolumis est, an jam ab hac luce migravit? Respondit Tertullus. Iam fati munus implevit. Praefectus ait. Istius contumacis ancillae parentes supersunt? Respondit Tertullus. Defuncti sunt. Praefectus ait. Hujus perditae religionis erant, an diis vota solvebant? Tertullus respondit. Ejusdem vesaniae. Nam crucifixum colebant.

VI. Advocatus ait. Quae non huic puellae inlata tormenta sunt ut ab hac superstitione discederet? Nec mulceri umquam potuit nec flecti. Nam quanto majora fuere supplicia, tanto pertinacior mens duravit.

VII. Ad haec Praeses diurna deliberatione habita, tandem protulit tractatam diu cogitatamque sententiam, dicens. Tertullus publico ore laudatur, cui honor vel pro meritis vel pro natalibus rependendus est. Editor optimus, senator insignis, imperij pariter devotus & nomini, qui & legibus simul satisfecit & cultibus, cujus imagines per omnem urbem saepius etiam ipse conspexi, liber abscedat, nullum calumniatorem metuat, nullum judicem pertimescat, dum haec omnia sacris auribus intimentur. Scelestissimam vero hanc puellam offerri mihi in publico jubeo, simul ut habeat & culpa supplicium & populus exemplum.

VIII. Traditur itaque mox carnificibus devota mens Christo: & quanto sexu femineo & puellari fragilitate despicitur, tanto plus virtute Christianitatis attollitur. Stetit itaque adducta tandem. Et quamvis contra judicem oculos tenderet, animum tamen habebat ad Christum. Clamor undique populi frementis attollitur dicentis. Viva duro crementur incendio. Illa vero intrepida, quippe quae Dei sui nosset auxilium, cælum intuens sic clamavit. Domine Iesu Christe, fili Dei vivi, certa salus hominum, solus de solo genite, cujus digne nemo potest naturam comprehendere aut referre virtutem, non angeli, non archangeli, non sedes, non potestates, non virtutes, non potentiae, non Cherubin, non Seraphin, omnia enim per te facta sunt Christe, & sine te factum est nihil, qui solus patrem nosti, & quem solus pater agnoscit, Domine salvator animarum, adesto mihi, semper omnibus adfuisti. Nec enim alius est defensor. Agnoscant omnes virtutem tuam, Domine, & advertatur noceri non posse quem diligis.

IX. Ad haec Praeses per integram horam stupens, tandem quae vocaretur inquirit. Maria respondit. Cur nomen interrogas, & de lege nihil dicis? Illa debet percontandi esse ratio quae vocatur ad crimen. Nec enim me ream nomen facit esse, sed cultus. Saeviturae itaque interrogationi tuae ante respondeo, Christiana sum. Praeses ait. Dominus tuus te hic operitur, ut praemium confitenti aut supplicium inferat repugnanti. Elige itaque quid sequaris. Maria respondit. Corporis dominus est ille, non animae. Praeses ait. Cur religionem domini, cum sis ancilla, non sequeris? Maria respondit. Christiana sum, intellectum sapientiae habeo, & quid sit rationis agnosco. Contemno simulacra sine sensu; honoro illum qui me fecit, non quem ipsa construxi. Praeses ait. Ex qua successione haec ad te vanitas religionis advenit? Maria respondit. A majoribus informata sic credo. Praeses ait. Parentes quoque tui hujus fuere sententiae? Maria respondit. Semper in hac religione manserunt. Praeses ait. Ante Deucalionem, ut dicis, hanc credendi insaniam suscepistis. Quinimmo sacrifica, ut & te & dominum tuum exuas a culpa.

X. Maria respondit. Quid enim aequalitatis est inter caelestem dominum & famulam peccatricem? aut quem timere potest cujus nutu omnes & ipsa reguntur elementa? Quoslibet ergo cruciatus perferam, dulcissimi videntur pro amore Domini Iesu Christi, qui hic auxilium, ibi vero reddet & praemium. Ille nos per Apostolum suum Paulum contra omnium insidiantium tela firmavit dicens: *Quis nos separabit a caritate Christi, tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an spoliatio, an periculum, an gladius?* Rom. 8. Hinc est robur illud invictum, hinc inextribilis animus, & mens in ipsa dolorum acerbitate sublimior, quod & praedicta nobis sunt ista qualia patimur, & majora sunt munera quam dolores. Cum ergo nihil sit quod a Christo separare nos debeat, testor enim illum quem diligo me in ejus timore mansuram, & in ea confessione cruciatam terrena relinquere & ad caelestia festinare. Praeses ait. Sacrifica, si effugere tormenta festinas. Maria respondit. Supplicia quae minaris, nec longi temporis nec gravis doloris sunt. Quaeso ergo ne differas quae moliris. Christum habeo, & ideo nihil timeo.

XI. Tunc jussu Praesidis applicata tormentis, miserationem populi tantam adepta est ut lacrymae quoque a circumstantibus funderentur. Nec mora, clamore summo venia virgini postulatur. Sed crudelitas judicis accelerari tormenta mandavit. Et ecce secunda vox populi judicium Praesidis castigantis emergit. Vociferatio namque una pene erat totius coronae, injuste lacerari virginem crudelitate judicis, non culpa peccantis, agi contra leges omnia, nec aequitatis jura servari. Stupens vero Praeses & simo tanti clamoris addictus, quippe praeter humanam vocem ipsa etiam putasset tecta corruere, mox Mariam relaxari praecepit. Tunc servari eam sub custodia libera jubet. Maria vero signo Domini se munivit, & levatis ad caelum oculis post rejectum tribunal oravit ad dominum; viditque aciem angelorum, multitudinem sanctorum, atque filium Dei sedentem ad dexteram patris: Hinc tanta subito gratulatione perfusa est ut jam se paradisum ingressam putaret. Hi vero qui eam fugientem persequebantur, subito stupuere virtute. Sed ubi illa se circumdatam à persequentibus vidit, lacrymans clamavit ad Dominum. Deus omnipotens, qui sermonem muto, auditum surdo dedisti, qui es venturus in gloria judicare vivos & mortuos, accipe animam meam. Amen. Quoniam persequuntur me canes multi. Ne permittas tradi ancillam tuam & lacerari manibus impiorum; sed ostendens misericordiam tuam cito, exaudi ancillam tuam, exaudi Domine Rex caelestis.

XII. Quae dum tali oratione fungitur, & renuntians seculo, quietem mortis exoptat, petram quae

ante

ante oculos ejus jacebat respiciens, dignum memoria spectaculum fecit. Nam saxum illud, quod aut casus adtulerit, aut divinitas destinarit, Deo jubente patefactum, rimam perfugii qua virgo susciperetur ostendit, & ad instar dulcissimae nutricis vel carae matris motu quodam anxiam amplexans se praebuit, quasi dulci carum partum utero receptura, & mox suscepta virgine, latera antea aperta conclusit. Haec cum carnifices viderent, omnis loca petrae illius perscrutati sunt, sicubi erepta subito ex oculis praeda latitaret. Ibi adhaerentes exuviarum reliquias & adfixa saxo vestium frusta deprehendunt; atque incredibili stupore confusi, confestim Praesidi gesta commemorant. Ille vero partim ira, partim admiratione commotus, jussit Philocomo principali Neocorensium civitatis ut ad praedictum locum festinus accedat, & ad eruendum lapidem numerosam secum multitudinem ducat. Statim praeconis voce populus congregatur. Qui ubi primum ad praedictum locum cum eo cui summa majoris operis fuerit adsignata pervenit, mox inicere manum lapidi tentaverunt. Statim ab oriente fulgor nimii splendoris exortus est. Nec mora, tonitruum & fragor quidam, ut sperarentur cuncta corruere. Statim terra concussa est, & nutantia omnium corruere vestigia.

XIII. Ecce autem duo equites magno fulgore radiantes a caelesti sede venientes transvolatu nimio petunt, quorum sella & tracna & omnis ornatus ad instar lampadarum caelesti igne rutilabant. Hos cum omnis illa quae venerat multitudo conspiceret, ita timore causa praesentis virtutis expavit ut fugiente sensu pariter atque anima in aeternam mortem oculi clauderentur. Ceteri vero qui evaserant, ad prophana templi simulacra fugientes, cum ad scelesta ingrederentur altaria, in ipsa perfugii sui sede ceciderunt. Neocorus ad ipsam templi januam spiritum fudit. Ubi vero templum omne completum est, missus e caelo ignis simul & populum exussit & templum. Periit itaque cum diis suis vanae credulitatis exercitus; & quanto ibi plurima habuerunt numina, tanto ad ignis augmentum majora incendio fomenta suggesta sunt. Imputent itaque peccatis suis quod incensi sunt, deorum vero numero quod diutius concremati. Multifariae itaque mortis tam a percussis quam ab incensis numerus fuit duo milia septingenti. Pauci vero qui evaserant, civitatem petentes, magnis per omne iter vocibus conclamabant: Magnus Deus Mariae, magnus Deus Christianorum, vere hic Deus solus & justus est. Tunc strati Ecclesiae solo, Clericorum genua continentes, & praeteritorum rogabant veniam, & praesens auxilium postulabant. Et crediderunt in eum timore perterriti milia ferme animae, atque in nostra religione manserunt. Omnis itaque persecutio post passionem sanctae Mariae ad haec miracula conquievit. Amen.

VITA ET PASSIO

SANCTI PONTII MARTYRIS,

Auctore Valerio ejus contubernali.

Incipit prologus vitae ac passionis sancti & beatissimi Pontii martyris.

Anno Christi 310. QVis potest credere nisi Deo tribuente? Quis potest certamina subire nisi Domino adjuvante? Quis potest coronam accipere nisi Christo praestante? Ideoque ego indignus tanta gratia, qui cum Dei martyre & nutritus sum & studui, societatem vero ejus martyrii non merui percipere, tamen confessione ejus & labore credo mercedem me a Domino accepturum, quia omnia quae de eo dicturus sum testificor coram Christo & angelis ejus & propriis oculis vidi & meis auribus audivi, & magnam partem cum eo, ut dixi, sustinui. Ideoque & vos quod fideliter auditis fideliter credite, ut fides vestra remunerationem percipiat cum sancto viro in resurrectione justorum. *Explicit prologus.*

Incipit passio beati Pontii martyris, secundo Idus Maii.

I. Fuit quidam senator urbis Romae nomine Marcus, & uxor ejus nomine Iulia. Cumque in uno conjugio perdurarent annis plurimis, & sobolem non haberent, nimio affligebantur taedio, ita ut sine filiis deficere se crederent. Sed post annos viginti duos ex quo conjuncti sunt cum filium excepissent, coeperunt pariter exultare & laetari. Post menses autem quinque cum praegnans mater templa idolorum suorum cum viro suo portans dona & munera circumiret, venit ad templum Iovis quod magnum vocabant. Quod cum ingrederentur, forte sacerdos velato capite infulatus ad aras stabat. Qui arreptus a daemone, apprehendensque velamen simul & infulam, coepit eam minutatim scindere, voceque miserabili ejulans omne clamoribus templum complere, Haec mulier, inquiens, eum in utero gestat qui templum hoc magnum funditus evertet, & deos ejus comminuet. Cumque iterum atque iterum has repeteret voces, Marcus & Iulia haec audientes, exsangues fugiunt in propriam domum; arripiensque Iulia saxum, alvum suum lateraque tundens aiebat: Vtinam non eum conciperem per quem magnum templum & numina ejus erunt evertenda. Melius est ut ego ipsa cum hoc deficiam. Cumque dies pariendi advenisset, edidit puerum honestum sine ulla macula; quem credebant tantis suppliciis maceratum, exanimem generari. Mater autem pueri Iulia interficere parvulum nitebatur. Cui Marcus pater ejus dixit: Sine, ne interficias eum. Si Iovis voluerit, vindicet se de inimico suo. Nos autem non iniciamus in eum manus nostras. Sicque conservatus est parvulus, quem ex genere suo Pontium vocaverunt: Vnde accidit ut in templa idolorum nunquam induceretur.

II. Sed cum ad puerilem venisset aetatem, magnis doctoribus imbutus, omnium fere philosophorum vel diversarum artium litteris ita pollebat ut copiam voluminum librorumque, quos bibliothecae portare non poterat, in suo parvo corpusculo transfundens, omnia memoriter retineret. Factum est autem cum quodam die diluculo surgens ad suum pergeret praeceptorem, audivit in vigilis matutina Christianos, quibus praeerat sanctus Papa Pontianus Ecclesiae Dei sacerdos, psallentes & dicentes: *Dominus Deus noster in caelo sursum est, in caelo & in terra omnia quaecunque voluit fecit. Simulacbra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt, aures habent & non audient, nares habent & non odorabunt, manus habent & non tractabunt, pedes habent & non ambulabunt, non clamabunt in gutture suo. Neque enim est spiritus in ore ipsorum. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Psal. 113. Quod cum audisset venerabilis puer, restitit, imoque trahens a pectore suspirium, & apud semetipsum diutissime inquirens quae esset ista modulatio, compunctus Spiritu sancto, erumpensque in lacrymas coepit flere. Statimque elevans palmas in caelum dixit: Deus, cujus laudem isti decantant, ostende mihi notitiam tuam. Et accedens ad ostium, crebris quatiebat illud pulsibus. Cumque de superioribus cum per fenestram respicerent, dicunt sancto Pontiano Episcopo: Ecce parvulus quidam pulsat januam. Papa autem Pontianus revelante sibi Spiritu sancto ait: Aperite ei, & sinite eum venire ad nos. Talium est enim regnum caelorum.

III. Venerabilis autem Pontius relinquens paedagogos suos in vico, & assumens secum unum adolescentulum qui cum eo studebat nomine Valerium, ingressus est. Cumque ascendissent in coenaculum,

& vi-

& vidissent eos sancta celebrare mysteria, declinaverunt in locum quoadusque dominicum consummassent officium. Tunc venerabilis Pontius accedens ad pedes sancti Pontiani Episcopi, osculabatur eos cum lacrymis dicens: Rogo te, sanctissime pater, ut ostendas mihi carmen quod paulo ante psallentes dicebatis. *Dominus Deus noster in caelo est. Simulachra autem gentium muta & caeca & surda sunt. Non odorant, neque palpant manibus suis.* Et quod nobis pejus est, audivi vos dicentes: *Similes illis fiant omnes qui confidunt in eis.* Tunc dicit ei sanctus Pontianus Episcopus. Scio fili quia Deus cor tuum illuminavit, ut eum inquiras. Ergo non tibi videntur omnia figmenta ex metallis facta, sive aurea sint vel argentea aut aerea, ex terra sumpta? Quis non intelligat lapideas statuas ex rupibus excisas, & in carrucis impositas, & a bobus tractas, & sic demum in foro esse positas? Ista non sunt dij, sed e terra orta sunt, & paulo post in terram revertentur. Deus autem noster, in quo speramus, in caelo est, qui non carneis oculis, sed cordis videtur obtutibus. Nam quod videt quis quid sperat? Tunc beatus Pontius respondens dixit. Domine mi pater, quis nesciat omnia ista esse sine anima & sine nutu? Nam per omnes vicos vel plateas, non dicam in foro, in templis, in capitolio, tanta multitudo inesse noscitur ut penitus numerari non possit, & sic diversis modis instituta ut artificum reperit sapientia. Quis autem non videat in viis ea posita ferro & plumbo firmata ne vento subversa conterantur? Nam saepe cognovimus ab hominibus ea furata & à praedonibus invasa. Et quomodo homines a malis custodire poterunt qui ab hominibus & custodiuntur & furantur?

IV. Audiens haec sanctus Pontianus Episcopus miratus est quod talis ratio ex puero procederet, & tenens ejus manum, voluit eum secum sedere. Tunc beatissimus Pontius dixit. Si cum vaniloquis & inania docentibus sedere non audemus, quomodo cum homine Dei viam veritatis pro itinere erroris, lucem pro caligine demonstrante sedebo? Sanctus Pontianus Episcopus dixit. Magister noster & doctor Dominus Iesus Christus talem doctrinam nobis donavit ut omnes in ipso unum simus & alter alteri quod sibi desiderat tribuat. Rursumque dixit ei. Estne tibi pater aut mater? Venerabilis Pontius dixit. Mater mea fere biennium est ex quo mortua est; pater vero meus superest senior & grandaevus, & me unico gaudet filio. Sanctus Pontianus Episcopus dixit. Christianus est, an gentilis? Beatus Pontius dixit eum pessimum & perversum in cultura daemonum suorum esse ultra omnes homines. Sanctus Pontianus Episcopus dixit. Deus, qui cordis tui oculos nullo homine cogente illuminavit, potens est & patris tui perversitatem corrigere, ut per te immortalem vitam discat per quem tu in hanc vitam mortalem venisti. Rursumque addidit. Tu autem, fili mi, adquiesce mihi, & crede Christo, & accipe baptismum regenerationis, per quem possis ardorem ignis aeterni extinguere.

V. His & aliis quamplurimis verbis exhortans eum per trium horarum spatium, demonstravit ei regnum Domini nostri Iesu Christi. Tunc catechizavit eum & puerum illius, & permisit abire. Illi autem egressi ibant sicut agni pleni pascuis, exultantes & laetantes quod invenerint salutem animabus suis. Sicque quotidie veniebant ad hominem Dei, audientes ab eo doctrinam salutis. Beatus vero Pontius adhuc catechumenus tanto alacriter divina aggressus est praecepta ut juste in eo impleretur quod ab Apostolo dictum est: *Ubi abundavit iniquitas, superabundavit gratia.* Cumque hora regrediendi adveniret, valefaciens honorifice sancto Pontiano Episcopo & omnibus sanctis qui ibi aderant, pergebat ad patrem suum.

VI. Cumque venisset ad patrem suum, dicebat ei pater ejus. Percepisti aliquid a praeceptoribus tuis, fili mi? Beatus Pontius ait. Numquam melius audivi a magistris meis quam hesterna die vel hodie, omnibus diebus quibus in studio fui. Pater autem ejus audiens haec gaudebat, sperans eum vanam philosophorum audire sectam.

VII. Beatus vero Pontius quaerens opportunitatem ut & patrem suum Christo Domino secum credere faceret, die aliqua dixit patri suo. Domine pater, audio a multis hominibus quia dij quos colimus inanes sunt, ita ut nullam in se, ut perhibent, majestatem possideant, sicus & nos ipsi ex parte perspicimus. Et quidem linamenta membrorum cuncta habent, sed ad nullos usus apta. Nam quandocunque quis voluerit, inducto apud se artifice, prout substantiam habuerit, sibi & deos facit, unus ex auro, alius ex argento vel aere, aut ex quibuslibet metallis. Rogo te, dic mihi si aliquando audisti quod ij qui in domo nostra sunt virtutem aliquam ex quo facti sunt ostenderint. Marcus pater ejus respondit: Nunquam. Beatus Pontius dixit. Ergo ut quid eos sacrificiis & thure honoratis? Pater autem ejus indignatus contra eum, cum ingenti iracundia, ita ut gladio eum vellet percutere, dixit. Injuriam diis meis facis? Post paululum sedato furore, dixit ad filium suum. Ergo, fili, sine diis & sine sacrificio in omni urbe nos soli erimus? Beatus Pontius dixit patri suo. Multi sunt in hac civitate qui verum sacrificium Deo vero offerunt. Marcus pater ejus dixit. Et ubi eos reperiemus? Beatus Pontius dixit. Praecipe ut eam & adducam tibi virum qui omnia tibi lucidius demonstret. Dicit ei pater ejus. Vade fili mi. Tunc beatus Pontius conversus ad Valerium adolescentem, dixit ei. Haec est mutatio dexterae excelsi. Statimque perrexit ad sanctum Pontianum Episcopum, & introduxit eum ad patrem suum, qui omnia sacramenta veritatis ei demonstravit. Dei autem misericordia credidit Marcus beati Pontij pater, & simul cum sancto Pontiano Episcopo & filio suo omnia idola manibus suis confringens, baptismi gratiam cum eodem filio vel omni domo sua suscepit.

VIII. Non post multum vero temporis pater beati Pontij defunctus est. Et tunc venerabilis puer accepta libertate, erat enim annorum viginti, venit ad virum Dei, & narravit ei omnia quae acta fuerant, & de patre suo. Post menses sex apprehensus a militibus beatus Pontius & in curiam perductus est, cui etiam locum patris sui nolenti & repugnanti designant. Hoc autem non sine divina providentia fiebat, quia per beatum Pontium non solum Romana plebs, sed & ipsi Principes Christo credituri erant. Talem vero gratiam Dominus sancto Pontio contulit ut in omni curia vel palatio ab omnibus specialiter diligeretur.

IX. In ipsis diebus sanctus Papa Pontianus gloriosa morte migravit ad Dominum. Post quem Antheros praefuit Ecclesiae mense non amplius uno. Deinde Fabianus in pontificatum succedens, ita beatum Pontium ut verus pater verum filium diligebat. Sanctus autem Pontius jam perfectus in Domino, omnes facultates suas accipiens, beato Fabiano Episcopo tradidit, & eas pauperibus distribuit, maxime ad domesticos fidei.

X. Nunc autem qualiter primus omnium Imperatores Christianos fecerit, aut quomodo cum diabolo certaverit victor existens, vel palmam martyrij sumpserit, non tacebo. Temporibus Philippi Imperatoris, qui cum filio Philippo Romanum regebat imperium, fuit his Philippis amicus beatus Pontius Christianissimus & omnium divinarum literarum doctissimus. Cumque gratia individua in eis esset, tertio imperij eorum anno, expleto millesimo anno a conditione Romae, cum diis suis sacrificandum pergere vellent, dicunt beato Pontio. Eamus, & repropitiemus nobis deos magnos, qui nos in istius millesimi anni circulum natalis Romae perduxerunt. Quos beatus Pontius diversis excusationibus declinare nitebatur. Imperatores vero velut amicum ad sacrificandum cogebant. Beatus autem Pontius cognoscens a Domino datam sibi occasionem, aiebat. O piissimi Imperatores, cum sitis a Deo Principes ordi-

ditati hominum, cur non ei qui vobis hanc honorem praestitit cervices flectitis & ipsi soli sacrificium laudis offertis? Philippus Imperator dixit. Propterea & ego magno deo Iovi sacrificium offerre desidero, qui mihi hanc tribuit potestatem. Beatus autem Pontius subridens dixit. Ne erres, Imperator. Est Deus in caelis, qui cuncta unico verbo suo constituit, & Spiritus sancti gratia animavit. Philippus Philippi Imperatoris filius una cum patre dixit. Qua animi intentione ista referas ignoramus. Beatus Pontius dixit. Numquid ab initio Iovis fuit? Imperator dixit. Non, quia Saturnus pater ejus antiquior illo est, qui populos Italiae tranquilla moderatione gubernavit. Beatus Pontius dixit. Et quando Saturnus Cretae regnabat, antequam a Iove filio de regno pelleretur, numquid Italia populos non habebat? Nonne statim ut expulsus est, sicut litterae vestrae declarant, hospitio est receptus? Rursumque addidit. Piissimi Imperatores, ne seducamini in vanis poetarum figmentis. Vnus est Deus in caelis pater omnium, qui cum filio suo & Spiritu sancto omnia quae fecit sua potestate continet.

XI. Imperator dixit. Si unus est Deus quem in caelis esse asseris, cur & filium eum habuisse commemoras? Beatissimus Pontius dixit. Vnus est Deus, quem saepe testatus sum, qui fecit caelum & terram & mare & omnia quae in eis sunt. Postremo fecit hominem immortalem ad imaginem & similitudinem suam, & cuncta quae in terra & quae super terram vel deorsum morantur in aquis potestati subjecit hominis. Diabolus autem de caelo projectus, videns in tanto honore hominem positum, invidia ductus, homini persuasit ut ingratus vel inobediens ei qui omnia illi subdidit existeret. Quo facto, immortalitate qua indutus fuerat expoliatus, mortem per inobedientiam cum sua omni prole sibimet ipsi indixit. Nam & diabolo ut semel hominem elideret parum visum est, sed idola, quae nunc deos dicitis, ipse adinvenit, ut genus humanum in toto a creatore suo separaret. Sed pius Dominus nolens fabricam imaginis suae perire, unicum verbum suum, per quem omnia quae in caelis & quae in terra creata sunt, ad terram de caelestibus thronis mittere dignatus est: qui carnem immaculatam pro nostra salute ex virgine sumens, venit homo ut lapsum hominem reformaret & diabolum cum suis ministris igni perpetuo deputaret. Nam cum multa mirabilia in terris ostenderet, quae nunquam talia visa sunt, scilicet ut caecos a nativitate sua illuminaret, paralyticos, qui per multorum temporum spatia arentibus membris corporali virtute destituti erant, pristinae restitueret sanitati, leprosis putridissimis comestisque atque foetentibus carnibus nitorem cutis mirabiliter restauraret, mortuos & quatriduanum praesente omni populo suscitaret, & alia multa mirabilia quorum non est numerus faceret, (Quippe quid non reformaret qui omnia formaverat?) Iudaei vero non credentes, sed potius invidentes, tradiderunt eum Pontio Pilato Praesidi, & eum qui pro salute eorum venerat cruci affixerunt, quem Deus suscitavit tertia die a mortuis, & per dies multos post resurrectionem suam cum hominibus conversatus est, mortem vero, quam diabolus hominibus intulit, moriendo occidit, & vita sua resurrectionem nobis donavit; ut quemadmodum ipse post istam mortem resurgens jam non moritur, ita & nos post hanc vitam parvam & miserabilem resurgentes, in aeternum cum illo vivamus. Nam ascendens in caelum, iter vitae caelestis monstravit. Vnde si quis hanc salutem neglexerit, cum diabolo in aeternum damnabitur. Si quis autem crediderit, cum Christo in caelestibus regnis permanebit.

XII. Cumque his & aliis multis pro salute eorum disputaret verbis, Dei voluntate Imperatores crediderunt, & eum deprecabantur ut mysterium hujus salutis superveniente die eis plenius aperiret, & qualiter ignem perpetuum evadere & immortalitate cum sanctis sine fine perfrui possent. Et quidem ex illa die & deinceps sacrificia idolorum declinantes, spectacula tantum pro conclusione millesimi anni, quo natalem urbis celebrabant, fieri imperaverunt.

XIII. Tunc beatissimus Pontius ad Episcopum urbis Romae nomine Fabianum, qui Ecclesiae Dei praeerat, convolavit, & omnia ei ex ordine pandit. Tunc sanctus Papa Fabianus cadens cum eo in orationem dixit. Domine Iesu Christe, gratias ago nomini tuo, qui per famulum tuum Pontium Imperatores populi Romani ad tuam notitiam perducere dignatus es. Alio vero die cum simul ad Principes venissent, & sacramenta eis divina demonstrassent, baptismi gratiam consequuti sunt. Quae tunc illi civitati laetitia fuerit, quaeve exultatio repentina supervenerit, quis poterit enarrare? In initio autem templum quod magnum vocabant ex jussione Imperatorum arripientes sanctus Fabianus & beatissimus Pontius, ac confringentes omnia ejus sculptilia, simul cum templo funditus subverterunt.

XIV. Ita factum est ut omnis populus ad notitiam Domini nostri Iesu Christi cum alacritate & gaudio concurreret, & baptismatis unda perfusi Domino benedicerent. Nam ubi daemonum templa destruebantur, ibi illico Ecclesiae consurgebant. Ecce quanta contulit Dominus Pontio famulo suo, ut ante omnes homines Principes totius orbis Christo adquireret, & ipse, qui secundum seculi dignitatem Consul ad suffragia populi expetebatur, humanis spiritaliter consulens, lucem eis veritatis demonstraret. Hoc autem factum est per annos quatuor quibus Philippi Christiani Imperatores Romanum populum continebant.

XV. Dominus autem volens Ecclesiam suam ut aurum purissimum probare, paleas autem & stipulas igne cremare, post Philipporum mortem permisit ut imperium susciperent Gallus & Volusianus filius ejus: qui cum in cultura daemonum imperarent annos duos & menses quatuor, succedunt eis truces & Ecclesiae Dei persecutores Valerianus & Gallienus, qui mox arrepto imperio pestiferis edictis per universum orbem propositis statuerant ut si quis Christianos apud se retineret, & non eos statim proderet, easdem quae illi parabantur lueret poenas. Omnes namque Ecclesiae filii post quietem tranquillam saevissimis procellis quatiebantur. Cumque beatus Pontius hoc comperisset, paulisper in urbe sese occuluit. Sed cum tutissimum locum ad latebras sui perfugii fovendas minime reperisset, maxime quia eum idolorum sacerdotes, qui sua templa funditus cernebant eversa, insequebantur, tandem urbe egressus non sine dominico praecepto qui dixit, *Et si vos* Matth. 10.
persequuti fuerint in una civitate, fugite in aliam,
& iterum, *Spiritus quidem promptus, caro autem* Matth. 26.
infirma, fines Italiae transiens, urbem sub jugo Alpium procul sitam petiit nomine Cymelam.

XVI. Sed cum perseveranter impiissimorum tyrannorum praecepta insisterent crudelia, & Christianorum nomen radicitus vellent exterminare, & Satanae ministros per omnes provincias cum militibus praefecissent, Claudius Praeses cum Anabio assessore Galliarum partium principes deputantur. In principio autem itineris sui supradictam civitatem Cymelam ingressi, sacrificium daemoniis reddiderunt. Et mox in foro tribunal sibi praeparantes, jusserunt ut Christicolas, quoscunque reperissent, suis repraesentarent obtutibus. Cumque beatus Pontius ante tribunal perductus fuisset, sedens Claudius pro tribunali cum Anabio sub voce horrisona dixit. Adducatur Pontius. Ex officio dictum est. Praesto est. Tunc Claudius Praeses dixit. Tu es Pontius, qui urbem Romam per nescio quam seductionem conturbasti, insuper & piorum Principum mentes abalienasti? Beatus Pontius respondit. Ego neminem turbavi neque subverti, sed ab errore daemonum ad Deum verum converti. Praeses dixit. Audientes de te Domini mei Principes Valerianus & Gallienus, eo quod nobili familia sis ortus, praeceperunt ut diis immoles. Sin autem, cum personis dedecoris & vilibus diversis ad-

ficiaris poenis. Beatus Pontius respondens dixit. Non immolo, quia Christianus sum. Praeses dixit. Consule animae tuae, ne & tu pereas, & patrimonium tuum dissipetur. Pontius beatissimus martyr dixit. Consolator meus Christus est. Patrimonium terrenum si perdidero pro Christo, aeternum adquiram, ubi non censum terrenum sed claritatem cum sanctis angelis merebor. Claudius praeses dixit. Quid mihi per ambages verborum cursitas? Aut sacrifica diis, aut carnes tuas diversis poenis faciam dissipari. Pontius beatissimus martyr dixit. Iam tibi dixi quia Christianus sum, nunquam sacrificabo daemoniis.

XVII. Tunc Praeses jussit eum vinctum catenis in carcerem trudi quousque ad Imperatores de eo relationem misisset, dicens. *Dominis piissimis atque invictissimis triumphatoribus semper Augustis Valeriano & Gallieno Principibus. Nos servi vestri ingredientes initium Galliarum, invenimus Pontium, qui dudum urbem Romam conturbavit, & multa templa deorum subvertit, fugientem vel inobedientem praeceptis vestris. Et quia est de primis in palatio senatoribus, fecimus eum in carcere recludi quoadusque vestra deliberatione censeatis quid de illo nos oporteat facere.* Tunc Valerianus & Gallienus praeceperunt dicentes. *Hoc jubet pietas nostra, ut si sacrificare noluerit, habeatis licentiam qualicunque vultis eum tormento interficere.*

XVIII. Tunc Claudius Praeses produci eum jussit e carcere, cui & dixit. Audi Dominorum tuorum salutaria praecepta, in quibus te jusserunt aut diis cerimoniari, aut inter damnatitios diversa pati tormenta. Beatissimus Pontius respondit. Ego dominum non habeo nisi unum Dominum meum Iesum Christum, qui potens est me de his quae mihi minaris liberare tormentis. Claudius Praeses dixit. Miror te virum potentem ad tantam humilitatem temetipsum inclinare ut tuum dominum voces hominem pauperem & sine honore, quem Pilatus Praeses nostri ordinis atque officij pro nescio qua accusatione dicitur interemisse, & non potius hos dominos vocas qui summum rei publicae apicem moderabiliter continent? Pontius sanctus dixit. Et ego miror te hominem rationabilem factum ad tantam dementiam devenisse ut non cognoscas eum qui caeli & terrae possessor est pro tua salute pauperem non dedignatum esse, & illum qui in caelis ab angelis honoratur sine honore audere dicere? Nam quod a Iudaeis accusatus & a Pilato Praeside est crucifixus, hoc voluntarie pro nostra salvatione, non ex necessitate fecit, ut tu ipse perhibes. O si velles huic tali Deo temetipsum humiliare, statim mentem tuam ad caelos erigeres, & cognosceres te cum diis tuis, quos daemones esse manifestum est, in profundo tenebrarum jacere. Nam Principes tui, quos rem publicam dicis moderari, non solum ipsi in perditionem vadent adorantes ligna & lapides, insuper & populum qui eis subjectus est secum attrahent. Vnde cognoscatis quia si in hac perfidia permanseritis, de isto seculo opprobriosissime exibitis, & in die judicij cum diis quo dicitis in aeterna damnatione eritis.

XIX. Tunc furore repletus Praeses, exclamans lictoribus ait. Praeparate omnia tormenta, equuleum, ungulam, faculas, cardum, nervum, & si qua sunt alia, ut insipientia ejus manifestetur omnibus. Ministri dixerunt. Parata sunt omnia. Claudius Praeses dixit. In equuleo aptatus distendatur, ut omnia tormenta per membra ejus discurrant, & tunc videamus si Deus ejus eruet eum de manu mea. Cumque equuleo aptaretur, beatus Pontius dixit. Licet incredulitas tua impossibilem Dominum nostrum dixerit, ego tamen in nomine Domini mei Iesu Christi credo quod poenae tuae ad nihilum redactae nullum corpori meo dolorem incutient. Cumque equuleo tenderetur, & ministri vectibus impositis trochleam retornarent, cum magno sonitu equuleus confractus est, ita ut in pulverem redactus non compareret, & exanimes repentino fragore, qui ibi aderant, redderentur. Sanctus vero Pontius laetus & sine ullo terrore dixit. Vel nunc incredule disce quia Deus noster potens est pios de tentatione eripere, vos autem iniquos in die judicij igni perpetuo deputare.

XX. Claudius autem Praeses ultra solitum terrorem indignans conturbabatur. Tunc Anabius assessor dixit Praesidi. Sapientissime virorum adventantibus nobis adducti sunt duo ursi ex Dalmatiae montibus mirae magnitudinis. Praecipe ergo parari amphitheatrum, ut ab eis devoratus, non habeat sepulturam. Iussu Praesidis praeparatur amphitheatrum, & beatus Pontius in arena deponitur. Statim egressi duo venatores cum taureis & nervicis secundum consuetudinem, cum stetissent in media arena & sancto Dei provocassent ursos, illi exeuntes de caveis singuli utrosque venatores arripuerunt, & ita eos discerpserunt ut penitus qui fuissent non compareret. Tunc venientes ad sanctum Pontium, non ausi fuerunt propius accedere aut pedes martyris osculari propter paganorum cruorem, sed paulo longius procumbentes, nihil sancto martyri permissi sunt laesionis inferre. Tunc clamor populi in caelum tollitur. Gentiles omnes clamabant. Vnus est Deus Christianorum, quem Pontius colit.

XXI. Tunc demum efferatus Praeses superbia, & rabidis vocibus concrepans, clamare coepit & dicere. Nunc nunc afferte copiam lignorum & omne quod somiti ignis augmenta praestare potest. Et si nescio quibus incantationibus, ut solet Marsorum ars serpentium mitigare iras, iste usus est, nunc videbo si igni imperare potest. Beatissimus Pontius respondens dixit. Numquid objectum criminis apud me reperisti, ut his me trucides flammis? Sed te trucidet ignis aeternus, ignis inextinguibilis. Potens est Deus meus, qui tres pueros de camino ignis eruit illaesos, & me liberare. Aggregata autem multitudine lignorum, jussit sanctum Dei tyrannus vinciri manibus pedibusque catenis, & in media arena statui, multitudinem vero lignorum in circuitu ejus extrui, ignemque supponi. Cumque factum fuisset, ignis gyrans flammis in sublime arenam atque contorquens, plusquam fastigium clusit amphitheatri; consumptisque omnibus quae pabulo ignis fuerant praeparata, ita sanctus Dei ab omni ardore apparuit illaesus ut nec saltem fimbriam vestimenti ejus laederet.

XXII. Tandemque Praeses victus atque confusus dixit. Numquid omnia genera tormentorum superasti, & ideo gloriaris nunc quod reliqua evadas tormenta? Ecce proximum venerabile Apollinis templum. Accede, & sacrifica. Beatus Pontius dixit. Sacrifico ego corpus meum Domino Iesu Christo, quod hactenus a pollutione idolorum immaculatum custodivi. Nam vobis & Principibus vestris cito superveniet ultio divina, quia injuste persequimini servos Christi. Licet non tibi Dominus permisisset ut maculam corpori meo inferres, tamen applica quaecunque volueris tormenta. Tunc Praeses videns constantiam ejus, callide dixit ad eum. Et quidem nos a te oportuit judicari, sed secundum clementiam tuam tu a nobis judicaris. Et cum sis primus senatorum, in spe nescio qua vana confisus, & potestatem & divitias amittis. Pontius sanctus dixit. Potestas hujus seculi vel divitiae similis est nebulae matutinae, quae in oculis hominum videtur terras montesque vel maria cooperire, quam si ventus perflaverit, statim in momento temporis, quasi quae non fuerit, penitus evanescit. Nam gloria & honor quae concupisco in aeternum permanent.

XXIII. Tunc Iudaei qui ad spectaculum amphitheatri convenerant clamare coeperunt & dicere. Occide, occide maleficum. Beatus autem Pontius elevans manus in caelum dixit. Gratias ago tibi Domine, quia sicut patres eorum de Christo tuo clamabant, Crucifige, crucifige, ita & isti in me eisdem insistunt vocibus. Tunc inflammatus Praeses a diabolo exclamavit & dixit. Non mihi soli, sed & Principibus meis multas fecit injurias. Tunc decretum dedit dicens. Ducite eum, & in saxo qui rivulo imminet decollate, corpusque ejus deorsum mittite. Cumque

fa-

factum fuisset, sanctus ac venerabilis Pontius martyrium suum Domino consummavit, & cum palma victoriae anima ejus caelos petiit.

XXIV. Non multo post tempores completus est sermo quem sanctus Pontius praedixerat. Valerianus scilicet Imperator in captivitatem ductus à Sapore Rege Persarum, non gladio, sed ludibrio omnibus diebus vitae suae merita pro factis percepit, ita ut quotienscunque Rex Sapor equum conscendere vellet, non manibus ejus, sed incurvato dorso & in cervice ejus pede posito, equo membra locaret. (Vide Lact. c. 5. de persec.) Gallienus vero eum Mediolanum intrare vellet, a militibus suis comprehensus, gladiis est confossus. Claudius autem Praeses & Anabius assessor eadem hora qua sanctus Pontius decollatus est, arrepti a daemonibus suffocabantur. Nam Claudius linguam sibi morsibus minutatim incidit. Anabij vero oculi e suis concavis vi doloris evulsi, pellibus tenuissimis per ora pendebant. Sicque factum est ut in momento temporis uterque expiraret. Ob hoc factus est timor magnus Iudaeis ac gentibus & omni illi civitati, ac sepulchrum sancti Pontij martyris admirabili venerabatur honore.

XXV. Iuvenis quidam Valerius, qui cum eo fuerat nutritus, timens corpus ejus metu gentilium auferre, per noctem in eo quo jacebat sepelivit loco. Gesta vero martyris ab exceptoribus pecunia redimens & secum tollens, reperta navicula in Libyae partes causa persecutionis declinavit. Dominus autem suscepit martyrem suum in pace, cui est honor, gloria, potestas, & imperium in secula seculorum. Amen.

Explicit passio beati Pontij martyris.

VITA SANCTI EVSEBII

Presbyteri Romani.

(Anno Christi 317.) EOdem tempore quo Liberius de exilio revocatus fuerat a Constantio Augusto haeretico, in eodem tantum dogmate ut non rebaptizarent populum, sed una communione contaminarent plebem, Eusebius Presbyter urbis Romae coepit declarare Liberium haereticum & amicum Constantij. Cumque multi sancta confessione & catholica fide vitarent communionem Liberij per Eusebij Presbyteri doctrinam, occupantur Ecclesiae a Liberio, eicitur Felix de episcopatu, subrogatur Liberius, tenetur Eusebius Presbyter, & quod in domo sua, quam ipse construxerat, populum congregaret, & quia confortaret plebem sanctam. Tunc Constantius Imperator aggreditur cum Liberio Eusebium Presbyterum dicens. Tu solus Christianus es in urbe Roma? Eusebius Presbyter respondit: Sic confidimus in Domino, quia fideles nos inveniet Christus, sicut & baptizati sumus & benedictionem quam a beato Iulio suscepimus tenemus. Liberius dixit: Nos cujus fungimur vice? Nonne Iulij anterioris nostri? Eusebius Presbyter dixit: Si perseverasses in fide quam in persecutione primo tenere visus fueras. Liberius dixit: Praesente Augusto tam contumacem me existimas? Eusebius dixit: Res ipsa te docet & declarat. Imperator Constantius dixit: Et quid est inter fidem & fidem? Eusebius Presbyter respondit: Quantum ad nos peccatores, integre tenentes sumus. Quantum ad vos, insania diaboli & invidia superstitionis vestrae, ut Felicem Episcopum, quem vos non tacuistis catholicum & Dominum Iesum Christum invocantem purum sacerdotem ab omnibus declaratum, in damnationis causam exilio direxistis; qui tamen in praediolo suo orationibus vacat. Et quidem jussu tuo Christianis occisionem & necem praecepisti inferri, maxime Clericis & Presbyteris & Diaconibus. Tunc iratus Constantius subrogatu Liberij includit Eusebium Presbyterum in quodam cubiculo domus suae quod humile erat in latitudine pedibus quatuor, & ibi multis mensibus in oratione constanter perseverans, inclusus tamen, post menses septem dormitionem accepit nonodecimo Kalendas Septembris. Cujus corpus collegerunt Gregorius & Orosius Presbyteri parentes ejus, & sepelierunt in crypta juxta corpus beati Sixti martyris & Episcopi via Appia in cimiterio Calisti; ubi & titulum ejus scribentes posuerunt pro commemoratione ejus: *Eusebio homini Dei*. Eodem tempore auditum est a Constantio Imperatore eo quod Gregorius & Orosius Presbyteri collegerunt corpus Eusebij Presbyteri, & in eadem crypta vivum praecepit includi Gregorium. Tunc Orosius Presbyter collegit semivivum beatum Gregorium noctu, occulte propter Constantium Augustum, & emisso spiritu, sepelivit eum juxta corpus sancti Eusebij Presbyteri. Qui etiam Orosius haec gesta conscripsit. Ab eodem die intra Ecclesias jussu Constantij Imperatoris quisquis inventus fuisset non sic confiteri vel participari sicut Liberius, indiscussus gladio puniretur. Quapropter in plateis & in vicis & in Ecclesiis sive in balneis gladio trucidabantur, persequente Constantio Christianos una cum Liberio. Mortuo autem Liberio, levatur Damasus, qui voce publica damnavit Liberium facta synodo cum Episcopis viginti & octo & Presbyteris viginti & quinque; & cessavit persecutio, non tamen multum tempus, donante Domino nostro Iesu Christo, qui vivit & regnat in secula seculorum. Amen.

STEPHANI BALVZII TVTELENSIS NOTAE

AD LACTANTIVM ET ALIA.

INter multos ac varios codices manuscriptos quos vir literarum ac literatorum amantissimus & in omni genere laudis excellentissimus JOANNES BAPTISTA COLBERTVS in publicam studiorum utilitatem ex omni Europa, Asia, Africa comparavit, repertus est unus auro contra aestimandus, in quo continetur Lucij Caecilij Firmiani Lactantij liber de persecutione sive de mortibus persecutorum, quo hactenus caruerat Ecclesia. Non facit ille quod plerique solent; qui si veteria cujuspiam scriptoris opus ineditum, quantumvis leve sit ac tenue, nacti fuerint, diligenter occultant, tamquam in tenebris magis eluceat, ut gloriari possint se solos possidere quod omnes habere vellent, caventque summopere ne in manus aliorum venire possit. Liberalior excelsiorque est animus illustrissimi viri quàm ut falsa illa gloria teneri possit. Itaque quum intellexisset hunc

hunc Lactantii librum extare inter antiquos codices manuscriptos bibliothecae suae, satisque compertum haberet quantum hinc utilitatis accederet Ecclesiae si vulgaretur, quamquam antea frequenter mandaverat ut si quid ineditum reperiretur in eisdem antiquis codicibus, id totum praelo committeretur, tamen ea occasione mandatum dedit speciale, & solita magnitudine animi illatum jussit ut hic Lactantij liber in clarissimam lucem ederetur.

Damus igitur illum ex codice 1297. bibliothecae Colbertinae, qui octingentorum aut circiter annorum esse videtur, integrum quidem, sed ab imperita manu scriptum, adeoque pluribus mendis infectum. Atque ea quidem quorum emendatio facilis & obvia erat, libere nos emendavimus; sed ea intacta reliquimus in quibus audacia corrigendi non vacabat periculo. Fortassis alij feliciores erunt. Compositus & absolutus est liber eo anno quo post extinctos persecutores dulcissimum & pulcherrimum pacis nomen auditum est in Ecclesia Christi, nostrisque hominibus tranquillitas ac loquendi scribendique libertas restituta. Quis enim historiam istiusmodi scriberet in medio atrocissimae persecutionis? Sanè Lactantius libros divinarum institutionum scripsit furente persecutione, in ipsis ejus initiis, ut ex capite secundo & quarto libri quinti colligitur; sed non emisit, impeditus videlicet rei & temporis necessitate, ut ipse loquitur in principio libri de opificio Dei. At quum data esset pax, omnisque metus e pectoribus Christianorum depulsus beneficio Constantini M. Imperatoris, tum vero ecclesiastici scriptores indulgentia benignissimi Principis usi, animum converterunt ad scribendum, quod antea non erant ausi. Itaque tum Lactantius divinarum institutionum libros, in quibus loca quaedam passim reperiuntur quae manifesto constat scripta esse post bellum sedatum atque extinctum, recensuit, pleraque addidit, in primis vero ea quae in initiis librorum & in epilogo dicuntur ad Constantinum, quae perperam nonnulli judicant notha esse ac supposititia, adeo ut eorum praejudicio fretus Josephus Isaeus, qui postremam Lactantij editionem Romanam emisit, universa deleverit quae in aliis editionibus ad Constantinum scripta leguntur. Et tamen puto non posse vere dubitari quin ea sint Lactantij, cum & ejusdem sint stili cum ceteris ejusdem operibus, & phrases quaedam quae illic habentur, eaedem sint in variis locis illius historiae & reliquarum Lactantij lucubrationum. Sed haud dubie duae antiquitus fuere divinarum institutionum editiones, una ferme statim post datam Ecclesiae pacem emissa, quum adhuc Lactantius esset in Bithynia, altera post bellum Cibalense & Mardiense, quum venisset in Gallias propter Crispum Constantini filium. Qui ergo priore editione usi sunt, ea profecto non habuerunt quae postea de Constantino addita sunt, atque adeo mirum non est ea desiderari in quibusdam exemplaribus. Sed ut redeamus ad librum de mortibus persecutorum, a quo nos adduxit occasio disserendi de tempore quo scripti sunt libri divinarum institutionum, certum est eum ab auctore scriptum Nicomediae in Bithynia, ubi is habitavit per totum illud tempus quo persecutio in oriente grassata est, & absolutum fuisse post confectum bellum apud Campum serenum in Thracia, post quod integra fuit Ecclesiae pax, profligato ac paulo post extincto Maximino, homine nostrae religionis inimicissimo. Colligitur illud ex pluribus ejusdem historiae locis, sed praecipue ex epilogo, in quo auctor verbis apertissimis innuit haec scripta a se esse post datam pacem plebi Dei, quae per annos decem partim vastata, partim dispersa fuerat. Adde quod librum suum nuncupavit illustri regionum illarum confessori Donato, quem etiam compellat in medio operis & in fine. Haec enim indicant eos tum simul fuisse aut certe non magno locorum intervallo disjunctos. Illud etiam diligenter observandum est, eum illa tantum edicta, quae pro Christianis data sunt, in hoc opere descripsisse quae proposita Nicomediae sunt, aliorum mentionem non facere: quia nimirum ea tantum refert quae ipse proponi vidit, & quorum propterea copiam facile habere potuit.

De patria Lactantij video varias esse sententias; quarum ea infirmior videtur quae Firmo Piceni oppido eum ortum contendit, quia Firmianus vocatur. Eam ego praefero quae Afrum fuisse censet. Nam & in Africa praeceptore usus est Arnobio; & Nicomediam accitus à Diocletiano, ut illic literas oratorias doceret, ut ipse scribit, non aliunde venisse videtur quam ex Africa, cum apud Hieronymum in libro de viris illustribus legatur ὁδοιπορικὸν suum ab Africa Nicomediam usque versibus hexametris descripsisse. Erat autem Nicomediae tempore persecutionis quae sub Diocletiano universam commovit Ecclesiam, etiam quum data pax est. Nam quae in libro de mortibus persecutorum dicuntur de proposita Nicomediae constitutione Constantini & Licinij, deque adventu Licinij in eam urbem, ea profecto ab alio scribi non potuerunt quam ab eo qui quae scriberet, oculis usurparet. Quum vero postea Constantinus post bellum Cibalense, quod confecit anno Christi CCCXIV. VIII. Idus Octobris, in Thraciam ac Macedoniam profectus esset, tum haud dubie Lactantius, ei fortean olim cognitus, e Nicomedia ad eum venit, & postea jussu ejus Gallias petiit, ubi Crispum Constantini filium Latinis literis erudivit. Putavit vir doctissimus Petrus Franciscus Chiffletius Crispum à Lactantio institutum fuisse anno Christi CCCXII. eodem nimirum tempore quo primum Constantinus, ut ille ait, mox mater ejus Helena Christum agnovere, fidei nostrae sacramenta edocti ab Eusebio Episcopo Vesontionensi, & Crispum cum Helena & Lactantio relictum Vesontione a Constantino quum is in Italiam profectus est adversus Maxentium. Verum narratio ea qua Chiffletius hanc historiam contexuit, posterioris ac sequioris seculi scriptum est, & nullam fidem meretur. Praeterea certum est Lactantium adhuc in Bithynia fuisse quum bellum parabatur adversus Maxentium & aliquanto post. Venit ergo Lactantius in Galliam (quod etiam placuisse video clarissimo viro Iacobo Gothofredo) anno tantum CCCXV. quum pace post pugnam Cibalensem atque Mardiensem constituta inter Constantinum & Licinium Magnus Gallias repetiit. Rediisse enim illum ad uxorem suam facile colligitur ex Zosimo & Epitome Victoris, ubi scriptum est Constantinum Magni filium, *in Arelatensi oppido ante non multos dies editum*, factum fuisse Caesarem cum Crispo & Liciniano Licinij filio, quod contigisse anno Christi CCCXVII. Kalendis Martiis docent Fasti Idatiani. Nam cum pugnatum in Pannonia sit anno CCCXIV. exeunte, & ineunte anno CCCXVII. natus in Gallia sit Constantinus Constantini filius, necesse est patrem medio temporis in Gallia fuisse, adeoque illuc rediisse post pacem factam cum Licinio. Qua occasione verisimile est Lactantium, virum omnium suo tempore eruditissimum, ut Eusebius ait, a Constantino adductum fuisse in Gallias, ut Crispum imbueret cognitione historiae & ceterarum bonarum literarum. Et quidem facile assentior doctissimis viris Christoforo Brovvero & Ægidio Bucherio, qui tamquam rem certam tradunt Lactantium Treviris senectutem extremam egisse quum erudiendo Crispo daret operam, & hic verisimiliter libros divinarum institutionum ad Constantinum Imperatorem contexuisse. At Chiffletius, honesto & decoro patriae amore ductus, hunc honorem aequa lance partitur inter Treviros & Vesontionenses, sic Bucherio concedens Crispum Treviris eruditum à Lactantio fuisse ut id tamen factum velit etiam Vesontione. Sed conjectura illa nullum omnino fundamentum habet praeter bonam clarissimi & optimi viri voluntatem & inclinationem in suos Vesontionenses. Ceterum Lactantium alibi quam in imperio Licinij fuisse quum is religioni Christi manifesto contrarius apparuit, adeoque tum in Gallia fuisse, docet ipse ad Constantinum scribens in initio libri primi divinarum institutionum. *Nam mali*, inquit, *qui adhuc adversus justos in aliis terrarum partibus saeviunt, quanto serius, tanto vehementius idem omnipotens mercedem sceleris exsolvet*. Cœpit autem Licinius aperte saevire in Christianos anno CCCXX. ut certis argumentis ostenderunt viri doctissimi. Vnde colligi potest Lactantium adhuc eo tempore in humanis fuisse. Immo ultra hunc annum eum produxisse aetatem docere ipse videtur in fine libri quarti divinarum institutionum, ubi inter varias haereticorum sectas numerat etiam Arrianos. Nam cum illi plene orbi universo innotuerint post habitam synodum Nicaenam, apparet Lactantium superstitem huic synodo fuisse, si vera est lectio. Scio virum clarissimum & eruditissimum Michaelem Thomasium sustulisse ab eo loco nomen Arrianorum in ea quam curavit Lactantianorum operum editione, & habuisse sententiae suae suffragatorem Iosephum Isaeum. Sed

cùm

cùm illi destituantur auctoritate veterum exemplarium, & de novem Vaticanis duobusque Vallicellanae bibliothecae codicibus, quod hanc clausulam habeant, fidem faciat illustrissimus Cardinalis Baronius, cum sciam unum ex Bononiensibus, quem & Thomasius & Latinus Latinius viderunt, tum etiam tres Colbertinos, & veteres editiones, eas nimirum quae Thomasianam antecesserunt, cum sciam inquam tot veteres codices & editiones mentionem heic facere Arrianorum, & vix unum aut alterum vetus exemplar proferri in quo eorum nomen non extet, non invitus assentior eidem Baronio Thomasium reprehendenti quod contra omnium veterum exemplarium & editionum fidem textum Lactantij corruperit, nulla vel levi ratione allata cur id fecisset. Vtcunque se res habeat, cum constet eum in extrema senectute praeceptorem Crispi fuisse, necesse est illum circa ea tempora mortuum quibus Constantinus vicennalia sui imperij celebravit. Acciderintne illius mors Augustae Trevirorum, an alibi, exploratum non est. Ego hue valde inclino ut cum Bucherio sentiam eum in civitata illa & extinctum & sepultum esse, cum id extrema illius senectus, quam illum egisse in Gallia docet Hieronymus, facile persuadeat.

LVCII CAECILII) In veteri codice ita simpliciter conceptus est titulus istius operis. *Lucij Caecilij. Incipit liber ad Donatum confessorem de mortibus persecutorum.* Quod autem is sit Lactantius, cujus extant libri septem divinarum institutionum & alia quaedam opuscula, tam ac tam manifesta sunt argumenta ut res extra omnem controversiam posita esse videatur. Nam & stylus omnino Lactantianus est, ut facile periti rerum istarum aestimatores agnoscent; & versus interdum Virgilianos huic operi interserit auctor, ut solet Lactantius; denique pleraque quae isthic leguntur, eadem fere ad verbum in aliis ejusdem libris leguntur, ut suis infra locis adnotabimus. Adda auctoritatem sancti Hieronymi, qui in catalogo virorum illustrium recensens opera Lactantij, inter ea commemorat librum de persecutione, nimirum hunc nostrum. Neque movere quemquam debet quod in Lactantij editionibus quae manibus eruditorum teruntur, non Caecilius, sed Coelius appellatur, tamquam hinc colligi posse videatur Lucium Caecilium libri istius auctorem diversum esse à Lactantio. Nam licet verum sit eum semper vocari Coelium in editionibus quae praenomen ejus habent, ut sunt omnes posteriores, in Romana tamen anni MCCCCLXX. quam curavit Joannes Andreas Episcopus Aleriensis, vocatur simpliciter Lactantius Firmianus absque ullo praenomine, & in codice 507. bibliothecae Colbertinae, in quo continentur vulgatae Lactantij lucubrationes, diserte in titulo vocatur Lucius Caecilius Firmianus Lactantius. Immo cum videam eum appellari tantum Firmianum Lactantium in codicibus 1095. & 1495. ejusdem bibliothecae Colbertinae & in optimo & vetustissimo exemplari MS. academiae Oxoniensis, facile adducor ut credam pleraque vetera lucubrationum ejus exemplaria neque Coelij praenomen habere neque Caecilij, ac nihilo minus verum ejus praenomen esse Caecilium, cum ita constanter vocetur in titulo istius historiae & in codice 507. bibliothecae Colbertinae, ut monuimus. Cur autem in titulo hujus libri praetermissum sit in veteri codice verum nomen Lactantij, quod est ultimum ex quatuor quae illi tribuuntur, id (ut in simili causa Sirmondus adnotavit ad Sidonium) librarij oscitantia evenisse credendum est: qui cum omnia scriptoris illius nomina brevitatis studio adscribere nollet, pro ultimo, quod proprium erat, id potius imperite delegit quod primo loco occurrebat.

AD DONATVM) illustrem horum temporum confessorem, qui novies tormenta pertulit pro nomine Christi, sex annorum spatio tentus in carcere, unde emissus est extremis Galerij Maximiani temporibus, ut legitur infra cap. XVI. & XXXV. istius operis. Eidem librum de ira Dei nuncupavit Lactantius, scriptum post datam divinitus pacem.

DE MORTIB. PERSEC) Apud Hieronymum legitur simpliciter Lactantium scripsisse *de persecutione librum unum.* Sed nos retinuimus lectionem veteris exemplaris, quoniam manifestum est consilium institutumque auctoris fuisse ut miserabiles exitus eorum describeret qui persecutionem adversus Christianos excitaverant. Mortes autem dixit quomodo Cicero libro secundo de

finibus: *Praeclara mortes sunt imperatoriae.* Item in fine libri primi Tusculanarum quaestionum: *Clarae vero mortes pro patria oppetitae, non solum gloriosae rhetoribus, sed etiam beatae videri solent.* Tacitus lib. XI. annalium: *multasque mortes jussu Messallinae patratas.* Et lib. XIV. *Sequuntur virorum illustrium mortes.* Idem lib. III. histor. *varia pereuntium forma & omni imagine mortium.* Item lib. I. *laudatis antiquorum mortibus pares exitus.* Et Statius in libro nono Thebaidos: *Desertasque tulit sine funere mortes.* Et paulo post: *Nil opus arma intra tentare & perdere mortes.* Sanctus Augustinus epist. LXVIII. *Insuper etiam si quas mortes sibi ultro ingerunt, nobis volunt esse invidiosas.* Idem lib. I. contra Gaudentium cap. VI. *Haec est innocentia partis Donati, ut hoc faciatis adjunctis mortibus vestris, quod etiam apud Carthaginem in invidiam nostram de basilicis quae vestra fuerunt, sicut praesistis, & eum quibus potuistis fecisse asseveramini sine mortibus vestris.*

EXCITAVIT DEVS PRINCIPES) Constantinum & Licinium, qui tum quum haec scribebat Lactantius pacem Ecclesiae dederant, nondum commota a Licinio persecutione adversum nostros. Cap. 1.

QVI ADVERSATI) In veteri libro legitur *illustrati*, quod nos mutavimus, quia emendatio certa erat.

TEMPLVM EA. EVERTERANT) Ex his quae infrà cap. XIII. dicet Lactantius & ex libro quinto divinarum institutionum cap. XI. patet heic agi de templo Nicomediae, quod à Diocletiano & Maximiano eversum fuit.

NOCENTES ANIMAS PROFVDERVNT) Diocletianus nimirum, Maximianus Herculius, Galerius Maximianus, & Maximinus Daza, quorum horrendae mortes describuntur in hoc libro.

VIRTVTEM AC MAIEST.) Lactantius lib. IV. institut. cap. XXVI. *virtutem majestatemque Dei singularis interpretari.* Et lib. VI. cap. IX. *virtutem ac majestatem Dei singularis enarrat.*

POST DIEM DECIMVM) Hic in primis locus confirmat librum istum verè esse Lactantij. Nam idem ipse libro quarto divinarum institut. cap. X. loquens de Iudaeis ait: *Exinde Tetrarchas habuerunt ad Herodem, qui fuit sub imperio Tiberij Caesaris, cujus anno quinto decimo, id est, duobus Geminis Consulibus, ante diem decimum Kalendarum Aprilium Iudaei Christum cruci affixerunt.* Sic enim legitur in antiquis Lactantij exemplaribus manuscriptis, in editione Romana anni MCCCCLXX. in Veneta anni MDXXI. & apud Paulum de Middelburgo in Paulina. Xystus tamen Betuleius contendit in melioribus Lactantij editionibus legi *ante diem septimum Kalendarum*, Romanamque illam sugillat quae *ante decimum* habet. Sed tandem anno MDCL. Iosephus Isaeus veterem lectionem huic loco restituit auctoritate plurimorum veterum exemplarium, quae nunc confirmatur ex ista quoque Lactantij lucubratione. Vide porro doctissimi viri Michaelis Thomasij Notas ad locum illum ex divinarum institutionum libro quarto. Cap. 2.

POST DIEM DECIMVM) In libro quarto institutionum legitur *ante diem decimum.* Verum haec discrepantia nullam importat repugnantiam. Idem enim valet *post diem* ac *ante diem*, ut monet Paulus in l. *Anniculus.* 132. Dig. de verbor. significat. *Anniculus amittitur qui extremo anni die moritur. Et consuetudo loquendi id ita esse declarat, Ante diem decimum Kalendarum, Post diem decimum Kalendarum.* Sed hic locus Pauli non caret difficultate. Nam Marcellus Francolinus in tractatu de tempore horarum canonicarum cap. LXXIII. contendit heic per verba *post diem* non posse intelligi aliquem dierum qui sunt ante Kalendas, sed decimum post Kalendas, id est, nonum mensis diem; idque confirmare nititur pluribus exemplis. Frustra. Nam cum Lactantius eandem rem duobus in locis referens, in uno quidem dixerit *ante diem decimum*, in alio vero *post diem decimum*, manifestum est horum verborum eundem debere sensum esse. Praeterea Romani nunquam à Kalendis denominaverunt dies qui sequuntur post Kalendas, sed eos tantum qui antecedunt, ut nemini paulo erudito est obscurum.

CONGREGAVIT DISCIPVLOS) Lactantius lib. IV. institut. cap. XX. *Discipulis iterum congregatis, scripturae sanctae litteras id est Prophetarum arcana patefecit, quae ante quam pateretur perspici nullo modo poterant.* Et cap. XV. *Sicut etiam voces Prophetarum, quae*

gum per annos mille quingentos & eo amplius lectae fuissent a populo Iudaeorum, nec tamen intellectae sunt nisi postquam illas Christus & verbo & operibus interpretatus est.

ORDINAVIT) Lactantius ibid. cap. XXI. *Ordinatis vero discipulis suis evangelica ac nominis sui praedicatione, circumfudit se repente nubes, eumque in caelum sustulit.*

PER ANNOS XXV.) Ait Lactantius Apostolos, & in his Matthiam & Paulum, qui post mortem Christi Domini reliquis adjuncti fuerant, evangelium per omnem terram praedicavisse per annos XXV. usque ad principium Neroniani imperij, & Petrum Romam profectum quum Nero illic imperaret. Et hanc quidem fuisse tum communem de Petri ad urbem Romam profectione opinionem, tametsi aliter post nonnullos veteres senserit Eusebius, valde probabile est, cum Lactantius nullam de ea re controversiam moveat. Fortassis ergo ex his viginti quinque annis, qui ad praedicationem omnium Apostolorum ex aequo pertinent, orta est opinio de viginti quinque annis quos quidam veteres & innumerabile recentiorum agmen sancto Petro Apostolo tribuunt in sede Romana. Sane licet frustra ac supervacanee a nonnullis negari putem adventum ejus ad urbem Romam, qui clarissimis veterum testimoniis comprobatus est, de tempore tamen multum ambigo, cum videam tot tantasque difficultates habere eorum sententiam qui illum Romam venisse volunt Claudio imperante ut coacti sint duplicare profectionem ejus in urbem & duplex item ejus cum Simone mago certamen comminisci, primo quidem temporibus Claudij, dein principatu Neronis. Quae res quam absurda sit, cum id à nullo veterum proditum sit memoriae literarum, pervident istarum rerum periti. Nam quod a recentiore auctore sine alicujus vetustioris auctoritate profertur, contemnitur, ut monuit illustrissimus Cardinalis Baronius. Itaque si fas esset recedere a vulgari & in animis hominum insita opinione, ei Lactantianam libenter praeferrem; id est, Petrum quidem Romae praedicasse evangelium facile concederem, non sub Tiberio Claudio, ut vulgo putant, sed sub Nerone Claudio. Quippe stabilita semel hac verissima, ut puto, sententia, conquiescit statim omnis disputatio absque ullo incommodo auctoritatis Romani Pontificis. Neque enim longa annorum series, quibus Petrus fuerit Episcopus Romae, primatum illius Ecclesiae stabilivit, sed persona Petri, qui cathedram suam ibi collocavit, & eam suo sanguine solidavit ac confirmavit.

FVNDAMENTA MISERVNT) id est, posuerunt, ut ipse Lactantius scripsit in loco paulo ante laudato: *Discipuli vero per provincias dispersi fundamenta Ecclesiae ubique posuerunt facientes & ipsi in nomine magistri Dei magna & paene incredibilia miracula.* Agrariae rei scriptores mittere dicunt pro ponere, ut pluribus ostendit vir clarissimus Nicolaus Rigaltius in glossis.

CONVERTIT MVL. AD IVSTITIAM) id est, ad culturam veri Dei, ut loquitur Lactantius lib. VII. institut. cap. XVII. idem lib. V. cap. VII. *Reddita quidem terrae, sed paucis assignata justitia est, quae nihil aliud est quam Dei unici pia & religiosa cultura.* Qua voce passim ad significandam religionem Christi utitur Lactantius in hoc libro & in reliquis lucubrationibus suis. Sulpitius Severus lib. II. sacrae hist. loquens de Romanis ad audiendum Paulum convenientibus: *qui veritate intellecta, virtutibusque Apostolorum, quas tum crebro ediderant, permoti, ad cultum Dei sese conferebant.*

TEMPLVM FIDELE AC STABILE) Ecclesiam nimirum, *quae est verum templum Dei, quod non in parietibus est, sed in corde ac fide hominum qui credunt in eum ac vocantur fideles*, ut ait Lactantius in libro quarto institutionum cap. XIV. Et in capite sequenti Ecclesiam vocat aeternum & immortale Dei templum. quod etiam repetit in capite secundo libri de ira Dei. Hinc infra de Nerone in hoc ipso libro: *Prosilivit ad excidendum caeleste templum.* Et cap. XV. *Nam Constantius, ne dissentire à majorum praeceptis videretur, conventicula, id est, parietes, qui restitui poterant, dirui passus est, verum autem Dei templum, quod est in hominibus, incolume servavit.* Hinc libro quarto institut. cap. X. ait necesse fuisse *Dei filium descendere in terram ut constitueret Deo templum doceretque justitiam.*

PRIMVS OMNIVM PERSECVTVS) Tertullianus in apologetico cap. V. *Consulite commentarios vestros, illic reperietis primum Neronem in hanc sectam tum maxime Romae orientem Caesariano gladio ferocisse. Sed tali dedicatore damnationis nostrae etiam gloriamur.* Petilianus Episcopus Constantiniensis, sive Cirtensis, partis Donatistarum apud Augustinum lib. II. contra litteras Petiliani cap. XCII. *Relinquam Neronem, qui primus persecutus est Christianos.* Sulpitius Severus lib. II. de Nerone loquens: *qui, non dicam Regum, sed omnium hominum, & vel immanium bestiarum sordidissimus, dignus extitit qui persecutionem in Christianos primus inciperet.*

NE SEPVLT. Q. LOCVS) Contra Suetonius docet eum funeratum esse impensa ducentorum millium, & reliquias ejus Domitiorum monumento conditas, quod prospiciebatur e campo Martio impositum colle hortorum, & fuisse qui per longum tempus vernis aestivisque floribus tumulum ejus ornarent.

VIVVM RESERVATVM) Ea fuit quorundam veterum persuasio, Neronem non esse mortuum, se adhuc vivere, & venturum ante seculi finem, & vel ipsum fore Antichristum, vel temporibus iisdem per occidentem saeviturum quibus ille per orientem, ut observavit Casaubonus ad Suetonium. Qua de re vide etiam annales ecclesiasticos illustrissimi Cardinalis Baronij. Sed alia mens Lactantio fuit, qui eos qui ita sentiunt, delirare pronuntiat. Quare falsa prorsus est conjectura Iosephi Isaci, qui in Notis ad librum septimum divinarum institutionum cap. XVI. suspicatur Lactantio eam sedisse sententiam ut crediderit Regem illum potentissimum, qui in fine mundi princeps omnium constituetur, futurum Neronem, eoque nomine Lactantium arguit erroris.

SIBYLLA DICERVNT) Sic libros Sibyllinos laudare solet Lactantius, tametsi illos sciret non unius esse Sibyllae, sed plurium. Ita ipse libro primo divinar. institut. cap. VI. *Et sunt singularum singuli libri qui quia Sibyllae nomine inscribuntur, unius esse creduntur. Sed & nos confuse Sibyllam dicemus, sicubi testimoniis earum fuerit abutendum.* Duo autem sunt loca in vulgatis Sibyllarum oraculis ad quae respexisse hoc loco scio Lactantium. Primus habetur in libro quarto.

> Ἥξει δ' ἐκ περάτων γαίης μητροκτόνος ἀνὴρ
> Φεύγων ἠδὲ νόοισιν ὀξέα μερμηρίζων,
> Ὃς πᾶσαν γαῖαν καθελεῖ, καὶ πάντα κρατήσει.

Quae sic Latine versa sunt à Sebastiano Castalione.

> *Matris & occisor quidam de finibus orbis*
> *Vir fugiens veniet, sperans immania, frendensque,*
> *Omnes qui terras vastabit, & omnia vincet.*

Secundus locus ita habet in libro octavo Sibyllinorum oraculorum.

> . . . . ὁπόταν γ' ἐπανέλθῃ
> Ἐκ περάτων γαίης ὁ φυγὰς μητροκτόνος ἐλθὼν,
> Ταῦτ' ἅπασι δώσει πλοῦτον μέγαν Ἀσίδι δώσει.

> *— ut quando redibit*
> *Extremo ex orbe matris fugitivus ab orbe*
> *Omnibus haec donans, Asiam locupletet abunde,*

ALTER NON MINOR) id est, Domitianus, calvus Nero dictus a Iuvenale, quem Tertullianus in apologetico cap. V. vocat portionem Neronis de crudelitate, & Eusebius lib. III. hist. eccles. cap. XVII. Neronianae impietatis & odij adversus Deum successorem. Tertullianus: *Tentaverat & Domitianus, portio Neronis de crudelitate: sed quia & homo, facile coeptum repressit, restitutis etiam quos relegaverat.* Ita veteres editiones & vetus codex Colbertinus. Posteriores editores maluerunt *qua*. quam bene, viderint alij. Ceterum quod heic a Tertulliano dicitur de restitutis Christianis quos Domitianus relegaverit, non ita intelligendum est ut putavit Franciscus Zephyrus, nimirum Domitianum, quia non omnem exueiat humanitatem, neque dignos exilio aut alia mulcta Christianos videret, repressisse impetum, & quos jam in insulas aliaque passim loca relegarat, eundem ipsum restituisse. Falsum enim istud: neque Christiani revocati sunt ex insulis ante imperium Nervae, ut constat ex Cap. 3.
his

his quae paulo post referemus ex Dione & Clemente Alexandrino, tum etiam ex Lactantio.

ERASA EST) Macrobius lib. I. Saturnal. cap. XII. *Octobrem vero suo nomine Domitianus invaserat, sed ubi infaustum vocabulum ex omni aere vel saxo placuit eradi.*

MVL. MIR. OP. FABRICASSE) Suetonius in Domitiano: *Plurima & amplissima opera incendio absumta restituit, in queis & Capitolium, quod rursus arserat, sed omnia sub titulo tantum suo, ac sine ulla pristini auctoris memoria.*

NEQ. IMAG. N. TITVLOS.) Idipsum scribit Eusebius lib. III. cap. XX. historiae ecclesiasticae. Suetonius: *Contra Senatus adeo laetatus est ut repleta certatim curia non temperaret quin mortuum contumeliosissime atque acerbissime acclamationum genere laceraret, scalas etiam inferri, clypeosque & imagines ejus coram detrahi & ibidem solo affligi juberet, novissime eradendos ubique titulos abolendamque omnem memoriam decerneret.* Vide etiam Xiphilinum in Nerva, & Procopij Caesariensis historiam arcanam pag. 37. editionis Lugdunensis.

ECCLESIA RESTITVTA) Narrat Dio apud Xiphilinum, Nervam omnes qui impietatis in deos rei fuerant absolvisse, exules in patriam reduxisse, edicto insuper vetuisse ne cui liceret aut impietatis sive Iudaicae sectae (sic tum vocabant religionem Christi) quempiam dehinc insimulari. Ea porro occasione Ioannes Apostolus, qui in Patmon insulam à Domitiano fuerat relegatus, exilio solutus, Ephesum reversus est, ut ex Clemente Alexandrino tecitat Eusebius lib. III. cap. XXIII.

BONI PRINCIPES) quamvis pagani. Lactantius in fine libri septimi divinarum institutionum ad Constantinum: *Quoniam unus ex omnibus extitisti qui praecipua virtutis & sanctitatis exempla praeberes, quibus antiquorum principum gloriam, quos tamen fama inter bonos numerat, non modo aequares, sed etiam, quod est maximum, praeterires. Illi quidem natura fortasse tantum similes justis fuerunt. Qui enim moderatorem universitatis Deum ignorat, similitudinem justitiae assequi potest, ipsam vero non potest.* De bonis principibus, qui & libertatem credendi nostris hominibus permiserunt, & eorum ministerio in palatio & in provinciis usi sunt, eosque ad maximas dignitates evexerunt, videndus Eusebius in initio libri octavi hist. eccles.

NVLLVS TERR. ANGVLVS) Lactantius lib. IV. institut. cap. XXVI. *Nam quoniam is qui patibulo suspenditur, & conspicuus est omnibus & ceteris altior, crux potius electa est, quae significaret illum tam conspicuum tamque sublimem futurum ut ad eum cognoscendum pariter & colendum cunctae nationes ex omni orbe concurrerent. Denique nulla gens tam inhumana est, nulla regio tam remota, cui aut passio ejus aut sublimitas majestatis ignota sit.*

NVLLA DENIQVE NATIO) In veteri codice legitur, *nulla denique Dei natio*. Sed nos vocem *Dei*, quae heic omnino superflua erat, abjecimus Et nostram emendationem confirmat Lactantij locus mox relatus.

Cap. 4. PRINCIPALE FASTIGIVM) Lactantius in epilogo libri septimi ad Constantinum: *Te providentia summae divinitatis ad fastigium principale provexit.*

ADVERSVM CARPOS) Constantinus in oratione ad sanctorum coetum cap. XXIV. Getas sive Gothos vocat, auctor Chronici Alexandrini Francos, Zosimus libro primo historiarum Scythas de quibus etiam interpretatur Cuspinianus. Ac sane Constantinus in eadem oratione scribit Decium perijsse in campis Scythicis. Res ista sic conciliari potest ut quia Carporum Gothorumque eadem origo erat, & quia utrique propter Istrum fluvium sedes habebant, ut Zosimus docet, facilè eorum nomina permutarentur, & alius ad Gothos referret quae alibi de Carpis & Scythis leguntur. Quod de Francis quoque hominibus, qui ejusdem cum Carpis Gothisque originis erant, intelligi velim.

NEC SEPVLTVRA) Epitome Victoris: *In solo barbarico inter confusas turbas gurgite paludis submersus est, ita ut nec cadaver ejus potuerit inveniri.* Rem multo aliter narrat auctor Chronici Alexandrini, qui scribit Decium ab uno aliquo principum mactatum una cum filio fuisse in Abryto. Eusebius in Chronico: *Decius cum filio in Abritto occiditur.* ubi vide Notas Iosephi Scaligeri.

Cap. 5. VALERIANVS) Mira sunt quae de modestia ac mansuetudine reliquisque summis Valeriani virtutibus tradit Trebellius Pollio: quae confirmantur etiam ab Eusebio, qui lib. VII. hist. eccles. cap. X. illum vel ex eo maxime commendat quod mansuetissimus ac benignissimus fuerit erga Christianos, additque nullum superiorum principum, ne illos quidem ipsos qui palam Christiani fuisse dicuntur, tanta humanitate ac benevolentia nostros complexum esse quantam Valerianus prae se ferebat initio principatus sui, totamque ejus familiam Christianis hominibus abundasse, ita ut Dei Ecclesia esse videretur. Sed postea immensum mutatus ab illo, crudelissime saevijt in Christianos; ac mox secuta Dei manus, quae illum graviter afflixit.

INCLINARE SIBI ROMANVM) Acta sancti Pontij martyris cap. XXIV. *Valerianus scilicet Imperator in captivitatem ductus a Sapore Rege Persarum, non gladio sed ludibrio omnibus diebus vitae suae merita pro factis percepit, ita ut quotiescunque Rex Sapor equum conscendere vellet, non manibus ejus, sed incurvato dorso, & in cervice ejus pede posito, equo membra locaret.* Non stratoris igitur officium exhibebat Sapori Valerianus, sed plane vicem stapedis aut scalae illi in equum ascensuro praestabat, ut recte ex hoc actorum sancti Pontij loco, quorum auctorem facit Eutropium, observavit Salmasius ad Trebellium Pollionem pag. 276.

FILIVM IMPERATOREM) nimirum Gallienum; de quo narrat idem Pollio quod *comperta patris captivitate gauderet*, tantum abfuit ab ea vindicanda. Addit paulo post Trebellius: *Et cum plerique patris ejus captivitatem moererent, ille specie decoris, quod pater ejus virtutis studio deceptus videretur, supra modum iactatus est.*

DERAPTA EST EI CVTIS) id est, Valeriano. Confirmat hanc historiam Constantinus Imperator in oratione ad sanctorum coetum cap. XXIV. *Tu quoque Valeriane cum eandem crudelitatem in famulos Dei declarasses, justum Dei judicium omnium oculis subjecisti, captus ab hostibus, & in vinculis circumductus cum chlamyde purpurea & reliquo imperiali cultu, tandem vero a Sapore Persarum Rege, detracta tibi cute, condiri jussus, sempiternum calamitatis tuae trophaeum spectandum praebuisti.* Qui locus lucem accipit ex Lactantio. Vide porro que illic adnotat vir clarissimus Henricus Valesius.

VESANVS ET PRAECEPS) Flavius Vopiscus: *Aurelianus, quod negari non potest, severus, truculentus, sanguinarius fuit princeps.* Eutropius lib. IX. de eodem: *Vir in bello potens, animi tamen immodici & ad crudelitatem propensioris.* Cap. 6.

EXTINCTVS EST) Eleganter idem Constantinus in eodem capite XXIV. *Tu item Aureliane, fax omnium vitiorum, quam praeclara & perspicua divini numinis vindicta, dum furore percitus Thraciam percurreres, in medio viae publicae caesus, sulcos aggeris publici impio sanguine complevisti.*

COENOFRVRIO) inter Heracleam & Byzantium. Flavius Vopiscus in D. Aureliano: *Sed quum iter faceret, apud Coenophrurium mansionem, quae est inter Heracliam & Byzantium, malitia Notarij sui & manu Mucaporis interemptus est.* Vide Eutropium lib. IX.

FALSA SVSPICIONE) Eam historiam multis enarrat idem Vopiscus, quem consule.

AVARITIA) Idem Vopiscus in Numeriano: *Quum Diocletianus apud Tungros in Gallia quadam in caupona moraretur, in minoribus adhuc locis militans, & cum Dryade quadam muliere rationem convictus sui quotidiani faceret, ac illa diceret, Diocletiane, nimium avarus, nimium parcus es, joco non serio Diocletianus respondisse fertur: Tunc ero largus quum Imperator fuero.* Cap. 7.

TRES PARTICIPES REGNI) Maximianum cognomento Herculium anno Christi CCLXXXV. Constantium cognomento Chlorum & Galerium Maximianum cognomento Armentarium anno CCXCIII. *Quatuor sanè principes mundi*, inquit Vopiscus in Carino, *fortes, sapientes, benigni, & admodum liberales, unum in republica sentientes.* Sed haec scribebantur de vivis principibus; & adulatio suberat, ut patet ex libro Iuliani Imperatoris de Caesaribus. In Chronico Alexandrino scriptum est Diocletianum communicasse imperium cum Maximiano Herculio anno tertio imperij sui, & Maximianum Iovium & Constantium in consortium imperij adscitos Nicomediae XII. Kal. Iun. anno nono imperij Diocletiani, id est, anno Christi CCXCII. ut interpretatur Baronius, seu veriùs anno CCXCIII. Sed po-

postea dicturi sumus de initiis Maximiani Herculij & aliorum. Nunc satis erit admonere graviter errare auctorem Chronici Alexandrini quum tradit Maximianum Jovium & Constantium factos fuisse Caesares XII. Kalendas Iunias, quos ad principale fastigium evectos esse Kalendis Martiis extra omnem est controversiam.

ENORMITATE INDICTIONUM) id est, tributorum. Salvianus libro quinto pag. 105. secundae editionis nostrae: *Quibus enim aliis rebus Bacaudae facti sunt nisi iniquitatibus nostris, nisi improbitatibus judicum, nisi eorum proscriptionibus & rapinis qui exactionis publicae nomen in quaestus proprij emolumenta verterunt, & indictiones tributarias praedas suas esse fecerunt?* Et pag. 107. *Decernuntur his nova munera, decernuntur novae indictiones.* Item pag. 108. extrema: *Nam sicut in onere novarum indictionum pauperes gravant, ita in novorum remediorum opitulatione sustentant: sicut tributis novis minores maximè deprimuntur, sic remediis novis maximè sublevantur.*

DESERERENTUR AGRI) Idem Salvianus pag. 103. *Iam vero illud quale quam familiare Romanis, quod se invicem exactione proscribunt.* Item pag. 104. *Inter haec vastantur pauperes, viduae gemunt, orphani proculcantur, in tantum ut multi eorum & non obscuris natalibus editi, & liberaliter instituti, ad hostes fugiant, ne persecutionis publicae adflictione moriantur.* & reliqua.

RATIONALES) id est, procuratores Principum, quorum cura erat ut in provinciis bona caduca & vacantia fisco vindicarent, quemadmodum ad Ammianum Marcellinum & ad Eusebium observavit vir doctissimus Henricus Valesius. Recte autem hoc tempore mittebantur rationales, quia multa bona vacabant ob desertionem agrorum.

AD EXHIBENDOS MILITES) id est, ad praestanda stipendia militibus. Nam in jure civili exhibere significat suppeditare alimenta & cetera ad vitam necessaria, ut in l. 1. Dig. *De off. Praef. urbi*, & l. 34. Dig. *De negotiis gestis*. Sic etiam in jure canonico. Extat enim in libro tertio Extravagantium communium, in titulo *De censibus* constitutio Benedicti XII. in qua verbum *exhibere* sumitur pro *procurare*, ut heic notat glossa, id est, alimenta ministrare. Immo in capite octavo Actorum legitur eodem sensu: *In locis autem illis erant praedia principis insulae, nomine Publij; qui nos suscipiens, triduo benignè exhibuit.*

LAGEM PRET. NAR. VENAL.) Appositè prorsus ad hunc locum Ammianus Marcellinus lib. XXII. pag. 226. editionis Henrici Valesij, de Iuliano Imperatore agens: *Inter praecipua tamen & seria illud agere superfluum videbatur, quòd nulla probabili ratione susceptae popularitatis amore vilitati studebat venalium rerum, quae nonnunquam secus quam convenit ordinata inopiam gignere solet & famem.* Vilitatem vocabant antiqui quum res parvo pretio constabant, ut pluribus ostendit idem Valesius ad hunc Ammiani locum. Arnobius in libro primo adversus gentes: *Quapropter maximos annonae fuisse proventus, vilitates, atque abundantias rerum tantas ut commercia stuperent universa, pretiorum auctoritate prostrata.*

LEX NECESSITATE IPSA) *Quoniam leges ea intentione latae sunt ut proficiant, non ut noceant*, ut ad Avitum Viennensem Episcopum scribit Papa Symmachus. L. Valerius apud T. Livium lib. XXXIV. loquens de abrogatione legis Oppiae: *Cui non apparet ob inopiam & miseriam civitatis, quia omnium privatorum pecuniae in usum publicum vertendae erant, istam legem scriptam, tamdiu mansuram quamdiu causa scribendae legis mansisset?*

MAGNA PARS CIVITATIS) Nicomediae, ubi habitabat Diocletianus, quam vero studebat urbi Romae coaequare, ut statim dicet Lactantius. Sic Constantinus M. Constantinopolim Romae desideravit aequare. Fragmentum de Constantio Chloro & Constantino M. editum ab Henrico Valesio post Ammianum Marcellinum pag. 475. *Constantinus autem ex Byzantio Constantinopolim nuncupavit ob insigne victoriae; quam velut patriam cultu decoravit ingenti, & Romae desideravit aequari.* Eutropius lib. X. loquens de Constantino: *Primus urbem nominis sui ad tantum fastigium evehere molitus est ut Romae aemulam faceret.*

LICITUM CONSUETUDINE) Comœdia Querolo: *Non facile intelligo perjurium joculare quid putas. Tamen transeamus quod, ut video, consuetudo jam facit licere.* S. Ambrosius epist. LXVI. *Numquid ideo licet quia non est prohibitum.*

FRATER EIUS) Ista non sic accipienda sunt quasi Maximianus Herculius fuerit natura frater Diocletiani, sed *frater imperij*, ut eleganter loquitur Severus Imperator ad Albinum scribens apud Iulium Capitolinum, ex more videlicet Regum, qui se fratres solent vocare, uti pluribus ad Annam Comnenam pag. 274. ostendit vir eruditissimus Carolus Dufresnius. Nam planum est ex panegyrico quem Mamertinus Herculio dixit, non natum illum Diocletiani fratrem fuisse, sed electione, ut verbis utamur sancti Ambrosij ex epistola XLIII. *Diversum sanguinem*, inquit Mamertinus, *affectibus miscuistis. Non fortuita in vobis est germanitas, sed electa.* Illud ipsum confirmat etiam Eumenius in panegyrico primo ad Constantinum M. ubi post laudatam Diocletiani constantiam in retinendo vitae privatae usu addit: *Hunc ergo illum qui ab illo fuerat frater adscitus pudeat imitari.* Denique Diocletianus erat Dalmata, iste Pannonius. Adde quod nullus historicus tradit eos natura fratres fuisse. Eodem porro more Galerius Maximianus, quia Caesar cum Constantio factus fuerat, ejus frater vocatur à Trebellio Pollione in D. Claudio: *Quae idcirco posui ut sit omnibus clarum Constantium divini generis virum, sanctissimum Caesarem, & Augustae ipsum familiae esse, & Augustos multos de se daturum, salvis Diocletiano & Maximiano Augustis & ejus fratre Galerio.* Immo qui eodem aut pari magistratu fungebantur in republica, fratres vocabantur, ut patet ex epistola CLX. sancti Augustini. Ceterum in constituendis Maximiani Herculij initiis variae ac multum inter se discrepantes sunt eruditorum virorum sententiae, quas in libro XI. de doctrina temporum cap. XXXI. enumerat Dionysius Petavius. Ipse ea ponit in anno Christi CCLXXXV. quo tribunitiae potestatis perinde ut imperij secundum annum Diocletianus iniit. Id autem colligit vir doctissimus ex eo quod incertus auctor panegyrici Maximiano & Constantino dicti affirmet Maximianum vigilias & curas imperatorias viginti annis expertum esse, & vicesimo anno Imperatorem, octavo Consulem fuisse, tum etiam quia Aurelius Victor tradit eum anno minus potentiam fuisse quam Diocletiano. Sane anni imperij Maximiani hanc certam, ut mihi videtur, regulam habent quod vigesimus annus imperij debet concurrere cum octavo ejusdem consulatu. Cum ergo certum sit octavum consulatum ejus incidisse in annum Christi CCCIV. & ex Fastis Idatianis sciamus initium imperij ejus fuisse Kalendas Apriles, consequens est illum a Diocletiano factum fuisse Caesarem Kalendis Aprilibus anni CCLXXXV. cum Diocletianus jam imperaret a mense Novembri proxime praeterito. Nam & Eusebius in Chronico Maximianum dicit in consortium imperij adscitum anno secundo Diocletiani, non quidem in editione Scaligeri, sed in tribus antiquis exemplaribus manuscriptis bibliothecae Colbertinae, quorum unum est antiquissimum & optimum, tum etiam in veteri illa editione Veneta, & in ea quam Arnaldus Pontacus Episcopus Vasatensis emisit ad veterum exemplarium fidem castigatam. Quod tamen non ita intelligendum est ut Maximianus dicatur adscitus in consortium imperij quum jam Diocletianus imperasset per annum integrum, sed anno secundo ex quo Diocletianus levatus fuerat, incipiendo à Kalendis Ianuariis, ut tum auspicari solebant annum. Ad quam etiam regulam revocanda sunt verba Aurelij Victoris dicentis Maximiano anno minus potentiam fuisse quam Diocletiano, inchoato videlicet, non completo. Nam, ut dixi, certa illa est regula vigesimum annum imperij Maximiani non posse disjungi ab octavo ejus consulato. Referenda sunt autem verba panegyrici. *Te rursus vicesimo anno Imperatorem, octavo Consulem, ita amplexu quodam suo Roma voluit detinere ut videretur augurari jam & timere quod factum est.* Quae verba sic interpretari oportet ut dicamus Maximianum Romae remansisse post discessum Diocletiani, & illic Consulem processisse Kalendis Ianuariis anni CCCIV. imperij sui XIX. exeunte, vigesimum inchoasse Kalendis Aprilibus Cap. 8.
quae in consulatum ejus octavum inciderunt, deinde Roma digressum eo anno quo Consul octavum erat, excitasse querelas & suspiciones civium Romanorum, quasi jam augurarentur & timerent quod factum est,

id est, depositionem imperij, quae anno sequenti post consulatum ejus octavum evenit, quum ipse misset vigesimum primum imperij sui annum. Itaque Diocletianus imperium habuit mensibus tantum quatuor & duodecim diebus plus quam Maximianus. Imperavit autem per annos viginti, menses quinque, dies duodecim; Maximianus vero per annos viginti & mensem unum integrum.

IN VTROQVE MANE VNA) Id est, Diocletiano & Maximiano, quos notant antiqui pari in societate potentiae fuisse concordes, & Maximianum Diocletiano in omnibus semper obsecundasse. Mamertinus in panegyrico quem dixit Maximiano: *Vestra haec concordia facit, invictissimi principes, ut vobis in tanta aequalitate successuum etiam fortuna respondeat. Rempublicam enim una mente regitis, neque vobis tanta locorum diversitate est quo minus etiam veluti junctis dexteris gubernetis.* Idem in genethliaco: *Intelligimus enim, sacratissimi principes, geminum vobis, quamvis dispares sitis aetatibus, inesse consensum; atque tibi ille cunctatior, sed invicem vosmet imitamini, invicem vestros affectatis annos. Sic vos estis juniores, ambo seniores. Neuter plus suis moribus favet. Vterque se vult esse quod frater est.* Flavius Vopiscus in Carino, loquens de Diocletiano & Maximiano, Galerio Maximiano & Constantio: *Quatuor sane principes mundi, fortes, sapientes, benigni, & admodum liberales, unum in republica sentientes.* Aliter tamen sensisse video Iulianum Imperatorem, qui in libro de Caesaribus ait Deos quidem admiratos esse illorum concordiam, sed unum eorum acerbe & intemperanter se gerentem, rerum novarum cupidum, & perfidiae plenum, neque in omnibus tetrachordo concordem, à Sileno admissum non fuisse in convivium Imperatorum. Quo loco designari Maximianum Herculium satis apparet.

AVARITIA MINORE ALTERO) Haec sane corrupta ac depravata sunt. Quippe heic dicere videtur Lactantius Herculium avariorem Diocletiano fuisse, quem tamen paulo post scribit non admodum diligentem fuisse in conservandis opibus quas ei Africa & Hispania opulentissimae provinciae subministrabant. Et infra cap. XXIX. de eodem loquens ait: *Thesauros invadit, donat ut solet large.* Vnde colligi potest quanta fides habenda sit actis sancti Mauritij & sociorum ejus ab Eucherio conscriptis, ubi Herculius describitur *ferus animo, avaritia crudelis.*

LOCVPLETES SENATORES) exemplo videlicet D. Aureliani, de quo haec scribit Vopiscus in vita ejus. *Dicitur praeterea hujus fuisse crudelitatis ut plerisque senatoribus simulatam ingereret factionem conjurationis ac tyrannidis, quo facilius eos posset occidere.*

EFFODIEBANTVR LVMINA) Lactantius lib. VII. institut. cap. XXVI. de Roma: *Precandusque nobis & adorandus est Deus caeli, si tamen statuta ejus & placita differri possunt, ne citius quam putemus tyrannus ille abominandus veniat qui tantum facinus moliatur ac lumen illud effodiat, cujus interitu mundus ipse lapsurus est.* De eodem senatu Romano agens Mamertinus in genethliaco Maximiani sic scribit: *Ipsa etiam gentium domina Roma, immodico propinquitatis vestrae elata gaudio, lumina senatus sui misit.*

CONSTANTIVM) cognomento Chlorum, Constantini M. patrem, principem optimum & benignissimum, uti jure meritoque vocatur in veteri inscriptione Nicomediensi nondum edita, quam in ea urbe ante hos annos ex veteri lapide in area Moscheae novae reperto descripsit vir clarissimus Ioannes Vaillant Antiquarius regius, & mecum humanissimè communicavit. Sic autem habet:

OPTIMO. BENIGNISSIMOQ.
PRINCIPI. FLAVIO. VALERIO
CONSTANTIO. NOB. CAESARI
GERMANICO. MAX. CORN. COLONIA
NICOMEDIENSIVM. D. N. M. Q. EIVS.

Posita est haec inscriptio post victoriam quam Constantius reportavit de Germanis sive Alamannis, post quam vocatus est Germanicus, anno Christi CCXCIX. quum ipse & Galerius Maximianus essent Consules. De hac victoria sic loquitur Eutropius lib. IX. *Per idem tempus à Constantio Caesare in Gallia pugnatum est circa Lingonas. Die una adversam & secundam fortunam expertus est. Nam cum repente barbaris ingruentibus intra civitatem esset coactus tam praecipiti necessitate ut clausis portis in murum funibus tolleretur, vix quinque horis mediis adveniente exercitu, sexaginta fere millia Alamannorum cecidit.* Quod si quis titulum Germanici additum Constantio velit post devictos Francos, potest & ea quoque sententia bona esse.

MAXIMIANVS) cui praenomen Galerio fuit, cognomen Armentario. Gener fuit Diocletiani, quia Valeriam filiam ejus habuit uxorem, mulierem castissimam & infelicissimam. Sed de ea postea pluribus agemus. Cap. 9.

HVIC BESTIAE) Sic persecutores Christianorum nominare solet Lactantius. Cujus appellationis hanc reddit rationem in libro quinto divinarum institutionum cap. XI. *Nam quis Caucasus, quae India, quae Hyrcania tam immanes, tam sanguinarias unquam bestias aluit? Quoniam ferarum omnium rabies usque ad ventris satietatem furit, fameque sedata, protinus conquiescit. Illa est vera bestia cujus una jussione funditur atre ubique cruor, crudelis ubique luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago. Nemo hujus tantae belluae immanitatem potest pro merito describere, quae uno loco recubans, tamen per totum orbem dentibus ferreis saevit, & non tantum artus hominum dissipat, sed & ossa ipsa comminuit, & in cineres furit, ne quis exstet sepulturae locus.* Non absurda autem conjectura fuerit si quis haec quoque dicta suspicetur adversus Galerium Maximianum, hominem crudelissimum, quem & Lactantius & ceteri vocant auctorem persecutionis adversum Christianos excitatae, ut observabimus infra. Eadem ratione Sulpitius Severus in libro secundo sacrae historiae Neronem vocat immanium bestiarum sordidissimum, & Victor lib. V. de persecutione Vandalica Hunericum Regem bestiam quoque vocat.

MATER EIVS) Romula, de qua paulo post.

DACIAM NOVAM) id est, Daciam Aureliani, nimirum eam Moesiae partem in quam Aurelianus populos transtulerat quos ex Dacia Trajani abduxerat. Ea amissa fuerat sub Gallieno, sed ab Aureliano revocata ad Romanam ditionem, ac postea rursum ab eo intermissa, quia desperabat posse retineri; abductique ex ea Romani in media Moesia collocati sunt, ut libro nono tradit Eutropius. Flavius Vopiscus in D. Aureliano: *Quum vastatum Illyricum ac Moesiam deperditam videret, provinciam trans Danubium Daciam à Trajano constitutam sublato exercitu & provincialibus reliquit, desperans eam posse retineri; abductosque ex ea populos in Moesiam collocavit, appellavitque suam Daciam, quae nunc duas Moesias dividit.* Tum ergo hauddubiè Romula mater Galerij, quae erat Transdanubiana, confugerat in Daciam novam.

TRAIECTO AMNE) id est, Danubio, ubi constitutus erat limes duarum Daciarum illius temporis.

CARNIS MOLES) Consentanea Lactantio narrat Eusebius lib. VIII. hist. eccles. cap. XVI. & libro primo de vita Constantini cap. LVII. nimirum Galerio Maximiano totam corporis molem ob nimiam alimenti copiam in immensam quandam pinguedinem excrevisse, etiam ante morbum quo periit.

PER ARMENIAM) majorem, ut docet Sextus Rufus. Duae itaque fuere Armeniae, Euphrate fluvio invicem disterminatae. Minor Cappadociae juncta erat, major Persarum regno contigua. Itaque quum bellum in Armenia majore parabatur, procul erant exercitus à Nicomedia, adeoque Diocletianus tutus erat adversus timorem de Persis. Narrat ergo Sextus Rufus Maximianum Caesarem, quum prima congressione pulsus fuisset à Persis, à Diocletiano vix *impetrasse ut reparato de limitaneis Daciae exercitu eventum Martis repeteret. In Armenia majore ipse Imperator cum duobus equitibus exploravit hostes, & cum viginti quinque militibus superveniens castris hostilibus, subito innumera Persarum agmina adgressus ad internecionem cecidit. Rex Persarum Narseus effugit. Vxor ejus & filiae captae sunt, & cum maxima pudicitiae custodia reservatae. Pro qua admiratione Persae non modo armis sed etiam moribus Romanos superiores esse confessi sunt. Mesopotamiam cum Transtigritanis quinque regionibus reddiderunt.* Insignis est hic locus, & qui merebatur à nobis describi.

FVGATO NARSEO) Ita contigisse anno Christi CCXCVII. pluribus probat Henricus Valesius in Notis ad Eusebium pag. 170. quem consule. Quamquam, fatendum enim est, victoriam Galerij de Persis contigisse

anno

anno XVII. imperij Diocletiani disertè scriptum est in optimo illo & antiquissimo Chronico Eusebiano bibliothecae Colbertinae: in veteri vero editione Veneta revocatus ad annum XIV. Triumphus autem de Narseo victo actus est Romae tempore vicennalium anno CCCIII. ut ostendemus infrà ad caput XVII.

DETRECTABAT CAESARIS NOMEN) Non fuit ille solus qui imperium habere quàm expectare mallet. Iulianus Caesar eum secutus est; qui Caesaris nomine non contentus, Augustum se appellari & voluit & passus est. Quod ubi ad Constantium Imperatorem perlatum est, ille Leonam Quaestorem suum, ut in libro XX. tradit Ammianus Marcellinus, in Gallias cum litteris datis ad Iulianum pergere celeri statuit gradu, eum, si saluti suae proximorumque consuleret, tumeoris flatu deposito, intra Caesaris se potestatem continere praecipiens. Sed Iulianus restitit, sub nomine celsi se imperij multo officiosiùs pariturum asseverans, ut legitur in Epitome Victoris.

DIOCLES ANTE IMPERIUM) Infrà cap. XIX. *Nunc purpuram Diocletianus injecit suam, qua se exuit, & Diocles iterum factus est.* Epitome Victoris: *Diocletianus Dalmata, Anulini senatoris libertinus, matre pariter atque oppido nomine Dioclea, quorum vocabulis, donec imperium sumeret, Diocles appellatus, ubi orbis Romani potentiam cepit, Grajum nomen in Romanum morem convertit.* Vide Valesium in Notis ad Eusebium pag. 165. Emendandus ergo Flavius Vopiscus in loco à nobis supra relato ex vita Numeriani: ubi legendum, *Diocles, nimium avarus*, pro eo quod ibi legitur, *Diocletianus*.

SUMMA FELICITATE REGNAVIT) Vide quae adnotamus infrà ad caput XVII.

Cap. 10. SCRUTATOR RER. FUTUR.) Aurelius Victor: *Namque imminentium scrutator, ubi fato intestinas clades &c.*

QUIDAM MINISTRORUM) Et hic quoque locus apertè ostendit librum istum esse Lactantij. Similia enim omnino ipse habet in libro quarto institutionum cap. XXVII. *Nam cùm diis suis immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant, nec responsa potest consultus reddere vates. Et haec saepe causa praecipua justitiam persequendi malis Regibus fuit. Cum enim quidam ministrorum nostrorum sacrificantibus Dominis assisterent, imposito frontibus signo deos illorum fugaverunt, ne possent in visceribus hostiarum futura depingere. Quod cùm intelligerent aruspices, instigantibus iisdem daemonibus quibus prosecrant, conquerentes prophanos homines sacris interesse, egerant principes suos in furorem ut expugnarent Dei templum.* Quo loco, ut illud obiter admoneam, lapsus graviter est Iosephus Isaeus putans heic agi de templo Iovis, Apollinis, vel cujusvis alterius daemonis expurgato, cùm tamen hic locus intelligendus sit de templo Christianorum apud Nicomediam, quod idem Lactantius lib. V. cap. XI. ait eodem tempore eversum esse quo ipse in Bithynia oratorias litteras accitus docebat, id est, in initio persecutionis quam Diocletianus & Maximianus commoverunt adversus Ecclesiam. Neque certè furore, sed pietate potiùs opus est ad expurgandum templum; ad expugnandum vero templum, quod Deus, qui in templo Christianorum colebatur, sacra turbasset quibus Imperatores operam dabant, furor animum addidit. Melius Thomasius, qui vocem *expugnarent* heic retinuit, aliam rejecit: quoniam *si legeremus* expurgarent, *per Dei templum esset intelligendum Apollinis vel alterius hujusmodi, quod Lactantius non templum Dei sed daemonis profanum domicilium nominasset.* Sed idem tamen hujus loci sensum assecutus non est. Existimat enim heic per templum intelligi viros illos Christianos qui sacrificiis intererant, qui martyrio affecti sint ob querelas daemonum & eorum sacerdotum, cùm certum sit heic agi de templo Christi Nicomediensi expugnato & everso. Errandi itaque occasio fuit vox *expurgarent*, quam quaedam editiones habent pro *expugnarent*. Porro legendum esse *expugnarent*, docent tres vetusti codices bibliothecae Colbertinae, item alii duo vetusti codices Bononienses quos & Thomasius & Isaeus viderunt, ut testatum fecit Latinus Latinius in ora sui Lactantii, quem mecum pro amicitia nostra communicavit vir clarissimus & eruditissimus conterraneus meus Antonius Faure Doctor Theologus Parisiensis & Praepositus Ecclesiae Remensis. Quo etiam modo Petrus Ciaconius legendum esse monuit in margine Lactantii sui, quem mihi utendum dedit idem vir clarissimus. Atque ita sane habent vetus illa editio Romana, Veneta anni MDXXI. & Basileensis Xysti Betuleii.

IMMORTALE SIGNUM) Lactantius lib. IV. institut. cap. XXVII. *quos signum immortale munierit tamquam inexpugnabilis murus.* Alibi dixit *caeleste signum.*

TAGIS) Puto haec oratorio more dicta esse, quia Tages Thuscus fuit olim magnus aruspex & magister aruspicum. Arnobius libro secundo adversùs gentes: *Antequam Thages Thuscus oras contingeret luminis, quisquam hominum sciebat aut esse noscendum condiscendumque curabat an fulminum casus aut extorum aliquid significaretur in venis?* ubi vide observationes Gebharti Elmenhorstii. Hinc illud Ammiani Marcellini ex libro XVII. pag. 101. *In Tageticis libris legitur Vejovis fulmine mox tangendos adeo hebetari ut nec tonitrum nec majores aliquos possint audire fragores.* Sic hunc locum emendavit Henricus Valesius, cùm antea legeretur *Tagetis Thusii*. In veteri codice MS. bibliothecae Colbertinae scriptum est *Tagetinicis*.

PRAEPOSITI) Nomen id dignitatis militaris, & quidem post Tribunos, qui tamen praeerant cohorti perinde ac Tribuni, ut observat Henricus Valesius ad Ammianum Marcellinum. Lactantius cap. XLVI. istius historiae: *Scribuntur haec in libellis pluribus & per Praepositos Tribunosque mittuntur.* Ex eorum numero fuit Dorotheus ille cujus encomium enarrat Eusebius lib. VIII. hist. eccles. cap. I. et ex actis martyrum Indi & Domnae collegit idem Valesius.

MILITES COGI) Rectè itaque adnotat Eusebius in eodem capite primo libri octavi orsam primam persecutionem fuisse ab iis qui militabant. Neque tum illa processit ulteriùs.

BITHYNIAM) In veteri codice legitur *Bethaniam*, manifesto errore. Certum quippe est ea quae deinceps narrantur, peracta esse apud Nicomediam Bithyniae metropolim.

MATER EJUS) Galerii Maximiani, quam Romulam supra vocavit.

DEOR. MONTIUM CULTRIX) Commodianus lib. I. cap. XXI. *Montenses deos dicitis.* Sic enim legitur in vetustissimo codice MS. sancti Albini Andegavensis ex quo instructiones Commodiani descripsit Iacobus Sirmondus, cùm in utraque editione Rigaltij scriptum sit: *Montes & deos dicitis.* Malè. Nam vel ipse titulus, qui *Montesianis* inscriptus est, admonebat retinendam esse lectionem veteris exemplaris. Difficile est autem interpretari qui fuerint dij montenses. Nam vetus inscriptio Romana, in qua istorum deorum mentio extat, eorum explicationem reddit difficiliorem. Habetur apud Gruterum pag. XXI.

ARAM. IOVI. FULGERATORIS. EX. PRECEPTO. DEORUM. MONTENSIUM VAL. CRESCENTIO. PATER. DEORV. OMNIUM. ET. AUR. EXUPERATIUS. SACERDOS. SILTANI. CUM. FRATRIBUS. ET SORORIBU. DEDICAVERUNT.

Porro alij fuere Montenses qui commemorantur à Praedestinato lib. I. cap. XXIX. & in constitutione Honorij Aug. edita in Appendice Codicis Theodosiani titulo XII. quos sanctus Augustinus in epistola ad Quodvultdeum vocat Montenses, ut & multi alij quos recenset vir clarissimus Carolus Dufresnius in verbo *Montenses*. Hi fuere Donatistae, ut satis notum est vel ex libro secundo Optati Milevitani.

JEJUNIIS INSISTEBANT) Sic Maria ancilla Tertulli principalis, ut in actis ejus legitur. *Natale itaque filii celebrante Tertullo, cùm impuris idolis vanisque simulacris hostias immolaret, Maria incumbebat jejuniis.*

INTER SE) id est, inter Diocletianum Aug. & Maximianum Caesarem. quod sequentia docent.

ILLOS ARDENTER MORI) Sulpitius Severus in libro secundo hist. eccles. de hac ipsa persecutione loquens: *Quippe certatim tum gloriosa in certamina ruebatur.* Nihil vulgatius in actis martyrum quàm voces illae ultroneae: *Christianus sum, Mori volo*, & cetera hujusmodi. Hinc sancta illa Christianorum invidia erga defunctos, quòd digni non fuissent eorum mortis esse participes, ut Valerij in actis sancti Pontij martyris. Hinc etiam quorundam calidus zelus ac pius, ut ita dixerim, furor sese ultro morti ac tormentis offeren-

rentium; adversùs quos exarsit Mensurius Episcopus Carthaginensis, ut testatur sanctus Augustinus in Breviculo Collationum cum Donatistis lib. III. cap. XIII. ubi docet scriptam à Mensurio fuisse epistolam ad Secundum Episcopum Tigisitanum, in qua legebatur *eos qui se offerrent persecutionibus non comprehensi, & ultro dicerent se habere scripturas quas non traderent, à quibus hoc nemo quaesierat, displicuisse Mensurio, & ab iis honorandis eum prohibuisse Christianos*. Quò etiam spectat canon LX. Elibertanus. Elegans autem est & cumprimis memorabilis locus Pontij Diaconi in vita sancti Cypriani, ubi loquens de fuga ejus quum ad martyrium quaereretur, ait: *Fuit verò formido illa, sed justa, formido quae Dominum timeret offendere, formido quae praeceptis Dei mallet obsequi quàm sic coronari. Dicata enim in omnibus Deo mens, & fides divinis admonitionibus mancipata, credidit se, nisi Domino latebram tunc jubenti paruisset, etiam ipsa passione peccare.* Hinc denique quorundam preces ad martyres orantium ut martyrij consortes esse mererentur; ut Eulan piae in Menologio Graecorum ad diem decimam Octobris in tomo secundo antiquae lectionis Henrici Canisij. Sufficiunt enim haec exempla ex multis ac propè innumeris quae recitari facilè possent.

ALIOR. CULPA ASCRIBEBAT) Eutropius lib. IX. *Diocletianus moratus callide fuit, sagax praeterea, & admodum subtilis ingenii, & qui severitatem suam aliena invidia vellet explere.* Eadem de illo narrat Suidas, ingenio fuisse dicens vario & callido, sed singulari prudentia & acumine vitia naturae saepe celavisse, res omnes asperiores in alios conferendo.

PROPRIO ADV. CHRISTIANOS ODIO) Lactantius lib. V. institut. cap. XI. de hac ipsa persecutione loquens: *Alij suo proprio adversùs justos odio.*

TOLLENDOS ESSE) Acta passionis sancti Savini Episcopi & martyris: *Pars major populi clamabant dicentes: Christiani tollantur, & voluptas constat.*

TIMENTES) Lactantius ibidem: *Alij prae nimia timiditate plus ausi sunt quàm jubebatur.*

GRATIFICARI VOLENTES) Idem ibidem: *Nonnulli ut placerent, & hoc officio viam sibi ad altiora muniret.*

APOLLINEM MILESIUM) Hanc historiam narrat Eusebius in libro secundo de vita Constantini cap. L. sed non explicat ad cujus Apollinis templum pertineat. Tradit Pausanias in Arcadicis Xerxem Darij filium Milesiis ademisse aeneum Apollinem qui in Branchidis fuerat, quem multis post annis Seleucum iisdem remisit. Branchidae porrò locus erat in agro Milesio supra Panormum portum, celebris Apollinis oraculo quem Iones & Aeoles olim consulere solebant, ut ex libro primo Herodoti observat Henricus Valesius ad Ammianum Marcellinum pag. 3[?]2. Lactantius lib. VII. institut. cap. XIII. *Polytes quidam consuluit Apollinem Milesium.* Macrobius lib. I. Saturnal. cap. XVII. *Meandrias scribit Milesios ἀπόλλωνι οὐλίῳ salute sua immolare.*

UT DIV. RELIG. INIMICUS nimirum justos viros in terris degentes, id est Christianos, obstare sibi quo minus vera praediceret, atque ideirco falsi ex tripode oracula reddi, ut docet Eusebius in libro secundo de vita Constantini. Quae verba transcripsit & sua fecit auctor actorum sancti Georgij martyris apud Surium.

Cap. 12. AD SEPT. KAL. MART.) Rectè. Hoc enim die signantur Terminalia in veteri Kalendario Romano quod editum est tempore Constantini, & ab Hervvarto & Bucherio factum publici juris. Sanctus Augustinus lib. VII. de civitate Dei cap. VII. *Terminalia mense Februario celebrari dicunt cum sit sacrum purgatorium quod vocant februum.* Dies igitur primus istius persecutionis, quod notandum est, fuit VII. Kalendas Martias, ipso Terminalium die. quod probatur etiam ex capite XLVIII. ut illic observabitur.

AGENTIB. CONS. SENIB. AMB.) id est, Diocletiano & Maximiano Herculio, quos anno Christi CCCIII. Consules VIII. & VII. fuisse constat. Haec porro verba certo indicant tempus istius persecutionis, de quo tanta contentione inter se digladiantur viri docti. Nam Onuphrius, Baronius, Petavius, ne singulos commemorem, contendunt eam cœpisse anno Christi trecentesimo secundo, Scaliger, Valesius, & alij multi, anno sequentij. quorum opinionem esse veram probat hic locus Lactantij. Nam praeterea apparet ex capite XVII. ista contigisse paulo ante quam Diocletianus Romam pergeret. Atque certum est eum Romam profectum esse anno decimo nono imperij sui exeunte, ibique triumphasse de Narseo Rege Persarum, ut rectè notat Iosephus Scaliger ad Chronicon Eusebij. Praeterea Lactantius infra cap. XLVIII. historiam istius persecutionis colligens, cum dixisset edictum Constantini & Licinij pro Christianis, quo pax data est Ecclesiae, propositum fuisse Nicomediae die Iduum Iuniarum Constantino & Licinio ter Consulibus, ait ab eversa Ecclesia Nicomediensi usque ad restitutam fuisse annos decem, menses plus minus quatuor. Atqui si à die septimo Kalendas Martias anni CCCIII. (quo diruta est Ecclesia Nicomediensis) usque ad diem Iduum Iuniarum anni CCCXIII. colligas, invenies ab eversa Ecclesia illa usque ad restitutam fluxisse annos decem, menses tres, dies novendecim. Denique persecutionem cœpisse anno CCCIII. hinc etiam probari potest quod Eusebius lib. VIII. cap. XVI. ait eam post octavum annum aliquantisper remittere cœpisse. Nam si tempora numeres a festis paschalibus anni CCCIII. usque ad mensem Aprilem anni CCCXI. quo Galerius Maximianus in extremis agens persecutionem quiescere jussit, facile reperies annos octo integros effluxisse ab initio persecutionis & initium noni fuisse. Itaque remittere cœpit post annum octavum, ut observavit Eusebius. Quare argumenta quae Petavius in libro XI. de doctrina temporum cap. XXXII. adducit ex Sulpitio Severo ut probet persecutionem cœpisse anno CCCII. infirma esse constat, cum eo fundamento nitantur quod ea defecit anno CCCXII. quam certum est nonnisi anno demum sequenti conquievisse.

SIMULACRUM DEI QUAERITUR) Nimirum ut inter paganos, qui non putabant templa esse posse sine simulacris. Et tamen Plinius lib. II. cap. VII. dixerat: *Effigiem Dei formamque quaerere, imbecillitatis humanae reor.* Simulacris itaque carebant Ecclesiae Christianorum, ut pluribus observat Desiderius Heraldus ad librum sextum Arnobij. Vide etiam Casaubonum in Notis ad Alexandrum Severum Aelij Lampridij.

SCRIPTURAE INCENDUNTUR) Narrat ista Eusebius lib. VIII. hist. eccles. cap. II. ac plures alij quos supervacaneum esset commemorare. Res enim est notissima. Hinc natum contumeliosum traditoris vocabulum adversùs eos qui metu poenarum libros divinos tradiderant judicibus imperialibus. Qua de re consulendi in primis Africani scriptores, praecipuè vero Donatista ille qui descripsit acta sanctorum martyrum Saturnini, Dativi, & sociorum. Neque interim omittenda gesta purgationis Caeciliani Episcopi Carthaginensis & Felicis Episcopi Aptungitani.

POSTRIDIE) id est, sexto Kalendas Martias. Hoc igitur die propositum est Nicomediae edictum Diocletiani & Maximiani adversùm nostros, cœpta jam persecutione. Verum Eusebius lib. VIII. cap. II. scribit propositum fuisse mense Martio, appetente die festo dominicae passionis; & auctor Chronici Alexandrini propositum ait die XXV. Martij, ipso die Paschae. Ista vero sic conciliari posse mihi videntur ut primo quidem edictum illud propositum fuerit Nicomediae, velut in civitate regia, VI. Kalendas Martias, deinde missum ad ceteras imperij civitates, mense quidem Martio propositum in eo loco ubi tum Eusebius habitabat, in Palaestina mense Aprili, Alexandriae vel alibi ipso die Paschae. Cap. 13.

CAREBENT OMNI HONORE) Ista sic expressit Ruffinus apud Eusebium lib. VIII. cap. II. *Si quis inter nostros alicujus honoris praerogativa muniretur, sublata hac maneret infamis.*

LIBERTATEM NON HABERENT) Haec apertius explicantur ab Eusebio lib. VIII. cap. II. secundum interpretationem Ruffini. Reliqui enim interpretes sensum legis non satis feliciter assecuti sunt. Sic ergo habet Ruffinus. *Si quis servorum permansisset Christianus, libertatem consequi non posset.* Primum enim poenae constitutae sunt adversùs honoratos, tum adversus plebem, postremo adversùs servos; quibus adempta omnis spes libertatis, si permansissent in professione religionis Christianae. Ut constet falli virum alioqui eruditissimum Henricum Valesium, qui in Notis ad Eusebium pag. 164. ait hanc Ruffini interpretationem ferri non posse. Longiùs etiam aberravit Nicephorus Callistus, qui lib. VII.

cap. III. ita intellexit hunc locum edicti ut putaverit servis libertatem datam esse qui Christianismum abjurarent.

QVOD EDICTVM QVIDAM) Ex silentio Lactantij, qui tum Nicomediae erat, satis datur intelligi ignotum fuisse nomen istius hominis, quia haud dubie de plebe erat. Nam si fuisset vir illustris & secularium honorum praerogativa conspicuus, ut eum describit Eusebius, qui ita vel fando audiverat vel ex traditione majorum acceperat, ejus nomen neque ignorasset Lactantius neque tacuisset, & ad Eusebium quoque pervenisset. Intererat quippe rei publicae Christianae ut nomen illius viri cunctis Ecclesiis innotesceret qui magnum illud facinus fuerat ausus. Quare suspecta mihi valde sunt quae in vetustis quibusdam martyrologiis leguntur ad diem septimam mensis Septembris; ubi descriptis Rufini verbis Eusebium interpretantis, haec facta dicuntur à quodam beato Ioanne. Nam cum ex Lactantio & Eusebio certo colligatur virum hunc statim productum, statim morti traditum fuisse, adeoque expirasse exeunte Februario, quomodo fieri potest ut natalis ejus dies incidat in mensem Septembrem, tam procul ab initio persecutionis? Ac sane licet illorum martyrologiorum auctoritas apud me vacillet, assentiri tamen non possum clarissimo viro Godefrido Henschenio, qui tomo tertio Februarij pag. 107. contendit hanc historiam intelligi debere de sancto Georgio martyre, quem passum ait Nicomediae anno Christi CCCIII. die XXIII. mensis Aprilis, instante dominicae & salutiferae passionis solennitate. Praeterquam quod enim certum est persecutionem coepisse exeunte Februario, & eum qui edictum diripuit ac conscidit, eodem mense extinctum fuisse, duobus videlicet mensibus ante diem vigesimam tertiam mensis Aprilis, acta illa sancti Georgij, quae Henschenius edidit, non id dicunt, & tot fabulis ac portentosis narrationibus plena sunt ut plane constet nihil boni sanique ex illis posse colligi. Vna Alexandrae Imperatricis historia, quae cum Christiana esset, capite damnata dicitur a Diocletiano, ipso proferente sententiam, historia est quae omnia poetarum figmenta superat, cum certum sit, ut dicemus paulo post, nullam aliam Diocletianum toto principatus sui tempore conjugem habuisse quam Priscam. Praeterea cum ipse Henschenius scribat Pascha incidisse anno CCCIII. in diem XVIII. Aprilis, & dominicam passionem in diem decimam sextam, planum est hanc historiam non posse intelligi de sancto Georgio: qui si passus fuit anno quo Pascha incidit in diem XVIII. Aprilis, ut vult Henschenius, certe passus non est imminente solennitate Paschali, sed post transactos dies festos. Atqui hoc erat validius Henschenij argumentum sumptum ex praefatione libri Eusebiani de martyribus Palaestinae, ubi scriptum est edicta de destruendis Ecclesiis & comburendis sacris codicibus proposita fuisse in Palaestina mense Aprili; cum salutaris passionis dies immineret. Quod ut verum esse potest ratione Palaestinae, falsum est ratione Nicomediae, ubi certum est edictum fuisse propositum VI. Kalendas Martias, postridie Terminalium.

ET SI NON RECTE) Ruffinus apud Eusebium lib. VIII. cap. V. *calore nimio fidei ignitus*, tamquam reprehenderet imprudentiam & intempestivum illius ardorem pro fide Christi.

VICTORIAS GOTHOR. ET SARMAT.) Quia Imperatores se in titulo edicti vocabant Gothicos & Sarmaticos, ut in veteri inscriptione quam refert Cuspinianus in libro de Caesaribus pag. 135. In titulo autem edicti posita fuerunt non solum nomina Diocletiani & Maximiani Imperatorum, sed etiam Constantij & Galerij Maximiani Caesarum; ut facile colligi potest ex historia passionis sanctorum martyrum Saturnini, Dativi, Felicis, & sociorum, & ex martyrio sanctarum Agapes, Chioniae, & Irenes.

LEGITIME COCTVS) Modus coquendi Christianos vivos explicatur infra cap. XXI. Legitime autem coctum dixit, quia coctus erat secundum leges quas Augusti tulerant; sicut lib. V. institut. cap. XI. legitima sacra vocat ea quae secundum veterem morem fiebant, quia mos vim legis obtinet. Eadem ratione dixit lib. VI cap. IX. injurias hostibus legitime inferri, scilicet postquam, servato belli jure, bellum per legatos denuntiatum & indictum est. Fallitur enim hic vehementer Iosephus Isaeus, qui vocem *legitime* ironice positam putat hoc loco esse, quia videlicet non intellexit veram ejus significationem.

CVM ADMIRABILI PATIENTIA) Verba sunt Ruffini interpretantis & explicantis Eusebium. *Continuò omni in eum crudelitatis genere desævientes, ne hoc quidem solum efficere quiverunt ut eum mœstum aliquis videret in pœnis, sed læto atque hilari vultu, cum jam viscera in suppliciis defecissent, spiritus tamen lætabatur in vultu. Ex quo tortores sui gravius cruciabantur, quod omnia suppliciorum genera consumebant in eum quem ne tristem quidem ex his reddere poterant.*

SVBJICIT INCENDIVM) Eusebius lib. VIII. cap. VI. agens de hoc incendio, nescire se fatetur quo casu excitatum fuerit. Alij palatium fulmine ictum conflagrasse scribunt, ut Constantinus ad sanctorum cœtum cap. XXV. Cap. 14.

OMNES SVOS PROT. PRAEC.) In veteri codice legitur, *omnes suos protinus cepit*. Nos emendavimus.

DATA POTESTATE) Lactantius lib. V. institut. cap. XI. de hac ipsa persecutione agens: *Accepta enim potestate pro suis moribus quisque sævit. Alii præ nimia timiditate plus ausi sunt quam jubebatur. Alij proprio adversus justos odio, quidam naturali mentis feritate, nonnulli ut placerent & hoc officio viam sibi ad altiora munirent. Aliqui ad occidendum præcipites extiterunt, sicut unus in Phrygia, qui universum populum cum ipso pariter conventiculo concremavit.*

TORQVEBANT) Sic scriptum est in veteri libro; sed supra ultimam lineam, ut fere fit, appositum est signum quod ostenderet legendum esse *torquebantur*, manifesto sane errore. Atque hunc esse fontem plurimorum erratorum quae in vetustis auctoribus occurrunt nos sæpe deprehendimus in codicibus manuscriptis. Librarij enim primo describebant libros, qui deinde tradebantur emendatoribus. Isti vero frequenter bonam lectionem vertebant in malam per speciem emendationis.

ERANT CRVCIANTES) Lactantius in loco paulo ante laudato: *Itaque in excogitandis pœnarum generibus nihil aliud quam victoriam excogitant.*

FAMILIAM CÆSARIS) id est, Galerij. Hanc itaque placuit excipere, tamquam abominabile esset ullum scelus adversus Diocletianum suspicari de familia Cæsaris, & ne auctores incendij, qui ex domo ejus prodierant, detegerentur, si locus inquisitioni datus fuisset.

PROFECTIONE PARATA) Bellum ea tempestate nullum, quod sciam. Sed ita contumaciter & superbe egit homo vaesani ac ferocis animi ut hoc agendi modo Diocletianum vehementius impelleret ad excidium Christianæ religionis, quem videbat molliter hactenus tanto operi incumbere.

FILIAM VALERIAM) nuptam Galerio Maximiano Caesari, quae miseram vitam traduxit post mortem mariti, & miserabili morte cum matre periit sub imperio Licinij, ut docet Lactantius in fine hujus operis. Ex qua narratione pessumdatur omnino conjectura illustrissimi Cardinalis Baronij, qui ad annum CCXCIV. scribit filiam Diocletiani, quae conjugio juncta fuit Galerio Maximiano, haud diu post nuptias fuisse superstitem, cum nulla ejus memoria extet in antiquioribus monumentis, sed nec ex ea proles aliqua legatur esse suscepta. Addit deinde patrem, ut filiae defunctae memoriam consecraret aeternitati, Pannoniae partem ejus nomine institui atque cognominari voluisse; citatque in eam rem librum XIX. Ammiani Marcellini. Verum id non dicit Marcellinus, sed tantum eam Pannoniae partem ad honorem Valeriae Diocletiani filiae & institutam & ita cognominatam. Referam autem ipsa ejus verba. *Valeriam venit partem quondam Pannoniæ, ad honorem Valeriæ Diocletiani filiæ & institutam & ita cognominatam.* Porro nec institutam à Diocletiano nec cognominatam, sed à Galerio Maximiano, docet Aurelius Victor in libro de Caesaribus: *Provinciam uxoris nomine Valeriam appellavit.* His ita constitutis, tamquam certa essent, addit Baronius Diocletianum; cum Valeriae morte resoluta esset affinitas quae inter eum & Galerium contracta erat, quam in sua cognatione haberet gradu propinquiorem virginem, eam illi fœdere nuptiarum conjungere festinasse, Susannam nimirum filiam Gabinij germani Caij Papae; qui ambo Diocletiano sanguine conjuncti erant, utpote nati ex fratre ejusdem Diocletiani, ut patet ex actis ejusdem sanctae Susannae. Verum tota haec historia ruit ruente fundamento super quo posita fuerat, id est, morte Valeriae, quam diu supervixisse Galerio constat. Adeo autem periculo- Cap. 15.

ricu-

riculosi sunt magnorum virorum errores ut hic Baronij lapsus plerosque viros doctos secum traxerit, Odoricum Raynaldum, Joannem Bollandum, alios.

CONJUGEM PRISCAM) quae postea, vivo adhuc marito, in exilium cum filia Valeria projecta est à Maximino, & demum jussu Licinij capite plexa, ut docebit Lactantius in fine hujus operis. Sed heic se offert ingens difficultas. Nam in vetustis actis sanctae Susannae virginis, quae martyrium Romae consummasse scribitur sub imperio Diocletiani, mentio est Serenae Augustae uxoris ejusdem Principis, quae occulte Christiana erat, & sancta dicitur in vetustis martyrologiis, ubi dies natalis ejus consignatus est ad diem XVII. Kalendas Septembres. Gravis sane difficultas, si de actorum illorum veritate & auctoritate constaret. Sed cum illa multa eaque magna suppositionis indicia habeant, tum ex hoc sane capite falsa esse probantur quod Serenam uxorem Diocletiani fuisse volunt. Quippe ostensurus sum Diocletiano nullam aliam toto principatus sui tempore uxorem fuisse quam Priscam. Etenim si ea mater Valeriae fuit, ut sane fuit, necesse est eam Diocletiano nupsisse antequam is fieret Imperator, id est, ante annum Christi CCLXXXIV. cum Valeria Galerio Maximiano juncta matrimonio sit anno CCXCIII. aetatis suae ut minimum duodecimo. Vixisse autem tum Priscam matrem ejus hinc certo colligitur quod diu postea superstes fuit & anno tantum CCCXIII. extincta est post victoriam quam Licinius reportavit de Maximino. Haec monumenta non senserat illustrissimus annalium ecclesiasticorum conditor Cardinalis Baronius, & tamen suspicabatur futuros qui eam de Serena Augusta historiam in dubium revocarent, quod nulla penitus de ea mentio alibi habeatur, neque apud scriptores ethnicos, neque in antiquis inscriptionibus; ac tamquam ei difficillimae quaestioni finem imposuisset, interrogat litteratulos, si his displiceat nomen Serenae Augustae, ut dicant quonam alio nomine Diocletiani conjux Augusta ab antiquioribus dicta inveniatur, & cum non invenerint, non faciant de nomine controversiam. Satisfactum est igitur cumulatissime interrogationi ejus. Rejecta itaque supposititia illa Diocletiani uxore, videamus an Eleutheria, quam vir clarissimus Hadrianus Valesius in defensione disceptationis suae de Basilicis uxorem Diocletiani fuisse collegit ex vita Vigilij Papae quae extat in gestis pontificalibus quae vulgo tribuuntur Anastasio Bibliothecario, vere Diocletiani uxor fuerit. Venerat Vigilius Constantinopolim ex praecepto Justiniani & Theodorae; & cum ad ea cogeretur quae facere nolebat, ait: *Ut video, non me fecerunt venire ad se Justinianus & Theodora piissimi Principes, sed hodie scio quod Diocletianum & Eleutheriam inveni.* Ex hoc itaque loco collegit vir ille clarissimus Eleutheriam Diocletiani uxorem fuisse, quod certum sit ibi comparationem institui inter Justinianum & Diocletianum, & inter Theodoram Justiniani conjugem & Eleutheriam, propterea Diocletiani uxorem. Verum ex argumentis quae adversus Serenam allata sunt efficitur etiam Eleutheriam, sive Lutheriam, ut est in vetustissimo codice MS. 417. bibliothecae Colbertinae, aut Leuterem, quo modo scriptum legitur in codice 733. bibliothecae regiae, non fuisse uxorem Diocletiani, cum certum sit, ut antea dixi, nullam aliam cum uxorem habuisse quam Priscam toto principatus sui tempore. Erravit ergo Vigilius in historia, aut corruptus in hoc loco est gestorum pontificalium liber. Sane in codice 736. ejusdem bibliothecae Colbertinae ita habetur: *Sed hodie scio quod Diocletianum & Decium vel Leutherium inveni.* Iam ergo femina illa in virum mutata est. Porro ex his quae hactenus dicta sunt de Serena & Eleutheria facile colligere quivis potest quae fides adhibenda sit historiae sancti Georgij martyris, in qua scriptum est Alexandram Imperatricem Diocletiani conjugem, viso quodam insigni miraculo in persona martyris perpetrato, veritatem agnovisse, id est, Christi fidem esse amplexam. Haec nimirum est Alexandra, Diocletiani conjux, mater conjugis Maximiani; ut refertur in vita ejusdem Georgij, cujus fragmentum in tomo tertio Aprilis pag. 103. edidit Godefridus Henschenius. Eandem defunctam, ab inferis oratione sola ejusdem Georgij revocatam tradit Nicephorus Callistus lib. VII. cap. XV.

EUNUCHI NECATI) & inter hos Petrus, cujus martyrium describit Eusebius lib. VIII. cap. VI. Item Indes, ut produnt acta martyrij ejus.

AD EXUSTIONEM RAPTI) Confirmat ista Eusebius ibidem, scribens imperiali jussu quotquot Nicomediae erant Dei cultores, acervatim cum suis familiis, alios gladio, alios flammis consumptos periisse.

MARI MERGEBANTUR) Eusebius ibidem: *Alios quoque innumerabiles vinctos & scaphis impositos carnifices in profundum mare projecere.* Idem in libro de martyribus Palaestinae cap. VI. narrans martyrium Agapij, ait illum appensis ad pedes ejus lapidibus medio mari submersum esse.

HOMO NON ADEO CLEMENS) Herculium Maximianum fuisse hominem asperum, crudelem, ac inhumanum tradunt vetusti scriptores. Eutropius lib. IX. *Herculius autem propalam ferus, & incivilis ingenij, asperitatem suam etiam vultus horrore significans.* Item lib. X. *Vir ad omnem asperitatem saevitiamque proclivus, infidus, incommodus, civilitatis penitus expers.* Etiam Diocletianus, qui summum imperium cum eo communicaverat, ejus asperitatem reprehendere solitus erat, ut docet Flavius Vopiscus in D. Aureliano. Vide etiam Julianum Imperatorem in libro de Caesaribus.

PARIETES DIRUI PASSUS EST) Contra Eusebius lib. VIII. cap. XIII. aperte scribit Constantium neque Ecclesiarum aedes (sive conventicula, ut heic dicit Lactantius, itemque Ruffinus in versione hujus loci Eusebiani) subvertisse, nec quicquam adversus nostros esse molitum.

VERUM DEI TEMPLUM) id est, hominem Christianum. Lactantius lib. V. institut. cap. VIII. *cujus templum est, non lapides, aut lutum, sed homo ipse, qui figuram Dei gestat, quod templum non auro & gemmarum donis corruptibilibus, sed aeternis virtutum muneribus ornatur.* Idem lib. VI. cap. XXV. *Non templa illi congestis in altitudinem saxis exstruenda sunt: in suo cuique consecrandus est pectore.* Et infra: *Secum denique habeat Deum semper in corde suo consecratum, quoniam ipse est Dei templum.* Idem lib. II. cap. II. & lib. VI. cap. 2. ait hominem esse Dei simulacrum.

PRAETER GALLIAS) Libellus precum Constantino M. oblatus a Donatistis apud Optatum Milevitanum lib. 1. *Rogamus te, o Constantine optime imperator, quoniam de genere justo es, cujus pater inter caeteros imperatores persecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis est Gallia, petimus ut e Gallia nobis judices dari praecipiat pietas tua.* Galliae ergo fuerunt immunes ab hac persecutione, quod illic imperaret Constantius benignissimus Imperator, & qui, ut Eusebius tradit, persecutionis adversum nos concitatae expers omnino fuit, & cultores Dei sub ipsius imperio degentes ab omni noxa & injuria immunes servavit, ac neque Ecclesiarum aedificia subvertit, nec novi quicquam adversus nos statuit. Quin & Eutropius in initio libri decimi dicere videtur Gallicum sanguinem non fuisse fusum in hac persecutione. Loquens enim de Constantio, ita ait. *Hic non modo amabilis, sed etiam venerabilis Gallis fuit, praecipue quod Diocletiani suspectam prudentiam & Maximiani sanguinariam temeritatem imperio ejus evaserant.* Sed adversus haec reclamant historiae nonnullarum Galliae civitatum ac provinciarum, quae suos martyres hac persecutione ad Deum translatos praedicant, ita ut vix ulla civitas fuerit intra Gallias quam non dicatur maduisse sanguine Christianorum. Ista sic conciliari possunt, initio quidem Gallias a persecutione non fuisse prorsus immunes, occupato videlicet Constantio contra barbaros, (ut illustrissimus Episcopus Monspeliensis Franciscus Bosquetus ait in libro quarto historiarum Ecclesiae Gallicanae cap. II.) ac pro consuetudine & solito gentilium furore multos Christianos in Galliis caesos fuisse. Confirmat haec Eusebius in fine libri de martyribus Palaestinae. *Nam quae ulterius sita sunt regiones,* inquit, *Italia videlicet tota & Sicilia, Gallia quoque, & quaecumque ad occasum solis porriguntur, Hispania, Mauritania, & Africa, cum vix duobus primis persecutionis annis integris furorem belli experta essent, divini numinis praesentissimum auxilium & pacem brevi sunt consecuta.*

TRES BESTIAE) id est, Diocletianus, Maximianus Herculius, & Galerius Maximianus. Perstat itaque Lactantius in sententia, & Constantium Galliis imperantem non ponit in numero persecutorum.

Cap. 16.

FLACCINUM PRAEFECTUM) Bithyniae, in qua praesidatum gessit Hierocles antequam praefecturam Ægypti, qua eum ornatum fuisse in annotationibus ad Eusebium pag. 177. docet Henricus Valesius, administraret. Crudelem autem fuisse Flaccinum hinc colligitur quod eum Lactantius vocat non pusillum homicidam. Eadem tempestate vixit Flavianus Praefectus Ægypti, cujus mentio extat in Menologio Graecorum ad diem octavam Julij, quod editum est ab Henrico Canisio in tomo secundo lectionis antiquae.

HIEROCLEM) Hic locus confirmat conjecturam illustrissimi Cardinalis Baronij, qui sequentia Lactantij verba, quae nos descripturi sumus ex libro quinto divinarum institutionum, existimaverat esse intelligenda de Hierocle. Fuit autem Hierocles Praeses Bithyniae, uti jam dictum est, & multam carnificinam de Christianis exercuit.

AUCTOR ET CONSILIARIUS) Lactantius lib. v. institut. cap. 11. *Alius tandem materiam mordacius scripsit, qui erat tum e numero judicum, & qui auctor in primis faciendae persecutionis fuit.*

PRISCILLIANUM) Bithyniae Praesidem, ut legitur in Menologio Graecorum ad diem XII. mensis Junij. *Eodem die sancta martyris Antonina. Apud Nicaeam Bithyniae, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, Priscilliano Praeside, Antonina in Christiana fidei confessione constanter perseverans, demum gladio percussa, martyrio coronata est.* Eadem habentur in Martyrologio Romano.

ZABULUM) id est, diabolum. Sic apud Commodianum lib. II. cap. XVII. *cuncta de zabuli pompa.* & cap. XVIII. *aut tota zabuli pompa.* Et lib. I. cap. XXXV. *Zabolicam legem omnes omnino vitate.* Rursum libr. II. cap. XXXI. *Germine zabolico et factatis turbe pronate.* Referimus autem haec loca juxta fidem veteris codicis. Nam editio diversa est. Nihil vulgatius quam zabuli vox in antiquis libris. Eadem ratione scribebant *Zariterum* pro *Diariterum*, ut in collatione prima Carthaginensi cap. 139. Quod cum non animadverteret Papirius Massonus, heic pro *Hipponensium Zaritorum*, quae est vera lectio, scripsit *Hypponensis Zaritorensis*. quam lectionem retinuit etiam Petrus Pithœus in sua editione collationis Carthaginensis. Quare in veteri Notitia Africae quam Sirmondus edidit, & post eum Chiffletius, pro eo quod illic legitur, *Marianus Hippzaritensis*, scribendum est *Marianus Hipponensium Zaritorum*, id est, Diaritorum sive Diarrhytorum, ut apud Plinium lib. v. hist. naturalis cap. IV. Sic etiam apud Commodianum Zacones pro Diaconibus.

TRIUMPHARET) Lactantius lib. IV. institut. cap. XXVI. *Postremo etiam mortem suscipere non recusavit, ut homo ille duce subactam & catenatam mortem cum suis terroribus triumpharet.*

ADVERSARIUM VICISTI) Cyprianus epist. VII. ad Rogatianum & ceteros confessores: *Quantum dolemus ex illis quos tempestas inimica prostravit, tantum laetamur ex vobis, quos diabolus superare non potuit. Hortamur tamen per communem fidem, per pectoris nostri veram circa vos & simplicem caritatem, ut qui adversarium prima hac congressione vicistis, gloriam vestram forti & perseveranti virtute teneatis.*

IOCUNDUM SPECTACULUM) Cyprianus epist. IX. *O quale illud fuit spectaculum Domino, quam sublime, quam magnum, quam Dei oculis sacramento ac devotione militis ejus acceptum!*

ELEPHANTOS) Nam & elephantos ad currum junxerunt antiqui, ut patet ex Lampridio in vita Antonini Heliogabali & ex aliis locis. Auctor est Flavius Vopiscus in triumpho quem D. Aurelianus egit de Zenobia & Tetrico, elephantos viginti praecessisse. Joannes Abbas Biclarensis ad annum IX. Justini Imperatoris adnotat Justinianum Ducem Romanae militiae XXIV. elephantos Constantinopolim direxisse pro triumpho qui de Persis devictis agendus erat. Vide Sirmondum in Notis ad panegyricum Anthemij apud Sidonium, & Bulengerum in libro de triumphis cap. XXI.

DOMINUS VESTRA DOMINANTUR) passiva significatione, ut apud Ciceronem in libro primo officiorum: *O domus antiqua, heu quam dispari dominare domino!* Virgilius in secundo Æneidos: *multos dominata per annos.*

DESIIT PROVOCARE) Emissus est Donatus e carcere extremis Galerij Maximiani temporibus, ut legitur infra cap. XXXV.

FELICITAS AB EO RECESSIT.) nimirum à Diocletiano, quem per totos viginti annos imperij fuisse felicem produnt antiqui historiarum scriptores. Neque opus est referre testimonia singulorum. Sufficiet unicus auctor panegyrici Maximiano & Constantino dicti in nuptiis Faustae. Sic ergo ille. *Sed profecto exegit hoc ipsa varietas & natura fortunae, cui nihil mutare licuerat dum vos imperium teneretis, ut illa viginti annorum continua felicitas intervallo aliquo distingueretur.* Cap. 17.

PERVENIT ROMAM) Diocletianus, duabus de caussis, ut vicennalia celebraret, & triumphum ageret de Narseo Rege Persarum ante aliquot annos victo. Hoc enim anno actus est triumphus, non autem anno decimo octavo imperij, ut putavit Henricus Valesius, qui propterea cum triumpho conjunxit vilitatem annonae quam Imperatores jussisse docent Fasti Idatiani, tamquam id ab eis post triumphum constitutum esset in gratiam populi Romani. Recte igitur Scaliger in animadversionibus ad Chronicon Eusebij adnotat triumphum à Diocletiano & Maximiano actum anno vicesimo imperij, aliquot mensibus antequam purpuram deponerent. Sed postremum illud falsum. Nam retinuerunt adhuc imperium fere per sesquiannum, ut postea videbimus. Porro triumphum actum esse tempore vicennalium, quod nobis incumbit probandum, patet ex capite decimo Lactantij: ubi, post narratam victoriam de Persis, ait Diocletianum in orientem profectum, & annum illic egisse qui persecutionem antecessit, deinde hyematum venisse in Bithyniam, ac tum quidem captum consilium destruendarum Ecclesiarum, & mense Februario sequenti cœptam persecutionem. Igitur certum est Diocletianum non fuisse Romae anno XVIII. imperij sui, quo eum triumphasse contendit Valesius secutus Eusebium, quem propterea reprehendit Iosephus Scaliger. Sane, quod negari non potest, in vulgatis Chronici Eusebiani editionibus & in plerisque antiquis exemplaribus triumphus ille notatus in anno XVIII. Diocletiani. Verum in vetustissimo & optimo codice Colbertino, & in aliis antiquis quos Poeracus vidit, ponitur in anno XIX. sed praepostero ordine, cum antecedat historiam persecutionis. Quae fuit occasio errandi clarissimo Valesio. Probabile autem est dilatum tamdiu à Diocletiano triumphum de Persis ut eum conjungeret cum festis vicennalium & ea sic faceret clariora atque celebriora. Nunc referenda sunt Eusebij verba. *Diocletianus & Maximianus Augusti insigni pompa Romae triumpharunt, antecedentibus currum eorum Narsei conjuge, sororibus, liberis, & omni praeda qua Parthos spoliaverant.* Eadem habet Eutropius in fine libri noni, ubi ait Diocletianum & Herculium deposuisse purpuram *post triumphum inclytum quem Romae ex numerosis gentibus egerant, pompa ferculorum illustri, qua Narsei conjuges sororesque & liberi ante currum ducti sunt.* Sed emendandus heic est Eutropius ubi de conjugibus Narsei ante currum ductis loquitur. Quippe Sextus Rufus in duobus locis & Eusebius in Chronico, qui accepisse videtur ea Eutropio, de una tantum Narsei uxore loquuntur. Igitur, Diocletianus in oriente fuit anno CCCII. eoque exeunte venit Nicomediam; ineunte anno CCCIII. cœpta persecutione, Romam postea profectus est ut triumphum ageret & vicennalia celebraret.

VICENNALIUM DIEM) Haec agenda erant ineunte anno vigesimo imperij; & non uno solum die agebantur, sed continuatis diebus, ut patet etiam ex his quae de Romano martyre narrat Eusebius in libro de martyribus Palaestinae. Ad ista Diocletiani quod attinet, certum est ea Romae celebrata fuisse per mensem integrum, cum Lactantius dicat illum iis solemnibus celebratis, impatientem & aegrum animi proripuisse ex urbe, & tredecim dies tolerare non potuisse ut Romae potius quam Ravennae procederet Consul. Porro Diocletianum eo ipso anno vicennalia celebrasse quo cœpta est persecutio adversus Christianos, vel hic locus evincit. Celebrata autem fuerunt eo anno quo ipse consulatum octavum agebat. Nam proripit ex urbe paucis diebus ante Kalendas Ianuarias, quibus nonus consulatus illi deferebatur.

XII. KAL. DECEMB.) Quoniam imperium Diocletiani fundus est illius historiae, res postulare videtur ut ejus initium brevi sermone constituamus, ut finis tandem imponatur dissidiis quae ex ea occasione emerserunt

runt inter viros doctos. Ac de anno sane quo is ad remp. administrandam accessit non arbitror ambigi nunc posse, eum eum fuisse annum Christi CCLXXXIV. luculenter probaverit in libro XI. de doctrina temporum cap. XXX. vir istarum & multarum aliarum rerum peritissimus Dionysius Petavius. Denique si persecutio adversus Ecclesiam commota est anno Christi CCCIII. ut certum faciunt plurima loca istius Lactantianae lucubrationis, quae nos supra retulimus, commota autem sit anno imperij Diocletiani XIX. ut omnes consentiunt, negari non potest principatum ejus incipere ab anno CCLXXXIV. exeunte. Major itaque difficultas est in constituendo die quo factus est Imperator. Ante Petavium persuasum erat hominibus eruditis illum Palilibus ipsis id est XI. Kalendas Maias a militibus Imperatorem esse sublatum. quam sententiam, ut falsam, merito refellit idem vir eruditissimus, & addit. *Resipiscant itaque deinceps Chronologi omnes, & hanc de primo Diocletiani imperii die ὑπόληψιν tam levi imo nullo argumento suffultam dediscant ac meliore commutent. Gratia vero Alexandrino illi Chronico debentur, cujus auctor ex actis publicis diem nobis designat quo primum Chalcedone Diocletianus Imperator est appellatus, nimirum XV. Kalendas Octobres.* Si Petavius nunc viveret, certus sum enim, ut erat veri amantissimus, gloriam constitutae illius diei, quam falso tribuit auctori Chronici Alexandrini, redditurum Lactantio, & XV. Kal. Octobres mutaturum in XII. Kal. Decembres. quem diem Lactantius docet fuisse natalem imperij Diocletiani, quo vicennalia Romae celebraturus erat. Atque eo modo solvitur difficultas quam Valesius in annotationibus ad Eusebium pag. 175. indicavit, nimirum ex eo quod Eusebius dicit Romanum die XVII. Novembris martyrium consummasse, cum Diocletiani vicennalia agerentur, cum si illud verum est, sequi videatur primum diem imperij Diocletiani incidere in mensem Novembrem, non autem in Septembrem ut tradit auctor Chronici Alexandrini. Incidit itaque in mensem Novembrem, sed posterius die decima septima ejusdem mensis.

LIBERT. P. R. FERRE. POTERAT) immoderatam videlicet, eo acriorem quod intermissa erat. Magnam enim vero oportuit fuisse populi Romani petulantiam & loquendi libertatem, quae Diocletianum, satis bonum alioqui Principem, si persecutionem adversus nostros motam excipias, coegerunt urbem relinquere sic praecipitanter. Eadem licentia Constantinum etiam movit ut Romam relinqueret & sedem imperij alio transferret, ut in libro secundo historiarum suarum narrat Zosimus. Quamquam alia causa transferendi imperij habetur in Donatione Constantini.

PRORVPIT EX VRBE) XIII. Kalendas Ianuarij, post terminata vicennalia. Nam vicennalium festa duraverunt per mensem integrum, ut jam diximus.

NONVS CONSVLATVS) Haec etiam evincunt persecutionem excitatam esse anno Christi CCCIII. cum nonum consulatum Diocletiano destinatum fuisse dicat ad Kalendas Ianuarias quae proximae post commotam persecutionem fuerunt. Nonus enim consulatus Diocletiani incidit in annum Christi CCCIV.

DEFERREBATVR) à senatu nimirum. Sed ista explicanda sunt. Nam certum est nominationem Consulum fuisse prorsus in potestate Imperatorum. Itaque senatus non designabat quidem Consules, sed eos declarabat, eis insignia consulatus tradebat, & sic quodam modo consulatum deferre ac tribuere videbatur. Ita nos docet Valerianus Imp. in oratione ad Aurelianum, qui postea fuit Imperator, apud Flavium Vopiscum: *Nam te Consulem hodie designo, scripturus ad senatum ut tibi deputet scipionem, deputet etiam fasces. Haec enim Imperator non solet dare, sed à senatu, quando fit Consul, accipere.* Itaque Diocletianus sibi consulatum destinaverat in annum sequentem; & si mansisset Romae, ejus insignia pro more Consulum accepisset à senatu. Sed tredecim dies tolerare non potuit ut sumeret, propter nimiam populi Romani licentiam.

RAVENNA) Discedens igitur Roma Diocletianus profectus est Ravennam, quà rectum iter est in Illyricum & Bithyniam.

PROCEDERE CONSVL) Ælius Lampridius in Heliogabalo: *Denique Kal. Iannariis, quum simul cum designati essent Consules, noluit cum consobrino procedere.* Fasti Idatiani Diocletiano II. & Aristobulo: *His Coss. occisus est Carinus Margo, qui ipso anno cum Aristobulo Consul processerat.* Chronicon Alexandrinum pag. 641. *Diocletianus Imperator XV. Kalendas Octobr. Chalcedone renuntiatus, V. Kalendas Octobres Nicomediam purpuratus intravit, & Kalendis Ianuariis Consul processit.* Antiquorum Consulum processio, ut ego quidem arbitror, & ut sunt omnia ferme initia, modesta erat & simplex. Postea vanitas & ambitio multa addidit, quae deinde omnem modum excessere. Hinc illa querela Flavij Vopisci in D. Aureliano: *Vidimus proxime consulatum Farij Placidi tanto ambitu in circo editum ut non praemia dari aurigis sed patrimonia viderentur, quum darentur tunicae subsericae, lineae paragaudae, darentur etiam equi, ingemiscentibus frugi hominibus. Factum est enim ut jam divitiarum sit non hominum consulatus: quia utique si virtutibus defertur, editorem spoliare non debet. Perierunt casta illa tempora, & magis ambitione populari peritura sunt.* Profusa autem plurimorum liberalitas in editione consulatus varias extorsit Principum leges, quibus modum ponerent immensitati donorum, ut colligitur ex Novella CV. Iustiniani, qui processiones Consulum enumerat per annum septem, & statuit quomodo illae celebrandae sint. De munificentia ejusdem Iustiniani in editione primi consulatus sui vide Marcellinum Comitem.

PROFECTVS HYEME) Henricus Valesius in Notis ad Eusebium pag. 168. disputans adversùs Iosephum Scaligerum, qui contendit Diocletiani triumphum actum esse Romae anno imperij ejus vigesimo, aliquot mensibus antequam purpuram deponeret, adversùs eum inquam disputans Valesius ait istam opinionem ferri non posse, quod ex ea sequatur Diocletianum hiberno tempore triumphasse, & media adhuc hyeme ab urbe Roma profectum Nicomediam venisse. *Quorum neutrum probabile est*, inquit, *cum nec triumphi per hiemem agi solerent ab Imperatoribus Romanis, nec Diocletiani aetas ac valetudo tam longi itineris laborem hibernis mensibus sustinere valuerit.* Haec tamen, quae absurda visa sunt viro clarissimo, vera sunt, & ea pro veris agnovisset ipse si hanc Lactantij lucubrationem vidisset. Nam & certum est triumphum actum eodem tempore quo vicennalia, & Diocletianum Roma profectum hyeme, saeviente frigore, & dein Nicomediam venisse, non quidem ipsa hyeme, sed post aestatem sequentem. Neque verum est, quod paulo post subdit idem Valesius, morbum illum quo Diocletianus de statu mentis paululum deturbatus est, primum Nicomediae eum corripuisse paulo post excitatam ab eo persecutionem. Neque id dicit Constantinus. Is morbus eum corripuit post triumphum & vicennalia, cum in itinere esset, ut hic scribit Lactantius.

RIPA STRIGA) Aut mendum cubat in hoc loco, aut ripae strigae nomine intelligitur ora Propontidis circa Nicomediam.

CIRCVM DEDICARET) apud Nicomediam, quam vir aedificandi cupidissimus sibi Romae exaequare studebat.

ANNO P. V. EXPLETO) id est, ut ego arbitror, XII. Kalendas Decembres. Sic enim postulat sensus. Sane postea Lactantius cum aliquo intervallo memorat Idus ejusdem mensis. Non deposuit ergo purpuram Diocletianus anno Christi CCCIV. ut placuit viris eruditissimis, sed altero post actum triumphum & celebrata vicennalia, id est, anno Christi trecentesimo quinto. Melius igitur Scaliger, qui in animadversionibus ad Chronicon Eusebij ait Diocletianum deposuisse purpuram aliquanto tardius quam vulgo censent viri docti, eo inter cetera argumento quod certum sit Diocletianum gessisse decimum consulatum, & dici non posse eum fuisse Consulem post depositam purpuram. Nam Cassiodorus ait Diocletianum & Maximianum deposuisse purpuram eo anno quo Diocletianus decimum & Maximianus septimum consulatum agebant. Quod etiam legitur in vetustissimo codice MS. bibliothecae regiae litteris uncialibus scripto, qui inscriptus est *Chronica Georgij Ambianensis Episcopi*. Quamquam, ut verum fatear, decimus ille Diocletiani consulatus mihi multum suspectus est, & valde huc inclino ut existimem conflatum esse per errorem ex illis verbis Fastorum, *Item Decies & Maximiano septimum*. quae referenda sunt ad Maximianum Herculium & Galerium Maximianum.

Ista tamen non impediunt quin abdicatio facta dicatur anno trecentesimo quinto, praesertim cum res eadem alijs adhuc testimoniis probetur. Nam cum Zosimus scribat a consulatu Chilonis & Libonis, quo Severus ludos seculares exhibuit, centum & unum annos effluxisse usque ad eum quo Diocletianus & Maximianus abdicaverunt, quem falsò notat incidere in Diocletiani IX. & Maximiani VIII. consulatum, & scriptorum omnium consensu ludi illi seculares anno Christi CCIV. celebrati fuerint, luce clarius est rem quae centesimo primo post anno gesta est, anno Christi CCCV. evenisse. Quod adeo verum est ut quum Ioannes Fridericus Hervvartus in capite CCXXX. suae chronologiae retulisset hunc Zosimi locum, in eaque sententia esset ut Diocletianum abdicasse anno CCCIV. censeret, centum & unum annos qui à ludis Severi usque ad annum abdicationis fluxerant sic interpretari coactus est ut utrumque extremum eo numero includi assereret, CCIV. nimirum & CCCIV. Videbat enim quod si inciperet ab anno CCV. ut par erat, numerus annorum centum & unius non congrueret cum anno abdicationis imperij, quam, ut dixi, putavit anno CCCIV. evenisse. At si scivisset eam sequenti tantum anno peractam, non redactus fuisset in has angustias. Porro abdicationem contigisse anno quo diximus probatur etiam ex capite XLVI. Lactantij, in quo ille scribit annum octavum nuncupationis Maximini cognomento Dazae completum fuisse Kalendis Maiis anni quo ille pugnam commisit cum Licinio: quae cum pugnata fuerit anno CCCXIII. consequens est Diocletianum abdicasse & Maximinum fuisse nuncupatum Caesarem anno CCCV. Kalendis Maiis.

CELARI MORTEM) ut fieri olim solebat post mortem Principum. Nam id de Augusto narrat Tacitus in libro primo annalium, de Constantino Rufinus lib. I. cap. XI. historiae ecclesiasticae. Possunt inveniri etiam alia exempla. Sed ista tanti non sunt.

KAL. MARTIIS) anni sequentis, id est, anni trecentesimi quinti. Nam cum certum sit Diocletianum vicennalia celebravisse Romae anno CCCIII. & hinc digressum medio Decembri, Nicomediam pervenisse post aestatem anni CCCIV. & circum dedicavisse anno post vicennalia repleto, id est, mense Novembri, deinde ita aegrotasse ut mortuus crederetur Idibus Decembribus, manifestum est Kalendas Martias quae post Idus illas subsecutae sunt incidisse in annum CCCV. adeoque adhuc eo tempore Diocletianum fuisse Imperatorem. Sed paulo post eum visuri sumus cum Galerio deliberantem de abdicando imperio.

DEMENS FACTVS EST) Eusebius lib. VIII. cap. XIII. rectè hunc Diocletiani morbum cujus vi demotus est de mentis suae statu, accidisse ait post acta vicennalia & post motam adversùs nostros persecutionem. Recte quidem. Sed idem tamen in eo castigandus est quod vicennalia ab eo expleta ait antè quam bellum inferret Christianis, cum ex Lactantio teste oculatu constet motam primo persecutionem, vicennalia deinde acta exeunte anno. Meminit autem amentiae Diocletiani & Chrysostomus oratione in sanctum Babylam martyrem.

Cap. 18. EXEMPLVM NERVAE) qui senio gravis, ac ideo se contemni videns, Trajanum adoptavit, eodemque die in senatu Caesarem designavit, ut Xiphilinus tradit ex Dione. Eandem causam adoptionis affert Plinius in panegyrico: *O novum atque inauditum ad principatum iter! Non te propria cupiditas, proprius metus, sed aliena utilitas, alienus timor Principem fecit.* Et infra: *Ut dare posset imperium Imperator qui reverentiam amiserat, auctoritate ejus effectum est cui dabatur. Simul filius, simul Caesar, mox Imperator & consors tribunitiae potestatis.*

INCREPANS EVM) Heic incipit dialogus inter Diocletianum & Galerium, isto socerum urgente ad deponendum imperium, altero repugnante. Quod valde animadvertendum est. Hactenus enim existimavimus spontaneam fuisse Diocletiani abdicationem & longo tempore meditatam. quod certe evidentissime colligebatur ex vetustis auctoribus, qui vulgatas tantum historias scribebant, arcana rerum non noverant. At Lactantius, qui Nicomediam a Diocletiano fuerat accitus, qui frequens erat in palatio, melius totam hanc historiam scire potuit quam illi qui postea animum ad scribendas historias appulerunt.

INSTAVRAVERAT) In veteri codice legitur *invenerat*.

DISPOSITIONEM) formam constituendae seu regendae reipublicae. Recepta tum erat ea vox. Epistola D. Aureliani ad Flavium Arabianum apud Flavium Vopiscum: *Nunc tuum est officium, Arabiane jucundissime, elaborare ne meae dispositiones in irritum veniant.* Valeriani epistola ad Ragonium Clarum apud Trebellium Pollionem in triginta tyrannis cap. XVII. *Dispositionem Balistae prosequere. Hac in forma remp. videi.* Vide Lactantium lib. II. institut. cap. XVI. & lib. III. cap. VII. & X. & Iacobum Gothofredum ad titulum Codicis Theodos. *De proximis.*

DISPOSIT. CONSERVARI) ut quia ipse primus orbem Romanum in quatuor partes divisisset, quarum duas à duobus Augustis, reliquas duas a duobus Caesaribus in spem imperij allectis teneri instituerat, jam & ipse hanc dispositionem non immutans, sed custodiens, cederet imperio cum sene Maximiano, & se Constantiumque, qui tum Caesares erant, Augustos diceret, in istorum vero loco duos novos Caesares faceret. Daret exemplum posteris quo modo conservari oporteret immensum reipublicae corpus.

INTER DVOS CONCORDIAM) Proponebat tacite Galerius exemplum Diocletiani & Maximiani Herculij, qui per tot annos mira concordia imperium tenuerant, ut ostenderet rem non esse difficilem. Re autem vera res est difficillima concordia, praesertim ubi summa potentia est; recteque Tacitus in libro quarto annalium scribit potentiam & concordiam eodem loci esse vix posse. Idem lib. XIII. loquens de Seneca & Burrho rectoribus juventae Neronis Imperatoris adnotat, tamquam rem difficilem & extraordinariam, eos pari in societate potentiae fuisse concordes. Denique discordia quae postea fuit inter Constantinum & Licinium, qui Romanum imperium aequa potestate tenebant, probabit concordiam difficile servari inter duos Imperatores.

MINOR ET EXTREMVS) Infra cap. XX. *Nam Constantium, quamvis priorem nominari esset necesse, contemnebat.* Haec loca ostendunt priorem in adoptione locum datum esse Constantio, haud dubie propter nobilitatem generis, quod referebat ad Claudium Imperatorem. Sed de hoc postea.

ITA PLANE) Familiaris Lactantio phrasis. Lib. I. divinar. institut. cap. XI. *Ita plane. Nam cùm idem neque virginibus neque maritatis unquam pepercisset.* Et lib. II. cap. II. *Ita plane: quemadmodum vulgus existimat mortuorum animas circa tumulos & corporum suorum reliquias oberrare.*

ILLOR. FILIOS NVNCVPARI) Æquum sane ac rationi consentaneum erat quod proponebat Diocletianus, ut filius Herculij Maxentius & Constantij filius Constantinus fierent Caesares, ne Principum filij privati viverent. Sed contra obtinuit pervicax Galerius, & alios Caesares fecit, praesente etiam Constantino.

NEQVE PATREM) Eadem de Maxentio referuntur in Epitome Victoris. *Is Maximianus* (Leg. *Maxentius*, ut patet etiam ex libro XI. historiae miscellae) *carus nulli unquam fuit, ne patri aut socero quidem Galerio.* Erat ille, ut vulgo scribitur, Herculij Maximiani filius. Sed tamen paulo ante in eadem Epitome ista leguntur. *Genuit ex Eutropia Syra muliere Maxentium & Faustam conjugem Constantini, cujus patri Constantio tradiderat Theodoram privignam. Sed Maxentium suppositum ferunt arte muliebri tenere mariti animum laborantis auspicio gratissimi partus coepti à puero.* Hanc enim ego lectionem merito, ut opinor, reliquis praefero. Historiam hanc confirmat incerti panegyricus Constantino dictus post victum Maxentium: *Ut enim omittam illa quae non decet comparari, quod erat ille Maximiani suppositus, tu Constantij pij filius; ille despectissimae pravitatis,* (Leg. *parvitatis*) *detortis solutisque membris, nomine ipso abusiva appellatione mutilato, tu quod sufficit dicere, tantus ac talis.*

TEMVLENTVM, EBRIOSVM) Fragmentum de Constantio Chloro & Constantino: *Severus Caesar ignobilis & moribus & natalibus, ebriosus, & hoc Galerio amicus.* Censuit enim auctor hujus fragmenti Galerium fuisse ebriosum, quem tamen alibi non facile reperias temulentiae accusatum. Sic ergo ille: *Galerius sic ebriosus fuit ut cum juberet temulentus ea quae facienda non essent, a Praefecto admonitus constituerit ne jussa ejus* ali-

aliquis post prandium fecerat. Confudit haud dubie auctor fragmenti Galerium Maximianum cum Galerio Maximino, quem narrat Eusebius lib. VIII. cap. XIV. temulentiae & crapulae eo usque obnoxium fuisse ut in compotationibus insaniret & fureret, & ea imperaret ebrius quorum postridie sobrium poenitebat. Et ita quidem verba Graeca Eusebij verterunt Christophorsonus & Valesius. At Ruffinus alium sensum his dedit, dicens Maximinum adeo temulentum fuisse ut insanus & mente captus vini furore putaretur, & ea ebrius fieri juberet quae die postera se jussisse nesciret. De eodem haec habentur in Epitome Victoris, quae magis congruunt cum interpretatione virorum clarissimorum. *Vini*, inquit, *avidior; quo ebrius, quaedam corrupta mente aspera jubebat, qui cum pigeret factum, differri quae praecepisset in tempus sobrium ac matutinum statuit*. Denique victus a Licinio, cum Tarsum profectus esset, neque ullum speraret refugium, angore & metu confugit ad mortem quasi ad remedium malorum, & prius se cibo infersit ac vino ingurgitavit, ut dicet infra Lactantius cap. XLIX.

EUM MISI AD MAXIMIANUM) Audax sane nimium fuit Galerius, qui nondum consulto Diocletiano, Severum miserat ad Maximianum ut ab illo fieret Caesar. Qui locus etiam ostendit quam praeceps & vaesanus fuerit Galerius, & quam parum libera ac spontanea Diocletiani abdicatio.

UT AB EO INDUATUR) purpura videlicet, quod erat insigne principalis fastigij. Itaque idem Severus ab Herculio postea victus ad Ravennam, *vestem & purpuram eidem a quo acceperat reddidit*, ut ait infra Lactantius cap. XXVI.

OSTENDERE DAIAM) sive Dazam, filium sororis Galerij, ob hoc ipsum Galerium Maximinum dictum in adoptione. Epitome Victoris: *Galerius Maximinus sorore Armentarij progenitus, veroque nomine ante imperium Daza dictus*.

IUSSERAT MAXIMINUM) In veteri codice & heic & fere semper legitur *Maximianum*, justo Graecis Latinisque librariis errore ut Maximiani & Maximini nomina persaepe confundant. Quoniam vero certum est istum, non Maximianum, se Maximinum fuisse vocatum, nos ubique emendavimus, ne qua lectorem difficultas remorari posset.

Cap. 19 PROCEDITUR KAL. MAIIS) anno Christi CCCV. ut diximus. Mendum itaque est apud Zosimum & in Fastis Idatianis, ubi ista contigisse dicuntur Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Coss. die Kal. Aprilis. Alij abdicationem Imperatorum ponunt in die XI. Kal. Maj, ipsis Fastibus, Labbeus Kalendis Augusti, nescio quo auctore. Sed nunc neque de anno neque de die disputare fas est post tam luculentam & accuratam abdicationis istius historiam quam nobis exhibet Lactantius.

CONSTANTINO INTUENTE) Ex hoc loco & ex pluribus alijs veterum scriptorum testimonijs probari potest Constantinum apud Diocletianum fuisse eo tempore quo ista agebantur. Quare necesse est mendum esse in fragmento de Constantio Chloro & Constantino pag. 472. ubi scriptum est Severum & Maximinum Caesares factos, *Constantino nihil tale noscente*. Vbi legendum est *Constantio*, absque quo & abdicatio facta & Caesares suffecti, ut docet Lactantius.

MAXIMIANUS IPSE) Galerius, cognomento Armentarius.

PURPURAM SUMPSERAT) Magni momenti sunt haec verba, neque leviter praetereunda. Signant enim locum ubi Galerius Maximianus adoptatus est a Diocletiano, nimirum prope Nicomediam. Quippe alium de ea re silentium est apud antiquos historiarum scriptores, nisi quod in Chronico Alexandrino scriptum est Maximianum Iovium & Constantium in consortium imperij adscitos esse Nicomediae. Sigonius in libro primo de occidentali imperio putat id factum esse in Illyrico. Sed errare illum evincit hic locus Lactantii. Rursum heic adnotandum est, Diocletianum & Maximianum, sicut uno eodemque die imperium deposuerunt, prior ad Nicomediam, alter apud Mediolanum, ita uno eodemque die Caesares adoptatos ab illis fuisse, Galerium quidem a Diocletiano ad Nicomediam, Constantium vero ab Herculio in Italia, ac fortean Mediolani.

REQUIEM PETENS) Hinc haud dubie orta communis opinio, Diocletianum semet volentem ac spontaneum imperio exuisse propter senium & infirmam valetudinem, & id ab eo factum post diutinam deliberationem; ut colligunt, & recte, viri docti ex veteri panegyrico qui Maximiano Herculio & Constantino dictus est post nuptias Constantini & Faustae. Verum Lactantius arcanum istius historiae aperuit, quod se ignorare fassus est Eusebius in libro primo de vita Constantini cap. XVIII. ubi ait seniores Augustos *nescio quo pacto* imperio se abdicasse. Ruffinus lib. VIII. cap. XV ait Diocletianum Augustum in id vanitatis atque amentiae pervenisse quo depositis cum collega pariter Augusto regni insignibus, privati & plebeij post imperium viverent. At Constantinus in oratione ad sanctorum coetum cap. XXV. (cui adstipulari videtur Eusebius lib. VIII. cap. XIII) diserte affirmat Diocletianum ob mentis alienationem sponte se imperio abdicasse, quem Valesius in annotationibus suis refellit, & merito. Sed errat idem Valesius in eo quod ait consilium de abdicando imperio diu ante persecutionem cepisse Diocletianum, tunc scilicet quum de Persis alijsque barbaris nationibus Romae triumphavit. Nam ea serie istius lucubrationis Lactantianae constat consilium de abdicando imperio captum fuisse post commotam persecutionem, post reditum Diocletiani ab urbe, post vicennalia repleta, adeoque post difficilem illum morbum cujus vi demotum de mentis suae statu vitum fuisse Diocletianum tradit Eusebius. Praeterea triumphus actus non est ante persecutionem, ut supra ostensum est.

SEVERUM ET MAXIMINUM) Fasti Idatiani Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Consulibus: *His Conss. deposuerunt purpuram privati effecti Diocletianus & Maximianus, & elevaverunt Severum & Maximinum*, Severum quidem Herculius apud Mediolanum, Maximinum Diocletianus ad Nicomediam. Sed male apud Eusebium in Chronico, ubi scriptum est Galerium solum biennio Augustum imperium tenuisse, & anno post seniorum Augustorum abdicationem Maximinum & Severum a Galerio Maximiano Caesares factos. Ita quidem in plerisque editionibus. Sed in Veneta anni MCCCCLXXXIII. & in antiquis codicibus manuscriptis a Pontaco laudatis, tum etiam in vetustissimo & optimo codice Colbertino, ea desunt quae de Galerio solo imperium per biennium obtinente illic dicuntur, & substitutio Severi & Maximini Caesarum ponitur in eodem anno quo facta est abdicatio. Petavius tamen vulgatam Eusebiani Chronici lectionem propugnat in libro XI. de doctrina temporum cap. XXXIV. & verba illa de Galerij biennio sic interpretatur ut in biennio solus, id est, nondum creatis Caesaribus, imperasse dicatur; Caesares autem electos anno illo quo Constantius excessit e vivis. Itaque in libro XIII. (qui est chronologicus) colligere se ait ex fragmento anonymi scriptoris qui post Ammianum Marcellinum Valesij editus est, Severum aliquanto antea copiis in Italia praefuisse quam Caesar fieret, neque tamen cito eam dignitatem adeptum, sed eodem fere tempore quo Constantinus Constantij filius. Quae omnia falsa esse agnosceret sane Petavius si librum illum Lactantij videret.

SEVERUM ET MAXIMINUM) Certum est haec acta Nicomediae fuisse, ubi tunc erant Diocletianus & Galerius Maximianus. Et tamen Socrates in initio suae historiae, ut quidem verterunt Musculus, Christophorsonus, & Valesius, ait Galerium post abdicationem Diocletiani & Maximiani Herculij profectum in Italiam, duos Caesares, Maximinum in Oriente, Severum in Italia constituisse. Aliter vertit Epiphanius scholasticus, & quidem congruentius ad veritatem historiae: *Cum Diocletianus & Maximianus Herculius privatam elegissent vitam, & Maximianus Galerius, qui cum eis imperaverat, tenens Italiam duos Caesares fecisset, Maximinum in oriente, & Severum in Italia, tunc Constantinus in Britannia patre mortuo ordinatur Imperator*. Vtcunque se res habeat, manifestum est Socratem existimasse Maximinum & Severum factos fuisse Caesares postquam Italia cessit in ditionem Galerij, quae tempore abdicationis evenerat Constantio. Atque in eadem sententia fuisse videtur etiam Eutropius in initio libri decimi; qui scribit Galerium, cum Italiam quoque sinente Constantio administrationi suae accessisse sentiret, Caesares duos creavisse. Errat ergo uterque, cum ex Lactantio appareat Caesares factos esse apud Nicomediam eodem tempore quo seniores Augusti deposuerunt imperium.

Ge-

Occasio illis errandi, ut arbitror, illa fuit quod cum Maximianus Herculius abdicasset apud Mediolanum, praesente Severo, qui ab eo factus est Caesar, & ab eo purpuram accepit, crediderunt haud dubie utrumque Caesarem in Italia factum esse a Maximiano, non distinguentes inter Maximianum Herculium & Galerium Maximianum, id vero fieri non potuisse nisi post abdicationem. Vide Sigonium in libro secundo de occidentali imperio.

SUSUM) *in superiori parte, in loco signato*, ut ait Papias. Veteres dicebant *susum* pro *sursum*, ut pluribus ostendit in suo Glossario vir clarissimus Carolus Dufresnius. Et Rigaltius ad librum secundum testimoniorum sancti Cypriani ad Quirinum cap. XXVIII. ubi legitur, *Vocavit caelum sursum*, adnotat in Beneventano & Veronensi codicibus legi *susum*.

SCISCITARI) In veteri libro scriptum est *stare*, & in margine *suscitare*, per speciem emendationis. Ego utramque lectionem puto falsam esse, & vocem *suscitari* melius convenire huic loco.

CONSTANTINO REPULSO) Vel unicus hic locus, quamvis alia argumenta non desint, ostendit Constantinum non fuisse factum Caesarem cum Severo & Maximino. Illud ipsum probatur etiam ex silentio scriptorum illius aevi & ex quibusdam antiquis inscriptionibus exaratis post abdicationem Diocletiani & ante obitum Constantij; in quibus post Constantium & Galerium Augustos, Severi & Maximini Caesarum nomina inscripta sunt, omisso nomine Constantini. Harum unam exhibet Onuphrius Panvinius in libro secundo Fastorum, alteram Gruterus pag. CLXXVIII. Praeterea haec erat dispositio a Diocletiano introducta in administratione reipublicae, quam in perpetuum conservari debere contendebat Galerius, ut quatuor tantum essent Principes, *duo majores, qui summam rerum tenerent, item duo minores, qui sint adjumento*, ut docet Lactantius cap. XVIII. hujus operis. Itaque quum postea Galerius accepisset mortem Constantij, & Constantinum in loco ejus positum, cum valde cuperet imperium tenere solus, nec tamen vellet ordinem mutare in republica constitutum, maluit collegam Augustum assumere quam tertium Caesarem *extra numerum nuncupare*, ut ait Lactantius in capite XXV. ejusdem historiae. Ex his quae hactenus dicta sunt manifeste colligitur Constantinum non fuisse factum Caesarem cum Severo & Maximino. Et tamen in Epitome Victoris ita leguntur: *Constantius Constantini pater atque Armentarius Caesares, Augusti appellantur creatis Caesaribus, Severo per Italiam, Maximino Galerij sororis filio per orientem. Eodemque tempore Constantinus Caesar efficitur.* Negari sane non potest quin Constantinus fuerit Caesar, cum id nummi plures proferant, in quibus visitur imago ejus laureata, cum hac inscriptione: CONSTANTINUS NOB. CAES. In uno vero & praenomina etiam Constantini leguntur hoc modo. FL. VAL. CONSTANTINUS NOB. C. Credidit vir eruditissimus, innixus auctoritati Aurelij Victoris, Constantinum a Maximiano Augusto & socero consecutum esse dignitatem Caesaris eodem mense quo Constantius pater ejus Augustus est renunciatus. Contra Iosephus Scaliger in animadversionibus ad Eusebium pag. 247. contendit eum non fuisse Caesarem sub patre, sed sub Galerio, tametsi postea adnotat nullum historiam referre eum Caesarem a Galerio dictum. Si ista haec Lactantij historia viris doctissimis nota fuisset, haud dubie ab his scribendis abstinuissent, quae veritati consentanea non sunt. Nam primo certum est, ut diximus, Constantinum non fuisse factum Caesarem cum Severo & Maximino. Deinde non potuit eodem tempore fieri Caesar a Maximiano Herculio, cum apud eum non esset, sed apud Diocletianum. Neque tum Herculius socer ejus erat, quandoquidem Constantinus Faustam Herculij filiam duxit tantum post obitum Constantij, ut dicemus suo loco. Denique videmus infra Lactantium docere Constantinum Caesarem a Galerio dictum fuisse. quod apud nullum historicum reperiebatur aetate Scaligeri.

PURPURAM INJECIT) ut eum veste imperatoria indueret ac vestiret quem Galerius veste privata exuerat. Vestire enim est vocabulum quo tum significabantur insignia summae potestatis. Fasti Idatiani. *Vestiernut Severum & Maximinum*. Et Lactantius in hoc capite loquens de Severo: *Missi ad Maximianum, ut ab eo induatur*.

VETERANUS REX) Eleganter Diocletianum vocat veteranum Regem, quia regnaverat per annos viginti integros, tanquam si propterea meruisset privilegia similia iis quae concessa erant militibus qui per viginti annos in legione vel vexillatione militaverant.

* IN PATRIAM DIMITTITUR) id est, Docleam prope Salonas Dalmatiae oppidum, ubi praeclaro otio consenuit.

SCUTARIUS) Varia Scutariorum genera fuerunt in palatio Imperatorum Romanorum, de quibus agit Henricus Valesius in annotationibus ad Ammianum Marcellinum pag. 33.

PROTECTOR, MOX TRIBUNUS) Per eosdem gradus, sed non ita cito, ad imperium pervenerat Constantius. Fragmentum editum ab Henrico Valesio pag. 471. *Constantius D. Claudij optimi Principis nepos ex fratre, Protector primum, exin Tribunus, postea Praeses Dalmatiarum fuit.* Protectores autem dicti sunt ex eo quod Principis latus protegerent & ad custodiam corporis ejus electi erant. Horum alij in comitatu manebant, alij in provincias cum Comitibus & Magistris militum mittebantur. quidam etiam ad custodiam limitis ex ea schola erant deputati. De his pluribus agit Henricus Valesius in annotationibus ad Ammianum Marcellinum pag. 33. 46. 152.

SENIBUS EXPULSIS) id est, Diocletiano & Herculio, quorum primus secessit in Dalmatiam, alter in Lucaniam, ut plerique tradunt. Cap. 20.

SOLUM ORBIS DOMINUM) non quod revera esset solus Imperator, cum collegam haberet Constantinum; sed quia cum istum contemneret, illum pro nullo habebat. Apud Socratem quoque lib. 1. hist. eccles. cap. 11. scriptum est Galerium Maximianum totius imperij clavum tenuisse. Quae benignè intelligenda esse ait Henricus Valesius. *Neque enim*, inquit, *Galerius totius imperij revera clavum tenuit, cum duo alij eodem tempore essent Augusti, Constantinus in Gallia, & Maxentius Romae. Verum summam imperii nihilominus administrasse dicitur, eo quod ipse senior erat Augustus, & a junioribus Augustis instar patris colebatur.* Illius viri doctissimi observatio habet aliquid veri, sed non omnia. Nam quamvis concederem Galerium a Constantino, ut erat ille vir multae civilitatis, cultum fuisse instar patris, certum est non ita cultum fuisse a Maxentio, quamvis socer ejus esset, immo nunquam bene inter eos convenisse, etiam vivente Diocletiano, & bellum inter eos fuisse gravissimum ex eo tempore quo Maxentius sumpsit purpuram usque ad imperium Licinij.

PRIOREM NOMINARI) Supra cap. XVIII. Galerius Maximianus alloquens Diocletianum ait, *si ipse cedere noluisset, se sibi consulturum, ne amplius minor & extremus esset.* Eusebius in libro primo de vita Constantini cap. XVIII. ait Constantium, quum seniores Augusti imperio se abdicassent, primum Augustum renuntiatum esse, & primum Augustum appellatum inter quatuor qui postmodum designati sunt. Idem semper priore loco nominatur in Fastis Idatianis, a Zosimo, Eutropio, in veteri inscriptione de consecratione Thermarum Diocletianarum, & in aliquot aliis inscriptionibus quae apud Gruterum leguntur pag. LVIII. CLIX. CLXI. CLXVI. CCLXXIX. MLXIII. Et tamen Aelius Spartianus in Aelio vero & Flavius Vopiscus in Caro Galerium Maximianum nominant ante Constantium, & id quidem tempore Diocletiani. Sane aequum videbatur ut is qui adoptabatur a Diocletiano, & qui filiam ejus Valeriam habebat uxorem, priorem locum haberet supra eum qui adoptabatur a Maximiano secundi loci Principe. Contra, rationi consentaneum erat ut vir magnae nobilitatis, cujusmodi erat Constantius, non postponeretur homini agresti, pastori pecorum, atque illum post se haberet in administratione reipublicae. Ego crediderim Spartiani & Vopisci testimonia postponenda esse auctoritati veterum inscriptionum & eorum auctorum qui diserte aiunt primum locum datum esse Constantio; praesertim cum ij qui illum Galerio tribuunt, non tractaverint hanc historiam ex professo, sed per transennam, & aliud agentes. Quod etiam dicendum est de auctore vitae sancti Procopij martyris, quae habetur in tomo quarto Surij, ubi Galerius primo loco nominatur ante Constantium.

A TRIBUS) id est, a Galerio, Severo, & Maximino.

LICINIUM V. C. AMICUM) Idem tradit Socrates lib. I. cap. II. ubi ait Galerium Maximianum abiisse e vita cum Licinium prius Imperatorem creavisset, veterem amicum & contubernalem suum, qui ex Dacia erat oriundus.

NABILIUM NOMINABAT) Ego arbitror hunc illorum & sequentium verborum sensum esse. Cum Galerius Licinium haberet veterem amicum & contubernalem, *bonum militia*, ut Taciti verbo utar, *& victoriae socium*, cujus consiliis ad omnia reg nda utebatur, noluit tamen illum facere Caesarem, ne filium eum nominaret eum quo per omnem vitam viserat velut frater; sed destinata in longum jaciens, cum in locum Constantij aut brevi morituri aut certe per vim deturbandi substituere cogitabat, ut sic Augustum & fratrem nuncuparet. Nam qui fiebant Caesares, in filiorum numerum veniebant, & filij Augustorum dicebantur. Qui vero nuncupabantus Augusti, fratres Imperatorum appellabantus, ut supra vidimus de Maximiano Herculio.

VICENNALIA CELEBRARET) ad exemplum Diocletiani, qui post emensos novendecim annos imperij Romam veniens, initia vigesimi tanto apparatu celebravit ut propterea dixerit Sextus Rufus notam esse pompam victoriae quae sub Diocletiano Principe reportata de Persis est. Sed multum eo tempore distabat Galerius à vicennalibus suis. Nam ex capite XXXV. hujus libri colligitur ea celebrari debuisse Kalendis Martii quae mortem ejus subsecutae sunt. Igitur mortuus est anno ex quo Caesar factus est decimo nono ineunte, cum obierit mense Maio qui fuit proximus ante diem vicennalium. Mortuus est autem quum ageret octavum consulatum, ut scriptum est in hac historia & in Fastis Idatianis. At si ista vera sunt, quomodo fieri potest ut Galerius imperaverit annis uno & viginti? Tot enim numerantur a consulatu Tiberiani & Dionis, quo Galerius dicitur factus Caesar, usque ad consulatum ejus octavum. Deinde ipse in hoc libro Lactantij cap. XVIII. docet se eo tempore quo Diocletianum impellebat ad abdicationem, jam per annos quindecim in Illyrico vel ad ripam Danubij luctasse cum gentibus barbaris interim dum alij intra laxiores & quietiores terras delicate imperarent. Profecto si annos sex, quibus ille rempublicam administravit post secessum Diocletiani, addas ad quindecim qui effluxerant quum haec dicebantur a Maximiano, manifestum erit illum mortuum esse *vicesimo primo imperii sui anno*, ut legitur in vulgatis editionibus Eusebiani Chronici. Quamquam in vetustissimo & optimo codice MS. bibliothecae Colbertinae & in variis antiquis exemplaribus quae Pontacus testatur se vidisse, haec tantum leguntur: *Galerius Maximianus moritur*. Verum cum ea sit auctoritas Lactantij ut ei contradici non possit, & Aurelius Victor scribat Galerium potentiam Caesaris annos tredecim gessisse, imperium quinquennio, tum Eutropius in initio libri noni & auctor Chronici Alexandrini pag. 651. doceant Constantium, qui Caesar cum Galerio factus est, obiisse Eboraci in Britannia anno decimo tertio principatus sui, in fragmento praeterea de Constantio Chloro pag. 472. legatur Galerium imperasse annis novendecim, necesse est ut in eam sententiam concedamus quae potentiam ejus intra novendecim annos coercet, & quindecim illos annus per quos cum gentibus barbaris luctavit interpretemur partim de bellis quae ille gessit quum adhuc privatus esset, partim postquam Caesar factus est, & initia principatus ejus revocemus ad Kalendas Martias anni CCXCIII. ut sic per annos XIII. Caesar fuisse dici possit anno CCCV. quo Diocletianus deposuit imperium.

CAESARE FILIO SUO) Galerij, ut opinor. Infra cap. XXXV. *commendatis Licinio conjuge sua & filio*. Nuspiam alibi legimus Galerio filium fuisse. Sane si habuisset, ex priore uxore habuisset. Quo casu, Caesares duos extra suam familiam non quaesiisset, sed filium suum primo saltem loco nominasset. Ex Valeria non habuit. Sterilis enim fuit, ut docet infra Lactantius in capite quinquagesimo. Haec itaque intelligenda sunt de Candidiano, qui paulo post nominatur, & quem Lactantius infra in eodem capite quinquagesimo adnotat ex concubina natum, a Valeria Galerij uxore adoptatum ob sterilitatem, ac desponsum filiae septenni Maximini Augusti. Hunc ergo Caesarem facere destinabat pater post celebrata vicennalia. Occisus est autem a Licinio Candidianus anno Christi CCCXIII. aetatis suae XVI.

IPSE DEPONERET) imperium. Meditabatur ergo Galerius secessionem a republica post celebrationem vicennalium, ut fortunam Diocletiani imitaretur. Sed Deus cuncta illius cogitata dissolvit. Nam neque vicennalia celebravit, neque Candidianum fecit Caesarem, nec consequi potuit otij dulcedinem.

TORQUEBANTUR DECURIONES) Rem istam adnotavit Lactantius tamquam actam contra jus & morem. Nam jure civili Romanorum non licebat torquere Decuriones, ut patet ex epistola Constantini ad Probianum Proconsulem Africae. Quare Baronius ad annum CCCXIV. admonet acta purgationis Felicis Episcopi Aptungitani corrupta esse eo loco ubi Aelianus Proconsul ait ad Ingentium, *Nolo itaque tibi blandire quod cum mihi dicas Dei cultorem te esse, ac propterea non possis torqueri*, & *Decurionem* legendum heic esse pro *Dei cultorem*. Postea tamen, ut ille observat Baronius, Constantinus legem tulit ut Decuriones torqueri liceret in crimine falsi.

PERFECTISSIMI VIRI) Lactantius lib. V. institut. cap. XV. *Nemo Perfectissimus nisi qui omnes gradus impleverit*. Perfectissimatus dignitas, ut ait Valesius ad librum XXI. Ammiani Marcellini, minor erat clarissimatu; & ut Clarissimi apud Praefectum urbi conveniebantur, sic Perfectissimi apud Vicariam praefecturam. Vide etiam Notas Balduini in Eumenij orationem de scholis instaurandis, Iuretum in Notis ad epistolam XI. libri decimi Symmachi, & Iacobum Gothofredum ad Codicem Theodosianum to. III. pag. 418. Cap. 22.

GYNAECEUM) Gynaecea, ut vox ipsa loquitur, erant loca destinata operibus muliebribus, in quae interdum poenae loco dejiciebantur & viri & feminae. Plura de istiusmodi gynaeceis observavit vir clarissimus Carolus Dufresnius in suo Glossario, & nos etiam in Notis ad Reginonem pag. 568. & ad Capitularia pag. 1009. Vide quoque Valesij annotationes ad Eusebium pag. 211.

LUSORIUM) theatrum, sive amphitheatrum, ubi ludi publici edebantur, ut pluribus ostendit idem Dufresnius. Salvianus lib. VI. pag. 122. secundae editionis nostrae: *Equidem quia longum est nunc dicere de omnibus, amphitheatris scilicet, odeis, lusoriis, pompis, athletis &c.* Acta sanctae Seraphiae virginis & martyris cap. III. *Praeses vero post tertium diem paravit lusorium trans pontem super arcum Albini, ubi solebat fieri themela.* Aliud sunt lusoriae apud Vopiscum, naves nimirum quas Romani habebant in fluminibus quae Romanum imperium disterminabant a barbaris, semper instructas & paratas ad arcendos eorum transitus & incursus, ut explicat Salmasius in Notis ad eundem Vopiscum pag. 475. De quibus etiam fusè agit Jacobus Gothofredus ad tit. Codicis Theodos. *De lusoriis Danubij*. Alibi lusorius idem valet ac derisorius, ut in libro XLIII. Digestor. l. ult. *Ne quid in loco publico fiat*. ubi ita legitur. *Qui adversus edictum Praetoris aedificaverit, tollere aedificium debet. Alioquin inane & lusorium Praetoris imperium erit*. Item Seneca lib. V. de benefic. cap. VIII. *velut lusorium nomen statim transit*. Apud eundem epist. LXXX. *spectaculum non fidele & lusorium*. Et in epistola Gelasij Papae ad Euphemium Episcopum Constantinopolitanum, ubi sic vulgo legitur: *aut ad veniam luxuriae de me cognosceris ista jactare*. Pro quo in vetustissimis & optimis codicibus MSS. Ecclesiae Bellovacensis & monasterij Corbeiensis scriptum vidi: *aut, da veniam, lusorie de me cognosceris ista jactare*. Neque insolens est hic error. Observat enim Salmasius in loco paulo ante laudato, pro eo quod ipse apud Vopiscum edidit *Romanas lusorias barbari incendissent*, vulgo excudi solitum *Romanas luxurias*. Et Iacobus Gothofredus in loco paulo ante laudato commemorat tria loca Codicis Theodosiani, ubi scriptum est *luxuriis* pro *lusoriis*.

SPIRITUS REDDERETUR) Lactantius lib. V. institut. cap. XI. *Contendunt igitur ut vincant, & exquisitos dolores corporibus immittunt, & nihil aliud devitant quam ut ne torti moriantur*. Et paulo post: *Illi autem pertinaci stultitia jubent curam tortis diligenter adhiberi, ut ad alios cruciatus membra renoventur, & reparetur novus sanguis ad poenam*.

NULLA POENA PENSA) In veteri exemplari legi- Cap. 23.

tur, *Nulla paenis eum levis*. Pessima lectio bonam nobis indicavit.

IN CAVSA CAPITIS) Emendatio quoque ista nostra est. Nam vetus codex habet: *In causa poena capitis & animadversio gladij admodum paucis &c.* Scilicet vox *poena* in hunc locum irrepsit ex superiore.

BONAM MORTEM) id est, non coactam vi tormentorum, sed facilem & absque cruciatibus. cujusmodi sunt profecto venarum, strangulatio, & venenum. Infra cap. XXVI. de Severo: *Quod facto nihil aliud impetravit nisi bonam mortem. Nam venis ei incisis, leniter mori coactus est*. Ex cap. XXX. de Maximiano Herculio. *Postremo datur ei potestas liberae mortis, ac nodum informis leti trabe nectit ab alta*. Sed in hoc Lactantius adversantem sibi Tacitum habet quod ait Severum leniter mori coactum incisis venis. Nam Tacitus lib. XVI. annalium extremo agens de Petronio, qui eo genere mortis extinctus est, ait: *Mox lentitudinis exitus graves cruciatus afferente*.

CAP. 23. CENSVS IN PROVINCIAS) Censualis professio duo continebat, modum agrorum, & numerum capitum, tam liberorum quam servilium; in pluribus erudite suo more explicat Henricus Valesius ad Ammianum Marcellinum pag. 167. Ceterum hic Lactantij locus confirmat conjecturam doctissimi viri Iacobi Gothofredi, qui ex l. 2. Cod. Theodos. *De censu* collegit mutationem aliquam a Galerio Maximiano factam esse per Lyciam & Pamphyliam post abdicationem Diocletiani, nimirum urbanam plebem capitationi subjectam. Quae lex magnam profecto lucem accipit ex illo capite Lactantij.

SERVI CONTRA DOMINOS) Regula juris est, ut Casaubonus ait ad Flavium Vopiscum, servum in caput domini non posse interrogari. Sed excepta sunt constitutione Severi aliquot crimina, adulterij, fraudati census, & majestatis. Hanc igitur constitutionem lege sua antiquavit Tacitus Imperator. Galerius revocavit, nescio an lege lata, certe in executione. Paulus lib. 5. sentent. tit. XVI. *In caput domini patronive nec servus nec libertus interrogari potest*.

TRAJANVS DACIS) Galerius enim Maximianus ortus erat e Dacia ripensi, e loco quem ipse Romulianum ex nomine Romulae matris appellavit, haud longe a Sardica, ut docent Eutropius & Eusebius in chronico. Duae porro Trajani expeditiones in Dacos fuere, prima quarto ejus consulatu, altera quinto, cum sextum jam annum imperaret, ut ad Spartianum observavit Casaubonus. Et Xiphilinus quidem ex Dione commemorat utramque Trajani expeditionem in Dacos, sed nullibi meminit tributi eis imperati. Illud tantum ait, Daciam factam fuisse provinciam. quod etiam tradit Flavius Vopiscus in D. Aureliano. Sed cum ea fuerit certa ac constans regula apud Romanos, ut quaecunque gens quae in provinciae formam redacta fuerit, vectigalis esset, ac populi Romani magistratui obediret, quemadmodum observat Sigonius in libro primo de jure provinciarum, ambigi non potest quin Dacia tributaria fuerit, praesertim cum Lactantius id expressis verbis affirmet.

INVRIETATIS) Novum vocabulum, quod alibi non memini me legisse. Sic apud Reginonem lib. 2. de eccles. discipl. cap. CCXVI. esurietas ventrisca legitur pro comessatione. Atque ita illic emendandum est pro eo quod nos edidimus *exuries aetatis ventrisca*. Nam exuriem pro esurie legi apud Petrum de Vineis in codice 1460. bibliothecae Colbertinae. Luxurietatem quoque puto me alicubi reperisse. Sed locus nunc mihi non occurrit.

CAP. 24. CONSTANTINVM REMITTERET) Zosimus, qui inimicus erat Constantino, historiam hanc aliter tractat quam Lactantius, discessum ejus a latere Galerij non referens ad mandata Constantij, sed ad ambitionem & cupiditatem Constantini jam dudum cum animo suo de imperio cogitantis, qui ex quo Severum & Maximinum Caesares factos vidit, ea loca relinquenda statuit in quibus agebat & ad patrem Constantium proficisci, qui apud nationes transalpinas erat, & in Britannia plerunque vivebat. Eadem habet Aurelius Victor in libro de Caesaribus, scribens Constantinum, cujus jam tum a puero ingens potensque animus ardore imperitandi agitabatur, cum tolerare nequiret Severum & Maximinum factos fuisse Caesares, se videlicet praetermisso, fugae commento (quod apud Eusebium quoque legitur in libro primo de vita Constantini cap. XX.) in Britanniam ad patrem Constantium vitae ultima agentem pervenisse, eoque mortuo, cunctis qui aderant annitentibus imperium cepisse. Sed in Epitome Victoris, ubi eadem repetuntur, male scriptum est Constantinum juvenculum a Galerio in urbe Roma religionis specie obsidem tentum fuisse. quod post Epitomen illam scripsere etiam Baronius, Camdenus, & Morinus. Verum Galerius Romam tum temporis non viderat, ut certo colligitur ex capite XXVII. illius operis, & nunquam pedem in urbem intulit. Praeterea constans est omnium scriptorum opinio eum obsidem apud Diocletianum & Maximianum fuisse, nimirum in Bithynia, ubi Diocletianus habitabat. Atque id certe docet Praxagoras apud Photium cod. LXII. & colligitur etiam ex Politia sanctorum Metrophanis & Alexandri apud eundem Photium cod. CCLVI. & ex Eusebio in libro primo de vita Constantini cap. XIX. Si vera essent quae Nicephorus Callistus lib. VII. cap. XVIII. refert de Constantino, haec discrepantia facile conciliari posset. Ait enim Constantium, quem ille Constantem nominat, puerum Constantinum una cum matre Romam adduci curavisse, veritum autem ne illi absurdi quicquam a Theodora legitima uxore sua, quae Constantini noverca erat, per zelotypiam & conjugalem aemulationem accideret, eum Nicomediam ad Diocletianum, qui ibi cum Galerio Maximiano genero erat, misisse, ibique illum in palatio apud Imperatorem vixisse. Antequam vero hinc recedam, admonendus est lector hunc locum ex Epitome Victoris in alienum sensum a Baronio esse translatum, dum quae illic dicuntur de Constantino *religionis specie* obsidi tento a Galerio, Baronius interpretatur de religione Christiana; sive quod juvenis Helena Christiana matre natus & patre Constantio erga Christianos propensiore, specimen aliquod edidisset quo patrocinari videretur ei religioni; seu quod cum Constantius admodum favorabilis esset nostris hominibus, apud Galerium de prodita avita superstitione in suspicionem venerit. Quam ob causam censet Constantinum in custodia retentum Romae a Galerio loco obsidis, ut obtentu religionis arrepto impediret ne optimae indolis juvenis patri succederet. Verum hac circuitione opus non erat ad explicandum hunc locum Epitomes, cujus simplex & aperta narratio est. Illud tantum voluit auctor, Constantinum obsidem apud Galerium fuisse *religionis specie*, id est, specie amoris praecipui & officij, tanquam si eum a patre petiisset erudiendum in re militari & in arte administrandae reipublicae. Nam neque tum Helena Christiana erat, nec Christianismum Constantino objecit Galerius, homo superstitiosus, quum Diocletianus censeret filios Herculij & Constantij creandos esse Caesares. Aliis artibus juvenem a summo fastigio removere conatus est Galerius, insidiis nimirum, exponendo eum variis magnis periculis.

FRVSTRA REPETIVERAT) Haec verba non habentur in veteri codice. Quoniam vero sensus erat mutilus, & constabat heic aliquid deesse, nos haec duo vocabula addidimus propter auctoritatem fragmenti de Constantio Chloro, in quo ita legitur: *Constantinus obses apud Diocletianum & Galerium sub iisdem fortiter in Asia militavit. quem post depositum imperium Diocletiani & Herculij Constantius a Galerio repetiit. sed hunc Galerius objecit ante pluribus periculis*. Attamen si quis hiatum illum his verbis non posse suppleri existimat, pro his substituere potest *non viderat* aut aliquid simile.

INSIDIIS APPETIVERAT) Idem fragmentum. *Sed hunc Galerius objecit ante pluribus periculis. Nam & in Sarmatas juvenis eques ferox militans ferocem barbarum capillis tenens raptum ante pedes supplicem Galerij Imperatoris adduxerat. Deinde Galerio mittente per paludem equo ingressus suo viam ceteris fecit ad Sarmatas, ex quibus, plurimis stratis, Galerio victoriam reportavit. Tunc eum Galerius patri remisit*. Vide etiam Eusebium lib. 1. de vita Constantini cap. XX. & annales Zonarae.

FERIS OBJECERAT) Praxagoras in libro de gestis Constantini ait Galerium Maximianum insidias adolescenti tetendisse & ad pugnam eum fero leone ineundam composuisse, illum vero feram superasse & occidisse. Eadem habet etiam Zonaras in imperio Diocletiani.

Si-

SIGILLVM) id est, epistolam dimissoriam sigillo munita 1. Vide Glossarium Dufresnij.

A SEVERO TRANSIRETVR) Quippe e Nicomedia eunti in Galliam pergendum erat per Italiam, ubi Severus imperitabat. Fragmentum de Constantio Chloro pag. 471. *Qui ne Severum per Italiam transiens vitaret, summa festinatione veredis post se truncatis Alpes transgressus, ad patrem Constantium venit apud Bononiam.*

SVBLATIS EQVIS PVBLICIS) Zosimus in libro secundo narrat Constantinum veritum ne forte fugiens apprehenderetur, equos stabularios, quos respublica alebat, quum primum aliquod stabulum attigisset, mutilasse & inutiles reliquisse, quumque id de loco in locum pergens faceret, exclusisse ab ulteriore progressione persequentes. Eadem ferme leguntur in Epitome Victoris.

CVRSVS PVBLICVS) Vide Casaubonum in Notis ad Spartianum, ubi multa docte & erudite disserit de cursu publico & fiscali.

PERVENIT AD PATREM) VIII. Kalendas Augusti, ut ego quidem arbitror. Nam in veteri Kalendario edito ab Hervvarto haec ad eam diem scripta sunt: *Adventus Divi*; id est Constantini, ut manifestum est. Quippe Kalendarium illud scriptum est eo imperante. Qui vero putant eum pervenisse ad patrem VIII. Kalendas Augusti, hinc decepti sunt quod Aurelius Victor in libro de Caesaribus & alij veteres scribunt illum in Britanniam ad patrem Constantium vitae ultima agentem pervenisse; quae verba ita interpretantur quasi necesse sit illum qui in extremis erat, mortuum fuisse statim post adventum Constantini. De ejus porro adventu ad Constantium patrem, & de his quae tum circa Constantinum gesta sunt, vide Eusebium in libro primo de vita ejus cap. XXI. & Politiam sanctorum Metrophanis & Alexandri apud Photium. Pervenit autem ad patrem e Nicomedia, non vero e Roma, ut falso scripsit Camdenus in Britannia sua pag. 52. deceptus ab auctore Ex comes Victoris.

IMP. PER MANVS TRADIDIT) Lactantius lib. II. institut. cap. IV. *Vixit enim usque ad senectutem, regnumque per manus filio tradidit.*

IMPERIVM TRADIDIT) Idem scribit Eusebius in libro primo de vita Constantini cap. XXV. Quare frustra Iosephus Scaliger in animadversionibus ad Chronicon Eusebij redarguit auctorem Politiae sanctorum Metrophanis & Alexandri quod scripserit Constantinum a Constantio moriente successorem in imperio designatum. Neque ille consensus militum, cui initia imperij Constantini assignat Scaliger, quicquam praejudicat adversus ea quae scribit auctor Politiae. Probat hoc Eumenius in panegyrico Constantini; ubi quum dixisset Constantinum manifesta sententia patris electum fuisse Imperatorem, mox subdit. *Dij boni, quanta Constantium pium etiam in excessu suo felicitate donastis! Imperator transitum facturus in caelum, vidit quem relinquebat heredem. Illico enim atque ille terris fuerat exemptus, universus in te consensit exercitus, te omnium mentes oculique signarunt.* Item Iulianus Imp. in oratione prima ad Constantium: *Igitur quemadmodum pater tuus post parentis sui obitum, non modo ipsius judicio, verum etiam exercituum omnium suffragio imperium fit adeptus, quid est quod diligentius prosequamur?* Orosius lib. VII. cap. XXVI. *Constantius vero Augustus summae mansuetudinis & civilitatis in Britannia mortem obiit, qui Constantinum filium ex concubina Helena creatum imperatorem Galliarum reliquit.*

REQVIEM VITAE ACCEPIT) Fasti Idatiani Constantio VI. & Maximiano VI. Consulibus: *His Conss. diem functus Constantius, & postea levatus est Constantinus VIII. Kal. Augusti.* Chronicon Eusebij: *Constantius sextodecimo imperij anno diem obiit in Britannia, Eboraci*; ibidemque sepultus est, si vera sunt quae de ejus tumulo narrantur a doctissimo viro Guillelmo Camdeno in pagina 572. Britanniae. Contigit istud anno Christi CCCVI. ut recte adversus Petavium contendit Valesius in annotationibus ad Eusebium. Tum vero, ut Socrates ait, Constantinus creatus est Imperator in locum patris sui Constantij, qui ante diem octavum Kalendarum Augusti excesserat e vivis. Hic est itaque primus annus imperij Constantini. Vnde in vetustissimo Kalendario ita legitur apud Hervvartum & Bucherium. VIII. *Kal. Augusti. Nat. Divi Constantini.* Male ergo in libro primo historiae tripartitae & in libro undecimo historiae miscellae scriptum est Constantinum factum esse Imperatorem VI. Kal. Augusti. Eumenius in panegyrico supra laudato: *O fortunata & nunc omnibus beatior terris Britannia, quae Constantinum Caesarem prima vidisti.*

CHRISTIANOS CVLTVI REDDERE) Lactantius in praefatione libri primi divinarum institutionum ad Constantinum: *Nam cum ille dies felicissimus orbi terrarum illuxisset quo te Deus summus ad beatum imperij culmen evexit, salutarem universis & optabilem principatum praeclaro initio auspicatus es, cum eversam sublatamque justitiam reducens, teterrimum aliorum facinus expiasti.*

IMAGO EIVS ABLATA) Eumenius in panegyrico Constantini: *Et quamquam tu ad seniores Principes de summa reipub. quid fieri placeret retulisses, praevenerunt tamen studio quod illi mox judicio probaverunt.* Vir clarissimus Hadrianus Valesius in libro primo rerum Francicarum pag. 20. hic per seniores Principes intelligit Diocletianum, Maximianum Herculium, & Galerium Maximianum, quos ait comprobasse factum militum, qui Constantino purpuram injecerant. Patietur vir doctissimus me ab ea sententia recedere, cum certum sit nullas tum Diocletiani & Herculij partes in repub. fuisse, adeoque nullum operae pretium fuisse ut ad eos Constantinus referret de imperio sibi delato. Seniores ergo Principes interpretor Galerium Maximianum Augustum, Severum & Maximinum Caesares. Quamquam huc valde inclino ut existimem relatum ad solum Galerium fuisse, qui tum solus erat rerum dominus; sed Eumenium pro more oratorum ex formula locutum esse, & ad cunctos Principes retulisse quae de uno tantum dici debuerant. Laureatam autem imaginem dixit Lactantius, quoniam qui res laetas & bene gestas nuntiabant, laureatas tabellas afferebant, ut pluribus explicat Salmasius in Notis ad Lampridium pag. 235. Cap. xgi

PVRPVRAM MISIT) insigne regiae dignitatis, ut ait Lactantius lib. IV. institut. cap. VII. *Nunc Romanis indumentum purpurae insigne est regiae dignitatis assumptae.* Non indigebat Constantinus purpura quam ad eum Galerius mitteret, cùm illam in initio imperij accepisset a militibus. Eumenius in loco paulo ante laudato: *Purpuram statim tibi, cum primum copiam tui fecit egressus, milites utilitati publicae magis quam tuis affectibus servientes injecere lacrymanti.* Sic Probus accepit purpuram. Auctor Flavius Vopiscus in libro de vita ejus: *Ornatus etiam pallio purpureo, quod de statua templi oblatum est:* Item idem in Saturnino: *Ibi tamen quum cogitare coepisset tutum sibi non esse si privatus viveret, deposita purpura ex simulacro Veneris, cyclade uxoria militibus circumstantibus amictus, & adoratus est.* Qua de re vide Casauboni Notas in Capitolinum. Verum id decentius fiebat quum purpura tribuebatur a Principe. Ita Severus accepit ab Herculio, Maximinus a Diocletiano, rursum Herculius a filio Maxentio Romae imperante. Nam hinc ostendebatur consensus in novum Principem.

EXTRA NVMERVM) id est, praeter quatuor, ne mutaret dispositionem Diocletiani, quam ipse tantopere dixerat debere custodiri.

SEVERVM AVG. NVNCVPARET) Certum est Severum hunc nuncupatum fuisse Augustum, cum id nummi doceant qui apud Adolphum Occonem reperiuntur. De tempore quo titulum Augusti sumpsit non adeo constat. *Sunt qui scribant*, inquit Panvinius in libro secundo Fastorum, *eum, quum adversus Maxentium cum exercitu veniret, se ipsum Augustum appellasse*. quam sententiam amplectitur Tristanus Santamantius. Dubitari non potest quin id evenerit paulo antè quàm Romam proficisceretur adversus Maxentium. Verùm id factum non est occasione sumpti a Maxentio imperij, sed eo tempore quo Constantinus Caesar a Galerio renuntiatus est post mortem Constantij, id est, anno Christi CCCVI. exeunte, ut arbitror. Qua de re postea. Porro hinc etiam colligi potest Severum dignitate Augusti ornatum fuisse quod cum Galerius imperium Licinio dedit, id est, Augustum creavit, cum Lactantius cap. XXIV. scribit substitutum fuisse in locum Severi. Quod plane verum non esset, si Severus

non fuisset Augustus. Orosius Caesarem & augustum a Galerio dictum tradit, sed tempus non adnotat.

SED CAESAREM) Iam antea ostendimus Constantinum non fuisse factum Caesarem cum Severo & Maximino. Quia tamen ex nummis constat eum fuisse Caesarem, & hactenus viri docti frustra quaesierunt tempus quo ad eam dignitatem evectus est, operae pretium videtur heic aliquantisper immorari, ut istius nuncupationis initia constituamus. Nam cum auctor panegyrici Maximiano & Constantino dicti post nuptias Faustae doceat Constantinum, cum ei pater imperium reliquisset, Caesaris tamen appellatione contentum, expectare maluisse ut idem illum declararet Augustum qui patrem ejus Constantium eo titulo decoraverat, neque dicat quo tempore istud factum sit, res nobis integra est, tamquam si vetusti illius scriptoris auctoritate careremus. Itaque sic constituere debemus. Constantius obiit anno Christi CCCVI. VIII. Kalendas Augusti. Huic statim successit Constantinus; & quum laureata imago ejus ad Galerium delata esset, is Constantinum Caesarem nuncupavit, *ut eum de secundo loco*, quem obtinebat in locum patris suffectus, *rejiceret in quartum*, & sic postremum faceret. Constantinum porro tum Caesarem à Galerio nuncupatum fuisse patet etiam ex capite sequenti; ubi scriptum est Galerium, quum ad eum perlatus nuntius esset de Maxentio Romae facto Imperatore, Severum arcessivisse, & quia *tres Caesares facere non poterat*, eum hortatum esse ad recipiendum imperium. Ex quo certissima conjectura colligitur jam tum duos in imperio Caesares fuisse, nimirum Maximinum & Constantinum. Nam Severus nuncupatus erat Augustus post mortem Constantij, adeoque isthic non computatur in numero Caesarum. Confirmant hanc interpretationem verba quae statim sequuntur. *Satis visum est*, inquit, *semel fecisse quod noluit*, id est, Constantinum nominasse Caesarem. Alioqui enim nihil usque ad hunc diem fecerat quod noluisset, immo cuncta fecerat quae voluerat. Constantinum ergo puto declaratum a Galerio Caesarem fuisse anno eodem CCCVI. exeunte. Nam in veteri Kalendario quod eo imperante scriptum, ab Hervvario primum, dein ab aliis quoque editum est, haec leguntur. VIII. *Kal. Ianuarij. Natalis Invicti*. Qui locus non videtur ad alium diem referri posse quam ad eum quo Constantinus pronuntiatus est Caesar. Nam quod vir clarissimus Petrus Lambecius in libro quarto commentariorum de bibliotheca Vindobonensi pag. 298. hunc natalem refert ad Constantium auctoritate Fastorum Idatianorum, revincitur ex ipsismet eorundem Fastorum verbis; ubi Vetranio quidem depositus dicitur VIII. Kalendas Ianuarij, sed Constantius levatus est Caesar tantum Idibus Martiis sequentibus. Qui est dies natalis Constantij. Praeterea quoties in hoc Kalendario legitur simpliciter nomen *Divi* aut *Invicti*, absque alio nomine addito, certum est toties debere intelligi Constantinum Magnum. Ceterum nova prorsus est opinio viri clarissimi Petri Francisci Chiffletij, qui in Notis ad Vigilium Tapsensem pag. 134. opinatur Constantinum a Galerio Maximiano creatum Caesarem VIII. Kal. Augusti anno Christi CCCV. quum in ejus aula tamquam a patre datus obses versaretur, & deinde rursus Caesarem declaratum Eboraci in Britannia anno sequenti secundum obitum Constantij patris. Sed haec opinio veritate non constat. Postea Constantinus nuncupatus est Imperator a Maximiano Herculio bis Augusto anno CCCVII. quum ducturus esset uxorem Faustam Herculij filiam. Ita nos docet auctor panegyrici paulo ante laudati. *Dixerint*, inquit, *licet plurimi multique dicturi sint ea quibus omnia facta vestra summarumque virtutum merita laudantur, sacratissimi Principes Maximiane, velis nolis, semper Auguste, & Constantine oriens Imperator, mihi tamen certum est ea praecipue isto sermone complecti quae sunt hujus propria laetitiae, qua tibi Caesari additum nomen imperij, & istarum caelestium nuptiarum festa celebrantur*. Et paulo post: *Quid enim aut tu carius dare, aut tu carius accipere potuisti, cum hac affinitate vestra & tibi, Maximiane, per generum juventa renovata sit, & tibi, Constantine, per socerum nomen Imperatoris accreverit?* Ista quidem certa & manifesta sunt. Ceterum Labbeus in parte prima Chronologiae historicae pag. 223. laudat ejusdem rei testes Eusebium atque Zosimum, apud quos ego nihil ejusmodi reperire potui. Quatuor ergo, ut notatur in veteri Kalendario, fuere natales Constantini, III. Kalendas Martij, VIII. Kalendas Augusti, VIII. Kalendas Ianuarij, & pridie Kalendas Aprilis. Primus, ut recte observavit vir eruditissimus Carolus Dufresnius, pertinet ad genuinum Constantini natalem, quo nempe est in lucem editus, secundus ad eum diem quo patri Constantio successit, tertius ad eum quo Caesar nuncupatus est a Galerio, quartus denique ad eum quo Imperatoris & Augusti nuncupationem sortitus est. Quintum, quem in die III. Kalendas Aprilis locat Kalendarium Philocali, non puto diversum esse ab eo quem aliae editiones ponunt III. Kalendas Martias, & hinc arbitror emendandam esse Philocali editionem.

MAXENTIVM P. IMP.) Fragmentum de Constantio Chloro pag. 472. *Subito in urbe Roma praetoriani milites Maxentium filium Herculij Imperatorem crearunt*. CAP. 26. Eutropius lib. X. *Romae interea praetoriani, excitato tumultu, Maxentium Herculij filium, qui haud procul ab urbe in villa publica morabatur, Augustum nuncupaverunt*. Idem scribit Eusebius in Chronico. Fuit ille filius Maximiani Herculij, gener vero Galerij Maximiani, ut heic & supra cap. XVIII. & paulo infra cap. XXVII. docet Lactantius. Quod etiam in Epitome Victoris ita traditur: *Is Maximianus* (Leg. *Maxentius*) *carus nulli unquam fuit, ne patri aut socero quidem Galerio*. Et fragmentum de Constantio Chloro pag. 472. *gener apud socerum, id est, Maxentius apud Galerium*. Quare miror doctissimum virum Iosephum Scaligerum in animadversionibus ad Chronicon Eusebij mirari quod quum Maxentius fuerit Herculij Maximiani filius, in nummis tamen ejus ita legatur: IMP. MAXENTIVS DIVO MAXIMIANO PATRI SOCERO AETERNA MEMORIA. Nummus hic cusus non est in memoriam Maximiani patris, sed Galerij Maximiani soceri.

CASTRA PRAETORIA SVSTVLERAT) non omnino, sed diminuerat. Alioqui enim quomodo praetoriani, si nulli fuissent, Maxentium Imperatorem nuncupare potuissent? Recte Aurelius Victor in libro de Caesaribus: *Hinc etiam quasi truncatae vires urbis, imminuto praetoriarum cohortium atque in armis vulgi numero*. Vbi forte legendum, *atque inermis vulgi*.

OCCISIS IVDICIBVS) *Abellio prius interfecto*, inquit Zosimus, *quod is Praefecti urbis locum obtineat, horum molitionibus adversari visus esset*.

TVRBATVS EST) Galerius Maximianus.

TRES CAESARES F. N. POTERAT) obstante dispositione Diocletiani, qui duos Augustos esse debere instituerat, duos Caesares. eamque dispositionem servaverat Galerius quum Augusti nuncupationem accepit. Postea tamen tres Caesares facti sunt a Constantino & Licinio anno Christi CCCXVII. Crispus nimirum, Constantinus Constantini filius, & Licinianus filius Licinij. Deinde victo occisoque Licinio, extinctis quoque Crispo & Liciniano, Constantius & Constans minores filij Constantini facti sunt Caesares variis temporibus. Ad quae tempora referenda est illa Eutropij observatio ex libro decimo: *Eo tempore res Romana sub uno Augusto & tribus Caesaribus (quod nunquam alias) fuit, cum liberi Constantini Galliae, Orienti, Italiaeque praeessent*.

MAXENTIVM) In veteri libro legitur *Maximianum*, sane mendosè, sicut paulo ante vidimus eundem errorem commissum fuisse in Epitome Victoris.

PARANDO MILITIBVS) qui erant in exercitu Severi, ut dicitur paulo supra.

IN CAMPANIA) Alij omnes Maximianum Herculium tunc temporis in Lucania, quo se contulerat post abdicationem, fuisse consentiunt, ut Eutropius, Zosimus, Suidas. Itaque sic constituenda res est, secessisse quidem Herculium in Lucaniam quum deposuisset imperium, sed tum quum ista agebantur in Campaniam venisse, ut inde, tamquam e propinquo, militum praetorianorum qui Romae tendebant animos tentare ac sollicitare posset, &, si daretur, aut imperium resumeret, quod invitus deposuerat, aut Maxentio filio procuraret. Nam ista per longum temporis spatium tractata ab Herculio fuisse docet Aurelius Victor in libro de Caesaribus: *Interim Romae vulgus turmaeque praetoriae Maxentium, retractante diu patre Herculio, imperatorem confirmant*. Miror autem celeberrimum in rei nummariae cognitione virum Sautamantium in contrarium omnino

tino sensum traduxisse hunc locum, tamquam si Maxentius *retractante*, id est, repugnante patre fuisset factus Imperator, quod etiam placuisse video doctissimo viro Hadriano Valesio. Sed eos decepit haud dubie falsa Andreae Schotti admonitio scribentis heic vocem *retractante* idem significare quod *detractante*. Retractare idem significat ac tractare. Lactantius lib. IV. institut. cap. XXVII. *Qui autem omnia quae ad cultum deorum pertinent retractarent & tamquam relegerent, ii dicti sunt religiosi*. Et paulo post: *religiosi a relegendo appellati, qui retractent ea diligenter quae ad cultum deorum pertineant*. Hinc libri retractationum sancti Augustini. Sufficiunt enim haec exempla. Postquam ergo Maxentius factus est Imperator, statim Maximianus ab eo evocatus Romam profectus, paulo post Severum morti tradidit; ac mox in Galliam, illic filiae Faustae nuptias cum Constantino celebravit ea aestate qua Galerius exercitum duxit in Italiam adversus Maxentium, ut visuri postea sumus. Quare mirum in modum deceptus est Petavius auctoritate anonymi scriptoris de Constantio Chloro res eo quo gestae sunt ordine non referentis. Scribit ergo Petavius in libro XIII. de doctrina temporum pag. 713. Galerium Maximianum cum ingentibus copiis Romam advolasse anno Christi CCCVII. & contemptum & a plerisque suorum destitutum abiisse in Illyricum, Licinium fecisse Caesarem, & Sardicam regressum esse, tum Maximianum Herculium ad spem erectum resumendi fastigij Romam advolasse e Lucania, Diocletianumque ut idem faceret adhortatum esse, postea Severum perjurio deceptum custodiae tradidisse ac jugulasse, deinde, quum insidias Maxentio strueret, pulsum Roma in Galliam ad Constantinum venisse, eique filiam Faustam collocasse, & eum Augusti appellatione donasse. Quae omnia, non sane contra fidem historiae, sed perturbato prorsus temporum ac rerum ordine scripta esse nullus est dubitandi locus. Foedius aberravit Sethus Calvisius, Maxentium tum demum imperium invasisse scribens postquam Constantinus a Maximiano Herculio creatus fuisset Augustus, & Maximianum a Romanis persuasum anno sequenti resumpsisse imperium. At quomodo Constantium declarare potuit Augustum is qui neque Imperator esset neque Augustus?

RERUM NOVAR. CUPIDUS) Eadem de Herculio tradit Iulianus Imperator in libro de Caesaribus.

DEPOSUERAT INVITUS) Constans est omnium scriptorum sententia, si incertum panegyristam excipias qui Herculij Maximiani & Constantini laudes prosecutus est in nuptiis Constantini & Faustae, omnium inquam scriptorum sententia est hunc Maximianum invitum deposuisse imperium. Verum illi aliter hanc historiam narrant quam Lactantius. Hic enim cap. XVIII. docet Herculium abdicare coactum a Galerio, ab eoque territum injecto armorum civilium metu. Alij contra scribunt Diocletianum, quum ingravescente aevo parum se idoneum moderando imperio esse sentiret, auctorem Herculio fuisse ut in privatam concederent, eique aegre collegam obtemperavisse, sed tamen obtemperavisse.

LIBERTATEM ARRIPUIT) purpuram quam deposuerat. Incerti panegyricus paulo ante laudatus. *Fecit enim Roma ipsa pro majestate nominis sui, ut ostenderet posse se etiam imperatoribus imperare. Abduxit exercitus suos, ac tibi reddidit: & cum ad sedandos animos auctoritatem privati Principis attulisses, supplices tibi manus tendens, vel potius quiritando, clamavit: Quousque hoc Maximiane patiar &c.* Et paulo post: *Imperasti pridem rogatus a fratre, rursus impera jussus à matre.* Purpuram facile resumebat Herculius, quippe qui ter sumpsisse invenitur. Atque hoc pessimum exemplum causa fuit mortis Licinij: quem cum Constantinus vicisset, ac ei vitam concessisset, postea *Herculij Maximiani soceri sui motus exemplo, ne iterum depositam purpuram in perniciem reipublicae sumeret, tumultu militari exigentibus in Thessalonica jussit occidi*; ut legitur in fragmento de Constantio Chloro pag. 475. Bonifacius VIII. timens ne si Caelestinus V. liberam vitam ageret, pontificatum, quo se abdicaverat, resumeret, eum in custodia detineri jussit. Cui praeiverat Callisti II. exemplum erga Burdinum.

RAVENNAM CONFUGIT) Zosimus in libro secundo scribit Herculium circumvento sacramentis Severo persuasisse ut Ravenna excedens, quo se contulerat, Romam veniret, eoque pergentem, ubi quendam ad locum venisset quem Tres tabernas vocant, ab insidiis quas eo loco Maxentius collocaverat adprehensum, inserta laqueo cervice necatum. Incerti panegyricus Constantino dictus post victoriam de Maxentio partam: *Duxerat magnum Severus exercitum, & hostem suum perfidia desertus armaverat*. Auctor fragmenti de Constantio Chloro pag. 472. *Desertus Severus à suis fugit Ravennam. Per Maxentium filium* (sic enim legendum) *evocatus illuc venit Herculius, qui per pejurium Severum deceptum custodiae tradidit, & captivi habitu in urbem perduxit, & in villa publica Appiae viae tricesimo milliario custodiri fecit. Postea cum Galerius Italiam peteret, ille jugulatus est, & deinde relatus ad octavum milliarium, conditus in Galieni monumento*. Ex quo loco collegit Henricus Valesius falli Eutropium & Aurelium Victorem, qui Severum Ravennae occisum esse scribunt. De loco igitur ubi Severus vitam finivit controvertitur inter eruditos. Nam Scaliger in animadversionibus ad Eusebium ait non dubitare se quin illae Tres tabernae in agro Ravennate fuerint, neque aliter colligi posse ex verbis Zosimi. Contra Valesius contendit Tres illas tabernas fuisse in via Appia prope Romam. Parum autem probabile est, id quod Sigonius in libro secundo de occidentali imperio collegit ex Zosimo, Severum Maximiani fidem secutum Ravenna excessisse, atque ad Tres tabernas sese contulisse, haud dubia spe ductum urbem se Maximiani opera recepturum. Quam Sigonij opinionem secutus est Hieronymus Rubeus in libro secundo histor. Ravennatum.

VENIS INCISIS) Contra Zosimus lib. II. & auctor fragmenti de Constantio Chloro scribunt, ut paulo ante vidimus, Severum fractis laqueo cervicibus expirasse.

ADIUNCTO MAXIMINO) cognomento Daia vel Cap. 27.
Daza, qui orientem administrabat.

PROFICISCITUR IN GALLIAM) Huic narrationi fidem adstruit etiam Zosimus, tametsi in rerum erret ordine narrandarum, Herculium inquiens eo conatu frustratum quo Diocletianum pertrahere ausus erat ad resumendum imperium, rursum versus Alpes contendisse, ut commorantem ibi Constantinum conveniret, & filiam ei Faustam promisisse, eoque promisso impleto, fallere conatum hominem. Errat inquam Zosimus. Nam ex capite XXVII. & XXIX. Lactantij patet illum bis in Galliam profectum antequam Carnuntum peteret, & Diocletianum non vidisse nisi post nuptias Constantini & Faustae. Atenim quod Lactantius & Zosimus aiunt Herculium Constantino filiam promisisse, aliter legitur in panegyrico incerti auctoris dicto in nuptiis Constantini & Faustae, ubi scriptum est Constantinum eam postulasse a Maximiano. *Sed profecto sicut tuo, Constantine, socero quae est conciliata divinitas quam ab eo pignus ipsi carissimum postulares, sic & nunc quoque in hac gratulatione prius illa dicenda sunt quae in te considerans tantus iste, & paterni & tui auctor imperij, laetatus est quod petisti*. Vbi interim observandum est illud quod ait scriptor istius panegyrici, Herculium esse auctorem imperij Constantini. Qua de re vide quae supra dicta sunt ad caput XXV.

SUAE MINORIS FILIAE) Heic admoneri convenit mendose in veteri codice scriptum esse, *sic minoris familiae*. Intelligit autem Faustam. Sed inquirendum est in tempus quo nuptiae Constantini & Faustae celebratae sunt. Certum est Severum Augustum extinctum fuisse anno Christi CCCVII. ineunte, quamquam de mense non constat. Postea Maximianus Herculius Faustae pater in Galliam profectus est, ut Constantinum partibus suis conciliaret, promissis illi Faustae minoris filiae nuptiis; eoque promisso impleto, ut Zosimus ait, persuadere conabatur Constantino ut discedentem ex Italia Galerium Maximianum persequeretur. Ex quibus verbis colligitur nuptias fuisse celebratas eo tempore quo Galerius erat in Italia, vel certe quum in procinctu esset Italicae expeditionis. Cum autem ille in Illyricum ex Italia redux fuerit anno eodem CCCVII. ante mensem Septembrem, ut opinor, & ex capite XXVIII. istius libri Lactantiani constet Herculium Romam iterum profectum post fugam Galerij, ac eum rursum eodem anno rediisset in Gallias, ibi aliquantulum moratum esse, & postea in Illyricum ad urbem Pannoniae Carnuntum ve-

venisse, ibique fuisse III. Idus Novembris, quo die Licinius a Galerio factus est Imperator, manifestum est Constantini & Faustae nuptias aliquanto tempore ante mensem Septembrem anni CCCVII. contigisse. Si certa essent quae de Constantini initijs dicuntur a R. P. Petro Francisco Chiffletio in Notis ad Vigilium Tapsensem, non opus esset ea inquisitione in qua nos hactenus exercuimus. Is enim contendit nuptias Constantini cum Fausta & initium augustae dignitatis in eum collatae a Maximiano socero evenisse VIII. Kalendas Augusti anni CCCVII. eadem nimirum auctoritate qua Constantinum scribit primo Caesarem factum a Galerio anno CCCV. VIII. Kalendas Augusti, & rursum Caesarem declaratum VIII. Kalendas Augusti anni CCCVI. secundum obitum patris. Sed quia haec a viro clarissimo non probantur, necessaria fuit ea cura quam nos adhibuimus in investigando tempore istarum nuptiarum.

ILLE INTEREA) Galerius Maximianus. Ceterum totum hunc apparatum Galerij sic paucis perstringit Zosimus. *Quum autem Maximianus Galerius haud aequo tulisset animo quae in Severum Caesarem designata fuerant, ab oriente Romam eundum statuit, & admissorum nomine meritas Maxentio poenas irrogandas. Ut in Italiam appulerat, parum fidei erga se militum animos sentiens, ad orientem nullo commisso praelio redit.*

POPULUM TRUCIDATURUS) Fragmentum de Constantio Chloro pag. 472. *Dehinc Galerius cum ingentibus copiis Romam venit, minatus civitatis interitum, & castra Interamna ad Tiberim posuit. Tunc legatos ad urbem misit Licinium & Probum, per colloquium petens ut gener apud socerum, id est, Maxentius apud Galerium precibus magis quam armis optata mereretur. Qui contemptus agnovit promissis utrorum Maxentij partes suas deseruisse. Quibus perturbatus, retro versus est; & ut militi suo praedam quamcumque conferret, flammiuta jussit auferri.* Quid sibi velit hoc loco vox *flammiuta* nescire se fatetur Henricus Valesius, & deesse hic nonnulla putat quae ad Maximianum Herculium pertinebant. Ego potius existimaverim postrema haec verba pertinere ad ea cum quibus conjunguntur, ut sensus sit Galerium, *ut militi suo praedam quamcumque conferret*, id est, ut summam & nullis legibus coercitam praedandi licentiam daret, etiam ea flammis tradi jussisse quae auferri non possent; *ut si quis insequi voluisset, utensilia*, id est, res ad victum necessarias, *non haberet*, ut mox dicet Lactantius. Itaque scribendum censeo *flammis omnia* pro *flammiuta*, ob vulgatum errorem librariorum, qui frequenter primas vocabulorum syllabas omittunt. Et admissus fortassis error ab eo qui quum hic *flammonia* vel *flammomnia* vidisset scriptum, neque satis intelligeret quid hoc vocabuli esset, sciret porro veteres flamonium dixisse pro flaminio, emendandam putavit hanc vocem reducendamque ad suam originem. Nam & veteres glossae Isidori & aliorum, tum etiam Sidonius, & duae veteres inscriptiones quas ex Gruteri thesauro descripsit Iacobus Gothofredus ad l. XXI. Cod. Theod. De Decurionibus, & harum unam Savaro & Sirmondus ad Sidonium, flamonium dicunt pro flaminio. Scio inelegantem prorsus locutionem esse neque dici solere flammis rem quampiam auferri. Sed in auctore horum excerptorum non sequimur elegantiam sermonis.

FUGAM CAPESSIVIT) Hadrianus Valesius in libro primo rerum Francicarum scribit Licinium creatum Caesarem a Galerio fuisse anno CCCVIII. eique tutela Illyrici delegata, Galerium cum maximis copiis ingressum Italiam, Maxentium generum suum Romae obsedisse, & arte Maximiani Herculij ab urbe repulsum esse. Ostensuri postea sumus Licinium factum Imperatorem post reditum Galerij ex Italia. Nunc vero id tantum observandum, parum probabile videri quod ait vir clarissimus, Galerium arte Maximiani Herculij ab urbe repulsum esse, cum ex capite XXVII. & XXVIII. Lactantij certo constet illum in Gallis apud Constantinum fuisse per totum illud tempus quo Galerius fuit in Italia. quod etiam colligi facile potest ex verbis Zosimi.

OPPRIMI POTUIT) Apud Zosimum Herculius dicitur persuadere voluisse Constantino ut discedentem ex Italia Galerium persequeretur. Sed cum ille natura inquietus & infidus esset, non mirum si Constantinus ejus consilia sprevit.

TITULUM IMMUTARI) Haec alibi non leguntur, Et mirum est ab alijs historicis praetermissa fuisse.

DACISCUM) quod ipse natus esset ex Dacis.

MAXIMIANUS ALTER) cognomento Herculius, Cap. 28.
qui resumpserat imperium, illudque habebat commune cum filio Maxentio.

PRIOR FILII POTESTAS) ratione nimirum habita novi imperij. Nam pater deposuerat antea imperium & in privatam vitam concesserat. Postea in consortium imperij adscitus fuerat a Maxentio, qui ad eum purpuram misit, & bis augustum nominavit.

MILITES E. Q. SEVER. RELIQ.) id est, milites ex veteri Maximiani Herculij exercitu, à Galerio missi cum Severo ad expugnandum Maxentium, qui translatis signis, Severum deserentes, se Maxentio tradiderant. Hos, quia sui olim fuerant, existimabat Maximianus sibi subiacturos.

DIRIPUIT PURPURAM) Eutropius lib. X. *Herculius tamen Maximianus post haec in concione exercitus filium Maxentium denudare conatus, seditionem & convitia militum tulit.* Incerti panegyricus Constantino dictus post devictum Maxentium: *Ipse denique qui pater illius credebatur, discissam ab humeris purpuram detrahere conatus &c.* Apud Socratem lib. I. cap. II. legitur Herculium recuperandi imperij cupiditate raptum, conatum esse interficere sive de medio tollere filium suum Maxentium. Ita quidem versiones Christophorsoni & Valesij, propter vocem ἀνελεῖν, quae varias significationes habet. Melius, ut arbitror, Epiphanius Scholasticus: *Hunc ejus pater imperandi cupidine voluit filium regno privare.* Nam ista interpretatio melius congruit cum narratione Lactantij & aliorum.

SUPERBUS ALTER) id est, Tarquinius superbus Rex Romanorum ultimus. Lactantius lib. IV. institut. cap. XIV. *Tarquinius superbus exactus est.*

MAXIMIANUM) Galerium.

ADERAT IBI DIOCLES) Aurelius Victor loquens Cap. 29.
de fuga & exitu Severi: *Hoc acrior Galerius, adhibito in consilium Iovio, Licinium vetere cognitum amicitia Caesarem creat Augustum; eoque ad munimentum Illyrici ac Thraciae relicto, Romam contendit.* Sed in hoc errasse convincitur Victor quod ait Licinium creatum esse Augustum post mortem Severi & ante quam Galerius exercitum in Italiam duceret adversus Maxentium; cùm è contra testimonio Lactantij & aliorum certum sit Licinium factum esse Imperatorem in locum Severi post reditum Galerij ex Italia, & eam tum Galerio mentem fuisse, quum imperium Licinio tribueret, ut eo uteretur in bello quod susceperat adversus Maxentium. Zosimus: *Maximianus Galerius ex societate superiorum temporum familiarem sibi Licinium Imperatorem creat, quod ejus opera bello Maxentium persequi cogitaret.* Auctor fragmenti de Constantio Chloro pag. 473. *Licinius itaque ex nova Dacia vilioris originis, a Galerio factus Imperator velut adversum Maxentium pugnaturus.* Et tamen Victor eum ait in Illyrico relictum eo tempore quo Galerius maxime cogitabat de bello Italico. Sed id quoque falsum esse necesse est, cum auctor ejusdem fragmenti pag. 472. scribat Licinium fuisse in exercitu Galerij Romam obsidentis, & ab eo missum in urbem cum Probo ut viam aliquam inveniret concordiae inter socerum & generum. Quae etiam evincunt privatum adhuc fuisse, adeoque nondum Imperatorem. Ut mirum valde sit virum doctissimum Hadrianum Valesium sequutum in hac historia scribenda fuisse Victorem potius quam ceteros auctores istius fragmenti contemporaneos.

QUOD ANTE NON FECERAT) nimirum ut Licinium faceret Imperatorem. Quod facere jam tum poterat quum Severum & Maximinum fecit Caesares; sed noluerat, propter rationes supra allatas in capite vigesimo.

IMPERIUM LICINIO DARET) Digladiantur inter se viri docti in constituendo anno quo Licinius factus est Imperator, quibusdam id evenisse censentibus anno Christi CCCVII. alijs sequenti. Ego utrorumque rationes adferam. Qui priorem sententiam tuentur, his argumentis aut utuntur aut uti possunt. Anno Christi CCCVII. mota sunt arma adversus Maxentium, qui sine anni superioris imperium invaserat; & Severus Caesar Augustus, qui ad expugnandum eum Romam accesserat missus a Galerio Maximiano, repulsus ac postremo miserabili mortis genere extinctus est anno secundo im-

pe-

perij sui, ut legitur in Chronico Eusebij, id est, anno Christi CCCVII. ante Kalendas Maias, quibus biennio antea factus fuerat Caesar ab Herculio Maximiano. Ita Onuphrius Panvinius in commentario ad librum secundum Fastorum, ad annum V. C. MLX. qui congruit cum anno Christi CCCVII. *Hoc anno circa Kal. Maij Severus, qui à Galerio Caesar per Italiam & Africam creatus fuerat, quum adversum motum praetorianorum atque Maxentij Romam cum exercitu venisset, militum suorum scelere desertus, ipseque fugiens, altero imperij anno Ravennae interfectus est.* Accensus ea ignominia Galerius, in quem hoc dedecus incidebat ut in auctorem belli, incredibili celeritate ex Illyrico Romam cum immenso exercitu advolat, & ex Italia in Illyricum revolat inglorius, totum illud terrarum spatium bis emensus intra quinque aut sex ut plurimum menses, de castigando pellendoque Maxentio eo acrius cogitans quod vincere fuerat, nunc cum ingenti dedecore coactus erat terga vertere. Ex de causa Licinium post reditum ex Italia creat Imperatorem, destinans eum Italiae adversus Maxentium. Acta haec III. Idus Novembris, ut legitur in Fastis Idatianis & in Chronico Alexandrino. Sed quamvis hi duo libri consentiant de die, de anno tamen non conveniunt. Nam Chronicon Alexandrinum initia imperij Liciniani refert ad annum quo Fl. Constantinus Augustus solus Consul fuit, Fasti ad annum sequentem, qui sic notatur: *Item decies & Maximiano VII.* Quo etiam modo, ut hoc obiter moneam, Graeca illa, *παλινδεκατον*, quae leguntur in Chronico Alexandrino, vertenda sunt, pro eo quod Raderus vertit *Palindecato*, coactus admonere in margine haec intelligenda esse de decimo Diocletiani consulatu. In quo sane lapsus est vir eruditissimus. Nam si Diocletianus decies Consul fuit, decimus ejus consulatus incidit in annum Christi CCCV. ut supra vidimus. Itaque hic locus intelligendus est de decimo Maximiani Herculij consulatu, qui tum imperium resumpserat. Sed his omissis, ad quae per transennam tantum & quasi aliud agendo animum advertimus, persequamur argumenta quibus probari potest Licinium factum esse Imperatorem anno Christi trecentesimo septimo. Certum est Constantinum fuisse factum Imperatorem post mortem patris anno Christi CCCVI. mense Iulio exeunte. Itaque primus imperij ejus annus finitus est eodem mense Iulio anni sequentis. Cum autem Eusebius in Chronico imperatoriam Licinij dignitatem ponat in anno secundo imperij Constantini, dubium non est quin secundum Eusebij testimonium ejus initia referenda sint ad annum CCCVII. exeuntem. Denique si tribunitia potestas Imperatorum illius aevi numerabatur a die quo imperium adepti erant, ut placet viris eruditissimis, hinc etiam confirmatur Licinium factum esse Imperatorem anno Christi CCCVII. cum in edicto quod Galerius moriturus edidit anno CCCXI. in gratiam Christianorum, quod vero Nicomediae propositum est pridie Kalendas Maias, adnotatus sit annus quartus tribunitiae potestatis Licinij apud Eusebium in editione Valesij & apud Nicephorum. Atqui si annos Licinij colligas, & illos a mense Novembri anni CCCVII. incipias, nullo negotio reperies anno CCCXI. fuisse quartum tribunitiae ejus potestatis, adeoque etiam imperij. Et haec sunt quae dici possunt pro confirmanda eorum opinione qui arbitrantur Licinium anno CCCVII. evectum ad dignitatem imperatoriam. Sed adversus haec reponi potest magnam esse auctoritatem Fastorum Idatianorum, in quibus historia illa refertur ad annum sequentem, & merito. Primum enim non potuisse Galerium Maximianum sic inptum & praecipitanter proficisci in Italiam cum ingentibus copiis, Romam obsidere, ac reducere exercitum in Illyricum ut omnia facta dici possint intra quinque aut sex mensium spatium, adeoque probabilius videri excessum Galerij ex Italia contigisse anno trecentesimo octavo. Praeterea credibile non esse Maximianum Herculium, hominem senem, qui apud Carnuntum cum Diocletiano erat eo tempore quo Licinius factus est Imperator, intra sex mensium spatium Italiam Galliasque emensum esse, nuptias Constantini & Faustae celebravisse, rursum in Italiam rediisse post fugam Galerij, tum etiam iterum in Galliam, & hinc in Pannoniam profectum ad Diocletianum. Denique in Epitome Victoris legi Maximinum Dazam Caesarem quadriennio fuisse, Augustum triennio. Cum autem ille factus fuerit Caesar anno CCCV. Kalendis Maiis, consequens esse ut Caesaris nomine contentus fuerit usque ad annum CCCVIII. exeuntem. Alioqui quadriennio Caesar non fuisset, sed triennio, si Licinius factus fuisset Imperator anno superiore. Ista quidem magnum momentum habere statim videntur. Sed profecto si consideremus statum reipublicae illius temporis, ingenium Galerij ferox, iracundum, praeceps, & superbum, instabilitatem & perfidiam ac mobilitatem Herculij, quae sane vitia semper eos praecipitant quibus inhaerent, quia in animis hominum potentiora virtutibus sunt, ut ait Lactantius in libro primo divinarum institutionum, facile intelligemus ea quae primo intuitu fere impossibilia videntur, fieri tamen potuisse ab hominibus inquietis & summum imperium retinere cupientibus. Nam, exempli gratia, Illyricum, ubi Galerius habitabat, Italiae adjacet; adeoque facile illi fuit in Italiam venire & dein recedere, etiam cum exercitu, intra illud sex mensium spatium quod diximus; praesertim cum ex Zosimo & auctore fragmenti de Constantio Chloro intelligamus illum ex Italia discessisse nullo commisso praelio, hoc est, parvam ejus in Italia moram fuisse. Herculium vero, cupidum imperij, quod invitus deposuerat, quis miretur tanta celeritate tot itinera fecisse, quem dubium non est illa fecisse abjecta omni cunctatione ac tarditate? Solvebat à Roma, & mare trajiciens, cum Massiliam pervenisset, cito ad Augustam Trevirorum, ubi sedes erat Constantini. Quae omnia itinera confici profecto possunt intra mensem ab homine diligenti. Postea aliquanto tempore apud Constantinum fuit occasione nuptiarum. Mense dein altero ei opus fuit ad redeundum in Italiam, unde brevi pulsus est. Adde alium mensem pro secunda profectione in Gallias, ubi non multum moratus est, & mensem pro itinere ab Augusta Trevirorum usque ad Carnuntum in Pannonia. Patet jam totum hunc numerum mensium satis congruere spatio temporis quod fluxit à morte Severi (nam tum primo Herculius in Galliam profectus est) usque ad diem tertium Idus Novembris, quo die Licinius factus est Imperator. Immo suspicor Severum diu ante Kalendas Maias occisum esse, nimirum mense Februario. Nam in veteri Kalendario quod Herwartus edidit, natalis Constantini notatur pridie Kalendas Apriles. Quod quum de die quo factus est Caesar interpretari debere putaverit vir eruditissimus, ego crediderim intelligendum esse de eo die quo Maximianus Herculius eum nuncupavit Augustum. quod quidem evenisse anno CCCVII. nullus, ut opinor, dubitandi locus esse potest. Itaque si Maximianus exeunte Martio Constantinum dixit Augustum, jam pro sex mensibus, quos ab exitu Severi usque ad imperium Licinij numerabamus, habemus fere novem, intra quos utrique Maximiano facile fuit hos cursus & has peregrinationes conficere de quibus antea diximus. Porro natalem Constantini pridie Kalendas Apriles non posse referri ad diem quo factus est Caesar hinc puto colligi, quod aut factus fuit Caesar cum Severo & Maximino, aut quum pervenisset ad patrem, aut certe quum Caesar nuncupatus est a Galerio. Atqui jam ostendimus factum non fuisse Caesarem cum Severo & Maximino. Quod tametsi factum fuisset, tamen natalis ille non posset congruere, cum constet Severum & Maximinum fuisse factos Caesares, non pridie Kalendas Apriles, sed Kalendis Maiis. Non potest etiam congruere tempori quo patri successit, quum id evenerit exeunte mense Iulio. Congrueret ergo tantum huic tempori quo Constantinus a Galerio factus est Caesar. Verum ne illud quoque incidet in pridie Kalendas Apriles. Quippe ambigi non potest quin laureata Constantini imago ad Maximianum perlata sit statim atque ille in locum Constantij patris successit, id est, exeunte Iulio, non secus ac ejus imago Romam statim adlata est. quod quidem occasio fuit Maxentio invadendi imperij, ut Zosimus docet in libro secundo. At si exeunte Iulio nuntius accepti à Constantino imperij perlatus est ad Galerium, cum Lactantius non doceat moram fuisse in mittenda purpura ad Constantinum, par est credere & Caesarem factum & purpuram missam intra eumdem annum quo imago adlata est, atque adeo diu ante mensem Martium. Et certe rationi consentaneum est ut dies accepti summi fastigij adnotatus sit in Kalendario: quem si non referas ad pridie Kalendas Apriles, nullibi notatus reperietur dies quo Constantinus Imperator & Augustus,

ftus dictus est. Quod attinet ad auctoritatem ex Epitome Victoris allatam, ea non officit his quae hactenus dicta sunt. Nam multa sunt in hac Epitome quae non cohaerent, nominatim vero in hoc loco, ubi septem tantum imperij annos tribuit Maximino, quem certum est imperasse per annos octo integros & aliquot menses. Postremo redeundum nobis est ad tribunitiam potestatem, quae magnum momentum habet in hoc negotio. Quod quum intelligeret vir clarissimus Henricus Valesius, qui contendit Licinium anno tantum CCCVIII. factum esse Imperatorem, huc descendit in annotationibus ad Eusebium pag. 171. ut fateatur observationem de tribunitia potestate incommodare sententiae suae de initiis Licinij, coactus etiam edictum illud, in quo quartus annus tribunitiae potestatis Licinij annotatus est, rejicere ad exitum anni CCCXI. ut sic inveniret annum illum quartum tribunitiae potestatis Licinij. Sed ruit conjectura illa, cum ex Lactantio constet edictum illud propositum fuisse Nicomediae pridie Kalendas Maias & Galerium obiisse paulo post. Itaque etiam ex illa eruditissimi viri observatione colligimus verissimam esse illorum sententiam qui Licinium anno Christi CCCVII. putant creatum fuisse Imperatorem. Hinc etiam puto confirmari posse Licinium fuisse factum Imperatorem anno CCCVII. quod Maximianus Herculius & Galerius Maximianus consulatum simul gessisse reperiuntur anno sequenti, & quod deinceps bellatum non sit adversus Maxentium Herculij filium. Concordiam enim, quae postea inter eos fuit, illo tempore constitutam fuisse oportet quo Herculius & Galerius simul fuerunt apud Carnuntum, cum videamus Galerium tum maxime de bello adversus Maxentium gerendo consilia agitasse quum Licinium provehere destinabat ad principale fastigium, & hunc ardorem statim deferbuisse post promotionem ejus. Quod si consulatus ab Herculio & Galerio, quod negari non potest, communi consensu susceptus est post amicitiam inter eos conglutinatam apud Carnuntum, cum is in annum Christi CCCVIII. inciderit, manifestum est Licinium exeunte anno CCCVII. factum fuisse Imperatorem. His ita constitutis, reliquum est ut de alia difficultate quae heic occurrit, an nimirum Licinius primum factus fuerit Caesar, ac postmodum Augustus, ut placuit quibusdam, an vero uno eodemque tempore Caesar & Augustus, ut alij volunt, nonnulla dicamus. Res est quae facile decidi potest vel unico Lactantij testimonio, qui imperium Licinio ac primum locum post Galerium datum fuisse scribit, etiam supra Maximinum. quod etiam confirmatur auctoritate Eusebij, ut ostendemus paulo post. Itaque difficultas illa non indiget ampliori examine. Orta autem est ex male intellecto Aurelij Victoris loco ubi agit de Licinio facto Caesare & Augusto. Vide Scaligerum in animadversionibus ad Chronicon Eusebij.

VTROQVE PRAESENTE nimirum Diocletiano & Maximiano Herculio, ut mox dicemus. Venerat Herculius ad Diocletianum, ut Zosimus ait, id temporis Carnunti degentem, ut eum impelleret ad resumendum imperium; sed venerat e Gallia, ut docet Lactantius, non vero ex Italia, ut putavit Cluverius, qui in libro de Vindelicia & Norico cap. v. scribit, auctore, ut ipse ait, Zosimo, Herculium e Lucania Italiae regione Carnuntum ad Diocletianum profectum fuisse, ac per Ravennam transiisse in eundo & redeundo. Quod utrumque procul dubio falsum est. Nam, ut dixi, Herculius e Gallia profectus est Carnuntum, ubi reperit Diocletianum, & ab eo discedens, in Galliam reversus est; ut etiam colligi potest ex panegyrico quem Eumenius Constantino dixit, ubi varios Herculij errores recto ordine recenset, hoc modo; *Fuit necesse ut tulit ut ille pietati suae hanc referret vicem, quem tu ab urbe pulsum, ab Italia fugatum, ab Illyrico repudiatum, tuis provinciis, tuis copiis, tuo palatio recepisti*. Recte inquam. Nam quum filium Maxentium denudare ac regno privare vellet, exactus ab urbe, pulsus Italia, ad Constantinum confugit. Dein in Pannoniam Illyrici provinciam profectus est ut Galerio strueret insidias; ibique Diocletianum, quem antea per literas frustra tentasse colligi potest ex Eutropio, hortatus ad resumendum imperium, cum nihil suis suasionibus effecisset, impeditis consiliis, ut Lactantius ait, tertiam fugam molitus, redit in Galliam. Quae ita ut in panegyrico leguntur gesta esse probat Lactantius. Memorabilis autem in primis est vox Diocletiani imperium respuentis, quum ad illud resumendum eum hortarentur Herculius & Galerius. Epitome Victoris: *Dum ab Herculio atque Galerio ad recipiendum imperium rogaretur, tamquam pestem aliquam detestans, in hunc modum respondit: Utinam Salonae possetis visere olera nostris manibus instituta. Profecto nunquam istud tentandum judicaretis*. Itaque ex hoc Lactantij loco habemus, quem antea nesciebamus, annum quo Herculius ad Diocletianum profectus est, eum nempe quo Licinius factus est Imperator. Ceterum heic observandum est errasse Arnaldum Pontacum Episcopum Vasatensem in Notis ad Chronicon Eusebij pag. 678. & Josephum Scaligerum in libro quinto de emendatione temporum pag. 497. postremae editionis; ubi redarguentes Zosimum, qui dicetat Diocletianum conventum ab Herculio fuisse Carnuti Celtarum oppido, ajunt id falsum esse, cum Diocletianus post abdicatum imperium nunquam pedem posuerit in Gallia, imo non extulerit Salonis Dalmatiae. Prima pars observationis vera est, nempe Diocletianum nunquam pedem posuisse in Gallia, post abdicatum imperium. Sed tamen fuit Carnunti in Pannonia, ubi eum Herculius convenit. Et pedem eum extulisse Salonis patet ex responso ejus quod paulo ante retulimus: *Utinam Salonae possetis visere olera*. Nam si tum quum haec dicebat, fuisset Salonae, locus non erat huic exclamationi. Itaque longe aberat a Salonis. Gravius etiam errat vir doctissimus Ioannes Morinus in parte secunda libri de Ecclesia per Constantinum liberata cap. 1. pag. 126. 129. & cap. 151. pag. 153. ubi scribit Maximianum Herculium ea scripsisse ad Diocletianum quae dicta, non scripta, esse jam vidimus, & longam confingit epistolam ad eum scriptam, cujus nullum vestigium extat apud veteres, & Diocletianum, post acceptam epistolam illam, brevi eam responso dignatum esse quod nos retulimus ex Epitome Victoris. His ita constitutis, videndum est an vera esse possint quae a viro clarissimo Hadriano Valesio in libro primo rerum Francicarum pag. 22. dicta sunt de profectione Maximiani Herculij in Illyricum & de discessu ejus. Ait ergo Herculium, quum videret omnes Romani imperij provincias teneri a Galerio, Maximino, Maxentio, & Constantino, adeoque nusquam sibi locum consistendi esse, nec se sine provinciis & sine exercitu imperatoriam dignitatem tueri diutius posse, iterum cessisse imperio postquam annos circiter duos insignia principatus retinuerat, cumque se odio esse Maxentio & ejus militibus sciret, a Galerio petiisse sibi ut per filium ex Urbe & Italia expulso in Illyrico reliquum vitae agere privato liceret, repudiatumque ab Galerio anno secundo post consulatum suum decimum & Galerij septimum, sub specie officij, velut visendi Constantini generi sui gratia, in Galliam profectum, a Maxentio se pulsum simulantem. Haec sunt enim omnino verba viri clarissimi. Primum illud stare non potest quod ait Herculium cessisse imperio antequam proficisceretur in Illyricum, quandoquidem Lactantius docet id ab illo factum esse postquam ex Illyrico rediisset ad Constantinum. Deinde certum est eum ad Galerium profectum intra primum annum resumpti imperij, non vero postquam annos circiter duos insignia principatus retinuerat. Nam purpuram resumpsit anno Christi CCCVI. exeunte, & sequenti profectus est in Illyricum mense, ut tardius, Octobri. Quod autem ait eum petiisse a Galerio ut sibi in Illyrico reliquum vitae agere privato liceret, cum id apud neminem alium reperiam, puto Valesium paraphrastice traxisse ex illis Eumenij verbis ubi legitur Herculium ab Illyrico repudiatum, tamquam si aliter repudiari non potuisset quam negata ei habitatione Illyrici. Verus autem verborum Eumenij, ut ego quidem arbitror, sensus hic esse debet, ut ab Illyrico repudiatus dicatur, quia illic, ut diximus, suasionibus suis efficere non potuit ut Diocletianus resumeret imperium. Neque vero repudium illud contigit anno secundo post consulatum decimum Herculij, id est, anno Christi CCCX. ut putat Valesius, sed statim post conlatam in Licinium dignitatem imperatoriam. Siquidem Lactantius de discessu ejus ab Illyrico sic scribit tamquam de fuga desperata, adeoque de discessu subito & praecipiti profectione. Denique reditum Herculij ad Constantinum sic narrat Valesius tamquam si nondum ille Constantinum vidisset post exactionem suam ab urbe Roma, adeoque apud

cum

eum conquestus non fuisset de filij sui crudelitate adversum se; cum tamen certo sciamus ex Lactantio Herculium Roma profugum venisse primo in Galliam ad Constantinum, & hinc in Illyricum ad Galerium & Diocletianum, & ab illo repudiatum rediisse in Galliam ad Constantinum.

VTROQVE PRAESENTE) Diocletiano nimirum & Maximiano Herculio. Vnum heic occurrit examinandum, an istorum praesentia trahenda sit ad consensum, praesertim cum ista agerentur a Galerio, homine admodum pervicaci ac superbo, & qui directo velit ente supplicare fuetum, erat, & an consensus ille trahendus rursum sit ad ceteros penes quos reipublicae potestas erat. Nam id dicere videtur Eusebius lib. VIII cap. XIII. Λικίννιος δὲ ἐπὶ τούτοις ἀπὸ κοινῆς ψήφου τῶν κρατούντων αὐτοκράτωρ καὶ σεβαστὸς ἀναδείκνυται. Hunc locum interpretes in varios sensus traduxerunt. Et Rufinus quidem ita vertit: *Sed & Licinius communi omnium sententia adjectus in imperium, Augustus pronuntiatur*. Musculus: *Licinius vero communi sententia potentatuum & ipse Imperator & Augustus creatur*. Christophorsonus: *Licinius deinceps communi eorum suffragio & consensu penes quos summa potestas erat, Imperator & Augustus declaratur*. Denique Valesius: *Licinius communi imperatorum suffragio Imperator & Augustus declaratus est*. Rufinus igitur in ambiguo reliquit quos intelligi velit. Neque clarius se Musculus explicat, quid potentatuum vocabulo significare velit incertum relinquens. At Christophorsonus & Valesius aperte pronuntiant id factum esse communi Imperatorum sive eorum penes quos summa potestas erat suffragio. Verum ista interpretatio plurimum habet difficultatis. Nam cum istud continuum praecipitanter, ut palam est captum à Galerio sit, temporis angustiae non permiserunt ut Caesarum qui in provinciis erant consensus expeteretur, & non erat hic mos Galerij. Praeterea certo colligi potest ex Eusebio & Lactantio, uti postea dicemus, neque Maximinum neque Constantinum interrogatos fuisse. Neque probabile item est Maxentij consensum fuisse requisitum, adversus quem bellum parabatur. Reliquum igitur est ut hic Eusebij locus intelligatur de Imperatoribus, nimirum de Diocletiano veterano Rege, de Maximiano Herculio, qui tum imperium resumpserat, & de Galerio Maximiano. Nam hi tres tum erant Carnunti quum Licinius factus est Augustus. Itaque verum non est omni ex parte quod heic ait Eusebius, Licinium factum esse Imperatoreio & Augustum communi eorum consensu qui tum rempublicam possidebant.

SEX FVERVNT) nimirum Maximianus Herculius, Galerius Maximianus, Maximinus cognomento Daja vel Daza, Constantinus, Maxentius, & Licinius.

DEPONIT REGIAM VESTEM) id est, purpuram, & sic iterum ad vitam privatam redit. Factum illud ab Herculio scribit Hadrianus Valesius in libro primo rerum Francicarum pag. 21. antequam proficisceretur in Illyricum, id est, anno CCCVII. exeunte. Verum repugnat Lactantius huic sententiae, qui secundam Herculij abdicationem diserte revocat ad posteriora tempora, sed annum non indicat. Probabile tamen est id factum non ita multo post quam ad Constantinum rediisset ex Illyrico, id est, anno CCCVIII. ineunte, ipso decies & Maximiano VII. Consulibus. Nam nulla deinceps facinorum ejus mentio habetur usque ad annum CCCX. quo interiit; & vir cupidissimus signandi annos per consulatus suos, Consul deinceps non reperitur fuisse.

QVOD IPSVM NON VRGERET, Eumenius in panegyrico Constantini: *Talibus eo pro utilitate ac dignitate publica rebus intentum averterunt in se novi motus ejus hominis quem successibus tuis maxime favere decuisset*.

GENERVM SVVM) Constantinum, qui Faustam fenioris Maximiani minorem filiam paulo ante duxerat, eodem anno nimirum quo & Severus occisus & Licinius factus est Imperator. Incerti panegyricus Maximiano & Constantino dictus in nuptiis Faustae: *O divinum tuum, Maximiane, judicium, qui hunc tibi jure adoptionis nepotem, majestatis ordine filium, etiam generum esse voluisti*.

GENERI FILIVM) Nam Constantius Constantini pater, repudiata, ut jussus erat, Helena, Theodoram duxit, quam nonnulli tradunt Herculij filiam fuisse, alij privignam.

RELICTA MILITVM PARTE) in potestate soceri sui Maximiani. Sed homo perfidus eos sollicitavit ad defectionem. Testis praeter Lactantium, Eumenius in Panegyrico quem postea dixit Constantino; ubi quum dixisset Maximianum genero suo pejerasse, statim addit, *Haec est fides, haec religio palatini sacrarij devota penetralibus, ut lente & cunctanter, jam scilicet cum illis belli consiliis, itinere confecto, consumptis copiis mansionum ne quis consequi posset exercitus, repente intra parietes consideret purpuratus, & bis depositum tertio usurparet imperium, litteras ad sollicitandos exercitus mitteret, fidem militum praemiorum ostentatione turbare tentaret, securo scilicet usurus exercitu quem venales manus habere docuisset*. Illius loci sensum Livinejus ait hunc esse, ut Maximianus Herculius intelligatur resumpsisse purpuram Arelati quum urbe pulsus, Italia fugatus, ab Illyrico repudiatus, a Constantino est exceptus. Recte sane, quantum ad historiam. Sed nescio ubi invenerit acta haec esse apud Arelatem. Neque enim id dicit Eumenius, sed tantum eum se conclusisse in civitate Arelatensi, quo eum persecutus est exercitus Constantini, & inde Massiliam postea fugisse. Mihi certum videtur Herculium purpuram, quam bis deposuerat, resumpsisse in ipsa civitate Treverorum aut non multo procul. Id mihi colligere videor ex his verbis Lactantij ubi ait eum paucis post diebus quam Constantinus profectus erat adversum Francos, cum thesauros publicos invasisset, purpuram repente sumpsisse, cum aestimaret Constantinum intrasse fines barbarorum. Nam Francorum fines erat circa Danubium. Et thesauri publici, quos tum invasit Herculius, non alibi potuerunt esse quam in Palatio Imperatoris, id est, in civitate Treverensi. Itaque Herculius non potuit intra paucos dies purpuram resumere Arelati, quae longo intervallo distat à Treveris.

REFERT AD MARITVM) Eutropius lib. X. *Detectis igitur insidiis per Faustam filiam, quae dolum viro enuntiaverat, profugit Herculius Massiliam; ibique oppressus, poenas dedit justissimo exitu*. Fallitur Eutropius. Nam Herculius ante Massiliam profugerat quam hunc dolum componeret, ut patet ex Lactantio. Gravius etiam erravit Zosimus aiens Herculium, quod Fausta consilium illius antevertisset ac rem totam Constantino indicasset, in desperationem rerum omnium adductum, apud Tarsum morbo extinctum esse. Confudit heic videlicet Maximianum cum Maximino, qui orientem tenebat, & qui pulsus a Licinio, apud Tarsum postremo in Cilicia obiit, ut adnotabitur infra. Sed neuter dolum explicavit, quem retulisse videntur ad invasionem imperij. Vnus Eucherius Episcopus Lugdunensis in historia martyrum Agaunensium adnotavit Maximianum Herculium struxisse insidias Constantino ut ei vitam auferret. *Cum dispositis insidiis*, inquit, *genero suo Constantino tunc regnum tenenti mortem moliretur, deprehenso dolo ejus, apud Massiliam captus, nec multo post strangulatus, tetorrimoque hoc supplicio affectus, impiam vitam digna morte finivit*. Recte sane & consentanee Lactantio. Meminit autem hujus Herculij perfidiae ac dein mortis Eusebius in libro primo de vita Constantini cap. XLVII. scribens alterum eorum qui se imperio abdicaverant, cum insidias in necem Constantini pararet, deprehensum, turpissimo mortis genere interiisse. Haec Eusebius, aperte designans Maximianum Herculium. Sed quoniam statim Eusebius tradit ejus quem ita interiisse scribit imagines & statuas omnes ubique terrarum dejectas esse, & hanc mortem describit longo intervallo post caput in quo egit de profugato Maxentio, huc descendit Valesius in annotationibus suis ut putaverit corruptum esse locum Eusebij, atque ita emendari debere ut Maximinus heic intelligatur, qui una cum Severo factus est Caesar. Maximinus enim interiit post victoriam quam Constantinus reportavit de Maxentio, & quidem mortis genere turpissimo, ut ex Eusebij libro octavo & nono colligi posse ait. Et haec quidem vir doctissimus adnotavit ad hunc locum, quae ego puto contra veritatem historiae pugnare. Nam primo certum est Eusebium loqui de altero eorum qui se imperio abdicaverant. Quod de alio quam de Maximiano Herculio intelligi non potest, qui secundum in imperio locum obtinebat, & cum Diocletiano se abdicavit. Id vero nullo pacto dici potest de Maximino, qui nullibi legitur abdicasse. Deinde ille de quo loquitur Eusebius, extinctus est quum, deprehensus fuisset insidias parare in necem Constantini. Quam historiam ad Herculium referendam esse nihilo minus certum est quam cer-

Cap. 30.

certum est Constantinum insidiis appetitum ab Herculio fuisse, id quod & Lactantius in hoc libro & reliqui historici produnt uno consensu. Sane utriusque imagines dejectae post mortem eorum sunt, ut patet ex Eusebio. Narratio porro de caede Maxentij, quae praecedit historiam mortis Herculij, nihil huic sententiae officit. Eusebius enim (ut observat Socrates in initio sexti historiae) in libris quos de vita Imperatoris Constantini conscripsit, pleraque obiter tantum perstrinxit: quippe cui, ut in encomiis fieri solet, Imperatoris laudes & panegyricam orationem contexere magis curae esset quam res gestas accurate commemorare. At in libro octavo historiae ecclesiasticae cap. XIII. ubi ordinem temporum sequitur, & ubi haec eadem de Maximiano narrat quae leguntur etiam in vita Constantini, docet ea non posse neque debere accipi de alio quam de Herculio, cum statim initio sequentis capitis dicat Maxentium ejus filium fuisse de quo antea loquutus est.

COMPOSITVR SCENA) In manuscripto legitur *schena*. Facilis fuit emendatio. Apud Tacitum lib. XIII. annal. Agrippina Neronis mater sic loquitur: *Nunc per concubinum Atimetum & histrionem Paridem quasi scenae fabulas componit*. Acta purgationis Felicis Episcopi Aptungitani: *Semper sic falsum per terrorem, per scenam, per irreligiosam mentem actum est ab his qui catholicae Ecclesiae communicare noluerunt*.

VIGINTI ANNOR. VOTA) id est, vicennalia, quae cum Diocletiano Romae celebravit.

ELISO GVTTVRE) Epitome Victoris: *Maximianus Herculius à Constantino apud Massiliam obsessus, deinde captus, poenas mortis genere postremo, fractis laqueo cervicibus, luit*. Orosius lib. VII. cap. XXVIII. *Herculius Maximianus in Galliam profectus est ut Constantino genero aeque dolis junctus auferret imperium; sed per filiam deprehensus & proditus, deinde in fugam versus, Massilia oppressus & interfectus est*. Aberrant autem in hoc loco omnes historici, qui in viam reducuntur a Lactantio. Pessimè Suidas, qui Diocletianum a senatu jugulatum esse, Maximianum vero se suspendisse scribit. Ista porro Maximiani Herculij mors dicitur in Fastis Idatianis evenisse *anno secundo post consulatum decimum & septimum*, qui congruit cum anno Christi CCCX. Non est autem occisus a Constantino Maximianus *ob purpuram tertium sumptam*, ut putavit vir doctissimus Hadrianus Valesius, sed quia post violatum jusjurandum, post bellum civile commotum, post sollicitatos milites, postremo Constantinum occidere voluerat, & occidisset si Faustam sibi consentientem habuisset.

Cap. 31. MAXIMIANVM ALTERVM) Galerium, cognomento Armentarium.

PERSECVTIONIS AVCTOREM) Ita etiam Eusebius in libro primo de vita Constantini cap. LVIII. Rufinus lib. VIII. cap. XV. *Ille vero qui ei secundus in honore, postmodum etiam in primis successor fuit. qui & inventor ac signifer nostrae persecutionis exstiterat*. & cap. XVIII. *Ipsum namque auctorem sceleris illico divina corripuit*. Fragmentum de Constantio Chloro pag. 472. *Tunc Galerius in Illyrico Licinium Caesarem fecit. Deinde illo in Pannonia relicto, ipse ad Serdicam regressus, morbo ingenti occupatus sic distabuit ut aperto & putrescente viscere moreretur, in supplicium persecutionis iniquissimae ad auctorem sceleratis praecepti justissima poena redeunte*. Vide Lactantium supra cap. X. & sequentibus. Frustra ergo Scaliger in animadversionibus ad Chronicon Eusebij ait Galerium Maximianum nunquam persecutum esse Christianos, cum bonus & laudabilis Princeps fuerit, eximius & fortis bellator. Atque hic eum merito reprehendit Petavius in libro XI. de doctrina temporum cap. XXXIV. & lib. XIII. pag. 714.

ETIAM VIM MAIESTATIS) In hoc loco desiderantur aliquot litterae in veteri exemplari, in quo ita legitur: *ut in eo et . . . . . . in majestatis ostenderet*. Nos ea vestigia literarum quae perierunt conjecimus ita legendum esse sicuti se habet haec editio. Et conjecturam nostram confirmat ipse Lactantius, cujus haec sunt verba ex libro primo divinarum institutionum cap. III. *Quid quod summa illa rerum potestas ac divina vis ne semel quidem dividi potest*. Et lib. III. cap. XVII. *Vim majestatemque veri Dei non intellexerunt*. Alibi virtutem dixit pro vi; ut lib. IV. cap XXVI. *virtutem majest. tamque Dei singularis interpretari*. & lib. VI. cap. IX. *virtutem ac majestatem Dei singularis enarrat*.

DE AGENDIS VICENNALIB.) ad exemplum Diocletiani, cujus imitationem affectabat, ita ut etiam de deponendo imperio aliquando cogitaverit. Sed tamen vicennalia non celebravit, extinctus antè quàm eorum agendorum tempus adesset.

VOTVM) Sic vocabant festa in quibus vota concipiebantur pro incolumitate & diuturna Principum vita, ut sicut vicennalia, exempli causa, celebrabant, sic dij tribuerent ut tricennalia celebrarent. Sed opus non est me plura dicere de hoc argumento, cum nuper duo eruditissimi viri Carolus Dufresnius & Henricus Noris hanc materiam abunde tractaverint, ille in dissertatione de numismatibus inferioris aevi, quae post tomum tertium Glossarij edita est, alter in dissertatione chronologica de votis decennalibus, quae edita est cum dissertatione de duobus nummis Diocletiani & Licinij. Vide etiam Casauboni Notas in Spartianum.

QVOD NON ERAT CELEBRATVRVS) Hic locus est magni momenti, cum ex eo certo colligatur Galerium Maximianum non pervenisse ad vigesimum annum imperij sui.

MAXIMINVS IRATVS) Eusebius lib. VIII. cap. XXIX. quum dixisset Licinium & Imperatorem & Augustum factum fuisse, addit: *Quod quidem Maximinus aegre admodum tulit, qui hactenus Caesar duntaxat ab omnibus appellabatur. Hic ergo prae ceteris tyrannico ingenio praeditus, Augustus a semetipso renunciatus est*. Cap. 32.

MITTIT ERGO) Galerius ad Maximinum, ut eum placaret.

DISPOSIT. SVAM SERVET) qua Licinium veterem contubernalem & victoriae socium fecerat Imperatorem secundi loci.

DEFAEAT CANIS) Dictum id propter Galerium, qui senex erat. Nam de Licinio non posse intelligi hinc patet quod quum interiit, nondum erat sexagenarius. Epitome Victoris: *Hic Licinius annum dominationis fere post quintumdecimum, vita proxime sexagesimum, occiditur*. In Fastis Idatianis occisus dicitur sub consulatu Paulini & Iuliani, qui in annum CCCXXV. incidit. Obiit autem sub finem anni. In fragmento de Constantio Chloro dicitur regnasse annos XIX. filio & uxore superstitibus. Quod verum ex omni parte non est. Nam ab anno CCCVII. exeunte usque ad annum CCCXXIV. quo ad vitam privatam mense Octobri rediit victus a Constantino, numerantur anni tantum XVII. Quod si anno CCCXXIV. quum ageret decimumseptimum imperij sui annum, nondum natus erat annum aetatis suae sexagesimum, jam constat eum factum fuisse Imperatorem anno circiter aetatis suae quadragesimo. Itaque quae de canis heic dicuntur, ad eum referri non possunt.

TOLLIT CAESARVM NOMEN) non quidem ut nomen Caesarum aboleret, quod Imperatores semper retinuerunt, sed ut ab eo deinceps abstinerent illi qui in spem imperij adoptarentur, & sic excluderetur Maximinus. Hunc puto hujus loci sensum esse.

MAXENTIVM) Ergo pax erat inter Galerium & Maxentium, tum haud dubie conciliata quum Herculius Carnunti esset cum Diocletiano & Galerio. Eutychius Patriarcha Alexandrinus tradit in annalibus suis ita inter Galerium & Maxentium divisum fuisse imperium ut Galerius Orientem & Syriam terramque Romanorum, id est, Thraciam & provincias Thraciae conterminas, teneret, Maxentius vero Romam & ipsius territoria, id est, Italiam & Africam ac fortasse insulas.

CONSTANTINVM FIL. AVG.) Ex hoc praecipue loco colligo consensum Constantini requisitum non fuisse quum Licinius factus est Imperator. Quippe probabile non est eum qui Imperator & Augustus dictus ab Herculio fuerat, qui filius & gener Augustorum erat, virum praeterea spectatum militia, fortissimorum exercituum ducem, & victoriis multis insignem, passurum fuisse sibi praeferri hominem novum. Et sane nescio an ista sic ex omni parte successerint. Nam in edicto anni CCCXI. ubi tres Imperatores nominantur, Galerij quidem nomen, ut senioris Principis, primo loco ponitur, tum Constantini, deinde postremo Licinij. Quod indicat dignitatem illius passam esse aliquam contradictionem apud Constantinum, eamque non aliter sopitam quam rejiciendo Licinium in tertium locum.

AVGVSTVM SE NVNCVPATVM) Singularis est huicque Lactantij scriptioni plane conveniens locus Rufini ex libro IX. cap. V. ubi loquens de eodem Maxi-

mino ait: *Et quamvis ei agere cuncta ex sententia liceret, quippe qui jam sibi etiam Augusti inconcessam praesumpserat dignitatem, videri tamen volo quod aliquibus jussis haec rationibus agat.* Confirmat Eusebius lib. VIII. cap. XIII. ubi quum dixisset Licinium Imperatorem & Augustum declaratum esse, addit: *Quod quidem Maximinus aegre admodum tulit, qui hactenus Caesar duntaxat ab omnibus appellabatur. Hic ergo prae caeteris tyrannico ingenio praeditus, Augustus à semetipso renuntiatus est.*

Cap. 33. DEC. ET OCT. ANNVS) Is est annus Christi CCCX. ut ostendit tempus mortis Galerij. Nam cum ille inceperit aegrotare anno XVIII. imperij sui, aegrotaverit autem per annum perpetem, & obierit anno CCCXI. mense Maio, planum est annum octavum & decimum imperij ejus congruere cum anno Christi CCCX.

INSANABILIS PLAGA) Lactantius lib. VII. institut. cap. XV. *Percussit Ægyptum Deus insanabili plaga.*

IN INF. PA. GENITALIVM) Vide Eusebium lib. VIII. hist. eccles. cap. XVI. & lib. I. de vita Constantini cap. LVII. Ruffinum lib. VIII. cap. XVIII. fragmentum de Constantio Chloro pag. 472. & Orosium lib. VII. cap. XXVIII.

VERMES INTVS CREANTVR) Vide Eusebium lib. VIII. cap. XVI. & Orosium lib. VII. cap. XXVIII. Similem omnino historiam de Iuliano, qui avunculus Apostatae fuit, narrant D. Ioannes Chrysostomus oratione in sanctum Babylam, Sozomenus lib. V. cap. VIII. & Theodoretus lib. III. cap. XIII.

DEVM COACTVS EST CONFITERI) Memorabile est quod hoc loco narrat Ruffinus lib. VIII. cap. XVIII. Referam autem ejus verba. *Denique plerosque medicorum,* inquit, *quod nec morbo aliquid mederi nec vim faetoris tolerare possent, interfici jubet. In quibus cum quidam jugulandus potius quam medicaturus assisteret, inspiratus a Deo, Cur, inquit, imperator erras, & quod Deus infert, ab hominibus putas posse revocari? Nec humanus est iste morbus, nec a medicis curatur. Sed recordare quanta in servos Dei egeris, quamque in religionem divinam impius & prophanus extiteris, & intelliges unde tibi sint poscenda remedia. Nam & ego quidem mori cum ceteris potero, tu tamen à medicis non curaberis. Tunc primum se Maximianus hominem esse intellexit &c.* Eandem historiam compendio perstringit Orosius lib. VII. cap. XXVIII. & ex eo auctor historiae miscellae lib. XI. At Eutychius in annalibus tradit Maximianum sponte sensisse ac dixisse se ea pati quia Christianos interfecerit, & literas in omnes provincias suas dedisse ut Christiani qui in carceribus erant dimitterentur. Sed idem tamen in hoc graviter errat quod eum ex hoc morbo convaluisse scribit precibus Christianorum, ac postea ad majorem impietatis gradum quam antea prolapsum, Christianos ubique jussisse occidi & penitus extirpari. Qui error ei evenit ex confusione nominum Maximiani & Maximini, dum uni tribuit quod à duobus factum esse constat. Fallitur etiam Sethus Calvisius, qui tum putat persecutionem decennalem quievisse post edictum illud mortemque Galerij, quum octavus tantum persecutionis annus esset, ut supra diximus.

EDICTVM MISIT) Extat apud Eusebium lib. VIII. cap. XVII. ex Latina lingua translatum ab eo in Graecum sermonem, & dein ex Graeco versum in Latinum à Ruffino, ut ipse docet: *Haec de Latino in Graecum versa nos rursum transfudimus in Latinum.* Quod igitur hodie legimus prima Latina, beneficium est Lactantij.

Cap. 34. AD BONAM MENTEM RED.) Lactantius lib. V. cap. XIX. ad hoc fortasse edictum respiciens: *Sed haec ipsa ignoratio efficit ut in persequendis sapientibus tam mali sint, putantque se illis consulere, eos ad bonam mentem volle revocare.* Acta sanctorum Saturnini, Dativi, & Felicis cap. VII. *Debueras alios ad bonam mentem vocare, & non contra praecepta Imperatorum & Caesarum facere.*

VT NON VET. INST. SEQ.) Taxat Christianos quod a prisca illa parentum suorum simplicitate defecissent. Eusebius sane lib. VIII. cap. I. calamitosum Ecclesiae illius aevi statum describens, invidias, obtrectationes, quasi bella intestina inter Christianos, antistitum adversus antistites certamina, & cetera, quae iram Dei adversus ipsos excitarunt, hinc ortam esse ait persecutionem Diocletiani & Maximiani adversus Ecclesiam. Vide etiam Ruffinum lib. eod. cap. I. & Lactantium initio libri de opificio Dei.

SIGNIFICATVRI SVMVS) Male Ruffinus, *indicavimus*, rem quasi jam peractam narrans, cum ad futurum referatur. Neque illud tribuendum est errori typographorum, cum hanc lectionem exhibeant tres vetusti codices manuscripti bibliothecae Colbertinae. Christophorsonus & Valesius recte verterunt *significabimus*.

ET ITA) Haec verba omisit Ruffinus, quae recte alij reposuerunt.

IN SENIBVS) Ruffinus vertit *in laribus*, quemadmodum legitur in uno codice Colbertino. Sed alij & editiones habent *in laboribus*. Christophorsonus vertit *in suis familiis*, Valesius *in suis domiciliis*.

PROPOSITVM NICOMEDIAE) absente nimirum Galerio Augusto, qui apud Sardicam aegrotabat. Itaque verum esse potest quod ait vir eruditissimus Henricus Valesius in annotationibus ad Eusebium pag. 171. hoc edictum emissum fuisse post initium anni CCCXI. ante mensem Martium. Nam anni Galerij Imp. consurgebant ex Kalendis Martiis. Cap. 35.

IPSO OCTIES ET MAXIMINO IT. CONS.) In Fastis Maximianus dicitur Consul VIII. solus. Quod etiam tradunt auctor ignotus de Consulibus & auctor quoque de Pontificibus Romanis à Cuspiniano citati. At hic additur Maximinus iterum. Quod valde mirum est, praesertim cum de primo illius consulatu nulla usquam mentio habeatur. Verum dubitare non licet quin is iterum Consul fuerit, cum luculentissimum de eo extet Lactantij testimonium.

APERTIS CARCERIBVS) Ruffinus lib. IX. cap. I. *Iudices vero per singulas civitates edicta mittentes, legemque praeferentes, relaxari cunctos qui tenebantur in carcere, quique in metallis aut quibuslibet vinculis asservabantur, omnes abscedere liberos jubent.*

CONIVGE SVA) Valeria Diocletiani filia. Haec tamen non mansit in aula Licinij, ob ferociam ejus, sed ad Maximinum confugit, ubi pessime habita est, ut videbimus infra cap. XXXIX.

FILIO) Candidiano, de quo dictum est supra cap. XX.

HORRENDA TABE CONSVMPTVS) Ruffinus lib. VIII. cap. XV. ait Galerium tam multis variisque morbis & corporis tabe atque insania mentis affectum esse ut *post longos atque intolerabiles langores saevorum famulorum furiis agitatus, sponte vitam nefariam proderet*, id est, ut Orosius explicat in capite XXVIII. libri septimi, *vim vitae suae attulit*. Sed haec vera non sunt. Mortuus autem est anno Christi CCCXI. quo inierat nonum & decimum imperij sui annum. Ita enim colligitur in primis ex Lactantio teste luculentissimo. Nam cum ex capite XXXIII. constet Galerium aegrotare coepisse anno decimo & octavo imperij sui, & morbum ejus duravisse per annum perpetem, ac postea illum deficientem anno sequenti edictum misisse ut Christianis liceret Deum publice colere, mortuumque esse *cum jam futura essent vicennalia Kalendis Martiis impendentibus*, clarum est eum non pervenisse ad annum vigesimum imperij sui, sed mortuum esse anno decimo nono. Consentit Lactantio Aurelius Victor in libro de Caesaribus, ubi ait Galerium potentiam Caesaris gessisse annos tredecim, quinquennio imperium tenuisse. *Huic quinquennij imperium,* inquit, *Constantio annum fuit, cum sane uterque potentiam Caesarum annos tredecim gessissent.* Quod confirmatur auctoritate Eutropij in initio libri noni & ex Chronico Alexandrino pag. 651. ubi scriptum est Constantium, qui Caesar cum Galerio factus est, & eodem die Augustus nuncupatus est quo Galerius, obiisse Eboraci in Britannia anno decimo tertio principatus sui, exacto videlicet, quum ab aliquot mensibus iniisset decimum quartum. Atqui supra cap. XIX. probavimus Diocletianum & Maximianum deposuisse imperium anno Christi CCCV. Kalendis Maij. Itaque qui tum Caesar erat ab annis tredecim, adoptatus fuerat anno Christi CCXCIII. Kalendis Martiis. Quod si addas quinquennium seu potius sexennium imperij, facile reperies consurgere numerum annorum novemdecim quibus eum imperasse colligitur ex Lactantio. Nam & auctor quoque fragmenti de Constantio Chloro pag. 472. eundem Galerium tradit imperasse annos noven-

decim. Quod cum videret vir clarissimus Henricus Valesius, persuasumque haberet illum regnasse per annos viginti & unum, sic locum fragmenti interpretatus est ut diceret annos quidem xix. integros ac plenos imperasse Galerium, sed praeterea duos semiplenos seu cavos. In constitutione sane quam Lactantius supra descripsit, quae data est paulo ante mortem ejus, ipse se vocat Imperatorem xix. apud Eusebium & Ruffinum. Scio eundem virum eruditissimum quem paulo ante nominavi ista ita interpretari ut hoc loco vox *Imperator* non significet dignitatem augustam. aliud enim illam in titulis Imperatorum significare quum primo loco ponitur, aliud quum subjungitur ceteris titulis. Nam vox *Imperator* quae secundo loco ponitur, designat victoriam Imperatorum, & quoties post partam victoriam Imperatores ab exercitu appellati sint ostendit; ut docet Dio. Neque ego sane disputare heic velim adversus hanc interpretationem viri clarissimi. Illud tantum volui monere, Galerium Imperatorem xix. nominari in titulo illius edicti. Obiit autem Galerius, ut colligi potest ex Lactantio, mense Maio apud Sardicam. At Onuphrius Panvinius in commentario ad librum secundum Fastorum tradit eum obiisse circa mensem Septembrem. Melius Sigonius in libro secundo de occidentali imperio, ubi scribit Galerium vita excessisse non multo post xi. Kalendas Maias. In hoc tamen errat quod tum Licinium imperij consortem & Augustum nuncupatum apud Carnuntum putat a Galerio, *eum se imperio gerendo ineptum conspiceret*. Quippe neque ea causa fuit assumendi Licinij in consortium imperij, sed quo pluribus munimentis insisteret, & ut eo uteretur in bello adversus Maxentium. Deinde illud factum non est extremis Galerij temporibus, sed quadriennio ante, ut supra ostensum est. Committendi vero hujus erroris haec occasio fuit, quod plerique veteres Galerij mortem consecutam scribunt post conlatam Licinio dignitatem imperialem. Eutropius lib. x. *Per hoc tempus a Galerio Licinius Imperator est factus, Dacia oriundus, notus ei antiqua consuetudine, & in bello quod adversus Narseum gesserat strenuis laboribus & officiis acceptus. Mors Galerij confestim secuta.* Zosimus lib. II. *Maximianus Galerius ex societate superiorum temporum familiarem sibi Licinium Imperatorem creat, quod hujus opera bello Maxentium persequi cogitaret. Posteaquam Galerius haec agitans confecta ex incurabili vulnere vitam cum morte commutasset, imperium Licinius quoque sibi vindicabat.* Orosius quoque lib. VII. cap. XXVIII. & auctor fragmenti de Constantio Chloro pag. 472. sic describunt hanc historiam ut statim post levatum Licinium subsequatur mors Galerij. Et Aurelius Victor, qui Licinium Imperatorem factum ait antequam Galerius iret in Italiam, scribit eum paulo post quam Italia decesserat, vulnere pestilenti consumptum esse. Et in Epitome Victoris: *Hic Licinio annum dominationis fere post quartum decimum occiditur*, numerando videlicet ab excessu Galerij. Et Socrates lib. I. cap. II. ait Maximianum abiisse è vita quum Licinium prius Imperatorem creavisset. His igitur ducibus erravit Sigonius, quem secutus est Morinus.

MENSIS EIVSDEM) id est, Maij.

KAL. MARTIIS) Eo enim die Galerius Maximianus factus fuerat Caesar cum Constantio, adeoque Kalendis semper Martiis inchoabantur anni ejus imperij, & vicennalia celebrari debebant Kalendis Martiis impendentis anni, qui futurus erat vigesimus imperij ejus. Fasti Idatiani Tiberiano & Dione Consulibus: *Eo anno levati sunt Constantius & Maximianus Caesares die Kal. Mart.* Eumenij panegyricus Constantio dictus: *O Kalendae Martiae, sicut olim annorum volventium, ita nunc aeternorum auspices Imperatorum!* Sed heic rursum occurrit difficultas de annis Imperij. Nam si verum est Galerium factum fuisse Caesarem sub consulatu Tiberij & Dionis, & illorum consulatum congruere cum anno Christi CCXCI. ut vulgo putant, constabit eum mortuum fuisse anno XXI. imperij ineunte. Cum autem contradici non possit argumentis ex Lactantio petitis, quaerenda aliqua via est qua nos expediamus ex his difficultatibus. Et sane optimos illos Fastos Idatianos certum est non carere naevis & erroribus, ut facile probari posset.

Cap. 36. LICINIO MORANTE) qui tum erat in Dacia mediterranea apud Sardicam aut non multo procul. Nam illic mortuus erat Galerius.

FRETVM CHALCEDONIVM) Hunc itaque limitem orientalis imperij constituere volebat Maximinus ut intra illum esset etiam Bithynia usque ad Chalcedonem, provinciae vero ultra fretum Chalcedonium pertinerent ad imperium occidentale, ita ut sedes imperij, quae tum erat apud Nicomediam, ad se, qui prior factus fuerat Caesar, pertineret, non autem ad Licinium.

BITHYNIAM) In veteri codice legitur *Bhianiam*. Certam esse emendationem probat primo iter Maximini, qui ex oriente ad Chalcedonem properabat; deinde ipse Maximinus, qui in epistola sequenti anno scripta ad Sabinum, quam recitat Eusebius, docet se anno praeterito Nicomediae fuisse. *Cum anno praeterito*, inquit, *Nicomediam feliciter essem ingressus, cives ejus urbis me illic degentem adierunt.* Quare recte observatum est ab Henrico Valesio in annotationibus ad Eusebium pag. 185. & seq. Maximinum, mortuo Galerio, Asiam ac Bithyniam occupasse, quas Galerius una cum Illyrico & Thracia sibi retinuerat.

DIVERSAS RIPAS) nimirum Maximinus, ut palam est, ripam Bithyniae, Licinius adversam, in qua Byzantium.

IN IPSO FRETO FOEDVS) hauddubie in faucibus Bosphori Thracij, inter Byzantium & Chalcedonem. Et Bithyniam quidem cessisse in jus & ditionem Maximini colligitur ex martyrio sancti Luciani Antiocheni, quod enarrat Eusebius lib. IX. cap. VI.

INDVLGENTIAM) id est, pacem, cessationem a persecutione. Supra cap. XXXIV. in edicto: *indulgentiam nostram credidimus porrigendam.* quam vocem in suis versionibus recte Ruffinus & Valesius retinuerunt, Christophorsonus male omisit. Acta sanctorum Saturnini, Dativi, & Felicis cap. XIII. *Qui vult ex vobis ad indulgentiam pervenire, ut salvus esse possit, profiteatur.* Optatus Milevitanus in libro primo: *Tempestas persecutionis peracta & defuncta est. Iubente Deo, indulgentiam mittente Maxentio, Christianis libertas est restituta.* D. Augustinus frequenter hanc vocem usurpat adversus Donatistas quum loquitur de rescriptis Principum quibus libertatem sui dogmatis dederant iisdem Donatistis.

COMMVNI TVTELO) Certum est heic agi de edicto quod extremis Galerij temporibus editum est in favorem Christianorum. *Communis* autem *tutelo* dixit pro commun consensu. Hanc vocem non reperi alibi. Fortassis est corrupta.

SVBORNATIS LEGATIONIBVS) Haec pluribus explicat Eusebius lib. IX. cap. II. initium factum dicens ab Antiochensibus. *Sed & alios*, inquit Ruffinus, *per singulas civitates similiter deterrimos cives ad simile facinus impellit, & ex omnibus provinciis hujuscemodi legationem dirigi componit.* Quae verba ideo retuli quod apertiora sint quam Graeca Eusebij.

SACERDOTES MAXIMOS) Haec confirmantur ab Eusebio lib. VIII. cap. XIV. & lib. IX. cap. IV. Vide Valesij annotationes ad eundem Eusebium pag. 169.

CANDIDIS CHLAMYDIBVS ORNATOS) Eusebius in locis mox commemoratis adnotat quidem addita ornamenta sacerdotibus per provincias constitutis a Maximino, quae coërcet ad militare satellitium, id est, ad lictores & apparitores. qua de re vide annotationes Valesij. At Lactantius addit illum jussisse ut Pontifices illi, qui super provincias erant, incederent ornati candidis chlamydibus. Chlamydem autem heic accipio pro paludamento, ut apud Nonium, seu illa albae tunicae specie, auro interdum limbatae, qua utebantur soli ministri Imperatorum. de quibus plura Salmasius in Notis ad Lampridium pag. 241. Itaque Maximinus vestes ministrorum palatinorum communicavit cum summis Pontificibus quos per provincias ordinavit. Et hinc fortassis explicabitur locus ille Trebellij Pollionis in D. Claudio, *chlamydes veri luminis limbatas duas*, ubi Salmasius verum lumen interpretatur de colore purpureo.

DEBILITABAT AVARIT) Vide Eusebium lib. VIII. cap. XII. & in libro primo de vita Constantini cap. LVIII. ubi in interpretatione Valesij irrepsit nomen Licinij pro nomine Maximini.

EFFODIEBANTVR OCVLI) Non adnotassem ista, quae ab Eusebio quoque commemorantur, nisi admonere voluissem hanc crudelitatem à Suida referri ad Diocletianum & Maximianum, eumque hoc loco, ut saepe solet in rebus historicis, lapsum esse.

CONSTANTINI LITTERIS) Constantinus post pa- Cap. 37.

partam de Maxentio victoriam, quum apud Mediolanum convenisset cum Licinio, constitutionem emisetat admodum favorabilem Christianis, eamque miserat in orientem ad Maximinum, ut is eam in provinciis suis proponi curaret. Auctor est Eusebius lib. IX. cap. IX. illum primum quidem ad haec graviter ingemuisse, postea tamen, cum nec videri vellet Constantino ac Licinio cessisse, nec rursum id quod jussum erat supprimere auderet metu eorum qui jusserant, epistolam ad Sabinum Praefectum scripsisse veluti sponte motu & ex propria auctoritate, in qua eadem ferme de Christianis sancivit quae in illa Constantini ac Licinij constitutione continentur. Addiderat autem Constantinus litteras ad Maximinum, quarum mentionem facit Eusebius in postrema parte ejusdem capitis.

A SACERDOTIB. IMMOLAN.) Quod heic ait Lactantius de Maximino cibis immolatitiis quotidie vescente, id ab eo publico edicto constitutum ait Eusebius in libro de martyribus Palaestinae cap. IX. ita ut cuncti tam viri quam mulieres una cum servulis & infantibus sacrificare & libare diis immortalibus cogerentur & immolatis hostiarum carnibus vesci, & ut cuncta in foro venalia sacrificiorum libationibus inquinarentur. Istud ipsum docent etiam acta passionis sancti Luciani martyris Antiocheni, quem idem Maximinus morte affecit. *Quin etiam ad tantam processit saevitiam ut ne infantibus quidem parceret, sed ipsos quoque interimeret, quoniam nec poterat quidem eis persuadere ut gustarent ea quae sacrificabantur daemonibus.* Secutum in hoc fuisse Maximinum vestigia magistri sui Galerij docent acta sanctorum martyrum Agapes, Chioniae, & Irenes quae Thessalonicae martyrium consummaverunt anno secundo persecutionis, Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Consulibus. In illis enim actis legitur Cassandrum beneficiarium ita scripsisse ad Dulcetium Praesidem: *Scito, mi Domine, Agathonem, Agapen, Chioniam, Irenem, Cassiam, Philippam, & Eutychiam nolle his vesci quae diis sunt immolata.* Eadem habentur in actis sanctorum Sergij & Bacchi, qui sub eodem Maximino passi sunt, item in actis sancti martyris Vari & sociorum ejus, & in actis Theodori Amaseni cognomento tyronis. Immo diu ante hanc superstitionem usurpatam esse reperio in actis sanctorum Terentij, Aphricani, & sociorum; ubi scriptum est Decium Imperatorem in universas Romani imperij provincias edictum misisse ut omnes Christiani ad immolandum & comedendum ea quae idolis essent immolata pertraherentur. Quare quod ait Lactantius, Maximinum hoc primum invenisse ut animalia omnia quibus vescebatur, non a coquis, sed a sacerdotibus, ad aras immolarentur, intelligendum non est de edicto seu generali lege, cum multis ante annis id constitutum fuisset a Decio & Galerio Maximiano, sed de privato palatinorum ciborum usu. Porro hunc usum in regiones quoque extra limitem Romanum positas penetrasse docent acta sancti Sabae Gothi, qui martyrium consummavit in Cappadocia pridie Idus Aprilis Modesto & Arintheo Coss. id est anno Christi CCCLXXII. Ceterum ab istiusmodi cibis immolatitiis, quos idolothyta vocabant, semper abhorruisse Ecclesiam notius est quam ut necesse sit veterum testimoniis comprobari.

PRAVAVM MANO) Lactantius lib. VI. institut. cap. I. *Homines autem neglecta justitia, cum sint omnibus flagitiis ac sceleribus inquinati, religiosos se putant si templa ac aras hostiarum sanguine cruentaverint, si focos odorati ac veteris vini profusione madefecerint. Quin etiam satras dapes apparant, & exquisitas epulas quasi aliquid inde libaturis offerunt.* Et cap. seq. *Mactant igitur optimas ac pingues hostias Deo quasi esurienti, profundunt vina tamquam sitienti.*

HINC FAMES) Crudelitatem istius famis describit Eusebius lib. IX. cap. VIII. Videndus etiam Ruffinus, qui nonnulla habet quae apud Eusebium non leguntur. Meminit & hujus famis Eutychius Alexandrinus in suis annalibus.

DONO SVIS DABAT) Ruffinus lib. VIII. cap. XVII. *Unde & montes auri, ut ita dixerim, congregatos familiaribus suis ac satellitibus largiebatur.*

MONS CLEM. LATRONVM) Salvianus in fine libri octavi de gubernatione Dei pag. 191. *Latrones quidem hoc proverbio uti solent, ut quibus non auferunt vitam, dedisse se dicant.*

VINCIT OFFICIVM) Eadem omnino verba habentur in libro sexto divinarum institutionum cap. XXIII. Cap. 38.

NOBILIBVS FEMINIS) Ruffinus lib. VIII. cap. XVII. *Cui etiam inter cetera hoc etiam singulare studium erat ne ullam non dico urbem, sed vel breve oppidum, absque adulterio nobilium matronarum quae per loca fuissent repertae, vel corruptione virginum, praeteriret.*

PRAEGVSTATOR) metaphora ducta a cibo & potu qua etiam usus est Cicero in oratione pro domo sua: *Scilicet tu helluoni spurcissimo, praegustatori libidinum tuarum, homini egentissimo & facinorosissimo Sex. Roscio &c.* Praegustator itaque est qui cibos potusque gustu explorat, apud viros principes praecipue, ne forte venenum cum cibo potuque hauriant. Ea de causa Antonius, timens sceleratam Cleopatrae solertiam, nonnisi praegustatos cibos sumebat, ut docet Plinius lib. XXI. cap. III. historiae naturalis. Suetonius in Claudio cap. XLIV. *Et veneno quidem occisum convenit, ubi autem & per quem dato discrepat. Quidam tradunt epulanti in arce cum sacerdotibus per Halotum spadonem praegustatorem.* Tacitus lib. XIII. annalium: *Illic epulante Britannico quia cibos potusque ejus delectus ex ministris gustu explorabat.* Gregorius Papa XI. in epistola scripta ad Karolum V. Regem Francorum & Iohannam ejus uxorem edita in tomo quarto Spicilegij Dacheriani pag. 300. *Et insuper ut hi qui hujusmodi uva, lac, butyrum, & caseum, seu fercula ex eis parabunt, & etiam illi qui de eis vobis servient, dumtaxat pro proba facienda, gustare de ipsis valeant, non obstantibus per praesentes.* Quid heic Gregorius dicit *pro proba facienda*, nos dicimus hodie *pour faire l'essay*. Evodius Vzalensis in libro secundo de miraculis sancti Stephani cap. III. *jubet illi praegustatori vini sui.*

CVBILIA IMPVNE VIOLABANT) Ruffinus lib. VIII. cap. XVII. *Deliciis, luxu, atque omni dissolutionum genere fluitans turpissima suis militibus praebebat exempla. Denique quicquid lascive, quicquid petulanter, quicquid luxuriose gestum a rectoribus vel militum vel provinciarum fuisset, totum cedebat ob Imperatoris exemplum.*

A GOTHIS PVLSI) Quum Diocletianus Italiam petiisset vicennalia celebraturus, Gothi sive populi ripam Istri fluminis incolentes, ea occasione usi, aliquam partem vicinae provinciae invaserunt, & indigenas capulerunt. Hi vero pulsi sedibus suis, ad Galerium Maximianum Caesarem confugerunt, & postea se Maximino, quem Galerius adoptaverat, adjunxerunt, & in numerum satellitum ac protectorum ejus adlecti sunt.

NAM AB AVGVSTA QVIDEM) Valeria Galerij vidua, quae post mortem mariti in aulam Maximini concesserat, spreto Licinio, cui eam Galerius commendaverat. Cap. 39.

PATRIS SIVE) Galerij, qui Maximinum adoptaverat & Caesarem fecerat.

IPSAM CVM MATRE) Diocletiani uxore, de qua pluribus actum est ad caput XV. Eam Octavius Strada mortuam esse ait aliquot annis ante maritum. Sed errare Stradam probat auctoritas Lactantij, qui dicet infra eam anno CCCXIII. capite plexam fuisse, cum Diocletianus vita jam excessisset anno superiore.

ENATIMBO) Locus corruptus Praesidis nomen est. Cap. 40.

QVIDAM IVDAEVS) Non hoc primum a Maximino inventum. Praeiverat enim illi vir boni exempli D. Nero, quum Octaviam uxorem repudiare vellet in gratiam Poppaeae. Qua de re videndus Tacitus in libro XIV. annalium.

INSTRVCTISSIMA) Puto legendum: *instructis milites & sagittarij praecedunt.*

AVGVSTA VERO) Valeria. Ubi notandum est nihil nunc de matre ejus dici, neque repetitam a Diocletiano quum Valeria repeteretur. Et tamen illa vivebat adhuc, ut patet ex capite LI. Cap. 41.

SANIS MAXIMIANI STATVAE) Ruffinus lib. VIII. cap. XVI. ait Maximianum Herculium turpiter deprehensum in insidiis quas Constantino struebat, turpius periisse, *ita ut post interitum statuae ejus atque imagines auferrentur, & in aedibus publicis vocabula ejus nominis mutarentur.* Apud Eusebium lib. VIII. cap. XIII. haec historia sic describitur tamquam si Herculius primus fuisset cujus statuae & imagines disjectae fuissent. Quod quum falsum esse videret Christophorsonus, ita Eusebium vertit ut velit illum dixisse eam contumeliam irrogatam vi- Cap. 42.

ven-

venti. Quod non esse verum patet ex sequentibus Lactantij verbis, ubi ait nulli Imperatorum ante Diocletianum contigisse ut imagines viventis dejicerentur. Itaque Henricus Valesius alio se convertit, non quidem Herculium fuisse primum omnium Imperatorum qui a primordio imperij fuerunt cui injustum sit hoc dedecus, sed primum eorum qui aetate illa rempublicam administraverant. Sic Trebellius Pollio in triginta tyrannis cap. XXVIII. ait imaginem Celsi *novo injuriae genere* sublatam esse in crucem; cum tamen, ut heic adnotat Casaubonus, soliti fuerint Graeci Latinique damnatorum imagines dejicere, lutare, frangere, scalis Gemoniis inferre, omni denique contumeliae genere afficere. quod probat etiam auctoritate Plutarchi.

CVM VIDERET VIVVS) Diocletianus, cujus viventis imagines deponebantur quia conjunctae erant cum imaginibus Herculij.

SVSPIRIA) Cuspinianus in Diocletiano: *Quidam dicunt stupore mentis & longa aegritudine confectum, animam inter suspiria efflasse*. quod puto illum accepisse ex Cedreno.

FAME ATQVE ANGORE CONFECTVS) Alij Diocletianum alio mortis genere extinctum tradunt, quidam morbo aquae intercutis, alij veneno, Suidas suspendio. Vide etiam quae infra dicuntur ad caput quinquagesimum. Obiit autem haud procul Salonis in Dalmatia, in villa sua Aspalato, ubi & sepultus est. Vide Henrici Valesij Notas ad Ammianum Marcellinum pag. III. Variae porro sunt doctorum virorum opiniones de anno quo Diocletianus interiit, aliis censentibus id evenisse anno CCCXIII. aliis triennio serius. Istos in hanc sententiam impulit auctoritas Fastorum Idatianorum, in quibus scriptum est Diocletianum diem functum esse in Salona III. Nonas Decemb. Sabino & Rufino Consulibus. Sed horum Fastorum auctorem falso ea scripsisse jam constat, cum Lactantius doceat Diocletianum esse mortuum ante nuptias Licinij & Constantiae, & ante Maximinum Dazam. Cum ergo mortuus sit post Galerium & Maximinum, exeunte anno, manifestum est decessisse anno CCCXII. exeunte. Nam Maximinus periit anno sequenti, ut ostendam. Itaque verum non est quod legitur in Epitome Victoris, Diocletianum annos prope novem egisse in communi vita. A Kalendis enim Maii anni CCCV. usque ad III. Nonas Decembris anni CCCXII. sunt tantum anni septem & menses septem cum aliquot diebus. Sed adversus haec dici potest, id quod quibusdam placuisse video, Diocletianum non potuisse dici mortuum anno CCCXII. cum in l. 2. Cod. Theodos. *De censu*, quae data est anno CCCXIII. Kalendis Iuniis, Constantinus eum vocet dominum & parentem, divum vocaturus si mortuus fuisset. Verum eam argumentationem falsam esse probat epistola Maximini Aug. ad Sabinum apud Eusebium lib. IX. cap. IX. ubi is Galerium Maximianum, quem ab anno superiore mortuum fuisse constat, vocat tamen dominum ac parentem suum; qui tamen in edicto quod ibidem apud Eusebium extat, eundem Maximianum & Diocletianum vocat divos parentes suos. Ceterum cum ex hoc Lactantij loco constet Diocletianum mortuum esse ante nuptias Licinij & Constantiae, consequens est falsum esse quod legitur in Epitome Victoris, nimirum eum morte consumptum esse, ut satis patuit, per formidinem voluntariam. *Quippe cum a Constantino atque Licinio vocatus ad festa nuptiarum, per senectam, e quo minus interesse valeret, excusavisset, rescriptis minacibus acceptis, quibus increpabatur Maxentio favisse ac Maximino favere, suspectans necem dedecorosam, venenum dicitur hausisse.* Parum autem probabile est eum qui noluerat iterum accedere ad regimen reipublicae, & qui vitam privatam imperio anteposuit memorabili & sapientissimo illo apophthegmate quod supra pag. 57. col. I. ex eadem Epitome retulimus, suspectum fuisse habitum quod Maxentio & Maximino faveret, praecipuè vero Maximino a quo sciret gravissimas contumelias irrogatas filiae Valeriae conjugique Priscae, & a quo contemptum illum fuisse, dum Valeriam repeteret, recentius erat quam ut oblivisci tam cito potuerit.

Cap. 43. VNVS SVPERERAT) nimirum Maximinus cognomento Daza. Adversarios Dei Lactantius appellat Diocletianum, Herculium, Galerium, & Maximinum. In eodem numero non ponit Maxentium; quia licet crudelis ac saevus fuerit, visus tamen est favere Christianis. Inter eos item non numerat Licinium; quia tum quum haec scribebat Lactantius, ille videbatur esse amicus Christianorum. Postea se prodidit.

NVPER AMICITIAM) id est, eo tempore quo pax inter Licinium & Maximinum constituta est in Bosphoro Thracio, paulo post mortem Galerij.

CONSTANTINI SOROREM) Constantiam, quae postea sic Arrio favit ut etiam fratrem suum ad eum defendendum impelleret.

MISIT OCCVLTE) Eusebius lib. VIII. cap. XIV. istud ipsum commemorat, nimirum Maximinum iniisse clam foedus cum Maxentio.

BELLVM CONSTANTINO INDIXERAT) Ex hoc loco & ex libro secundo Zosimi apparet consilia agitandi belli a Constantino profecta non esse, sed a Maxentio, atque adeo Constantinum velut invitum ad arma prosiluisse, tum etiam invitatum postea a Romanis tyrannidem Maxentij aegre ferentibus. Et tamen vir clarissimus Hadrianus Valesius in libro primo rerum Francicarum pag. 23. bellum illud imputat arrogantiae Constantini, qui statuas suas Romae jussu Maxentij eversas adeo iniquo tulerit animo ut eam injuriam armis vindicandam putarit; ejusque memoriam acriter ac contumeliosè sugillat quod cum Maximiani soceri sui statuas subverti jussisset in Galliis, parem sibi a Maxentio ejus filio factam injuriam ferre non potuerit. Veri amor & magni Principis memoria postulant ut heic observemus immensum esse discrimen inter haec duo facinora. Constantinus everterat statuas inimici sui, sed mortui, & qui propterea contumeliam sibi irrogatam ulcisci non potuit. At Maxentius dejecerat venerandas; ut ait Nazarius, imagines Principis viventis ac fortissimorum exercituum ductoris, qui propterea & potuit & debuit eum castigare a quo cum tanta ignominia laesus esset. Sane Diocletianus, ut infra scribit Lactantius, adeo commotus est quum videret statuas suas everti quae cum statuis Herculij conjunctae erant, tametsi ista adversus eum non fierent consilio, sed necessitate, ut hinc acceperit magnum atque incredibilem dolorem, ac propterea moriendum sibi esse decreverit. At Constantinus injuriam illam, qua erat magnitudine animi, remittere Maxentio paratus erat, si is ad aequas pacis conditiones descendere voluisset. Sed ille Constantinum aspernatus est; appetitum ejus (verba sunt Nazarij) refugit, adversatus est, horruit; & cum voluntas pacificandi alienata esset, eo dementiae processit, inquit idem Nazarius, *ut ultro etiam lacesseret quem ambire deberet*. Vnde constat arrogantiae immerito argui Constantinum in hoc loco: qui si injuriam suam ultus non fuisset adversus hostem ferocem ac bonitati ejus illudentem, profecto majorem ignominiam ex ea injuriae oblivione reportasset quam ut verbis ullis explicari possit.

NECEM PATRIS SVI) Maximiani Herculij, quem Constantinus strangulari jusserat apud Massiliam. Zosimus lib. II. *Maxentius occasiones gerendi adversus Constantinum belli quaerebat*, *seque dolere propter obitum patris sui simulans, cui mortis causam Constantinus praebuisset*.

INTESTABILEM) Hoc in loco desunt aliquot litterae in veteri exemplari, ubi haec tantum leguntur, *stabilem*. Ea quis nos collegimus reponendum esse *intestabilem*. Intestabilis autem idem valet ac detestabilis & invisus.

FINXISSET DISCORDIAM) Eutropius lib. II. *Inde ad Gallias profectus est, dolo composito, tamquam a filio esset expulsus*.

INTER EOS) Maxentium & Constantinum.

RHAPSODIAM ACCEPERAT) Incerti panegyricus Constantino dictus post devictum Maxentium: *Stultum & nequam animal nusquam extra parietes egredi audebat. Ita enim aut prodigiis aut metus sui praesagiis movebatur.* Cap. 44.

SEXTO KAL. NOV.) Hic ergo dies primus Maxentium vidit Imperatorem; contra quam alij scribunt, qui ad diem VII. Kal. Octobris eum imperium invasisse scribunt, pridie extinctum. quorum neutrum verum est. Caesus enim est die natali suo, ut docent Lactantius & auctor panegyrici paulo ante laudati. Sed iste tamen in hoc fallitur quod ait Maxentium diem natalis sui caede sua signasse, ne septenarium illum numerum sacrum & religiosum vel inchoando violaret. Nam si caesus est ipso die natalis sui, manifestum est caesum eo die quo

im-

imperium inierat. Hanc quippe diem antiqui vocabant natalem Imperatorum. Occisus est igitur Maxentius anno Christi CCCXII. VI. Kal. Novembris, sexto imperij sui anno exacto, in ipsis initiis septimi. Atque ita intelligendi sunt Aurelius Victor & auctor Chronici Alexandrini, quum aiunt eum periisse anno tyrannidis suae sexto. At Eutropius ait Constantinum quinto imperij sui anno bellum commovisse adversus Maxentium? Commovit sane, sed non perfecit. Itaque verba illa veteris Kalendarij a Bucherio editi, V. *Kal. Novembr. Evictio tyranni*, IV. *Kal. Ingressus Divi*, capienda quidem sunt de Maxentio & Constantino, ut recte censuerunt eruditissimi viri Petrus Franciscus Chiffletius & Henricus Noris, sic tamen ut dies V. Kal. non referatur ad diem quo Maxentius periit, ut illi arbitrati sunt, sed ad posterum, quo corpus ejus inventum est, ut docet auctor fragmenti de Constantio Chloro, quo certa fuit victoria, IV. vero Kal. ad diem quo Constantinus victor urbem Romam ingressus est. Et haec quidem certa atque extra omnem omnino controversiam posita esse videntur. Et tamen vir clarissimus Petrus Lambecius in libro quarto commentariorum de bibliotheca Vindobonensi pag. 298. evictionem illam tyranni refert ad tempus illud quo Licinius a Constantino pulsus Byzantio & Chalcedone, Nicomediam se recepit, ibique etiam obsessus, rebus desperatis, ut Zosimus ait, quod sciret nullas sibi restare justas & satis amplas ad dimicandum copias, egressus urbe, supplex Constantino factus est, & ablata purpura, Imperatorem & Dominum clamavit, veniamque praeteritorum poposcit. Quae omnia contigere anno Christi CCCXXIV. Crispo III. & Constantino III. Consulibus, ut est in Fastis Idatianis. Verum haec Lambecij sententia vera esse non potest, cum constet verba illa veteris Kalendarij accipienda esse de Maxentio profligato. Praeterea nullibi adnotatum est deditionem Licinij incidisse in diem quintam Kalendarum Novembrium. Quod in primis necessarium esset demonstrare. Immo eam factam aliquanto ante colligi posse videtur ex eo quod Zosimus ait Licinium, fuso deditoque exercitu, cum equitibus reliquis & paucis peditum millibus Nicomediam se recepisse post captam Chalcedonem, id est, XIX. Kal. Octobris, ut legitur in Fastis. Quam exiguo autem temporis intervallo victor exercitus pervenire potuerit Nicomediam, nemo est rei geographicae vel leviter peritus qui satis intelligat. Quare profectionem Divi, quae in veteri Kalendario notatur ad diem V. Kalendas Octobris, valde suspicor accipi debere de Constantini digressu ab urbe Chalcedone ut Nicomediam proficisceretur. Itaque cum hinc via sit certa neque longa, non absurda conjectura erit si dicamus deditionem Licinij factam esse paucis post diebus, id est, sub initium mensis Octobris, cum ex Zosimo liqueat eum non tolerasse diu obsidionem Nicomediae, & ex fragmento de Constantio Chloro, quod Henricus Valesius edidit, colligi possit Constantiam uxorem Licinij in castra Constantini fratris venisse sequenti die post adventum ejus. Neque magnum momentum habet quod idem vir clarissimus adnotat heic, ut in Codice Theodosiano, Licinium κατ' ἐξοχὴν sive per excellentiam appellari tyrannum. Nam & Maxentium quoque tyrannum dictum legimus in panegyrico quem Nazarius dixit Constantino; ubi agens de his quae post devictum Maxentium acta Romae sunt a Constantino, addit: *Quarum rerum miraculo sic omnes devinciebantur ut non tam omnes dolerent quòd illum tyrannum tam diu tulerant quam quod tali principe tam sero fruerentur*. Et supra de eodem Maxentio: *illum ipsum tyrannum non mors virilis, sed fuga turpis prodidit*. Item: *Sequebatur hunc comitatum suum tyranni ipsius teterrimum caput*. Fragmentum de Constantio Chloro pag. 475. *Interea Constantinus apud Veronam victis ducibus tyranni, Romam petiit*. Vetus inscriptio posita Constantini memoriae post victoriam de Maxentio: *Quod instinctu divinitatis, mentis magnitudine, cum exercitu suo tam de tyranno quam de omni ejus factione uno tempore justis rempublicam ultus est armis*. Prudentius libro primo adversus Symmachum: *Mulvius exceptum Tyberina in stagna tyrannum praecipitans*. Immo in Codice quoque Theodosiano per tyrannum intelligitur Maxentius in l. un. *De ingenuis qui tempore tyranni servierunt*, & in l. 1. *De cohortalibus*.

QVINQVENNALIA TERMINARENTVR) Certum est Maxentium quinquennalia celebravisse. Manifesta est enim auctoritas Lactantij. Sed praeterea extat apud Occonem pag. 541. nummus Maxentij, in cujus aversa parte haec scripta sunt: VICTORIA DD. NN. AVG. ET CAES. VOT. V. MVLT. X. Quin ergo celebrata à Maxentio sint quinquennalia, & quidem post exactum annum quintum, ambigi non potest. Illud tantum quaero, quomodo fieri possit ut quae secundum morem acta sunt die prima anni sexti, terminata fuerint in fine ejusdem anni. Scio vota illa magno apparatu celebrata fuisse, festa haec per multos dies durasse, & non solum in urbe regia usurpata, sed etiam in provinciis. Verum illa non solvunt difficultatem. Nisi si dicamus hominem voluptuarium & desidiae amatorem, cujusmodi fuisse describitur Maxentius, voluisse novo more quinquennalia sua commendata facere, ac propterea per annum integrum ea continuasse. quod parum probabile videtur. Vel fortassis, sicut primus anni dies, quo quinquennalia celebrabantur, ludis ac sacrificiis transigebatur, sic eadem solennia repetebantur in ultimo die ejusdem anni, ut sic quinquennalia eo modo terminarentur quo cœperant, pari fere modo quo processiones Consulum septem erant per annum, ut patet ex Novella CV. Imperatoris Justiniani. Quid si natales Imperatorum festi erant quum per unumquemque mensem recurrebant? Nam in actis sancti Marcelli centurionis, qui passus est in civitate Tingitana sub imperio Diocletiani, reperio diem XII. Kalendarum Augusti fuisse festam in imperio Romano. *Iam die duodecimo Kalendarum Augustarum*, inquit, *apud signa legionis istius, quando diem festum Imperatoris vestri celebrastis, publica voce respondi me Christianum esse*. Diocletianus quippe factus est Imperator XII. Kal. Decembris. Sic quidam olim natali Epicuri vicesima luna sacrificabant, feriasque omni mense custodiebant, quas icadas vocabant, ut Plinius ait libro XXXV. historiae natur. cap. II.

CAELESTE SIGNVM) immortale signum, ut alibi dicit Lactantius, id est, signum crucis. Iste porro locus est magni momenti. Signat enim & locum & diem quo crux, in qua vinceret, ostensa est Constantino. Nam cum ex testimonio Eusebij, qui se accepisse ait ab ore Constantini, constet visum ab eo crucis tropaeum in caelo horis meridianis, sole in occasum vergente, & addubitanti quidnam hoc spectrum sibi vellet, nocte sequenti Christum Dei dormienti apparuisse cum signo illo quod in caelo ostensum fuerat, praecepisseque ut militari signo ad similitudinem ejus quod in caelo vidisset fabricato, eo tamquam salutari praesidio in praeliis uteretur, certum est utramque visionem uno in loco & intra spatium aliquot horarum contigisse. Quod si ita est, ut certe est, habent viri docti unde finem tandem imponant nobili controversiae de loco ubi signum crucis ostensum est Constantino, & unde fides adstruatur auctori vitae sancti Artemij ex Duce Ægypti, cujus auctoritatem vir eruditissimus Petrus Franciscus Chiffletius circuitione & anfractu infringere & elevare conatus est. Haec sunt verba Artemij memoriam Constantini defendentis coram Iuliano Imperatore: *Ad Christum autem declinavit ab illo vocatus, quando difficillimum commisit praelium adversus Maxentium. Tunc enim ei in meridie apparuit signum crucis, radiis solis splendidius, & litteris aureis belli significans victoriam. Nam nos quoque ipsi signum adspeximus, cum bello interessemus, & litteras legimus. Quin etiam totus quoque id est contemplatus exercitus, & multi hujus rei testes sunt in tuo exercitu*. Apud Surium die XX. mensis Octobris. Mirum vero fortassis cuidam videbitur quod heic ait Artemius, multos hujus rei testes tum fuisse in exercitu Iuliani Imperatoris. Nam si illa dicebantur anno Christi CCCLXII. exeunte, effluxerant anni quinquaginta a morte Maxentij, & difficile est multos milites superfuisse ex eo exercitu qui tum adversus eum pugnarunt. Verum id mirum nequaquam videri debet. Nam in dialogo de claris oratoribus, cujus auctorem esse Quintilianum plerique censent, alij Tacitum, quidam Suetonium, in dialogo inquam illo, qui scriptus est anno sexto principatus Vespasiani, testatur auctor vidisse se in Britannia senem qui se fateretur ei pugnae interfuisse qua Caesarem inferentem arma Britanniae arcere littoribus & pellere aggressi sunt. quod contigerat ante annos fere centum viginti. Et sanctus Hieronymus in dialogo adversus Luciferianos (quem

Ba-

Baronius putat scriptum circa annum Christi CCCXXXII.) ait tum superfuisse homines qui synodo Nicaenae interfuerant, raros tamen propter antiquitatem. Itaque ut ad rem nostram redeamus, ita constituendum est, visionem illam crucis Constantino ostensae contigisse in castris, dum Romam obsideret, VII. Kal. Novembris anno Christi CCCXII. Audax enimvero nimium fuit Jacobus Oiselius, qui in Thesauro numismatum antiquorum pag. 463. ait eum qui totum hoc negotium de cruce ostensa Constantino ad pias veterum fraudes retulerit, parum a rei veritate aberraturum. Quid enim deinceps verum censebitur, si historiam hanc, quae Lactantij, Publij Optatiani Porphyrij, Eusebij, ac veterum etiam numismatum testimonio nititur, inter fabulas & pias, ut ille ait, veterum fraudes connumerare fas fuerit? Religiosius ista tractanda sunt, & irreligiosa illa temeritas procul abesse debet à pectoribus Christianorum.

LIBROS SIBYLLINOS INSPICI) Zosimus lib. II. *Maxentius interim, diis hostias immolat, & extispices de belli eventu consulit, ipsis quoque Sibyllinis oraculis pervestigatis. Quumque reperisset oraculum quo significaretur in fatis esse ut qui ad detrimentum populi Romani spectantia designaret, miserabili morte periret, de semetipso id oraculum accipiebat, quasi qui Romam adortos eamque capere cogitantis propulsaret. Eventus autem comprobavit id quod verum erat.* Haec vero prorsus congruunt cum narratione Lactantij.

Cap. 45. HYEME PROXIMA) id est, hyeme quae mortem Maxentij statim subsecuta est. Atqui Maxentius periit anno CCCXII. VI. Kalendas Novembris. Igitur Constantinus Mediolanum profectus est eo anno exeunte, aut sub initium sequentis, quod magis credo. Quippe Nazarius in panegyrico quem Constantino dixit, sic de mora quam ille Romae traxit loquitur ut plane constet eum illic fuisse per duos menses. *Quicquid mali,* inquit, *sexennio tota dominatio feralis infixerat, bimestris fere cura sanavit.* Probabile autem non est eum qui sic proximus erat Kalendis Ianuarijs, Romam reliquisse tuis impendentibus, ut alibi potius quam Romae procederet Consul. Praeterea extat in Codice Iustiniani Imp. lib. XI. tit. 57. lex à Constantino data Romae XV. Kalend. Febr. ipso & Licinio tertium Consulibus, id est, mense Ianuario qui proximus fuit post extinctum Maxentium, ex qua colligi posse videtur Constantinum Roma digressum non esse ante diem qua lex illa data dicitur. Quod si ita est, sic accipienda videntur verba Nazarij ut illa bimestris *fere* cura, quam componendis rebus urbanis Constantinum impendisse tradit, eo modo intelligatur quo sanctus Augustinus in libro ad Donatistas post collationem cap. XXXIII. ait Aelianum Proconsulem causam Felicis Episcopi Aptungitani audivisse XV. Kalendas Martias *post menses ferme quatuor* quam Caecilianus à Melchiade fuerat judicatus; cum tamen a die VI. Nonas Octobris, quo ille judicatus est, usque ad XV. kalendas Martias, quo causa Felicis audita est, intercesserint menses quatuor cum dimidio. Eadem ratione sanctus Leo Papa in epistola quinquagesima secunda ad Ravennium Arelatensem & ceteros Galliarum Episcopos scribens ait synodum Chalcedonensem constitisse ex sexcentis *fere* Episcopis, cui interfuisse DCXXX. Episcopos constans est omnium scriptorum sententia. Accessit ergo Mediolanum Constantinus sub finem mensis Ianuarij. Eo vero venit etiam Licinius, uxorem ducturus Constantiam Constantini sororem. Eadem commemorat & Zosimus, recte adnotans haec acta post devictum Maxentium & ante quam bellum esset inter Maximinum & Licinium. Quare lapsum esse patet virum doctissimum Ioannem Morinum, qui in libro de Ecclesia per Constantinum liberata pag. 328. scribit Licinium venisse Mediolanum ad Constantinum post devictum extinctumque Maximinum, ibique Constantiam in matrimonium duxisse. *Ea perácta,* inquit Zosimus, *Constantinus ad Celtas revertitur,* Licinius in Illyricum, ut tradit auctor fragmenti de Constantio Chloro pag. 473. Sed antè quam Mediolano discederent, legem pro Christianis ediderunt quae paulo post recitabitur.

Existimant viri quidam doctissimi nuptias Licinij & Constantiae celebratas fuisse Mediolani mense Martio, argumento petito ex lege prima Codicis Theodosiani *De bonis vacantibus,* quae scribitur data à Constantino VI. Idus Martias Mediolani Constantino Aug. III. & Licinio Consulibus. Quamquam mensem Martium in Maium esse mutandum in hac constitutione censet Morinus in libro de Ecclesia per Constantinum liberata pag. 329. quia, ut inquit ille, Constantinus mense Martio illius anni adversus barbaros pugnavit in Germania. Sane, quod semel heic observasse sufficiat, nihil certi colligi potest ex subscriptionibus legum Codice Theodosiano comprehensarum; adeoque ex eis concludi non potest Constantinum eo tempore in iis locis fuisse in quibus datae dicuntur. Nam si id certum esset, certum quoque esset eum intra sex dierum spatium fuisse Heracleæ in Macedonia aut in Thracia & Mediolani in Italia, cum lex de qua diximus data legatur Mediolani VI. Idus Martias, & lex prima *De actoribus* Heracleæ III. Non. Mart. sub iisdem Consulibus. Fortius urget exemplum quod sumi potest ex l. 2. *De poenis* & ex l. I. *Si petitionis socius sine herede defecerit*; quarum prima data dicitur Cabillono, altera Antiochiae, utraque XII. Kal. April. Constantino Aug. IV. & Licinio IV. Consulibus. Vir doctissimus Iacobus Gothofredus vidit difficultatem esse in subscriptione posterioris istius legis, & aut eam pronuntiavit tribuendam esse Licinio, qui orientem cujus vertex Antiochia, tenebat, aut reponendum esse nomen Antigoniae prope Stopis in Macedonia, quae Constantino cessit quum pax inter eum & Licinium constituta est post pugnam Cibalensem. Sed haec non solvunt difficultatem. Nam semper difficile erit istam discrepantiam componere, cum certum sit Constantinum non potuisse uno eodemque die esse in Gallia & in Macedonia. Rursum quomodo fieri potest ut idem, qui Cabillono & Heracleae fuerit XII. Kal. Aprilis, eodem anno VIII. Idus Martias fuerit Thessalonicae, & biduo post, id est, VI. Idus Martias, Romae? Nam id colligitur ex subscriptionibus l. I. *De diversis officiis,* & ex l. 2. *Ad l. Iuliam de vi pub. & privata.* Idem deinde Idibus Septembris ejusdem anni contendus esset fuisse Romae, & sexto post die apud Naissum in Dacia. Quippe lex prima *De iure fisci* data dicitur Idibus Septembris Romae, & lex prima *De Centonariis* XIV. Kal. Octobris. Naisso. Denique idem Constantinus, si haec regula certa esset, fuisset anno sequenti XII. Kal. Majas Sardicae, Romae vero ipsis Kalendis Maiis, intra spatium dierum duodecim, cum id colligi possit ex subscriptionibus l. 2. & 3. *De donationibus.* Possent & alia exempla adferri. Sed ista sufficiunt. Vnde colligi debet, id quod antea dicebamus, ex subscriptionibus legum Codicis Theodosiani nihil colligi posse certi ad signanda loca in quibus Constantinus habitavit per varia tempora imperij sui, adeoque infirma esse argumenta quae viri doctissimi hinc sumpserunt ad confirmandas & constabiliendas conjecturas suas historicas.

AD HVIVSMODI CASVS) In veteri codice legitur, *ad hujusmodi causa Licinio conlocari.* Nostra emendatio bona est. Et saepe in antiquis codicibus reperitur scriptum *causa* pro *casus.* ut apud S. Ambrosium epist. XLIII. *In natura casus est, in electione judicium.* pro quo in vetustissimo codice MS. Ecclesiae Bellovacensis scriptum est *causa,* quamvis non bene.

PERINTHO) id est, Heraclea. Sic enim vocatur Heraclea Thraciae ad differentiam aliarum ejusdem nominis urbium, ut recte notavit Henricus Valesius ad librum XXII. Ammiani Marcellini. Menologium Graecorum ad diem decimam maij: *Perinthum urbem Thraciae, quae nunc Heraclea dicitur.* Apud Canisium to. II. antiquae lectionis pag. 768.

MILLIA P. DECEM ET OCTO) Circa Resiston qui locus primus occurrit in itinerario Antonini euntibus ab Heraclea Hadrianopolim. quamquam ibi dicitur abesse M. P. XXII. ab Heraclea.

KAL. MAIAR. Hoc enim die factus fuerat Caesar anno Christi CCCV. ut supra vidimus. Ex quo etiam confirmantur quae à nobis dicta sunt de anno quo Diocletianus deposuit imperium. Nam si Kalendis Maiis anni CCCXIII. complebatur annus octavus nuncupationis Maximini, ut ait Lactantius, necessarium est illum nuncupatum fuisse Caesarem anno CCCV. Kalendis Maiis. Errant ergo qui putant eum per annos tantum septem imperium tenuisse, & quadriennio quidem Caesarem, triennio Augustum per orientem fuisse. Imperavit enim per annos octo integros & aliquam partem noni. Cap. 46.

Sa-

Sicut ille) id est, Maxentius, qui victus est ipso die natali suo.

Vocant serenum) Circa Resiston, ut diximus, locum Thraciae inter Hadrianopolim & Heracleam. Campus sane hac pugna illustris, quae pacem afflictae Ecclesiae peperit. Fallitur ergo Zosimus, qui pugnam illam in Illyriis pugnatam putat. Haec sunt ejus verba: *Bellis civilibus inter Licinium & Maximianum accensis, acrique facto praelio in Illyriis, ab initio quidem superari visus est Licinius, sed confestim redintegrata pugna, Maximianum in fugam vertit.*

Tenax) Avarum fuisse Licinium multis exemplis probat Eusebius lib. I. de vita Constantini cap. LV. Fragmentum de Constantio Chloro pag. 474. *Licinius scelere, avaritia, crudelitate, libidine saeviebat.*

Cap. 47. Deus summus) Martyrium sancti Basilei Episcopi Amaseae: *Licinius igitur omnipotente Domino nostro Iesu Christo manu adjuvante victoriam de Maximino reportavit.*

Sumpta veste servili) Confirmat hanc narrationem Eusebius lib. IX. hist. eccles. cap. X. & lib. I. de vita Constantini cap. LVIII.

Fretum traiecit) Pugnatum est igitur in ea parte imperii quam Licinius tenebat, id est, inter Heracleam & Hadrianopolim, in campo quodam vocato sereno, ut in capite superiori dixit Lactantius. Aberat autem M. P. CLX. à Nicomedia.

Petivit orientem) Zosimus: *Per orientem in Aegyptum discedens, spe cogendarum copiarum quantae gerendo bello sufficerent.*

Vestem derumpit) nimirum purpuram, signum imperatoriae majestatis.

Cap. 48. Nicomediam ingressus) Meminit adventus Licinii Nicomediam Ioannes Presbyter Nicomediensis in vita sancti Basilei Episcopi Amaseae, ex quo discimus Constantiam quoque Licinii uxorem venisse cum eo Nicomediam post victum Maximinum. *Itaque post justam Maximini poenam & divinitus invectam iram Licinius, cum totum orientem sub se haberet, magno cum apparatu ad nostrae regionis urbem Nicomediam venit una cum conjuge sua, ut in regia domo habitaret & orientis imperium gubernaret. Iam vero primum summa quaedam pax repente per totum nostrae regionis orbem, post vehementes illas insanientis idololatriae commotas festinationes ac pugnas, Licinii arbitrio atque opera invecta est.* Quamquam sint quibus haec Basilei acta videntur esse falsa ac supposititia, in hoc tamen loco sincera esse satis manifestum est.

Die idus Iunias.) Ista non sunt intelligenda de die quo datum est edictum, sed de die quo Licinii jussu propositum est Nicomediae.

Constantino atq. ipso ter cons.) id est, anno Christi CCCXIII.

Litteras) Eas descripsit Eusebius lib. X. cap. V. sed e Romana lingua in Graecum sermonem translatas, ut ipse ait. Quod ergo eas nunc habemus Latine, uti editae primo sunt, unios Lactantii diligentiae debemus. Sed iste omisit praefationem, quam Eusebius habet.

Ut possit no. s. dsv.) Eusebius vertit, ὅπως ἔ, αἱ τοῦτο ... καὶ ... Ait autem Valesius hanc lectionem non esse sanam. Certe non congruit cum verbis edicti.

Cuius n. l. m. obsequimur) Haec Eusebius non reddidit Graece.

Dicationem) id est, dignationem. Haec enim vocabula promiscue & indifferenter usurpari video. Paulo post in hac epistula legitur: *intelligit dicatio tua.* Eadem vox repetitur in Collatione prima Carthaginensi cap. X. & XIX. & in relatione Anulini Proconsulis ad Constantinum Augustum in collatione tertia cap. CCXX. & apud sanctum Augustinum epist. LXVIII. Plura exempla si quis requiret, consulat Glossarium Dufresnii.

Conditionibus) Eusebius vertit, τῶν αἱρέσεων. Quae vox multum laboris attulit hominibus eruditis, ut patet ex Valesii annotationibus ad hunc locum. Nunc itaque facilis erit loci istius intellectus. Nam juris periti apud Graecos haereses vocarunt quas nos conditiones appellamus, ut videre est in variis locis Basilicorum, praecipuè verò in libro XLIV. tit. XIX. XXX. & sequentib. in Codice Iuris Graeco-Romani, & alibi. Constantinus Harmenopolus lib. VII. tit. VIII. αἱ παράνομοι καὶ καταγέλαστοι αἱρέσεις ... αἱρέσεις τῶν ... καὶ τῶν ληγάτων, ὡς χάριν αἱρέσεων ταῦτα παρέχονται. Quem locum sic rectè vertit Ioannes Mercerus. *Conditiones quae contra leges vel derisoriae sunt, in institutionibus & legatis pro non adjectis habentur, atque adeo hae absque ejusmodi conditione praestantur.* In Codice Theodosiano l. 9. & 10. *De praediis naviculariorum.* haeresis significat functionem sive conditionem navalem. *Navalem haeresim in omnibus volumus custodiri, ut usque ante viginti annos quaecunque possessiones subhastaria sorte distracta sunt, & propter contractum publicum navale fuerant haeresi separata, si huic oneri antè eas subjacuisse constiterit, rursus ad debitam functionem teneantur obnoxia.*

Quas...... Honori) Haec corrupta sunt apud Eusebium, ubi sic legitur ex interpretatione Valesii: *Atque id a nobis eo factum est ne ulli divino cultui atque honori quidquam a nobis detractum esse videretur.* Melius sane quam Musculus & Christophorsonus.

Datis iterum) Loquitur de priore Constantini & Licinii constitutione, quae lata erat paulo post devictum Maxentium. Vide annotationes Valesii.

Vicarium) Cum Eusebius Graece loqui vellet, nec verbum haberet quo Vicarii dignitas significaretur, interpretatione & circuitione usus est. Deinde Eusebii interpretes Praefectum verterunt qui in illa provincia seu regione jus dicit.

Hortatus est) nempe Licinius.

Anni decem) Hic locus ostendit, ut supra diximus, persecutionem coepisse die VII. kalendas Martias, quo die eversa est Ecclesia Nicomediensis. Nam si numeres a die vigesima tertia Februarii anni CCCIII. usque ad diem tertiam decimam mensis Iunii anni CCCXIII. qua propositum est Nicomediae edictum de restaurandis Ecclesiis, reperies effluxisse annos decem, menses tres, dies vero novemdecim, id est, ut hic ait Lactantius, annos decem, menses plus minus quatuor.

Tauri montis angustias) sive fauces, ut Cap. 49. alii loquuntur. Sunt autem inter Cappadociam & Ciliciam. Nam Maximinum fugientem transiisse per Cappadociam docet Lactantius cap. XLVII. Et certe venienti e Bithynia in Ciliciam rectum iter est per Cappadociam. Itaque angustias illas eo loci positas reor ubi portae Ciliciae notantur in tabulis geographicis.

Tarsum confugit) Lactantius in capite XLVII. testatur campum serenum, ubi Maximinus victus ac fugatus est ab exercitu Licinii, abfuisse à Nicomedia M. P. CLX. In Itinerario autem Burdegalensi notatum est a Nicomedia usque Ancyram Galatiae numerari M. P. CCLVIII. ab Ancyra Tarson usque M. P. CCCXLIII. Fiunt M. P. DCCLXI. Scio Maximinum fugisse cum summa diligentia donec Nicomediam pervenisset. Sed postea puto conquievisse aliquatenus animum ejus & deferbuisse aliquantisper ardorem fugiendi. Itaque quum ei superfuerint peragranda M. P. DCI. ut Tarsum Ciliciae urbem perveniret, collectis autem ea fuga & ab oriente militibus in Cappadocia primum substiterit, dein in Tauri montis angustiis, ubi munimenta ac turres fabricavit ad arcendos insequentium Licinianorum impetus, fieri non potuit ut is qui kalendis Maiis pervenit Nicomediam, Tarsum pervenerit ante mensem Iulium sequentem. Quod ideo heic adnotare visum est quod videam plerisque placere Maximinum hunc Iunio mense extinctum fuisse, & virum alioqui eruditissimum Henricum Noris in dissertatione de nummo Licinii cap. II. contendere mortem ei evenisse anno CCCXIV. ineunte vere. Sed de anno postea videbimus. Interim observare oportet non statim mortuum esse Maximinum ac Tarsum pervenit, sed aliquanto tempore supervixisse ignominiae suae, graviumosque dolores perdiu sustinuisse, ita ut affirmare fas sit non esse mortuum ante mensem Augustum.

Insania percitus) Ita nos emendavimus, cum in codice veteri scriptum sit *insania percussi.* Lactantius lib. I. institut. cap. II. *Idem furore atque insania percitus uxorem suam cum liberis interemit.* D. Ioannes Chrysostomus in oratione de sancto Babyla loquens de mortibus persecutorum, ait uni ex illis adhuc viventi pupillas ex oculis exiluisse, id est, Maximino, alium furore percitum, alium alio oppressum incommodo mortem oppetiisse. Quod autem heic de furore dicitur, Henricus Valesius interpretatus est de Diocletiano, quem ex Eusebio & Constantino colligit dementem periisse.

Verum id non dicunt Eusebius & Constantinus, sed tantum illum de mentis statu vi morbi deturbatum extremo anno imperij sui. Et sane Lactantius, qui morbum ejus describit, nihil adnotat de dementia ac furore. Quod si Chrysostomus se non explicasset, facile crederem ea quae de Imperatore furore percito ab eo dicuntur, ad Maximinum referenda esse, propter hunc locum Lactantij.

CAPVT PARIETIB. INFLIGERET) Hoc est unum ex detestabilibus, ut in tertia Tusculana Cicero vocat, generibus lugendi. Vide Casauboni Notas in Iulium Capitolinum.

EXILIERVNT OCVLI) Idem scribit Eusebius lib. IX. hist. eccles. cap. X. lib. I. de vita Constantini cap. LIX. item Eutychius, Theophanes, & Anastasius. Meminit etiam D. Chrysostomus oratione in sanctum Babylam, & sanctus Hieronymus in Zachariam; ut videbimus paulo post.

TAMQVAM CREMARETVR) In annalibus Eutychij scriptum est Maximinum in morbum incidisse quo adustum est corpus ipsius, adeo ut carbonis instar esset, & ita tostum fuisse ut rumperentur viscera ejus prae calore quem intus sentiebat, & excidentes ipsius oculos in terram decidisse, adustamque carnem ab ossibus separatam esse. Sed ista melius explicat Anastasius Bibliothecarius in historia ecclesiastica, his verbis: *Divina praeveniens ira comprehendit eum. Flamma enim de medio viscerum & medullarum succensa cum dolore intolerabili pronum super terram anhelantem prostravit, ita ut uterque oculus ejus exsiliret & caecus, ut re vera scelestus, relinqueretur. Porro cum carnes ejus putrefactae prae innumerabili ossium incendio caderent, ipse impugnantem Deum projecit animam.* Sumpsisse autem ista Anastasium ex Theophane manifestum est.

NOCENTEM SPIRITVM EFFLAVIT) In Epitome Victoris scriptum est illum simplici morte periisse, id est, naturali, seu fato suo. Et Eutropius tradit eum vicinum exitium fortuita morte praevenisse. Quod utrumque verum est. Communis doctorum virorum sententia est eam mortem evenisse anno Christi CCCXIII. Petavius tamen lib. XI de doctrina temporum cap. XXXIV. scribit, auctore, ut ipse ait, Eusebio in Chronico, adstipulantibus Victore & Eutropio, Maximinum extinctum fuisse anno altero quam Galerius Maximianus periit, id est, anno Christi CCCXII. Verum cum certum sit illum obiisse anno sequenti post caedem Maxentij, jure hoc loco Petavium reprehendit Henricus Noris. Sed ipse tamen in hoc errare convincitur quod, secutus Baronium, contendit mortem Maximini contigisse anno CCCXIV. ineunte vere. Nam cum ex postremis Lactantij capitibus constet illum periisse eo anno quo pax data est Ecclesiae, quo etiam Lactantius finem imposuit huic operi, & persecutionem ostenderimus coepisse anno CCCIII. exeunte Februario, luce clarius est Maximinum extinctum fuisse anno CCCXIII. qui decimus erat a coepta persecutione. Nititur sane vir doctus probabili in speciem argumento, iis nimirum Maximini verbis ex edicto quod paulo ante mortem dedit in gratiam Christianorum apud Eusebium lib. IX. cap. X. ubi ait se superiore anno datis ad singulos provinciarum Praesides litteris statuisse eadem quae in Constantini & Licinij litteris continebantur. Cum itaque ea Constantini ac Licinij constitutio lata fuerit anno CCCXIII. ineunte, evidentissime lucere istam, quae sequenti anno data est, in annum CCCXIV. rejiciendam esse, adeoque eo anno tyrannum imperium cum vita amisisse. Gravis sane argumentatio, si constaret Maximinum numerasse annos suos a Kalendis Ianuariis. Sed cum octavus imperij ejus annus impletus fuerit Kalendis Maiis anni CCCXIII. ut docet Lactantius, edictum ab eo post aliquot menses datum ad sequentem id est nonum imperij ejus annum refertur, sed non ad annum Christi CCCXIV. praesertim cum ex narratione Eusebij constet datum esse paulo post quam à Licinio victus erat. Itaque Baronius & victoriam Licinij & exitum Maximini conjungens, ista contigisse scribit anno Christi CCCXIV. unius anni errore. Nam quae de sexto anno Maximini Augusti addit ex nummis vir doctissimus Henricus Noris, ea sane non officiunt opinioni eorum qui anno Christi CCCXIII. assignant mortem Maximini, cum is qui titulum Augusti sumpserat exeunte anno CCCVII. aut sub initium sequentis, sextum imperij sui annum numerare potuerit anno CCCXIII. Quo anno mortuum esse illum probari potest etiam auctoritate Aurelij Victoris, qui scribit eum post biennij augustum imperium, id est, biennio post mortem Galerij, tusum fugatumque à Licinio, apud Tarsum periisse. Nam cum Galerius extinctus sit anno CCCXI. mense Maio, Maximinus moriens anno CCCXIII. recte scribitur biennium in oriente regnasse: qui si anno tantum CCCXIV. mortuus fuisset, excessisset biennium quod illi tribuitur ab Aurelio Victore.

PERSECVTORES DEBELLAVIT) Lactantius lib. VII. institut. cap. XXVI. *Illi enim qui ut impias religiones defenderent, caelestis ac singularis Dei cultum tollere conati sunt, profligati jacent.* Eadem observant Eusebius in libro primo de vita Constantini cap. III. & auctor fragmenti de Constantio Chloro pag. 475. Hieronymus in caput XIV. Zachariae; *Legamus ecclesiasticas historias, quid Valerianus, quid Decius, quid Diocletianus, quid Maximianus, quid saevissimus omnium Maximinus, & nuper Julianus passi sint: & tunc rebus probabimus etiam juxta litteram prophetiae veritatem esse completam, quod computruerint carnes eorum, & oculi contabuerint, & lingua in pedorem & saniem dissoluta sit.* Scaliger in animadversionibus ad Eusebium pag. 248. sic interpretatus hunc locum ut Hieronymum putet Maximinum inter eos posuisse quorum carnes computruerint. Sed ego puto hunc non esse sensum verborum Hieronymi. Loquitur primo de miserabili morte Valeriani & Decij, sed mortis genus non explicat. Nam verba prophetiae quae susceperat interpretanda non poterant trahi ad genus mortis quo duo illi Principes perierunt. Deinde putredinem carnium refert ad Maximianum, tabem oculorum ad Maximinum, linguae pedorem & saniem ad Diocletianum, si vera sunt quae de eo narrant Eutychius Alexandrinus & Georgius Cedrenus, nimirum eum morti propinquum ex faucibus multitudinem vermium ipsa cum lingua, quae computruerat, ejecisse. Cap. 50.

VALERIVM) Nescio quis fuerit homo ille. Filium enim Galerij Maximiani non fuisse hunc liquet quod Lactantius supra cap. XX. quum narrat consilium Galerij de substituendo filio suo in locum suum, Candidianum nominat, haud dubie Valerium nominaturus si is Galerij filius fuisset. Deinde si Valerius ille fuisset filius Galerij, cum ex priore uxore susceptus fuisset, adeoque annos ut minimum quatuordecim natus fuisset quum Severus & Maximinus Caesares facti sunt a Galerio. An vero putamus Caesarem in aliena familia quaesiturum fuisse Galerium, si in sua habuisset? Denique, quur non eum Valeria aeque adoptasset ac Candidianum ex concubina natum, quem adoptavit ob sterilitatem? Itaque nescio quis fuerit hic Valerius.

MATER EORVM) id est, uxor Maximini. Ejus vero nomen se nescire fatentur eruditi.

CORRVMPERET VERITATEM) Lactantius lib. III. Cap. 52. institut. cap. I. *Deus hanc voluit esse rei naturam ut simplex & nuda veritas esset luculentior, quia satis ornata per se est, ideoque ornamentis extrinsecus additis fucata corrumpitur.*

IOVIOS ET HERCVLIOS.) Sic vocatae familiae Diocletiani, qui se Iovium dicebat, & Maximiani senioris, qui Herculius dictus est, tamquam si a Iove & Hercule genus ducerent, ut observatum est à viris eruditissimis. Annotat Aurelius Victor hinc militaribus auxiliis in exercitu praestantibus nomen impositum, id est, ut Herculiani vocarentur. Vnde apud Ammianum Marcellinum lib. XX. & XXII. mentio Iovianorum & Herculianorum.

ATQVE heic tandem finis esto Notarum nostrarum ad librum Lactantij de mortibus persecutorum. Ejusdem argumenti opus, si vera fides, scripserat Aurelius Victor historiam comprehendens persecutionum Ecclesiae usque ad Diocletianum, quod in bibliotheca Vaticana extitisse sua aetate testatur Marianus Victorius ad epistolam XVI. Hieronymi, quae inscripta est Paulo monacho Concordiensi, a quo Hieronymus postulabat *commentarios Fortunatiani, & propter notitiam persecutionum, Aurelij Victoris historiam.* Multum tamen ambigo an vere dici possit Aurelium Victorem, hominem minime Christianum scripsisse historiam istiusmodi, cum locus ille Hieronymi corruptus sit in vulgatis editionibus adeoque intri-

tricatus ut virum doctissimum Andream Schottum in horrendas ambages impulerit, dum Aurelium Victorem persecutionum Ecclesiae scriptorem quaerit, huc descendere coactus ut existimaret plures Victores historiae augustae scriptores fuisse & unum etiam Christo nomen dedisse. Nam si historia illa exstitisset in bibliotheca Vaticana qua tempestate Victorius schola sua scribebat in Hieronymum, certe non evasisset eruditas ac diligentes Baronij manus neque tot doctissimorum & antiquitatis ecclesiasticae amantissimorum hominum qui post Pij IV. pontificatum & Mariani Victorij tempora Romae vitam egerunt & in eruendis recensendisque ac emendandis veterum scriptorum, in primis vero ecclesiasticorum, lucubrationibus laudabilem operam posuerunt. Profecto concors illud ac perpetuum tot praestantissimorum virorum silentium de re tanti momenti, qui ne verbo quidem ullam istius Aurelij Victoris historiae mentionem uspiam faciunt, me vel invitum ac reluctantem suspicari cogit aut memoria lapsum esse Victorium, aut impositum illi fuisse; praesertim cum ex verbis Hieronymi colligi non possit Aurelium Victorem scripsisse historiam persecutionum, sed tantum ejus historiam, in qua tractatur de vita Imperatorum usque ad Iulianum, utilem esse ei qui velit habere *notitiam persecutorum*, id est, eorum Imperatorum qui persecuti sunt Ecclesiam Dei. *Persecutorum* enim hic legendum esse, non vero *persecutionum*, docent in primis codices 173. & 2789. bibliothecae regiae, tum codex 305. bibliothecae Colbertinae, prima editio Romana anni MCCCCLXVIII. Veneta anni MCCCCLXXXVIII. & Lugdunenses duae annorum MDXIII. & MDXVIII. Primus omnium Erasmus reposuit *persecutionum*, auctoritate haud dubie vel usu alicujus exemplaris, cum in codice quoque 1110. ejusdem bibliothecae Colbertinae ita legatur. Hunc secutus est Victorius. Sed profecto ex his quae dicta hactenus sunt satis constat hanc lectionem non esse bonam, & eam retineri debere quam veteres libri & editiones exhibent, cum nullam habeat difficultatem. Agamus autem gratias immensae Dei optimi maximi benignitati, qui istum Lactantij librum nobis post tot secula redonavit, eoque utamur ad majorem ipsius gloriam & sanctae Ecclesiae utilitatem, in cujus gratiam susceptus est hic labor.

AD PASSIONEM SANCTI SAVINI.

ACta ista, quorum fragmentum edidit illustrissimus Cardinalis Baronius in annalibus ecclesiasticis, nos invenimus integra in vetustissimo codice MS. bibliothecae Colbertinae. Sunt autem sincerissima & optima, ut monuit idem Baronius, & digna quae veniant in manus hominum eruditorum. Cujusnam porro civitatis Episcopus fuerit Savinus, variae sunt inter scriptores Italos sententiae, quibusdam eum Assisinatem Episcopum fuisse contendentibus, aliis Spoletinum, nonnullis etiam Clusinum & Faventinum. Baronius eum vocavit Episcopum Spoletinum, non aliam, ut opinor, ob causam quam quod martyrium consummaverit in civitate Spoletina. Et Baronium quidem propterea reprehendit Philippus Ferrarius in Catalogo sanctorum Italiae pag. 761. quod contra fidem actorum scripserit eum Spoletinae Ecclesiae praefuisse. Sed Ferdinandus Vghellius in catalogo Episcoporum Spoletinorum pag. 1?0. ait Ferrarium hallucinatum fuisse & frustra Baronium sugillasse, & Savinum contendit sedis illius cathedram vere tenuisse, sed eundem tamen Assisinatibus, Clusinis, Faventinis, aliisque vicinis Ecclesiis vel praefuisse vel evangelium praedicasse. quod etiam repetit in catalogo Episcoporum Assisinatium. Mihi, qui partium studio non ducor, ea verior videtur esse sententia quam acta confirmant, nimirum illum fuisse Assisinatem Episcopum, sed Spoleti occisum nomine Christi.

Cap. 1. MISSV SEXTO) Suetonius in Domitiano: *Fecit & ludos saecularis. In his, Circensium die, quo facilius centum missus peragerentur, singulos à septenis spatiis ad quina corripuit.* id est, ut Beroaldus interpretatur, instituit ut singuli missus, qui per septena spatia prius peragi solerent, quinis spatiis peragerentur. Centum igitur, ut idem Beroaldus observat, missus equestres exhibebantur. Vnde in veteri Kalendario Romano frequenter legitur *cm.* XXIV. quod quidam explicant *Circenses missus* XXIV. Porro locus iste ex vita sancti Savini singularis est, cum hinc elici posse videatur Imperatores quoque ipsos cursu quandoque contendisse in ludis Circensibus, & cursus illos fuisse inter celebres factiones Prasinam, Venetam, Albatam, & Russatam; de quibus vide veteres inscriptiones apud Gruterum, praecipuè vero eam quae pag. CCCXXXVII. extat in honorem Diocletis agitatoris. Vide etiam Notas Nicolai Alemanni ad historiam arcanam Procopij pag. 24. & 33. & Savaronem ad carmen XXIII. Sidonij.

LIBROS EXPONIT) libros nimirum deificos, divinos, dominicos, sacras scripturas. Tum enim bellum primo commotum fuit propter libros dominicos, ut alibi diximus. Cap. 2.

ATQVE AVCTORITATE) In margine monuimus legendum videri *hanc auctoritatem*, id est, praeceptum, jussionem, litteras. Vide Glossarium Dufresnij.

EADEM FISCO) Haec est lectio codicis quo usus est Baronius, & quae sanior videtur. In codice Colbertino legitur: *fisci tributis adplicandis forentur*.

IN MEDIO FORO) Consuevisse judices judicare Christianos in foro, spectante populo, probant, praeter alia veterum testimonia, acta sanctorum Saturnini, Dativi, & sociorum cap. III. & acta sancti Pontij martyris cap. XVI. Cap. 3.

Ad Acta Sanctorum

SATVRNINI, DATIVI, ET SOCIORVM.

INCIPIVNT CONFESSIONES) Addidimus hunc titulum ex codice 930. bibliothecae Colbertinae. Deerat enim in editionibus Surij & Henschenij. Cum autem ille sit vetus, & in eo quaedam, quae ad historiam sanctorum martyrum pertinent, contineantur quae in actis ipsis non habentur, visum est alicujus momenti eum dare qualem invenimus in veteri codice. Scripta sanè sunt ista, quod negari non potest, ab aliquo Donatista, sed docto & erudito; dignaque mihi visa sunt quae cum Lactantio conjungerentur, cum ob similitudinem argumenti, tum ob elegantiam sermonis. Quamquam enim ea non sint ipsamet acta martyrum quae in Collatione Carthaginensi laudata sunt, ut apparet ex sancto Augustino, opus est tamen antiqui scriptoris, & qui non admodum remotus fuit ab aevo Diocletiani. Falluntur ergo vehementer qui auctoritate Augustini abutuntur ut probent ea esse ipsa proconsularia gesta excepta a Notariis, cum è contra ex testimonio Augustini colligatur non extare hodie ea gesta, sed tantum historiam quam Donatista ille ex iisdem gestis concinnavit. Nam Augustinus in Breviculo diei tertiae cap. XVII. docet gesta martyrum notata fuisse Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Consulibus, pridie Idus Februarij, cum in hoc libro scriptum simpliciter sit, absque ulla temporis nota, bellum ex quo orti sunt traditores commotum fuisse temporibus Diocletiani & Maximiani. Praeterea quae in capite XVI. & sequentibus dicuntur de Mensurio & Caeciliano, ea profecto non pertinent ad gesta proconsularia, & lecta in Collatione Carthaginensi non fuisse recte observatum est a Baronio.

IN ARCHIVO MEMORIAE) Infra cap. IX. *Ejusque confessionem in memoriam una cum ceterorum confessionibus redigens.* ubi Baronius adnotat memoriam dictum fuisse locum in quo gesta proconsularia asservabantur. Verum cum id nullo veterum testimonio comprobet, & res obscura sit, nondum mihi persuasum est verum esse interpretationem illam. Notum est fuisse in palatio Imperatorum magistros memoriae, qui dictabant ad memoriam. de quibus multa pro suo more dixit Salmasius in Notis ad scriptores historiae augustae pag. 207. & 480. Verum haec memoria diversa fuit ab ea cujus hic mentio. Puto autem hic memoriam significare codices publicos, in quibus causae scribebantur quae in foro agitabantur, ne earum memoria aboleretur. Sed in initio hujus historiae, ubi legitur acta martyrum ideo in archivo memoriae conscripta esse ne seculis transeuntibus obsolesceret gloria martyrum, existimo eam vocem diverso sensu positam esse, & hic non referri ad codices publicos, quorum custodia non erat penes clerum, sed ad libros ecclesiasticos, in quibus conscripta erant ge- Cap. 8.

gesta martyrum ad memoriam omnium sempiternam.

Cap. 2. TESTAMENTA) In codice Colbertino scriptum est *sacramenta*, id est, mysteria. quod eodem recidit.

ABITINENSI) Ita Surius & codex Colbertinus. Editio Henschenij habet *Abitinensi*, ex duobus antiquis codicibus, ut ipse ait. Sane in Collatione Carthaginensi legimus Maximum & Victorem Episcopos Abitinenses, & in Concilio Carthaginensi sub Cypriano adfuit Saturninus Episcopus ab Abitinis. Ego tamen, qui scio periculosam esse quamlibet mutationem in nominibus propriis, praecipue vero in nominibus civitatum Africae, veterem lectionem retinui.

OCCANI) In codice Colbertino legitur *Octavi*. Sic etiam in Trevirensi scriptum fuisse admonet Henschenius.

BELLICA TVBA) Ne quis existimare possit haec dicta esse more rhetorum, non autem stylo simpliciter historico, proferendus est locus insignis ex actis sanctae Euphemiae martyris, quae hac ipsa persecutione fervente ad Deum translata est apud Chalcedonem. Illic ergo scriptum est fuisse in ea civitate *templum Martis & insigne illius simulacrum. Vocabant autem ad eia cives ad festum & eos qui habitabant circa Chalcedonem. Minabantur vero mortem & supplicia iis ad quos erant ventura, si non persuaderentur ut adorarent daemones. Tubaeque clarè sonantes & terribiliter erant signum conveniendi ad templum.* Acta sancti Alexandri martyris hac ipsa persecutione sublati, apud Surium die XIII. Maij: *Itaque omnes audita praeconum voce & tubae clangore, parati erant cum Imperatore in Jovis templo praesto esse.*

Cap. 4. IN IPSA LANIAMENTA) Ita omnino codex Colbertinus. Idem autem hoc loco valet vox *in* ac *inter*; ut infrà cap. XX. *animam in tormenta carceris ponens.*

Cap. 7. AD BONAM MENTEM) Vide quae dicta suprà sunt ad caput XXXIV. Lactantij.

Cap. 14. AD AEDEM PVDICITIAE) id est, ad templum Dei. Figurata & elegans loquendi ratio, ut quae virginitatem suam dedicare ac consecrare Christo volebat, intelligeretur. De aede pudicitiae patriciae, quae Romae in foro boario erat ad aedem rotundam Herculis, mentio est apud T. Livium lib. X. & Festum. Eam in regione octava fuisse scribit P. Victor.

SACR. CRINEM SERVAVIT) Non totondit ergo Victoria crinem suum quum se Christo consecravit. Quippe olim feminis Christianis interdictum erat ne comam deponerent, etiam quibus placebat perpetuae professio continentiae. Sed tamen paulo post, ut in epistola XLVIII. ad Sabinianum scribit Hieronymus, in Egypti ac Syriae monasteriis hic mos fuit ut tam virgo quam vidua, quae se Deo voverent & seculum conculcarent, crinem monasteriorum matribus offerrent desecandum.

Cap. 15. COMAM) Editiones habent *collum*, omnino contra mentem Proconsulis. Nam his intantem minis terrere volebat, quo modo si verbera minaretur aut praecipitium ex edito loco, non tamen periculoso. At colli amputatio ultra progreditur, nec inter minas pueriles censeri potest. Melius igitur codex Colbertinus, qui *comam* habet. Sunt enim pueri amatores comarum suarum. Hinc Statij carmen de coma Earini.

Cap. 16. Quae deinceps sequuntur, quia manifestas calumnias continent in Mensurium Episcopum Carthaginensem & Diaconum ejus Caecilianum, qui & ipse postea fuit Episcopus Carthaginensis, omissa sunt in secunda editione Surij & in Heschemiana.

Cap. 17. PANIS ILLORVM) Ita codex Colbertinus. Editiones habent, *panis luctus*. Quo etiam modo habetur apud Oseam in omnibus editionibus. Nescio autem unde orta sit haec lectio in veteri codice. Sed eam confirmant sequentia; ubi pro eo quod in vulgatis Oseae codicibus legitur, *Omnes qui comedent eum contaminabuntur*, scriptum est in veteri codice, *Omnis qui tetigerit illum inquinabitur*.

AD ACTA SANCTI FELICIS

Episcopi Tubyzacensis.

PRimus haec acta edidit Surius, sed valde mendosa & mutila. Postea integriora nobis in tomo duodecimo sui Spicilegij dedit vir clarissimus Lucas Dacherius, ex schedis, ut ipse praefatur, viri item clarissimi Petri Francisci Chiffletij. Nos illa diligenter contulimus cum quatuor antiquis & optimis codicibus manuscriptis bibliothecae Colbertinae, & vel ob eam rationem heic addidimus. Praeterea cùm hinc, sicut ex historia passionis sanctorum Saturnini & Dativi, & ex actis purgationis Felicis Episcopi Aptungitani & Caeciliani Carthaginensis, intelligamus originem traditorum, quo nomine nihil aut vulgatius aut contumeliosius fuit in Ecclesia Africana, post ex initio persecutionis quam describit Lactantius, officij nostri esse arbitrati sumus cum illo conjungere vetera illius aevi monumenta sincera quae reperiri possent, emendata ex fide veterum exemplarium.

INCIPIT PASSIO) Ita codices 59. & 930. bibliothecae Colbertinae. At codex 401. sic habet. *Incipit passio sancti Felicis Episcopi Bituzacensis XVIII. Kal. Ianuarij.* Brevius codex 316. *Passio sancti Felicis Episcopi.*

DIOCLETIANO OCTIES) Ita rectè omnia vetera exemplaria & editio Dacheriana. Malè apud Surium, ubi scriptum est: *Diocletiano novies & Maximiano octies Consulibus.* Nam certum est edictum fuisse propositum eo anno quo Diocletianus VIII. & Maximianus VII. Consules fuere.

TVNC) id est, Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Consulibus. Nam haec referenda sunt ad annum qui sequitur post initium persecutionis, cùm haec acta Carthagine & in Africa sint mense Ianuario.

TVBYZACENSI) Ita codices 59. & 930. Sed codex 401. habet *Tubizacensi*, 316. & editio Dacheriana *Tubzacensi*. Nihil autem moror editionem Surianam, quam tot veterum exemplarium consensus ostendit esse mendosam in hoc loco. Infra haec civitas in codice 930. vocatur Tupuza pro Tubyza, nullo discrimine. Nota enim est permutatio litterarum. Tubyzam ego puto fuisse civitatem Numidiae, eam fortassis cujus Episcopus Frumentius Tubusicensis, ut apud Victorem Vticensem legit Abrahamus Ortelius, nominatus reperitur inter Episcopos qui Carthaginem ex praecepto regali venerunt pro reddenda ratione fidei anno sexto Regis Vandalorum Hunerici. Sed in editionibus Sirmondi & Chiffletij legitur *Tubursicensis*. In collatione porro prima Carthaginensi cap. CXXI. mentio est servi Dei Episcopi Tuburlicensis Burae, cap. CXXIX. Maurentij Episcopi Ecclesiae Tubursicensis, & cap. CCIX. Ianuarij Episcopi de Tubursicu seu Tubursico Numidiarum. Certe tanta est difficultas in constituendis veris nominibus civitatum Africae, propter eorum inter se similitudinem & affinitatem, ut affirmare non ausim utrum heic apud Victorem legendum sit *Tubajicensis*, quemadmodum in codice suo vidit Ortelius, an *Tuburficensis*, ut alij. Nam, exempli gratia, in Notitia illa Episcoporum Africae Rusticus Episcopus Tipasensis nominatur inter Episcopos Numidiae, & Reparatus Tipasitanus inter Episcopos Mauritaniae Caesariensis. Rursum inter Episcopos provinciae Byzacenae ponitur Felix Forontonianensis, & paulo post Bonifacius Frontonianensis. Sufficiunt enim haec exempla. Interim omittendum non est, in eadem collatione Carthaginensi cap. CLXXXVII. nominari Martinianum loci Tubuzabetensis Episcopum.

MAGNILIANVS) Ita constanter scriptum est in veteribus libris bibliothecae Colbertinae. Ado & Dacherij editio habent *Magnelianus*, Suriana & Martyrologium Romanum *Magdelianus*.

VBI EST) Hanc totam pericopen, quae in codicibus 401. & 930. non invenitur, exhibent codices 59. & 316. & editio Dacheriana. Eandem habet etiam Suriana.

DATE ILLOS IGNI ADVRI) Hanc jussionem Magniliani Curatoris & responsionem martyrum defuisse in veteri exemplari Chiffletij hinc colligi potest quod omissa est in editione Dacheriana. Eam ita non exhibent omnia nostra vetera exemplaria (uno 316. excepto) & editio Surij. Et sane constat sensum non esse integrum in illis exemplaribus quae illam magistratus interlocutionem & Clericorum responsionem non habent.

VT PEREANT) Haec verba desunt in duobus antiquis exemplaribus. Possunt autem omitti absque ullo incommodo. Supra: *Date illos igni aduri.*

APVD EIVS ACTA) Haec est vera & germana lectio. Male in codicibus 59. 401. & 930. *apud eum actu*.

EXAMINE) Ita codices 401. & 930. Alij habent *examinatione*.

Tvnc

TVNC VIRUM SVUM) Mirum est quo modo fieri potuerit ut depravatissima lectio heic obrepserit in codicibus 59. 401. & 930. ubi legitur: *Uxor itaque ejus virum suum its allocuta est verbis.*

NVLLO MODO) In eisdem tribus codicibus scriptum est *nulla ratione.*

VT AXE DOMINE) Haec est lectio eorundem trium veterum exemplarium. Sed codex 316. & editio Dacheriana habent. *Attende Domine, sicut nobis promittere dignatus es, ut tecum merear suscipere immortalitatem.* Nos retinuimus lectionem quae sincerior esse videtur, & quae plurium veterum exemplarium auctoritate nititur.

NVNQVAM ADVERSVS ME) Secuti heic quoque sumus fidem veterum librorum. Nam editio Dacherij habet: *nunquam inimicus adversùs me habebit potestatem.*

SEDECIM) Codex 401. Colbertinus habet *duodecim.*

NON TE DE VOCABVLO) In quatuor vetustis codicibus Colbertinis legitur; *Non tibi vocabulum quaestus professionis.*

AD PRAEFECTVM PRAETORIO) Editio Suriana addit *Idibus Julij*, inepte sane. Nam cum ista agerentur mense Januario, ridiculum est dicere martyrem missum fuisse Idibus Julijs ad Praefectum praetorio. Neque vero illud incidisse potuit etiam in Idus Februarias. Quippe Felix Episcopus apprehensus est postridie Nonas Januarij, deinde triduo repositus in carcere ut secum deliberaret an scripturas deificas traditurus esset, quarto postea die missus est ad Proconsulem, post dies sedecim quam Carthaginem pervenisset, Proconsuli oblatus est, & tunc missus Romam ad Praefectum praetorio. Fiunt dies unus & viginti. Adde aliquot dies pro itinere a Tubyza usque ad Carthaginem. Missus est ergo Felix Romam sub finem mensis Januarij.

DVODECIM) Ita quatuor exemplaria bibliothecae Colbertinae. Dacheriana editio habet *quatuordecim*, Suriana *novem.*

POST IMPERATORES) id est, ad Maximianum Herculium, qui tenebat Italiam, quem vero tum in Campania fuisse propterea certum est.

SVBBANIO) Ita tria vetera exemplaria. Quartum habet *sub,annio*, editio Dacheriana *subsanno*. Surius: *& fuit in capsa navis diebus quatuor.* Ex quo patet per subbanium vel subsannium intelligi debere imam partem navis.

GLADIO ANIM. CONATIVVO) Turbat me locus ille. Nam supra Praefectus Felicem misit ad Herculium, nimirum ut causa Felicis finem acciperet in praesentia Imperatoris. Et tamen cognitor Nolanae civitatis judicium sibi praesumit, & Felicem capite plecti jubet. Verum id ita intelligi debet ut cognitor dicatur causam istam suscepisse judicandam *secundum praeceptum*, ut dicitur infra, id est, ex delegatione Maximiani tum praesentis.

INVICTVS ET PERMANENS) Ita tres vetusti codices Colbertini. Quartus habet, *vivificans permanes*. Editio Dacherij, *vivificans & permanens.*

IN NOLA) Editio Surij docet haec acta esse Venusij, quae civitas est regionis Apuliae.

OCTAVO DECIMO) Haec est lectio trium veterum exemplarium. In quarto & in editione Dacherij legitur *nonodecimo*. apud Surium, *tertio Calendas Septembris.* Sed in vetustis martyrologijs passio sancti Felicis refertur ad diem IX. Kal. Novembris.

AD ALMAM) Haec addita sunt ex codicibus manuscriptis. Epithetum est autem urbis Carthaginis, ut patet etiam ex actis Collationis Carthaginensis inter Catholicos & Donatistas. Alibi vocatur splendidissima, ut in actis purgationis Felicis Aptungitani, & celsissima, ut in actis collationis Carthaginensis.

AD ACTA PVRGATIONIS FELICIS

Episcopi Aptungitani.

VNicum exemplar vetus istorum actorum habuimus ex bibliotheca Thuana, illud ipsum nimirum ex quo Collationem Carthaginensem & haec gesta superiori seculo desinente edidit Papirius Massonus. Et ille quidem ea postposuerat actis purgationis Caeciliani ordinem fidemque ejusdem veteris exemplaris secutus. Sed & tempus repugnat, & auctoritas sancti Augustini: qui quum in eundem errorem incidisset, docuit postea lib. II. retractat. cap. XXVII. absolutionem Felicis praecedere debere. *Absolutionem*, inquit, *Felicis Aptungensis ordinatoris Caeciliani non hoc ordine posuimus quo postea nobis claruit Consulibus diligenter inspectis, sed tamquam post Caecilianum fuerit absolutus, cum ante sit factum.* Quo loco respicere eum ad haec gesta Felicis & Caeciliani satis constat. Item idem Augustinus in Breviculo diei tertiae cap. XXIV. *Invenies posterius ab Imperatore Constantino absolutum esse Caecilianum quam Felicis causam ab Æliano Proconsule discussam atque purgatam.* Sed id tamen intelligendum est de secunda ac tertia Caeciliani absolutione, non autem de prima, qua Caecilianus absolutus est in Concilio Romano, ut recte notat Henricus Valesius in Dissertatione de schismate Donatistarum cap. II. Nam ita docet nos ipse Augustinus in epistola CLII. nomine Concilij Cirtensis scripta ad Donatistas: *Nam & ordinem Consulum & dierum qui expressus est si quis nunc diligenter advertat, inveniet primo Caecilianum episcopali judicio fuisse purgatum. Deinde non multo post Felicis Aptungensis causa ab Æliano Proconsule examinata est, ubi eum constitit innocentem. in qua causa ad comitatum misso jussus est Ingentius. Et longe postea ipse Imperator causam inter partes cognovit atque finivit.* Vide eundem in libro de unico baptismo contra Petilianum cap. XVI. & in libro ad Donatistas post collationem cap. XXXIII. Recte praeterea observat idem Valesius maximam partem horum gestorum proconsularium temporis injuria periisse, priorem videlicet, in qua acta municipalia & interrogationes ac professiones Curatorum ac Stationarij continebantur. Haec autem ab Imperatore Constantino ita fieri jussa sunt ut omnis criminandi occasio adimeretur Donatistis, qui de synodo Romana sive de Melchiadis Papae judicio frequentissime apud Constantinum conquesti, affirmabant non omnem causam ab Episcopis illic auditam fuisse. Nam Melchiades silentio transmiserat Felicem Episcopum Aptungitanum & reliquos ordinatores Caeciliani, quos Donatistae dicebant reos esse traditionis. Itaque Imperator volens, ut dixi, omnem criminandi ansam ipsis adimere mandavit Vero, ut vocatur apud sanctum Augustinum, seu potius Lucrino Verino agenti vicariam praefecturam per Africam ut de crimine traditionis, quod Felici objiciebatur, diligenter inquireret. Quum vero ille jussionem Principis exequi cœpisset, incommoda valetudine tentus, ut ad Probianum scribit Constantinus, necessario postea abstinuit a cognitione ejusdem negotij. Quare Ælianus Proconsul Africae *partibus ejus functus, id negotium ad examen suum atque jussionem credidit esse revocandam*, ut ait Constantinus. Ex quibus verbis colligitur Ælianum partes Vicarij non suscepisse mandato Principis, ut putavit Valesius, sed propria sponte, ob repentinum videlicet Vicarij morbum: Quamquam sententia viri clarissimi juvari posset ex libro primo Optati, ubi scriptum est Constantinum ad Ælianum Proconsulem scripsisse *ut remotis necessitatibus publicis de vita Felicis Aptungitani publicè quaereretur*, & ex Augustini epistola CLXIX. in qua scriptum est Felicem Aptungitanum *ad ejusdem Principis jussionem* proconsularibus gestis fuisse purgatum. Verum haec verba sic accipienda sunt ut quoniam Constantinus ad Verinum Vicarium scripserat de inquisitione criminum quae Felici objiciebantur, & is morbo impeditus est sacrae jussioni parere, Ælianus Proconsul, qui partibus ejus functus, cognitionem & judicium istius causae suscepit, *ad ejusdem Principis jussionem* fecisse dicitur quia rem fecit quam Princeps jusserat, tametsi specialia ad eum rescripta non emanassent. Nam quomodo fieri potest ut tam cito post morbum Verini, quem evenisse postremis diebus mensis Januarij aut sub initium Februarij colligi non absurde potest ex lege prima Codicis Theodos. *De curatoribus Kalendarij*, quomodo inquam fieri potest ut tam cito de hoc morbo admoneri potuerit Constantinus ut novum ejus rescriptum ex Gallia ad Ælianum pervenire potuerit ante diem XV. Kalendas Martias? Itaque necesse est, ut dixi, verba Optati & Augustini benigne interpretari, ut nimirum ut Ælianus de causa Felicis cognoverit auctoritate rescripti dati ad Verinum Vicarium, cujus

jus partibus pro necessitate temporis functus est. Ceterum postea Donatistae id reprehenderunt in causa Felicis, quod Episcopus cum esset, proconsulari judicio, non vero ecclesiastico, purgatus fuit. quam criminationem graviter refellit Augustinus in eadem epistola. Iidem ei vitio verterunt (ut docet Augustinus in Breviculo diei tertiae cap. xxiv.) quod absuerit quum Ælianus de causa ejus inquireret, & dixerunt eum praesentem debuisse purgari, ut legitur in Collatione tertia Carthaginensi cap. ccxxx. Contrà catholici cap. ccxxxiv. reposuerunt *majoris esse innocentiae documentum quod absens purgatus est Felix.*

AVTVMNITANORVM) id est, Aptungitanorum, sive Aptungensium, ut apud sanctum Augustinum frequenter. Sed in veteri codice & heic & infra Autumnitani vocantur qui alibi Aptungitani. Immo viri clarissimi qui novissimam epistolarum sancti Augustini editionem curarunt, adnotant ad epistolam xliii. (quae est clxii. in antiquis editionibus) pro eo quod illic legitur *Felicis Aptungitani*, editiones Amerbachij & Erasmi & decem manuscriptos codices habere *Autumnitani*. Aptungis porrò fuit municipium provinciae proconsularis, ut manifestum est ex hoc loco Augustini in Breviculo diei tertiae cap. xvi. ubi ait hanc esse catholicae Ecclesiae consuetudinem ut non Numidiae sed propinquiores Episcopi Episcopum Ecclesiae Carthaginis ordinent.

ÆLII PAULINI) Nulla dubitatio est quin hic locus sit egregie mendosus. Nam eo tempore quo haec gesta sunt, Ælius Paulinus non erat Vicarius Africae, ut planum est vel ex epistola Constantini ad Probianum. Sanè Paulinus ea dignitate ornatus multò ante fuerat, nimirum anno Christi cccui. quum persecutio fervebat in Africa, quum Alfius Caecilianus esset Duumvir Aptungitanorum, ut scribitur infra pag. 20. col. 2. in iisdem gestis. Verinum porro fuisse Vicarium Africae ineunte anno cccxiv. Volusiano & Anniano Consulibus, qua tempestate haec gesta sunt, colligitur ex eadem epistola Constantini. Nam ex libro sancti Augustini contra Donatistas post collationem cap. xxxiii. discimus cognitionem de causa Felicis cœptam esse xv. kalendas Martias. Immo vicariam praefecturam obtinuisse in ipsis anni initiis probare videtur lex prima Codicis Theodosiani *De curatoribus Kalendarij*, quae iii. Kal. Februarij ab eo proposita est sub consulatu eorundem Volusiani & Anniani. Omnino enim sentio cum viris doctissimis Francisco Iureto & Iacobo Gothofredo Vicarium illum Africae de cujus morbo agit Constantinus in epistola ad Probianum, Verinum fuisse; ut propterea emendandum sit nomen ejus in eadem epistola, ubi librariorum vitio vocatur Verus. Mirum enim videri non debet heic mutatum esse in Verum, qui apud Augustinum in libro ad Donatistas post collationem cap. xxxiii. degeneravit in Valerium & Valerianum, ut dicemus infra. Itaque pro nomine Ælij Paulini, quod in haec gesta irrepsit, substituendum est nomen ejusdem Verini, qui aliquot etiam post annis vicariam praefecturam Africae gessisse reperitur apud sanctum Augustinum in Breviculo diei tertiae cap. xxii. *Addiderunt etiam illi sua falsitati convincendae magnum aliud firmamentum, recitantes ipsas Constantini litteras scribentis ad Verinum Vicarium ut libero eos dimittat arbitrio, se jussisse insinuans ut de exilio remearent.* Idem in epistola clii. nomine Cirtensis Concilij scripta ad Donatistas: *Tertio protulerunt litteras ejusdem Constantini ad Verinum Vicarium datas, ubi eos graviter detestatur, et propterea dicit de exilio relaxandos & furori suo dimittendos, quia jam Deus coeperat in illos vindicare.* Sumpsit autem illa sanctus Augustinus ex actis collationis tertiae Carthaginensis cap. ccxviii. ubi ita habetur in editionibus Massoni, Pithoei, & Binij: *Ubi recitatur epistola Constantini ad Vicarium Vicarium destinata, qua libertatem agendi tribuit Donatistis.* Vidit Iuretus mendum heic esse, & in Miscellaneis ad Symmachum pag. 352. rectè conjecit legi debere *ad Verinum Vicarium.* quam emendationem amplexus est Henricus Valesius in Dissertatione de schismate Donatistarum cap. xvii. Sanè in antiquissimo exemplari ex quo gesta Collationis illius edidit Massonus, disertè scriptum est *ad Vicarium Verinum.* Non viderant Augustinum, neque haec Miscellanea Iureti, neque demum vetus exemplar qui editioni operum Optati Episcopi Milevitani praefuerunt anno MDCXXXI. post mortem illustrissimi Episcopi Aurelianensis Gabrielis Albaspinaei. Nam si vidissent, haud dubie abstinuissent à periculosa illa nimiumque temeraria emendatione quam huic loco adhibuerunt. Quum enim putarent vocem *Vicarium* bis heic positam esse superflue vitio librariorum, semel tantum posuerunt contra fidem actorum & veteris libri, tum etiam repugnante sancto Augustino. Quem errorem secutus est à nupero editore operum Optati & in novissima Conciliorum editione Parisiensi. Magis miror de ea quae prodit anno MDCXLIV. ex typographia regia: quam cum fama sit procuratam à viris eruditissimis & quidem in hac civitate Parisiensi, ubi facile consuli poterat vetus codex in loco difficili & obscuro, rejecta ab illis est lectio quae in prioribus editionibus extabat, & retenta temeritas editoris operum Optati. His ita constitutis, cùm certum sit epistolam Constantini, quae refertur in indiculo collationis tertiae, eam esse quam Augustinus in capite xxxiii. libri ad Donatistas ait à Constantino scriptam esse ad Vicarium Valerium (sive Valerianum, ut habet codex vetus bibliothecae Colbertinae) Crispo & Constantino iterum Consulibus, certum quoque est mendum heic esse apud Augustinum, & pro Valerio reponendum esse Verinum. Rursum cùm hinc constet Verinum fuisse Vicarium Africae sub consulatu eorundem Caesarum, qui in annum Christi cccxxi. incidit, & ex variis constitutionibus Codice Theodosiano comprehensis colligatur eum annis quoque cccxviii. & cccxix. eandem vicariam praefecturam administrasse, patet eum non solum convaluisse ex morbo quo detinebatur tempore absolutionis Felicis, sed etiam continuatam ei fuisse potestatem. Sed tamen negotium heic mihi facessit idem Augustinus; qui in eodem capite xxxiii. libri ad Donatistas ait Constantinum ad Eumalium Vicarium scripsisse de purgatione Caeciliani Sabino & Rufino Conss. xv. Idus Novembris, id est, anno Christi cccxvi. exeunte; cujus epistolae fragmentum idem Augustinus describit in libro tertio contra Cresconium cap. lxxi. eandemque in Collatione tertia Carthaginensi lectam fuisse docet in Breviculo diei tertiae cap. xxi. ubi ejus sensum refert. Et antea quidem, id est, anno superiore, Domitium Celsum Africae Vicarium fuisse docet inscriptio legis unicae Cod. Theodos. *De his qui filios involant alienos*, data Kalendis Augustis Constantino Aug. IV. & Licinio IV. Consulibus. Quare oportet remotum aliquantisper fuisse Verinum, ut spatium daretur Celso & Eumalio, & dein Africae redditum; sicut post Ælianum reperimus in Codice Theodosiano Catullinum Africae Proconsulem fuisse per annos Christi cccxv. cccxvii. cccxix. & hoc ultimo anno Proculum quoque ea dignitate ornatum, ac postea Ælianum eam recepisse anno cccxx. annoque cccxxiv. Hilarianum proconsulatu hoc imperium habuisse, & rursum Ælianum proconsulatu Africae fulgentem anno Christi cccxxvi.

CUM CHIRA TUO) In veteri codice legitur, *cum scripta sua*. Massonus emendavit, omnino recte. quod sequentia ostendunt.

UT VENIRET ET ACTA) In vetusto exemplari & in editione Massoni legitur, *venit ut acta*. Nos emendavimus. Certa autem est emendatio.

INQUIRIT, QUONIAM) In veteri libro & in editione Massoni, *inquirit. & quoniam*. Particulam &, quae sensum dividebat ac turbabat, nos sustulimus.

ANNI SUNT UNDECIM) Ergo Caecilianus duumviratum gesserat in municipio Aptungitanorum anno Christi cccui. eo nimirum quo edictum de diruendis basilicis & comburendis sacris scripturis propositum est in Africa, ut docent etiam sequentia.

SUPPLETO ANNO) id est, expleto, finito.

SI NASI IN CERA) Haec emendatio nostra est, quam puto placituram viris doctis. Nam antea nullo sensu legebatur in veteri codice: *sed in ai in cera posuit*. Massonus vocem *sed* mutaverat in *si*. Sensus autem istius loci ita mihi videtur posse constitui. Magistratus codices publicos domum suam tulit post expletum annum suae potestatis, atque adeo illi non sunt apud me. Habeo tantum ceratas tabulas in quibus primò perscripta sunt acta; & inquiro utrum actus quos Proconsul petit, in eis inveniantur. Nam *plerunque*, ut Priscianus ait in libro primo grammaticae, *in ceratis tabulis antiqui scribere solebant, & postea delere*. Hoc erat officium no-

notariorum & scribarum, qui ea tabulis ceratis excipiebant quae dictabantur. Hieronymus epist. CXL. ad Principiam: *Stylus scribit in cera, calamus vel in charta vel in membranis aut in quacunque materia quae apta est ad scribendum. Mea autem lingua in similitudinem scribae velocis, quem notarium possumus intelligere, quadam figurarum compendia breviorum evangelii strictumque sermonem exaravit in tabulis cordis carnalibus.* Sexta synodus act. XII. *Misit nos sanctissimus Patriarcha noster ad sanctissimum Patriarcham Constantinopoleos, deferentes ad relegendum in notis.* Hinc apud Possidium in vita sancti Augustini cap. VI. *Apertis notariorum tabulis disputatio capta.* Porro ceratis tabulis utebantur notarij propter facilitatem delendi, ut docet Prudentius. Hieronymus epist. XLIV. ad Chrysogonum; *Ita nostra et necessitudinis pinnulis ebitem ut illam epistolam quam in corde Christianorum scriptam Apostolus refert, non parva litura, sed unis, ut aiunt, certe eraserit.*

ÆLIANVS PROC.) cujus crebra mentio apud Augustinum & in Collatione tertia Carthaginensi, tum etiam in Codice Theodosiano, ut supra vidimus. Itaque cum eum constet eadem prorsus tempestate Proconsulis dignitatem habuisse in Africa quo Volusianus & Annianus gesserunt consulatum, sub quibus habitum est Concilium Arelatense in causa Donatistarum, facile adducor ut credam veram esse eorum sententiam qui suspicantur ad eum scriptam esse epistolam Constantini de Episcopis Africanis Arelatem mittendis intra diem Kalendarum Augustarum, ac pro Ablavio, cui inscribitur in veteri codice Thuano & in editionibus vulgatis, reponendum esse Ælianum. Cur autem ad Proconsulem potius quam ad Vicarium scripta sit, non alia esse ratio potest quam quia eo tempore Vicarius incommoda valetudine detinebatur, ut docet Constantinus Aug. in epistola ad Probianum Æliani successorem. Unde patet corrigendum esse lemma istius epistolae in tomis Conciliorum, ubi dicitur scripta ad Vicarium Africae. Non est mirum autem Æliani nomen mutatum esse in Ablavium in codice depravatissimo, id est, Thuano, ex quo unico prodiere omnes usque ad hunc diem istius epistolae editiones.

VOLVSIANO) Heic locus vacuus relictus erat in veteri exemplari & in editione Massoni. Nos Volusiani nomen addidimus ex Fastis & Codice Theodosiano, praecipue vero ex Augustino, qui in libro ad Donatistas post collationem cap. XXXIII. de hac ipsa re agens ait: *Ælianus Proconsul causam Felicis audivit Volusiano & Anniano Coss. XV. Kalendas Martias.* Contigit ergo ista Felicis purgatio anno Christi CCCXIV.

XIIII. KAL.) Ita vetus exemplar, cum Massonus ediderit XIII. Sed pro eo quod istinc legitur gesta haec esse XIIII. Kal. Septembris, apud Augustinum, ut paulo ante vidimus, haec inquisitio refertur ad XV. Kal. Martias; atque hinc emendanda esse ait Baronius acta purgationis Felicis, quae alioqui depravata atque mendosa satis esse pronuntiat. Sed heic Baronium reprehendit Valesius in dissertatione de schismate Donatistarum cap. XI. eo inter cetera argumento quod intra unius diei spatium tot gestorum documenta perlegi, tot personae interrogari non potuerint; ac propterea necesse esse ait ut in plures dies protracta sit tantae causae cognitio. Itaque contendit ab Æliano inchoatam XV. Kalendas Martias, sed propter necessitates publicas & provinciae negotia intermissam, ac finitam demum XIIII. Kalendas Septembris, id est, sexto mense post initium gestorum. Equidem ut facile concesserim hanc quaestionem pluribus diebus agitatam fuisse, ita gravate admodum crederem tanto tempore sub judice pependisse cognitionem quam Augustinus in epistola CLXII. vocat diligentissimum examen & diligentem ac terribilem inquisitionem; praesertim cum Optatus in libro primo doceat Constantinum Imp. scripsisse in Africam *ut remotis necessitatibus publicis de vita Felicis Autumnitani publice quaereretur.* Et cum necesse sit existimare mendum esse in libro Augustini ad Donatistas aut in hoc loco gestorum, & quae ab Augustino referuntur extra mendum esse hinc constet quod cognitionem de causa Felicis ab Æliano susceptam esse ait quarto ferme mense post judicium Melchiadis, quod initio mensis Octobris proxime praeteriti factum fuerat, non video quo modo repudiari possit Baronij sententia, qui hunc locum gestorum pronuntiavit emendandum esse ex libro Augustini ad Donatistas.

DVVMVIRVM SPLENDIDA) In veteri libro & in editione Massoni legitur: *Duovirum recitavit. Splendida.* Nos sustulimus vocem *recitavit*, quae omnino superflua heic erat, & sensum turbabat.

APVD MAX. IMPERATORES) Constantinum & Licinium, qui tum temporis remp. administrabant.

CVM PERSECVTIO ESSET INDICTA) anno Christi CCCIII. ut toties diximus supra. Hinc ortum vocabulum traditorum in Africa.

IVSSIONE PROCONSVLARI) id est, Anulini, quem fuisse tum Proconsulem Africae produnt acta martyrum qui tum apud Africam exagitati sunt pro nomine Christi.

SECVNDVM SENEX EST) Ita vetus exemplar. Massonus edidit, *Secundus senex est*, nullo sensu. Heic enim non agitur de Secundo, sed de Alfio Caeciliano Exduumviro Aptungitanorum.

EPISTOLAS SALVTATORIAS) Infrà: *Epistolas salutatorias de basilica protulerit.* Difficile est explanare quid heic intelligatur per epistolas salutatorias. Neque enim mihi hactenus probatur quod quidam ex hoc loco colligunt epistolas salutatorias eas esse quibus quis alicui salutem impertit. Manifestum quippe est heic agi de codice quodam venerando, quem Alfius Caecilianus duumvir ex basilica Aptungitana sustulit, haud dubie ut ureret. Nam post cathedram episcopalem & epistolas salutatorias sublatas, etiam *ostia omnia combusta sunt secundum sacrum praeceptum.*

INGENTIVS SCRIBA) qui postea Decurio fuit civitatis Ziquensium, & tunc convictus est falsasse & interpolasse epistolam quam Alfius Caecilianus scripserat ad Felicem Episcopum Aptungitanum. Augustinus post. coll. nomine Concilij Cirtensis scripta ad Donatistas: *Ingentius confessus fuerat in cognitione Æliani Proconsulis falsum se fecisse adversus Felicem Caeciliani ordinatorem.* Idem in libro ad Donatistas post collationem cap. XXXIII. *Ingentius, qui eidem judicio contra Felicem falsum e fecisse convictus est.* Vide epistolam Constantini ad Probianum, cujus meminit in his Augustini locis.

COLLEGAM MEVM) Antea legebatur *collega meus*, non solum in editionibus, sed etiam in antiquo exemplari manuscripto. Verum cum haec verba referri debeant ad Augentium, qui fuit collega Alfij Caeciliani, necessaria visa est emendatio quam nos huic loco adhibuimus.

HOC SIGNVM) Hic locus refertur etiam infrà pag. 21. col. 1. sed multùm diversus.

PAVLINO ADM. VICES PRAEF.) anno Christi CCCIII. quum coepta persecutio est in Africa, ut supra diximus.

MODVM CVRSORIS) Codex vetus & editio Massoni habent *modicum*, manifesto errore. Modum cursoris dixit, id est, formam, speciem. Vox est Latina.

SCRIBAS ILLO) id est, illi. Sic plerique veteres, qui etiam *alis* frequenter scribebant pro *alij*. Sic apud Commodianum lib. I. cap. XIX. *perituro creditis uno*, & cap. XXIII. *Uno crede Deo.*

HVIVS LATERA) Retinuimus scripturam veteris exemplaris. Editio Massoni habet *ejus literae*. quod fortassis rectius est.

SVSPENDATVR) Constantinus in epistola ad Probianum: *Eundem ipsum Ingentium suspensum actis, quae fuerant, pervidimus.* Optatus libro primo: *Ingentius scriba publicus pependit sub metu comminationum tormentorum.*

CONSTANTINVS) Locus heic vacuus erat relictus in veteri codice & in editione Massoni. Dubium autem non est quin Constantini nomen scribi debuerit.

DECVRIONEM) In veteri codice & in editione Massoni legitur, *Dei cultorem*; Et quamvis haec lectio tolerari possit propter ea quae antecedunt, maluimus tamen amplecti conjecturam Baronij, qui in epistola Constantini ad Probianum videbamus Constantinum ex actis illis collegisse Ingentium *non minime tortum quod se Decurionem Ziquensium civitatis asseveraverit.* Nam Decurionum hoc erat privilegium quod torqueri non poterant, ut diximus ad Lactantium.

EX PROFESSIONE) Haec & quae sequuntur usque ad finem sententiae, extant etiam apud Augustinum lib. III. adversus Cresconium cap. LXX.

FELICEM AVTEM) Hanc partem sententiae descripsit Optatus in libro primo, & addit: *Unde pulsa atque extersa infamia, cum ingenti laude illo judicio recessit.*

AD

AD ACTA PVRGATIONIS CÆCILIANI.

ACtorum istorum vetus exemplar, ex quo edita sunt à Massono, extat in bibliotheca Thuana, sed depravatissimum & contaminatissimum, ut ante me observavit illustrissimus Cardinalis Baronius. Meminit autem illorum Optatus Milevitanus in libro primo, ubi etiam admonet se ea subjunxisse operi suo. *Harum namque plenitudinem rerum*, inquit, *in novissima parte istorum libellorum ad implendam fidem adjunximus*. Certe in veteri libro verba quae sequuntur scripta sunt post collectionem istorum & aliorum quorundam actorum. *Expliciunt sancti Optati Episcopi libri numero* VII. *vel gesta purgationis Caeciliani Episcopi & Felicis ordinatoris ejusdem*. Meminit eorundem Augustinus epist. CLXII. ubi adnotat ea lecta non fuisse in collatione Carthaginensi, quia tempus non fuit. Vide etiam epistolam CLXV. & lib. III. contra Cresconium cap. XXIX. ubi fragmenta quaedam istorum actorum describuntur.

Pag. 22. col. 1. ORDINAVIT MAJORINVM) cui Donatus, à quo Donatistae, successit in cathedra Carthaginensi. Itaque primo pars Majorini dicebatur quae postea pars Donati dicta est, ut legitur in epistola LXVIII. sancti Augustini. Collatio tertia Carthaginensis cap. CCXX. *Libellus Ecclesiae catholicae criminum Caeciliani, traditus à parte Majorini*. Quae verba descripsit etiam sanctus Augustinus in eadem epistola. Quare verissimam puto sententiam Henrici Valesij, qui in dissertatione de schismate Donatistarum cap. IV. verba illa ex libro primo Optati, *Data à Luciano, Digno, Nassutio, Capitone, Fidentio, & ceteris Episcopis partis Donati*, sic emendanda esse pronuntiat ut, sublato nomine Donati, Majorini nomen hoc reponatur.

CONSTANTINO) Assentior eidem Valesio, qui in eadem dissertatione cap. III. probat adversus Baronium haec gesta non esse anno Christi CCCVI. sed CCCXX.

THAMVGADIENSI) In veteri libro & in editione Massoni legitur *Thamugadiensi*. Nostram emendationem confirmant acta Concilij Carthaginensis sub Cypriano, in quibus legitur nomen Novati a Thamugade. Et apud sanctum Augustinum celebre est nomen Gaudentij Thamugadensis Episcopi partis Donatistarum; adversus quem idem sanctus duos libros scripsit, quorum & ipse meminit lib. II. cap. LIX. Retractationum. Item apud eundem in epistola LXI. legitur: *Debeo autem Thamugadensibus ejusmodi ministerium caritatis*. Lex porro secunda Codicis Theodosiani *De honorariis codicillis*, quae est Constantij, accepta dicitur Thamugadi; ubi Iacobus Gothofredus adnotat eam urbem fuisse in Mauritania Tingitana, ejusque nomen corruptum esse in Notitia imperij & in utroque Itinerario. In collatione prima Carthaginensi cap. CXXVIII. nominatur Faustinianus Episcopus plebis Tamogadensis, & in Notitia Episcoporum Africae Secundus Tamugaziensis inter Numidas.

NVNDINARIO) Hic totius istius inquisitionis auctor fuit, ut se ulcisceretur adversus Silvanum Cirtensem Episcopum, à quo laesus erat. Augustinus epist. CLXII. *Extant gesta apud Zenophilum consularem, ubi Nundinarius quidam Diaconus à Silvano Cirtensi Episcopo, quantum ipsis gestis intelligitur, degradatus, cum ei* (sic legendum, ut rectè habet prima editio Parisiensis, non *est*) *satisfacere per aliorum Episcoporum literas frustra conatus esset, multa patefecit iratus & in judicium publicum protulit: inter quae id quoque commemoratum legitur, quod Lucillae pecunia corruptis Episcopis, in Carthaginensi Ecclesia, in Africae capite, altare contra altare levatum est*. Idem epist. CLXV. *Recita illa gesta apud Zenophilum consularem, ubi Nundinarius quidam Diaconus iratus Silvano, quod ab eo fuerit excommunicatus, haec omnia judiciis prodidit, quae certis documentis & responsionibus testium & recitatione gestorum & multarum epistolarum luce clarius constiterunt*.

VIR CLARISSIMVS) Haec duo vocabula sic plerunque scribuntur in veteribus libris, V. C. Sed hoc loco posita sunt in veteri codice uti nos edidimus. Quas notas quum librarius non intelligeret, deinceps posuit *vicarius* pro *vir clarissimus*, inepto errore, quem tamen Massoni editio retinuit in aliquot locis. Alij putarunt notas illas explicandas esse per haec verba, *vir consularis*. quos in Miscellaneis suis ad Symmachum pag. 282. reprehendit, & merito, vir eruditissimus Franciscus Iuretus. Certè si ista interpretatio valeret, Zenophilus hoc consequenter bis vocaretur consularis. Quo nihil fingi potest absurdius. Eadem ratione explicandae essent notae illae apud Gruterum pag. CXCIII. in illa inscriptione ubi Postumius Lampadius V. C. *Cons. Camp.* nominatur: quas tamen per *vir clarissimus* exponendas esse probat altera inscriptio apud Gruterum pag. CCLXXXIII. in qua legitur *Decimius Germanianus vir clariss. Consularis provinciae Baeticae*. Quin & Consules ipsi ordinarij & Praefecti Urbi, quorum dignitas erat supra dignitatem consularium, consulares tamen dicti reperirentur, si vera esset interpretatio quam nos refellimus. Extant enim apud Gruterum pag. CXCIII. aliquot inscriptiones in quibus *Ti. Fabius Titianus V. C. Cos. ordin. & Praef. urbi* nominatur. Quare necesse est mendosum esse codicem Gemeticensem epistolarum sancti Augustini, in quo notae illae per *vir consularis* explicantur in relatione Anulini Proconsulis Africae ad Constantinum, quae extat in epistola LXXXVIII. sancti Augustini in nova editione; cùm tamen in collatione tertia Carthaginensi, ubi eadem relatio reperitur inserta, exponantur per *vir clarissimus*, omnino rectè. Nam cùm hoc non sit nomen famae & celebritatis, ut ait idem Iuretus, sed honoris & dignitatis, & conjungebatur cum titulis eorum ad quos scribebatur, & ipsi qui clarissimi erant, se eo nomine decorabant; sicut olim Reges nostri primae stirpis se in titulis suis vocabant viros illustres, ut cuivis notum est, & observatum etiam a Sirmondo in Notis ad Ennodium pag. 19.

CONSTANTINIANI.) sive Cirtensium. Cirta enim dicebatur antè quae tum Constantina vocabatur. Vide Valesium in dissertatione de schismate Donatistarum cap. III.

SECVNDVS EPISCOPVS) Tigisitanus, *qui tunc agebat in Numidia primatum*, ut in epistola CLXII. ait Augustinus. Idem principatum Concilij Cirtensis tenuit, ut ibidem Augustinus scribit, ubi praesentes & confessos traditores reliquit Deo judicandos, & eos in episcopalibus sedibus manere permisit. Vide eundem in libro primo contra epistulam Parmeniani cap. III. Breviculo diei tertiae cap. XIII. & lib. I. contra Gaudentium cap. XXXVII.

CAECILIANVM EPISCOPVM) Carthaginensem catholicum, Mensurij successorem, tot tempestates perpessum à parte Donati ut propterea nomen ejus valde inclaruerit. Notissima est historia calamitatum ejus.

ALIVM INSTITVERVNT) Majorinum, cui Donatus successit, ut antè diximus.

VNAM ECCLESIAM HABET) id est. Nos Cirtenses nescimus divisionem. Neque enim duos Episcopos habemus, ut pleraeque civitates Africae, quae unum habent partis Donati, alium partis Caeciliani. Nos unicum tantum habemus, sed qui Donato communicat, Caeciliano non communicat. Postea tamen Cirtenses duos habuerunt Episcopos, Fortunatianum nimirum & Petilianum, ut patet ex Collatione prima Carthaginensi cap. LXV. CXXXVIII. & sequenti.

SILVANO) Episcopo Cirtensi, qui cum secundo Tigisitano primate Numidiae & ceteris ordinavit Majorinum adversus Caecilianum.

INTERMISSO EO) Vir doctissimus Henricus Valesius in dissertatione suprà laudata cap. III. haec verba interpretatur de Caeciliano, cujus innocentia multis jam indiciis probata fuerat. Verum haec interpretatio non caret difficultate. Quippe haec non dicebantur Carthagine, sed in Numidia, cujus Consularis erat Zenophilus. Praeterea Victor nondum dixit se non communicare cum Caeciliano. Itaque dubium est utrum haec accipi debeant de Caeciliano, an vero de Felice Aptungitano.

PVRGATA) Ita vetus codex. Massoni editio habet *probata*. Legitimam porro esse nostram emendationem probatur etiam ex Collatione tertia Carthaginensi cap. DLXXI. ubi ita legitur: *Donatistarum prosecutio, qua dicunt praesentem Felicem debuisse purgari*. Et cap. DLXXIV. *Prosecutio catholicorum, majoris esse innocentiae documentum quòd absens purgatus est Felix*. Sanctus Augustinus epist. CLXII. *Nec de Felicis Aptungitani causa negligentiam confectam, sed ad ejusdem Principis jussionem proconsularibus gestis etiam ipsum fuisse purgatum*. Et intrà de eodem Felice: *Non debuit Episcopus proconsulari judicio purgari*. Idem lib. III. contra Cresconium grammaticum cap. LXI. *Publica monumenta proclamant dictum esse*

esse causam & ad debitum finem esse perductam usque ad purgationem Felicis Aptungensis.

Pag. 22. col. 1. TRADITOR) Traditores dicebantur qui tempore persecutionis scripturas divinas & supellectilem ecclesiasticam tradiderant ministris reipublicae. Et magna in hoc querela erat Donatistarum, qui catholicos, eos nimirum qui Caeciliano communicabant, passim vocabant traditores & progeniem traditorum. Contra catholici proditionem imputabant Donatistis, quos appellabant heredes traditorum & schismaticorum, adeo ut Optatus Milevitanus manifestum esse dicat principes eorum fuisse traditores.

NVM) In veteri codice legitur *non*. Massonus reposuit *nam*. Vtraque lectio falsa est. Ea vero vera quam nos retinuimus.

MONTEM BELLONAE) prope Cirtam.

NE STRICTIVS INTERROGERIS) id est, ne torquearis. Acta purgationis Felicis pag. 21. col. 2. *Est enim arctiori interrogationi necessarius.*

DIOCLETIANO VIII.) id est, anno Christi CCCIII. quo coepit persecutio.

XIV. KAL. IVN. Ita omnino vetus exemplar & editio Massoni. Quo etiam modo habetur apud Augustinum lib. III. contra Cresconium cap. XXIX. Sed idem tamen epist. CLXV. mentionem faciens istorum actorum, undecimo Kalendas Iunias gesta esse commemorat, certo, ut mihi videtur, errore. Nam & in ipsis actis quae nos heic edidimus, & in exemplari quod extare monuimus in libro tertio contra Cresconium, diserte & constanter notatus est dies XIV. Kal. Iunias. Excidit autem haec emendatio viris doctissimis qui recensendis emendandisque Augustini epistolis operam suam nuper contulerunt utiliter in publicum. Sed falsa profecto est clarissimi viri Ioannis Broet Biturigis conjectura, qui in dissertatione de epocha Concilij Cirtensis scribit mensem Iunium in hoc Augustini loco mutandum esse in Ianuarium, ita ut quae heic referuntur de Munatio Felice, gesta fuerint mense Ianuario qui post coeptam persecutionem proximus fuit. Frustra inquam, cum & omnes veteres libri & omnes editiones uno consensu mensem Iunium praeferant, & ista res nihil habeat commune cum actis Concilij Cirtensis.

MVNATII FELICIS) In epistola CLXV. sancti Augustini legitur *Numatium*, sed emendata est ea libro tertio contra Cresconium in novissima editione. Sirmondus tamen in Notis ad Ennodium pag. 95. praetulit lectionem quae Numatij nomen habet. Valesius vero in annotationibus ad Eusebium pag. 161. Munatium maluit quam Numatium. Recte, ut opinor. Quippe frequens est in antiquis inscriptionibus nomen Munatiorum, qui etiam plerunque Felices vocantur; ut videre est apud Gruterum pag. XXVI. & MCXXIV.

FLAMINIS PERPETVI) In veteri codice legitur *praepositi*, propter notas illas PP. quas cùm librarius non intelligeret, eas per vocem *praepositi* explicavit. Sed apud Augustinum lib. III. contra Cresconium cap. XXIX. & lib. IV. cap. LVI. reperta est vera lectio. Flaminum porrò qui per provincias constituti erant, alij erant temporarij, alij perpetui; ut observatum est à viris eruditissimis.

PAVLO EPISCOPO) Cirtensi, qui convictus est instrumenta dominica tradidisse, etiam quae diligenter fuerant occultata; ut ait Augustinus in epistola CLXV.

PRAECEPTO ET IVSSIONI) In veteri libro & in editione Massoni legitur: *ut praeceptum est, ut jussioni &c.* Emendatum est ex his quae sequuntur.

Ib. col. 2. POSTEAQ. IN BIBLIOTHECIS. Ita omnino vetus exemplar. Verùm Augustinus hunc locum referens lib. III. contra Cresconium cap. XXIX. ita scribit: *Posteaquam apertum est in bibliothecam*. At in libro quarto cap. LVI. idem habet: *Posteaquam perventum est ad bibliothecam*. Massonus ex hac duplici editione Augustiniana suam composuit, & ita scripsit: *Posteaquam perventum est in bibliothecam*. Ego lectionem veteris libri puto veram esse. Bibliothecae vocantur in his actis armaria in quibus libri erant inclusi. Vnde paulo post Silvanus tum Subdiaconus ait: *Nihil remansit, totum hic ejecimus*. Valerius in vita sancti Pontij martyris cap. II. *copiam voluminum librorumque, quos bibliothecae portare non poterant, in suo parvo corpusculo translaturus*. Possidius in vita sancti Augustini cap. XXXI. *Monasteria virorum ac feminarum continentium cum suis Praepositis, plena Ecclesiae dimisit, unà cum bibliothecis libros & tractatus vel suos vel aliorum sanctorum habentibus.*

CAPITVLATAM ARG.) Vetus exemplar habet: *capitulata argentea & lucerna argentea*. Pro quibus Massonus ista substituit: *capitula argentea & lucernas argenteas*, prorsus male. Quippe in variis horum gestorum locis & apud Augustinum mentio est unius tantùm lucernae. Nam Augustinus hunc ipsum locum pluries refert, & in duobus locis scribit, *capitulatam argenteam & lucernam argenteam*, uti nos reposuimus. Quare emendandus est idem Augustinus lib. IV. contra Cresconium cap. LVI. ubi *capsulam* legitur pro *capitulatam*. Infrà pag. 24. col. 1. pro *capitulatam* legitur *tabulam*. Itaque aut mendosus est hic locus, aut per capitulatam intelligitur tabula.

MORTVVS FVERAT) Hunc locum refert Augustinus epist. CLXVII. & lib. III. contra Cresconium cap. XXIX. & lib. IV. cap. LVI.

ORCAM) Malè apud Augustinum legitur *arcam*. Orca est vas fictile, ut pluribus testimoniis ostendit vir clarissimus Carolus Dufresnius in suo Glossario.

FELICIS SARSORIS) id est, opificis marmorarij. Ibid.
Hinc opus sarsorum apud Ennodium, cùm variae discolorum marmorum crustae committuntur, ut unum corpus & unam quasi picturam efficiant; quemadmodum illic adnotavit Sirmondus.

BOVI SERVO PVBLICO) officiali, apparitori. Ibid.

EPISTOLAS EPISCOPORVM) quas pro Nundinario scripserant ad Silvanum Episcopum Cirtensem & ad clerum plebemque ejusdem civitatis. Meminit harum epistolarum sanctus Augustinus epist. CLXII. CLXV.

A FORTE) Verum est Fortem quoque scripsisse pro Nundinario. Attamen oportet ejus nomen heic loco non suo positum esse, aut postea desunt aliquot verba quae doceant epistolas Episcoporum factas a Forte & ceteris.

EXEMPLAR LIB. TRA. EPISCOPIS) Haec verba desunt in veteri exemplari, per incuriam videlicet & oscitantiam librarij. Suppleta autem sunt ex libro tertio sancti Augustini contra Cresconium cap. XXIX.

FVR RERVM PAVPERVM) Ideo Silvanus dicitur fur rerum pauperum quia viginti folles, quos Victor fullo dederat ut fieret Presbyter, apud se retinuerat, nullaque eorum pars pervenerat ad populum, in quo pauperes, ut legitur infra pag. 25. col. 1. Praeterea idem cum reliquis Episcopis, quos propterea sanctus Augustinus in libro primo contra Parmenianum cap. III. vocat fures ecclesiastici argenti, diviserat quadringentos folles quos Lucilla clarissima femina dedit ut Majorinus fieret Episcopus; quorum nullam partem ad pauperes pervenisse scribitur pag. 24. col. 2. & pag. 25. col. 1.

DE QVADRING. FOLL.) Hic locus restitutus est ex Augustino. Male enim in veteri exemplari scriptum est: *scitis & vos & Lucilla consul felix pro quod vobis &c.* Scriptum erat in antiquiori codice *Lucilla C. F. pro quod*. Itaque cùm librarius non intelligeret notas illas, perperam interpretatus est.

FOLLIBVS) Monetae genus. Vide Glossarium Dufresnij & Iacobi Gothofredi Notas ad Codicem Theodosianum. Vide etiam Sirmondum ad sermonem XXXIX. sancti Augustini, ubi conjicit follium & solidorum nostratium eundem valorem esse vel affinem.

LVCILLA) Femina fuit dives & factiosa: *quae ante concussam persecutionis turbinibus pacem*, ut ait Optatus, *dum adhuc in tranquillo esset Ecclesia, cùm correptionem Archidiaconi Caeciliani ferre non posset, quae ante spiritalem cibum & potum os nescio cujus martyris, si tamen martyris, libare dicebatur, & cum praeponeret calici salutari os nescio cujus hominis mortui, etsi martyris, sed necdum vindicati, correpta, cum confusione irata discessit. Irascenti & dolenti, ne disciplinae succumberet, occurrit subito persecutionis enata tempestas*. Meminit autem hujus loci sanctus Augustinus libro primo contra Parmenianum cap. III. & in epistola CLXII.

INDE FACTVM EST SCHISMA) Optatus paulò post locum heic descriptum: *Schisma igitur illo tempore confusae mulieris iracundia peperit, ambitus nutrivit, avaritia roboravit. Ab his tribus personis contra Caecilianum causae confictae sunt ut vitiosa ejus ordinatio diceretur*. A Botro nimirum, Celesio, & Lucilla. Itaque iracundia referri sine dubio debet ad Lucillam, ambitus ad Botrum & Celesium, qui apud Carthaginem ordina-

dinari cupiverant, avaritia ad Episcopos qui Majorinum ordinarunt, qui folles quadringentos, quos Lucilla dederat, inter se diviserunt, & amore pecuniae Episcopum levarunt adversus Caecilianum. Erat autem Majorinus domesticus Lucillae, ut idem Optatus docet.

PVRPVRIVS EPISCOPVS) Limatensis, quem homicidam vocat Optatus, quod interrogatus de filiis sororis suae, quòd eos in carcere Milei necasse diceretur, confessus sit dicens: *Et occidi non eos solos, sed & quicunque contra me fecerit*. Sumpsit ista Optatus ex actis Concilij Cirtensis, quae extant apud sanctum Augustinum lib. III. contra Cresconium cap. XXVII. Limata ergo fuit civitas Numidiae.

Pag. 23. col. 1. LAPIDATVS) id est, degradatus, ut ait Augustinus, adeoque contumelia affectus. Infrà pag. 23. col. 1. *à quibus lapidarentur pro veritate*. Vide Glossarium Dufresnij.

NON EST VANVM) id est aequum. Livius lib. XXXII. *Ceterum & sociorum audire postulata verum esse*. Apud sanctum Ambrosium epist. LXX. legitur: *Tributarios perditum iri nequaquam justum & aequum*. Pro quo in vetustissimo codice MS. Ecclesiae Bellovacensis vidi scriptum *verum*.

SINE SANGVINE SPIRITALI) Locus est elegantiae non vulgaris. Sanguinem spiritalem fundi ait quum discordiae gladius saevit in Ecclesiam, quum Episcopi dissident cum Clericis, quum hae dissensiones erumpunt in vulgus & dant locum sermonibus.

PVRPVRIVS EPISCOPVS) Haec non extant in veteri codice, neque in editione Massoni, ubi locus vacuus relictus est. Nos itaque addidimus, quia ex contextu sequentis epistolae apparet & istius & superioris eundem esse auctorem.

Ibid. VERA SVNT) Leg. *vera*, ut patet ex epistola Purpurij ad Silvanum.

SILVANO) Et hanc quoque vocem nos addidimus. Nam heic relictus erat locus vacuus in veteri exemplari & in editione Massoni. Certum quippe est hanc epistolam scriptam esse ad Silvanum, cum in ea agitur de discordia quae inter illum erat & Nundinarium Diaconum.

FORTIS) Episcopus, cujus jam suprà mentio. Cujusnam vero sedis Episcopus fuerit, mihi non est compertum. In collatione prima Carthaginensi cap. CLXIII. memoratur Fortis Episcopus Cedientis.

PACEM CELEBRARE) Leg. *Pascha*. quod sequentia probant. Pag. 23. col. 2. *ut cum pace Pascha celebremus*. Et infra: *Nundinarius in pace tecum Pascha celebret*.

FRATRIBVS ET FILIIS) id est, Clericis & Senioribus Ecclesiae Cirtensis, ut in superioribus.

IVDICATVR, SED APVD) Ita vetus codex. Massonus edidit: *judicio contendit, & hoc apud*.

Ib. col. 2. FRATRI SILVANO SABINVS) Et haec quoque nos addidimus; quae neque in veteri libro habentur, neque in editione Massoni. Certa autem est haec restitutio.

SABINVS) Episcopus Numida.

Ibid. DIEBVS SITIS) Paschalibus.

QVID ADMINISTRABAT) Hic locus mendosus est apud sanctum Augustinum, ubi sic legitur lib. III. contra Cresconium cap. XXIX. *Quis administrabat? Tunc Silvanus in clericatu respondit, sub Paulo*. Ex lib. IV. cap. LVI. *Qui administrabat? Tunc Silvanus in clericatu victor respondit: sub Paulo*. Hinc ergo emendandus utrobique est Augustinus.

SILVANVS SVBDIAC. FVIT) Meminit hujus loci Augustinus in epistola CLXV. Is ergo ex Subdiacono Pauli Cirtensis Episcopi, in cathedra ejus postea locatus est.

Pag. 24. col. 2. CIVEM MORTVVM PETERANVR) id est, Donatum, ut constat ex pagina sequenti extrema.

TABVLAM) Iam suprà monuimus aut mendosum esse hunc locum, aut per tabulam debere intelligi capitulatam cujus & heic & apud Augustinum mentio est.

Ibid. ACETVM) sive acetabulum. Vide Glossarium Dufresnij.

SVPERIO) Vetus exemplar & editiones omnes habent *Luciano*, certo errore. Nos Superij nomen ideo substituimus, quia infra, dum ista repetuntur, semper Superij nomen ponitur pro Luciano. Lucianus enim Diaconus tantum fuit, ut statim dicitur.

ANTE CATHEDRAM EPISCOPOR.) Ergo jam tum certus ac fixus erat episcopalis cathedrae locus in Ecclesia.

IPSI EPISCOPI) Ergo plures Episcopi ordinaverunt Presbyterum Victorem fullonem.

AB HARENARIIS) non a clero, nec ab honoratis, Ib. col. 2.
sed à plebecula, in qua fuerint harenarij, cujusmodi tandem generis fuerunt homines illi. Vnde paulo post dicitur, *prostibula illic fuerunt*, ut ostenderetur electionem Episcopi per vim ac seditionem factam esse. Qui locus evincit justissimam esse constitutionem synodi Laodicenae, quae sancivit ne turbis liceret electiones Episcoporum facere.

GESTAVERVNT) id est, levaverunt, tulerunt thronum Episcopi.

AREA MARTYRVM) Aream plerique interpretantur Coemeterium, auctoritate sumpta ex libro Tertulliani ad Scapulam, ubi ait sub Hilariano praeside de areis sepulturarum nostrarum acclamatum ab adversariis nostris fuisse *Area non sint*. Verum in isto loco area martyrum non potest intelligi de coemeterio, cum constet aedificium fuisse, in quo furens plebecula populum Dei sive cives honoratos inclusit, ut libertatem haberet constituendi quem vellet Episcopum. Vnde infra pag. 25. col. 1. quum Crescentianus Subdiaconus interrogatus esset à Zenophilo utrum praesens fuisset quum Silvanus factus est Episcopus, respondit: *Praesens cum populo fui, inclusus in casa majore*. Iam ergo habemus aream martyrum & casam majorem civitatis Cirtensis eandem rem fuisse.

NVLLAM DIGN. HABEO) Interrogatio ergo Zeno- Ibid.
phili non erat de dignitate ecclesiastica, sed de conditione civili.

CAMPENSES) In veteri codice legitur *Campeses*, ea- Pag. 25. col. 1.
dem ratione qua frequenter scribitur *Monteses* pro *Montenses*. Per campenses autem intelliguntur qui in campis & agris habitant, ut vox ipsa loquitur. Alij sunt Campenses apud Hieronymum in epistola LVII. qui & cum Arrianis conjunguntur & cum Tarsensibus haereticis. Rursum alij sunt Campitae, ut habet editio Mariani Victorij, sive Campates, ut Ioannes Andreae Episcopus Aleriensis & Desiderius Erasmus ediderunt, apud Hieronymum in fine dialogi adversus Luciferianos. Hi enim fuere iidem cum Montensibus, id est, Donatistis. Falluntur enim Erasmus & Victorius, qui existimant Montenses dictos à Montani haeresi. Falluntur inquam, ut patet etiam ex epistola CXXXIII. ejusdem Hieronymi.

CETERA DESVNT) Praeter ultimam partem horum Ibid.
gestorum, quae desideratur, lecta sunt apud Zenophilum Consularem gesta Concilij Cirtensis, ut docet Optatus Milevitanus in libro primo: *Hi & ceteri, quos principes tuos fuisse paulò post docebimus, post persecutionem apud Cirtam civitatem, quia basilicae necdum fuerant restitutae, in domum Vrbani Carisi consederant die III. Iduum Majarum, sicut scripta Nundinarij tunc Diaconi testantur*. Lapsus est autem, ut hoc obiter moneam, in hujus loci interpretatione vir illustrissimus Gabriel Albaspinaeus Episcopus Aurelianensis persecutionem quae heic commemoratur referens ad Maxentium, cum ex gestis Concilij Cirtensis appareat heic agi de persecutione Diocletiani. Quod etiam manifestè colligitur ex Augustino in Breviculo diei tertiae cap. XVII. Porro gesta Concilij Cirtensis habentur, ut monuimus, apud Augustinum.

AD PASSIONEM SANCTÆ SERAPHIÆ.

POstremam istorum actorum partem edidit Boninus Mombritius, Surius priorem, sed valde mutatam ab illis antiquis. Nos cum illa integra & sincera reperissemus in codice 316. bibliothecae Colbertinae, existimabimus conjungenda esse cum vetustis martyrum actis quae cum Lactantij libro edere nobis persuaserunt viri quidam & clarissimi & doctissimi. Magnum autem sinceritatis & antiquitatis argumentum est quod Sabina dicitur fuisse filia Herodis, *qui sub Vespasiano Augusto ter in urbe Roma candidam confessionem dedit Romanis*. Quippe vir doctissimus Henricus Valesius acta sancti Bonifacij martyris, quae ab Holstenio edita sunt, hoc magnum indicium vetustatis habere scribit quod illic de Aglaë dicatur: *Haec ergo ter candidam egerat apud urbem*

bem Romam ex praefectura. Candida autem est editio ludorum quae fiebat à Praetoribus vel Quaestoribus candidatis, sumptu ipsorum, non ex arca publica, ut idem Valesius observavit ad librum XXVII. Ammiani Marcellini pag. 332. & in praefatione ad acta sanctarum Perpetuae & Felicitatis.

Cap. 2. OPPID. VENDEN.) Infrà cap. XII. scribitur *Vindennensi*. quod idem est. Fuit porro oppidum Vinbriae, cujus incolae Vindenates dicebantur, ut ostendit Cluverius in libro secundo Italiae antiquae cap. VIII.

CONFESSIONAM) Puto hanc vocem redundare & ab ejus ingenio profectam qui *candidam* putaret heic esse positam adjectivè.

VIRILLVS) Alij vocant Berillum.

BASTERNAM) vehiculum tectum, quo praecipue utebantur feminae. Vide Glossarium Dufresnij.

Cap. 3. LVSORIVM) theatrum. Vide quae supra dicta à nobis sunt ad caput XXI. Lactantij.

ARCVM ALBINI) ejus nimirum, ut arbitror, qui remp. tenuit cum Severo, & postea ab eo victus interiit. Fuit autem hic arcus trans Tyberim.

Cap. 9. BIOTHANATA) id est, vitae tuae inimica, quae te in mortem voluntariam temerè praecipitas. Vide Petri Ciaconij annotationes in Cassianum, & Glossarium Dufresnii.

Cap. 10. ARCVM FAVSTINI) Infrà cap. XII. *Posuerunt in monumento ipsius in oppido Vindennensi ad arcam Faustini*.

ARAM VINDICIANI) Frustra Baronius ad diem tertiam Septembris hunc trahit locum Tertulliani ex libro ad Scapulam, ut doceat arcam heic accipiendum esse locum ipsum ubi sepelirentur defuncti Christiani. Quamvis enim, quod negari non potest, area interdum sumitur pro coemeterio, illud tamen non semper verum est, cum certum sit, etiam ex eodem Tertulliani loco, areas fuisse quae non essent coemeteria.

ILLVSTRISSIMA) Ab hoc verbo incipit fragmentum quod Mombritius edidit; quod etiam reperi eodem modo incipiens in vetustissimo codice MS. bibliothecae regiae.

EX MORA) Apud Mombritium & in codice regio legitur, *& ex more*.

INCLVSOS) Mombritius & codex regius, *reclusos*.

Cap. 11. PRAESIS INDICAVIT ES) Codex regius, *indicatum est et de religiosissima femina Sabina omnia quae*.

VXOR VALENTINI) Mombritius & codex regius, *uxor quondam Valentini*.

ADORAS DEOS) Codex regius, *adoras magis deos & honoras*. Mombritius, *magis deos adoras & honoras*.

NON SOLVM) Codex regius & Mombrit. *ergo non solum*.

NON DEVM) Codex regius & Mombritius, *non deos*.

Cap. 12. CHRISTI MARTYRIS) Codex regius, *famulae Christi*.

SABINA) Codex regius, *sancta Sabina*.

AD PASSIONEM SANCTÆ MARIÆ.

Acta ista primus edidit Boninus Mombritius, sed valde imperfecta. Eadem paulo diversa descripsit Surius ex Vincentio Bellovacensi, qui se ea accepisse scribit ex gestis ejus. Nos, quum vetus eorum exemplar reperissemus in codice 184. bibliothecae Colbertinae, constetque veterem esse scriptionem non inelegantem, illa heic edere integra credidimus operae pretium, quae valde manca & mutila extant etiam apud Vincentium.

PRINCIPALIS) Augustinus epist. CLVIII. *Russianum Cirtensem principalem commendo existimatioi tuae*. Idem epist. nat. in nova editione: *Fratrem Hilarinum Hipponensem archiatrum & principalem multùm commendamus*. Salvianus lib. V. pag. 103. secundae editionis nostrae: *Quis ergo, ut dixi, locus est, ubi non à principalibus civitatum, viduarum & pupillarum viscera devorentur?* Quos heic dicit principales, paulo ante curiales vocat. *Quae enim sunt non modo urbes, sed etiam municipia atque vici, ubi non quot curiales fuerint, tot tyranni sint?* Vide Iuretum in Miscellaneis ad Symmachum pag. 227. & sequentibus.

NATALE FILII) Sic solebant antiqui liberorum suorum natalia celebrare. Testis, praeter ceteros, Capitolinus in Albino: *Convivio quod celebritati pueri deputabatur*. Cap. 1.

NATVM) Malè apud Vincentium, Mombritium, & Surium *natum*.

SVPER DAVM) Apud Vincentium, Mombritium, & Surium scriptum est, *super dominum*. Quam lectionem ego libenter praefero.

CIBI ALIQVID) Ado in Martyrologio hunc locum intellexit de cibis immolatitiis. Haec sunt ejus verba ad diem kal. Novembris. *Natale sanctae Mariae virginis; quae cùm esse ancilla, & die natalis filij domini sui jejunaret, nec alio modo flecti potuisset ut manducaret de idolothytis &c.*

Cap. 6. IN ABD. MEM. PARTE) Vincentius, Mombritius, & Surius habent *in carcerem*.

Cap. 3. EX CODICE) id est, ex regesto publico, in quo descriptum ex more fuerit edictum.

ADRIANVS) Baronius ad annum Christi CXX. adnotat nullum in Christianos edictum ab Adriano promulgatum apparere; & ut ostendat nullum datum fuisse, adducit auctoritatem Tertulliani ex capite quinto apologetici, ubi ita scriptum est. *Quales ergo leges istae, quas adversùs nos soli exequuntur impij, injusti, turpes, truces, vani, dementes, quas Trajanus ex parte frustratus est vetando inquiri Christianos, quas nullus Hadrianus, quamquam curiositatum omnium explorator, nullus Vespasianus, quamquam Judaeorum debellator, nullus Pius, nullus Verus impressit?* Quid igitur faciemus huic edicto, quod videtur esse vetus, & disciplinam sapit illorum temporum?

Cap. 4. MVNERARIVS CIVITATIS) Hieronymus epist. XXVI. ad Pammachium: *Munerarius pauperum & egentium candidatus*. Vide Iuretum in Miscellaneis ad Symmachum pag. 189. 190. & Sirmondi Notas ad sermonem quartum Augustini inter quadraginta ab eo editos.

Cap. 5. PRAEFECTVS) Ita constanter legitur in veteri codice cum certum sit legi ubique debere *Praeses* in hoc capite. Nos tamen mutare noluimus.

Cap. 9. ANTE DEVCALIONEM) In veteri codice legitur, *ante dm caligonem*, nullo sensu. Nos emendavimus.

Cap. 12. NEOCORENSIVM) Apud Mombritium & Surium, qui ex Vincentio Bellovacensi se accepisse profitetur, scriptum est *Veronensium*. Sic profecto legitur in Duacensi editione Speculi historialis lib. X. cap. LXXXIII. Sed antiqua habet *Neccorensium*. Surius scripsit in margine *Nicomensium*; sed non indicat utrum illud ex conjectura sit, an vero ex veteri codice. Neocori sunt aeditui templorum; & Imperatores civitatibus, quibus gratificari volebant, hunc honorem tribuebant ut celebriorum templorum Neocori essent. Qua de re vide Ioannis Seldeni commentarios ad Marmora Arundeliana pag. 166. & Tristani Santamantij commentarios historicos to. I. pag. 39. & to. II. pag. 187. Si vera est lectio quae extat apud Petrum de Natalibus lib. X. cap. XV. haec acta sunt apud civitatem Nicomediae. Porro *Neocorensium* heic scriptum est in veteri exemplari, cum scribi debuisset *Neocororum*.

NECCORVS) Error fuit typographi; pro quo reponendum est *Neocorus*. Apud Vincentium in antiqua editione legitur *Nestoris*, in Duacensi *Nechorus*, apud Mombritium *Nec chorus*, denique apud Surium *Neocoros*, utrobique malè.

AD VITAM SANCTI PONTII.

Istius vitae auctorem Eutropium facit Salmasius in Trebellium Pollionem pag. 276. ubi fragmentum illius refert ex veteri codice Petri Puteani, qui nunc extat in bibliotheca regia; in quo tamen nulla Eutropij mentio. Falsam autem esse illam doctissimi viri scriptionem docent varia loca ejusdem vitae, ex quibus constat eam scriptam esse a Valerio Pontij contubernali & studiorum socio a prima adolescentia. Ejus porrò fragmentum quoddam seu veriùs epitomen ediderat Boninus Mombritius. Nos invenimus integram in duobus antiquissimis codicibus manuscriptis bibliothecae Colbertinae, ac praeterea in alio fragmentum ejusdem.

Hinc ergo edidimus. Postea verò contulimus etiam cum codice regio, qui vetustissimus est, & variantes lectiones adnotavimus. Habuit ejusdem operis exemplar Petrus Iofredus, ex quo vitam sancti Pontij suo stylo conscripsit in historia Nicaeae civitatis, interserens tamen interdum fragmenta ex opere Valerij.

Cap. 1. PROPRIAM DOMVM) Codex regius habet *propositam*, unus Colbertinus *propè positum*. quo etiam modo scriptum fuit in exemplari Iofredi.

Cap. 3. SPERAMVS) id est, credimus. Paulò post: *Nam quod videt quis quid sperat?* Et infra cap. v. *sperant eum vanum philosophorum audire sectam*. Epiphanius scholasticus in interpretatione epistolae Pulcheriae Augustae ad Archimandritas & reliquos monachos in Ælia & circa eam habitantes: *ut quod non sperat nostra clementia, tamquam veritatis impugnatoribus nomen adscribatur haereticos*. Vide Notas ad Capitularia pag. 1019. & 1031.

SAPIENTIA) id est, scientia. Vide Notas ad Reginonem pag. 541.

Cap. 5. SICVT AGNI) Ita exemplar regium & duo ex Colbertinis. Tertium habet *agri*.

Cap. 7. MAIESTATEM POSSIDEANT) In uno codice Colbertino legitur: *majestatem aut obtineant vel possideant*.

CVNCTA HABENT) Idem vetus codex: *cuncta bona habeant*.

SIBI ET DEOS) Idem codex: *sibimet deos*.

Cap. 8. VIGINTI) Idem codex Colbertinus habet *duodeviginti*. Sic etiam scriptum fuit in exemplari quo usus est Iofredus.

IN CVRIAM PERDVCTVS) Apud Iofredum Pontius non tantum dicitur factus senator, sed Romanae praefecturae dignitate insignitus, quam patet ejus gesserat. Quod utrumque falsum esse convincunt haec acta.

ROMANA) In codice regio & in duobus Colbertinis legitur *diversa*.

Cap. 9. MENSE NON AMPLIVS VNO) Eadem tradit Eusebius lib. vi. cap. xxix. *Hic intra unius mensis spatium sacerdotio perfunctus, Fabianum successorem reliquit*. Rufini versio in guo congruit cum verbis Valerij: *Pontiano verò sex annis episcopatu urbis Romae functo succedit Antherus: qui cum mensem unum non amplius ministrasset, Fabiano sacerdotium dereliquit*. Eusebius in Chronico: *Romae decimus ordinatur Episcopus Anterus mense uno*. Ex his ergo corrige gesta pontificalia, ubi Anterus sedisse dicitur annos xii. mense uno, diebus xii.

EXPLETO MILL. ANNO) In codice regio & in duobus Colbertinis scriptum est: *ipse est millesimus annus*.

Cap. 10. VNICO VERBO SVO) Vnum exemplar Colbertinum habet: *unici verbi sui providentia*.

SICVT LITTERAE) In eodem veteri exemplari legitur: *à laos, sicut litterae vestrae declarant*. Atque ita reponendum est.

Cap. 11. PIVS DOMINVS) Idem vetus exemplar: *Pius Deus & misericors*.

QVATRIDVANVM) In alio exemplari Colbertino & in regio scriptum habetur: *quatriduanum Lazarum de monumento à [illegible] populo suscitaret*.

ITEM VITAM CHR. MONST.) Idem vetus exemplar Colbertinum: *vitam fidelibus demonstravit*.

Cap. 12. SPECTACVLA) Eutropius lib. ix. de Philippis: *His imperantibus millesimus annus Romae urbis ingenti ludorum apparatu spectaculorumque celebratus est*. Epitome Victoris de Philippo juniore: *Adeo severi & tristis animi ut jam tum à quinquennii aetate nullo prorsus cujusquam commento ad ridendum solvi potuerit, patremque ludis secularibus petulantius cachinnantem, quamquam adhuc tener, vultu notaverit aversato*. Hunc locum referens Baronius ad annum CCXLIX. illam pueri abstinentiam a risu suspicatur profectam ab institutione matris ejus Severae Christianae feminae. Frustra, ut opinor. Neque enim quinque annorum puer istius disciplinae capax esse potest. Meminit autem horum spectaculorum etiam Iulius Capitolinus in Gordiano juniore.

Cap. 13. FVNDITVS SVBVERTERENT) Haec historia suspecta visa est Baronio, cujus haec sunt verba ad annum CCXLVI. *Quae verò illic apponuntur de Iovis templo deruto à Philippo Imp. atque Fabiano Papa, ab alio aliquo potius fuisse addita putamus. Nam in aliis ejusdem Pontij actis ea desiderantur*, in iis nimirum quae Mombritius descripsit. Mirum sanè non est desiderari in actis à Mombritio descripta, cum sint, ut monuimus, multùm imperfecta & mutila. Sed extant in omnibus antiquis exemplaribus.

FOVENDAS) Codex regius habet *fovendas*. quod melius est. Cap. 15.

CEMELAM) sive Cemelam, cujus postea Episcopus fuit Valerianus.

ORTVTIBVS) Codex regius, *aspectibus*. Cap. 16.

PIORVM) Quidam codices habent *priorum*.

CONSOLATOR) Ita habent omnia vetera exemplaria. *Consultor* tamen legitur in eo quo usus est Iofredus. Quod idem est. Quippe constat consultationem & consolationem promiscue scribi in antiquis libris, ut innumeris propemodum exemplis probari posset.

CAERIMONIARI) id est, sacrificare. Passio sancti Cypriani. *Galerius Maximus Proconsul dixit: Jusserunt te sacratissimi Imperatores caeremoniari*. Pro quo in alia vetustissimis actis legitur: *Jusserunt te sacratissimi Imperatores sacrificare*. Apud Augustinum vero in sermone de sancto Cypriano retenta est prisca vox: *Jusserunt te Principes caeremoniari*. Cap. 18.

TROCHLEAM) Mombritius & Surius habent *cocleam*. Trochlea, ut Baronius ait ad diem septimam Decembris, proprie rota est rotam continens volubilem, per quam funis tractorius immissus ligatum brachiis revinctum reum sursum trahit, vel remissus deorsum relaxat. Vide Alteserram ad librum v. Gregorij Turon. cap. xlix. Cap. 19.

VENATORES) homines qui ferarum curam gerebant, easque emittere solebant & incitare adversus homines devorandos. Cap. 20.

TAVREIS) id est, flagellis en pelle taurina factis. Itaque vox *nervicis*, quae statim sequitur, eandem aut similem significationem habere debet. Oportet autem mendosum heic fuisse exemplar quo usus est Iofredus, cum ille hinc collegerit tauros immissos cum ursis adversus sanctum Pontium.

MARSORVM ARS) Marsi sunt populi Italiae, quibus (ut Gellius ait lib. xvi. cap. xi.) *ut quidam gentilis datum est ut serpentium virulentorum domitores sint, & incentionibus herbarumque succis faciant medelarum miracula*. Cap. 22.

FLAMMA GYRANS) In uno codice Colbertino legitur, *gyrant flammae*.

CLVSIT) In eodem codice & in regio scriptum est, *cinxit*.

QVAM SI VENTVS) Sic habet hic locus in codice regio: *quae, si ventus perflaverit, statim in momento temporis, quasi non fuerit, penitus evanescit*. Cap. 23.

VALERIANVS) Vide quae de hac Valeriani calamitate dicta sunt ad caput quintum Lactantij. Cap. 24.

AD VITAM SANCTI EVSEBII.

VItam istam sancti Eusebij Presbyteri Romani, qui crudeli novoque mortis genere extinctus est Romae jussu Constantij Imperatoris, ediderat olim Boninus Mombritius, sed valde corruptam. Nos, quum illam invenissemus in quatuor vetustissimis codicibus manuscriptis, quorum tres extant in bibliotheca Colbertina, quartus in regia, eam diligenter recensuimus & emendavimus, & sic emendatam putavimus emittendam rursum esse. Continet enim res scitu dignissimas, quarum nulla mentio extat in annalibus ecclesiasticis.

LIBERIVS DE EXILIO) Baronius ejus restitutionem retulit ad annum CCCLVII. Valesius in annotationibus in librum quartum Sozomeni pag. 125. ad sequentem. De ejus porro restitutione haec habentur in vita sancti Felicis Papae & martyris, quae edita quidem est à Mombritio, sed multo emendatior habetur in antiquissimis codicibus manuscriptis bibliothecae regiae. *Post paucos autem dies zelo ducti Vrsacius & Valens Presbyteri rogaverunt Constantium Augustum ut revocaret Liberium Papam de exilio, ut una tantummodo communione participaret, excepta rebaptizare. Tunc missa auctoritate per Catulinum agentem in rebus & simul Vrsacium & Valentem, venerunt ad Liberium Papam urbis Romae. Qui Liberius consensit praeceptis Augusti, ut una participatis conveniret communionis. Tunc revocaverunt Liberium de exilio.* Pag. 33. Col. 1.

Ei-

EJECTUS FALSO) Eadem vita sancti Felicis: *In ipsa autem hora Constantius Augustus fecit Concilium cum haereticis, simul etiam cum Ursatio & Valente, & ejecit sanctum Felicem urbis Episcopum de episcopatu suo, qui erat catholicus & timens Deum & justus homo, & revocavit Liberium in vice sua*. Eadem fere habentur in gestis pontificalibus. Ratio autem dejectionis ejus haec adfertur in eadem vita: *Et fecit Concilium idem. Felix, & invenit duos Presbyteros Romanos consentientes Constantio Augusto Arriano nomine Ursatium & Valentem, & damnavit eos in Concilio coram quadraginta & octo Episcopis qui fuerant congregati. Hic declaravit Constantium filium Constantini haereticum & secundo rebaptizatum ab Eusebio Nicomediense juxta Nicomediam in Aquilone villa: & pro hoc declarato ejectus sanctissimus Felix de episcopatu suo a Constantio Augusto filio Constantini Augusti*.

Pag. 33. col. 2. IN PRAEDIOLO SUO) quod erat in via Portuensi, ut legitur in eadem vita sancti Felicis & in gestis pontificalibus. *Et levavit eum inde, & ductus in civitatem Coronam, passus est ibi capite truncato, & martyrio coronatus*, inquit auctor vitae ejus. Ac sane licet de martyrio Felicis constans fuerit olim auctoritas, cum & in vetustis quoque martyrologiis illud conceptis verbis adnotatum sit, ejus tamen sanctitas in magno periculo constituta fuit anno Christi MDLXXXII. quum de emendando Romano Martyrologio ageretur. Tum enim, ut ad annum CCCLVII. ait Baronius, ingens inter viros eruditos ad hoc a Gregorio XIII. delectus controversia incidit, expungendusne esset Felix ex eodem Martyrologio ob vitiosum ingressum ejus, quia locum Liberij viventis invaserat, vel absque martyrij titulo relinquendus. Scripserat autem Baronius de eodem argumento volumen haud breve, cui favebant adstipulabanturque complures viri eruditi in urbe Roma tunc existentes. Accidit ergo veluti divino miraculo ut cum in Diaconia sanctorum martyrum Cosmae & Damiani in foro ad templum pacis posita quidam, quibus fortuna, ut Taciti verbo utar, illudebat per vanitatem eorum & promissa cujusdam impostoris, clam altare unum a dextris positum suffoderent ut thesaurum invenirent quem acceperant ibi esse repositum, in marmoream arcam inciderent, in cujus altero latere repertum est corpus sancti Felicis, de quo agimus, una cum lapideo laterculo ibidem intus posito hisce litteris exarato: CORPUS S. FELICIS PAPAE ET MARTYRIS, QUI DAMNAVIT CONSTANTIUM. Sic impositus est finis huic controversiae, & suus Felici locus servatus in Martyrologio Romano.

PUNIRETUR) Leg. *puniebatur*.

FACTA SYNODO) Istius synodi nulla mentio alibi extat quam in hac vita sancti Eusebij.

CHRONOLOGIA DIOCLETIANEA

ANNO CHRISTI

CCLXXXIV.

Diocletianus levatur Imperator XII. Kal. Decembris.

CCLXXXV.

Kalendis Aprilis Maximianus Herculius à Diocletiano assumitur in consortium imperij.

CCXCIII.

Kalendis Martiis Diocletianus & Maximianus adoptant Constantium cognomento Chlorum & Galerium Maximianum cognomento Armentarium, eosque nuncupant Caesares. Constantius repudiat Helenam, ex qua Constantinum, cui postea Magno cognomen haesit, susceperat, & Theodoram Herculij privignam ducit. Galerius, repudiata quoque conjuge, Valeriam Diocletiani & Priscae Augustae filiam accepit uxorem.

CCXCVII.

Narseus Rex Persarum victus fugatusque est à Galerio; & conjux filiaeque ejus captae, cum maxima pudicitiae custodia reservatae sunt ad augendam triumphi pompam. Capta magna praeda cum ingentibus manubiis.

CCCII.

Diocletianus è Nicomedia, ubi tum regia sedes erat, in orientem profectus illic substitit usque ad hyemem. Tum vero Nicomediam rediit, ibi cum Galerio consultavit de bello Christianis inferendo.

CCCIII.

Persecutio adversùm Christianos hoc anno commota, omnium quae unquam fuerunt atrocissima. Initium factum a civitate Nicomediensi, cujus Ecclesia eversa est VII. Kalendas Martias, ipso Terminalium die. Postridie propositum est edictum Imperatorum & Caesarum adversus Christianos, ut per universum orbem sacrificare cogerentur.

Diocletianus Romam proficiscitur, illicque vicennalia celebrat & triumphum agit de Persis. Mox facta pace, quae in tempus Divi Constantini reservata duravit, Persae Mesopotamiam cum Transtigritania quinque regionibus reddiderunt, limite imperiorum super ripam Tigridis constituto.

Gothi, trajecto Istro, vicinam provinciam invaserunt, & indigenas expulerunt.

Diocletianus offensus nimia Romanorum dicacitate, statim post peracta vicennalia discedit, & XIII. Kalendas Ianuarias proficiscitur Ravennam.

CCCIV.

Diocletianus nonum consulatum auspicatur Ravennae. Postea in diuturnum morbum incidit, cujus vi de statu mentis suae demotus, demens factus est; ac post aestatem, Nicomediam pervenit. Circum illic dedicavit anno post vicennalia repleto, & Idibus Decembribus, intercepto spiritu, visus est expirasse.

Eodem tempore quo Diocletianus nonum consulatum auspicatus est Ravennae, Maximianus Herculius octavum init Romae; & annum imperij vicesimum ingressus postea est Kalendis Aprilis. Deinde aestate ejus anni fuit in Campania.

Fine anni Galerius Maximianus Caesar Nicomediam venit ad Diocletianum ut eum compelleret ad deponendum imperium, quum antea idem persuasisset Herculio.

CCCV.

Kalendis Martiis Diocletianus apud Nicomediam processit in publicum, ut se vivum esse probaret populo.

Kalendis Maiis Diocletianus prope Nicomediam, Maximianus Herculius Mediolani purpuram deponunt, & Constantium Galeriumque Augustos nuncupant, Diocletianus Galerium, Herculius Constantium.

Eodem die Severus & Maximinus Daza facti sunt Caesares, nominati quidem à Galerio, sed induti à Maximiano Severus, à Diocletiano Maximinus. Tum Diocletianus in patriam suam, hoc est, Diocleam in Dalmatia, revertitur; ubi praeclaro otio consenuit. Herculius in Lucaniam concessit.

CCCVI.

Constantius Aug. filium suum Constantinum repetit à Galerio, apud quem velut obses tenebatur. Is ergo in Galliam profectus, ad patrem in extremis agentem pervenit XII. Kalendas Augusti. Quatriduo post Constantius extinguitur Eboraci in Britannia: cui successit Constantinus, cùm patris suprema voluntate, tum militum consensu, qui ei purpuram injecerunt.

Imago laureata Constantini defertur ad Galerium. Ille vero purpuram ad eum misit, Caesaremque nuncupavit VIII. Kalendas Ianuarias, quum aut eodem die aut paulò antè Severum Augustum dixisset.

In-

Interim, quum imagines Constantini Romam allatae essent, Maxentius Herculij filius, patre diu retractante, imperium invadit vi. Kalendas Novembris; & patrem, qui tum in Campania erat, ad se vocant, eumque bis Augustum nominans, consortem imperij facit.

CCCVII.

Galerius Maximianus Severum Augustum, cui Italiae custodia demandata fuerat, exercitum jubet ducere adversus Maxentium. Ille vero statim Romam obsidet, Ravennam fugit, ad Tres tabernas extinguitur mense, ut videtur, Februario.

Maximianus Herculius bis Augustos in Gallias proficiscitur, ubi Constantinum, qui haetenus Caesaris appellatione contentus fuerat, Augustum nuncupat pridie Kalendas Aprilis, & eidem in matrimonium locat filiam suam Faustam.

Interea Galerius Maximianus immensum exercitum ducit in Italiam, mortem Severi vindicaturus. Romam frustra obsidet, & redit inglorius in Illyricum.

Tum vero Herculius è Gallia redux, filium Maxentium denudare conatus in concione, convitia militum tulit; & urbe Italiaque pulsus, rursus ad Constantinum pergit in Gallias. Illic aliquantulum moratus, mox Carnuntum in Pannonia ad Galerium profectus, ibi Diocletianum invenit; interfuitque III. Idus Novembris nuncupationi Licinij Augusti, quem Galerius Maximianus substituit in locum Severi. Cùm vero frustra Diocletianum hortatus esset ad resumendum imperium, ab eo repudiatus redit in Galliam; ubi iterum deposuit imperium, ac postea illic reliquum vitae suae egit.

CCCVIII.

Maximianus Herculius X. & Galerius Maximianus VII. Consules fuere, constituta jam concordia inter eos & Maxentium.

CCCX.

Quum Franci turbarent statum Galliarum, & de eis reprimendis Constantinus cogitaret, Herculius semper inquietus, subdolus, & infidus, auctor ei fuit ne omnem exercitum secum duceret, posse barbaros a paucis debellari. Credidit Constantinus & seni & socero. Interim Herculius cupiditate imperij stimulatus, cum putaret Constantinum longius abesse, milites largitionibus & promissis sollicitat ad defectionem, thesauros invadit, & purpuram tertio induit in Belgica; & redeunte Constantino mira celeritate, timens quod meruerat, fugit in secundam Narbonensem & se civitatis Arelatensis moenibus includit. Dein adventante Constantini exercitu, Massiliam contendit; ubi obsessus à Constantino, captus est, & increpito vita donata. Verum paulo post ejusdem Constantini jussu strangulatus est quum deprehensus esset in insidiis quas Constantino moliebatur ut eum perimeret.

Eodem anno Galerius Maximianus in gravem ac periculosum morbum incidit, quo per annum perpetem afflictatus est; isque morbus eum invasit quum iniret decimum octavum imperij sui annum.

CCCXI.

Galerius semper aegrotus, admonitus morbum illum evenisse sibi propter mala quae Christianis intulerat, edicto proposito persecutionem quiescere jussit anno postquàm coeperat octavo. Tum apertis carceribus, Christiani qui illic detinebantur, abire permissi sunt. Paulò post Galerius moritur Sardicae mense, ut videtur, Maio, quum prius Licinio Valeriam conjugem filiumque Candidianum commendasset atque in manibus tradidisset. Sed hi quum comitatum Maximini infeliciter praetulissent miserandam sortem habuerunt, ut postea dicetur.

Bellum inde inter Licinium & Maximinum de imperio certantes. Sed conditionibus certis pax & amicitia componitur in Bosphoro Thracio, ubi constitutus est limes imperij utriusque.

Maximinus postea indulgentiam communi Principum consensu Christianis datam tollit, subornatis legationibus civitatum quae peterent ne illis intra civitates suas conventicula extruere liceret. Hinc acrius in eos saevitum, donec Constantini literis Maximinus deterreretur.

CCCXII.

Valeria Galerij vidua in exilium jussu Maximini projecta cum matre Prisca, & in desertas Syriae solitudines relegata, patrem suum Diocletianum per occultos nuntios gnarum calamitatis suae facit. Repetenti vero eam patri Maximinus negavit.

Eodem tempore Maximiani Herculij statuae Constantini jussu revellebantur; & imagines quoque Diocletiani, quia cum Herculio pictus erat, detrahebantur. Hinc dolor Diocletiani, qui paulo post fame atque angore confectus interiit III. Nonas Decembris.

Maximinus legatos Romam ad Maxentium mittit occulte, & amicitiam cum eo facit.

Iam antea Maxentius bellum Constantino indixerat quasi necem Herculij patris sui vindicaturus. Itaque Constantinus exercitum adversus eum in Italiam ducit, Romam obsidet, Maxentium superat VI. Kalendas Novembris, & biduo post urbem victor ingreditur cum magna senatus populique Romani laetitia. In coelis ei ostensa est VII. Kalendas Novembris crux, signum victoriae, pridie quam pugnam committeret in qua Maxentius perit.

CCCXIII.

Rebus in urbe compositis, Constantinus circa XV. Kalendas Februarij Roma digressus, Mediolanum contendit, ibique nuptias Constantiae sororis suae cum Licinio celebravit. Ea re peracta, Constantinus in Gallias revertitur, Licinius in Illyricum.

Interim Maximinus exercitum movet è Syria, bellum Licinio illaturus, provincias ejus occupaturus. Occurrit ei Licinius in Thracia. Pugnatur pridie Kalendas Maias in campo quem vocabant serenum, inter Hadrianopolim videlicet & Heracleam. Victoria penes Licinium fuit.

Maximinus summa celeritate fugit Nicomediam, hinc in Cappadociam, postremo in Ciliciam, ubi miserando horrendoque mortis genere extinctus est apud Tarsum.

Fuso fugatoque Maximino, Licinius trajecit exercitum in Bithyniam; & Nicomediam ingressus, die Iduum Iuniarum proponi jussit edictum de restituenda Ecclesia, verboque etiam hortatus est ut conventicula in statum pristinum redderentur.

Pax Ecclesiae data post bellum decennale.

Licinius Valerium, Candidianum Galerij Maximiani filium, Severi filium Severianum, liberos Maximini, Valeriam & Priscam occidi jubet. Mittit actum cum uxore Maximini, quam satis habuit in orientem praecipitare.

CATALOGVS ABBATVM FLORIACENSIVM

Incipit nomina Abbatum sanctae Mariae & sancti Petri & Domus Benedicti Floriacensis monasterij postquam primum aedificatum fuit.

Baluz. to. 1. pag. 491. PRIMVS Abbas Rigomarus habuit annos v. Secundus Abbas Mumolus annos xxx. Et infra istos xxx. annos corpus patris Benedicti allatum est de monte Cassino ab Aigulfo monacho anno DCLX. incarnationis Domini, Regis Clodovei temporibus filij Dagoberti.

Tertius Abbas Leobardus habuit annos x.

Quartus Abbas Ido habuit annum I. & dimidium.

Quintus Abbas Auderanous habuit dimidium annum.

Sextus Flatbertus habuit annos III.

Septimus Abbas Adalbertus habuit annos XXIX.

Octavus Abbas Geilo annos XIX.

Nonus Abbas Medo habuit annos XXI.

Decimus Abbas Rodufus habuit annos XIX.

Vodecimus Abbas Ido annos IX.

Duodecimus Abbas Magulfus annos XVI.

Tertius decimus Abbas Fulradus annum I. & dimidium.

Quartus decimus Abbas Theodulphus annos XIX. & dimidium, qui à gloriosissimo Imperatore Karolo ex Hesperia propter eruditionis scientiam, qua pollebat, in Gallias adductus, Floriacensibus Abbas & Aurelianensibus datus est Pontifex. Hic itaque cum, ut diximus, eruditione praecipuus doctrinaque haberetur praeclarus, explanationem edidit symboli sancti Athanasij, quod a monachis post tres regulares psalmos ad primam cotidie canitur. Sacramentum quoque Missae seu eorum quae in ea geruntur, quid mysterij contineant, aliquaque quamplura succincto narrandi genere luculentissime digessit. Nec minus ei studium in elegantissimorum opere aedificiorum fuit. Denique Germaniacus dicitur villa, tribus à nostro monasterio distans milibus. Haec Abbatibus qui ante eum fuerant maxima ex parte a fidelibus viris, quorum hereditas erat, partim data, partim vendita est. In hac igitur idem Theodulfus Abbas & Episcopus Ecclesiam tam mirifici operis construxit ut nullum in tota Neustria inveniri posset aedificij opus quod ei, antequam igne cremaretur, valeret aequari. Totam namque arcuato opere eandem extruens basilicam, ita floribus gipseis atque musivo ejus venustavit interiora, pavimentum quoque marmoreo depinxit emblemate, ut oculi intuentium vix grata satiarentur specie. Porro in matherio turris de qua signa pendebant, hujuscemodi inseruit versus argenteo colore expressos.

Haec in honore Dei Theodulfus templa sacravi,
Quae dum quisquis ades, oro, memento mei.

Vide Letaldum c. 3 de miraculis Maximini Miciac. Æmulatus itaque in hoc facto magnum Karolum, qui ea tempestate Aquisgrani palatio tanti decoris aedificaverat Ecclesiam ut in omni Gallia nullam habeat similem. Verum memoratus Princeps illud quod fecerat templum, sanctae Dei genitricis Mariae dedicari sub honore praecepit. At vero Theodulfus aulam a se constructam omnium conditori ac salvatori rerum Deo consecrans, Cherubin gloriae obumbrantia propitiatorium super altare ipsius artificiosissimo magisterio expressum his decoravit versibus.

Oraculum sanctum & Cherubim hic aspice spectans:
Et testamenti en micat arca Dei.
Haec cernens, precibusque studens pulsare tonantem,
Theodulphum votis jungito quaeso tuis.

Sed quia semper sapientibus invidetur, difficileque est in prosperis invidia carere apud Imperatorem Ludovicum ab aemulis accusatus conjurationis adversus eum factae conscius fuisse, Andegavis exiliatus, custodiae etiam mancipatus est; ubi in die palmarum, praesente ipso Rege, illos pulcherrimos versus gloriam laudis Christi personantes, qui hodie per universas Gallias ab ecclesiasticis decantantur viris, e turri in qua custodiebatur à se compositos cecinit, quorum est exordium.

Gloria, laus, & honor tibi sit, Rex Christe redemptor.
Cui puerile decus prompsit hosanna pium.

GESTA DOMNI ALDRICI CENOMANICÆ VRBIS EPISCOPI,

A discipulis suis.

DOMNVS Aldricus Cenomanicae urbis Episcopus, natione patris ex parte Francus sive Saxo, matris quoque ex parte Alamannus atque Bajuvarius. Baluz. t. 3. pag. 1. & seq. Pater ejus nominabatur Sioo, mater quoque ejus Gerildis. Praedictus ergo Episcopus regia ex progenie ortus, atque aliis nobilissimis parentibus est procreatus. Ab infantia autem cum Episcopis enutritus atque ab eis nobiliter & sapienter est instructus; ecclesiasticis quoque disciplinis voluntarie se submittens, ordinabiliter congruenterque est inconnexus. Iam enim duodecim annos habens, a jam dicto patre suo ad palatium deductus est, & glorioso Karolo Francorum Regi atque Domno Hludovico ejus filio honorifice commendatus, & ab eo est decenter susceptus. Ipse videlicet omnibus bonis moribusque dulcibus ornatus, omnia omnibus factus est, & tam Regi quam omnibus ejus optimatibus & Regi famulantibus Domino annuente placere meruit. Per diem itaque Regi & fidelibus fuit amabiliter militans, Domino autem nocte & secrete totis nisibus & vigiliis atque orationibus serviens, gratiam divinam meruit assequi. Sed sollicite evenerat ut quandocunque locus ei eveniret, in Ecclesia sanctae Mariae quae est constructa in Aquisgrani palatio secrete psalmos decantaret & orationes faceret. Quadam autem die in praedicta Ecclesia sanctae Mariae in sinistra parte altaris secrete psalmos suos cantans, instinctu divino corde admonitus est ut militiam secularem dimitteret & Domino solummodo famulari studeret. Ipse quoque adhuc tenerae aetatis erat atque pube tenus. Tunc primo is.. se incipiebat, timens valde ne hoc illi diabolica ex parte suggereretur, obnixe Deum deprecatus est ut intercessione beatae Mariae, in cujus Ecclesia orabat, si divinitus jam dicta voluntas in ejus corde versaretur, manifestum ei pro sua misericordia faceret; sin autem diabolica immissio esset, similiter & hoc illi notum faceret. Totis itaque nisibus & flectendo genua, pectusque tundendo, ante predictae sanctae Mariae aram deprecatus est ut Domini ex hoc meruisset facere voluntatem, ut diabolus eum seducendi nullum locum haberet. Ipse enim divinitus in antedicta bona voluntate confortatus & firmius subjugatus est & plenius corroboratus. Deinde coepit toto corde rogare Deum ut si diaboli esset exhortatio, recederet ab eo, & si divina esset gratia, pleniter eam secundum Dei voluntatem adimplere meruisset. In hac autem intentione ferme dimidium annum corde angens, angelica & divina confortatione fultus, ad Regem deprecaturus accessit ut secularem militiam dimittere ei liceret & militiae spirituali se conjungere atque cum Domino famulari permitteret. Nullo tamen nisi tantummodo uno Deum timenti amico suo & carissimo familiari hoc confessus est, timens quippe ne si hoc sui intelligerent parentes & amici, ei hoc facere minime permitterent. Rex autem haec audiens, oppido hilaris est, promittensque ei duodecim & amplius comitatus

tus se daturum si hoc dimitteret & in sua militia perseveraret. Ipse vero à Rege hoc audiens ait, etiamsi dimidium suum regnum ei daret, ipsam voluntatem propter hoc non dimitteret. Videns autem Rex se illum à sua intentione non posse avertere, concessit ei licentiam & locum ubicunque eligeret in suo regno. Tunc ergo ipse inspirante divina gratia petivit locum sibi dari in quadam civitate cujus vocabulum est Mediomatricis, quae & alio nomine Mettis vocatur; sibique cum duobus Clericis tantummodo postulavit dari praebendam. Rex autem & hoc concessit, & quantum volebat sibi dare spopondit. Tali enim conditione licentia accepta, a Rege osculatus est, & ad jam dictam urbem festinando profectus est; ibique amabiliter & devote ab omnibus susceptus, & Clericus ab Episcopo ejusdem civitatis & cuncto clero divinis benedictionibus decantantibus & hymnis spiritualibus modulantibus confortatus est, & vestimentis clericalibus indutus, & manuum impositionibus ab Episcopo & à cunctis sacerdotibus clericali benedictione consecratus, inter seniores fratres est collocatus. Deo igitur ibi totis nisibus die noctuque deserviens, factum est ut multos Domino lucrifaceret. Cantum quippe Romanum atque Grammaticam sive divinae scripturae seriem humiliter discere meruit, quibus & donante omnium Domino pleniter atque doctissime instructus est. Post duos quoque clericatus sui annos ab Episcopo ejusdem civitatis nomine Gundulfo in Ecclesia sancti Stephani Diaconus est ordinatus. In ipso igitur gradu tres ferme annos militans mirabiliter & docte quotidie diaconatus sui adimplere certavit officium. Mortuo quoque jam dicto Gundulfo praedicto ordinatore suo, alius Episcopus in eadem civitate nomine Drogo filius Karoli piissimi Imperatoris subrogatus & ordinatus est: qui videns praedicti Aldrici Levitae intentionem & studium bonum, quod tam in ministerio suo quam & erga omnes habebat, coepit eum exhortari ut sacerdos efficeretur. Noluit autem jam dictus Diaconus Aldricus neque ausus est divinam repellere benedictionem, ad quam saepissime vocabatur a Drogone ejusdem civitatis Episcopo & successore jam dicto ordinatori suo, dum nobiliter degebat in diaconatus officio, eligente eum clero & populo Presbyter est ordinatus. Ipse autem melius ac melius virtutum pollens actibus, multosque erudiens suis praedicationibus sive bonis exhortationibus, multos & innumerabiles Deo & sanctae Ecclesiae lucrari meruit. Demum quoque eligentibus fratribus, & suadente sive exhortante Episcopo suo Drogone, licet coacte, senior cantor ibi sublimatur. In scholis vero in quibus jam magister erat constitutus sapienter multos & innumerabiles in supradictis artibus erudiens, magnum lucrum in sancta Dei Ecclesia facere meruit, immo innumerabiles in jam dictis artibus doctissime erudivit. Videntes igitur eum amedictus Pontifex Domnus Drogo & cunctus clerus sive populus in jam dictis ministeriis & doctrinis magnum habere studium & multos doctores & magistros nobiles fecisse, in majus eum ministerium, quamvis coacte sublimaverunt, & Primicerium secundum Romanum ordinem eum esse constituerunt, totumque clerum tam civitatis quam & monasteriorum sive totius illius civitatis parrochiae ei subditum esse praeceperunt, & magistrum omnium eum constituerunt. Ille enim in his studiosissime Domino serviens, omnibus bonis hominibus amabiliter famulari meruit; eumque cuncti boni ita amabant quasi semetipsos; & quicquid eis imperabat, libenter faciebant. Audiens autem Hludovicus Imperator Francorum ejus opinionem, ad se eum vocavit, & in suo palatio, volente vel nolente, eum seniorem sacerdotem suumque confessorem praeesse constituit. Qui & ibi omnibus palatinis bonis placens, ut solitus erat, omnibus omnia factus, ab omnibus honorabatur atque venerabatur. Ita quoque omnes eum diligebant, si fieri potest, quasi semetipsos, ejusque jussionibus in omnibus quasi senioris voluntarie & bono animo obtemperantes erant. Quatuor autem menses cum Imperatore in suo palatio nobiliter degens, eique amabiliter serviens, nec ad unum diem licentiam exinde evadendi & in patriam pergendi impetrare valebat. Episcopatum ei quippe quoddam, cujus vocabulum est Cenomanis, eligente eum ejusdem provinciae Archiepiscopo Landramno, atque Comite ejusdem parrochiae Rorigone, sive omnibus praefixae parrochiae nobilibus hominibus, atque cunctis palatinis, & clero & populo, per baculum Landrami Turonicae civitatis & praedictae parrochiae Metropolitani jam dictum episcopatum in sua praesentia & eo instigante a Hludovico gloriosissimo Imperatore orantibus cunctis cura pastorali est commissum; qui & hoc refugiens, & nolens praedictum episcopatum suscipere, omnibus tamen, licet coactus, hortantibus, ipsum sacrum suscepit ministerium. Ordinatus quoque a suo praedicto Metropolitano & ceteris nobilibus & sapientibus Episcopis in idipsum convenientibus, eligente eum clero & populo in praedicta civitate & in ipsa matre Ecclesia die XI. Kal. Ianuarii est, anno igitur incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCC. XXXII. Episcopus est consecratus. Tertio autem die post ordinationem suam jam dictus Domnus Imperator in suam adveniens civitatem, gratias agens Dominum laudavit quod jam ordinatus erat Episcopus. Praedictus ergo Pontifex Domnum Hludovicum Imperatorem cum psallentio & hymnis & canticis sive crucibus & ceteris divinis oraculis benigne & sapienter suscipiens, eumque ad Ecclesiam manu tenens & deducens per altaria orando, suis precibus eum Domino commendavit. Suprascripto igitur Imperatori omnibusque suis nobiliter & dulciter famulari studuit, ibique Domnus Imperator Hludovicus nativitatem Domini nostri Iesu Christi, praefato Aldrico Episcopo & suo clero sapientissime & honorifice officium peragente, solemniter celebravit. Octo quoque dies in eadem civitate Domnus Imperator residens, villam quandam quae Broglus & Novavilla nuncupatur cum omnibus ad se pertinentibus, quae dudum inde abstracta & in beneficium data fuerat, per suum praeceptum ei atque Ecclesiae suae sedis sive Clericis & Domini servis inibi Domino famulantibus jure firmissimo perpetuis temporibus possidendam reddidit.

Vide Annales Bertinianos, an. 832.

II. Praedictus quoque Pontifex in primo pontificatus sui anno aquam per aquaeductum in praedictam civitatem Cenomanicam, quam nullus hominum ibi antea venire viderat, suo opere & bono ingenio adducere meruit, omnibusque qui antea valde aqua indigebant, nec eam nisi per magnum laborem catenus habere poterant, sufficientem auxiliante Domino habere fecit. Vnum siquidem vel duo modia aquae infra civitatem antea emere nemo valebat nisi unum denarium afferentibus eam de Sartha vel de aliquo fonte dedisset, quoniam nec puteum inibi aliquem habebant. Ideo tam cara erat. In ipso quoque anno claustram ubi sui Canonici conversari regulariter & canonice possent aedificare coepit, qui antea nunquam, ut fertur, claustrum habere meruerunt, sed per civitatem huc & illuc vagantes & dormientes & discurrentes tam in nocte quam in die per diversa domicilia manere solebant, & propter hoc impedimentum ad officium divinum occurrere, ut decebat, minime valebant; eisque suam domum, in qua manerent, & solarios sive cellaria & alia aedificia, quae ad suum opus habebat, tradidit. Et non in hoc sufficiens erat, sed etiam alias domos per circuitum nobiliter, sicut ad hoc opus decebat, construere certavit. Praefatus ergo Pontifex fuit vir mitissimus & sapiens valde, lingua eruditus, psalmos omnes per ordinem memoriter retinens, & in eorum sensibus subtilissima exercitatione limatus, lingua quoque in lectione polita, & exhortator omnium bonorum operum, plebique florentissimae salutaria praedicans fidei catholicae & apostolicae, immaculate conservare perenniter sua monita salutaria praedicans, corda fidelium corro-

bo-

borans, orthodoxae fidei aemulator ac defenſor fortiſſimus, paupertatis amator, erga inopes non ſolum mitis, ſed etiam ſollicitus, captivorum etiam redemptor, orphanorum quoque & viduarum largitor, neceſſaria tribuens, amator religioſitatis Chriſtianae normae, & religioſe volentibus vivere & Dei timorem habere in ſuis praecordiis dilectio reſidens. Vir vero erat mitiſſimus atque ſuavis omnique bonitate ornatus, amator cleri omniſque populi Chriſtiani, tardus ad iraſcendum, & velox ad miſerandum, nulli pro malo malum reddens, neque vindictam ſecundum meritum tribuens; ſed pius & miſericors erat omnibus, cunctos attrahens, neminemque diſſipans. Magnum gregem adunare in unum & ingens lucrum adminiculante Domino infra ſinum ſanctae Dei Eccleſiae tam infra ſuam parrochiam quam & extra facere meruit, & multos Domino lucrari meruit. Fecit igitur praedictus Aldricus Pontifex in praeſcripto clauſtro tecta nova & dupla, in quibus & diverſas manſiones ad opus fratrum & ad eorum neceſſitates procurandas mirabiliter & nobiliter conſtruxit. Inſuper & in jam dicto clauſtro fecit Eccleſiam in honore ſancti Stephani à novo, quam & in honore praefixi ſancti Stephani & omnium ſanctorum V. Idium Novembris ſolemniter conſecravit; in qua & in ipſo die conſecrationis ejus ſignum apparuit mirabile. Quidam enim ſacerdos inibi ſuos vvantos perdidit dum praedictum ſacraretur templum; quos quidam Clericus inveniens, furtim de ipſa Eccleſia nova exportare cupiens, de praedicta ſancti Stephani & omnium ſanctorum Eccleſia exire non potuit, nec ipſos vvantos ſecum deferre valuit, antequam eos in ipſa Eccleſia videntibus multis ejecit, & fuga lapſus evaſit. Fecit namque in praedicta Eccleſia altaria ſex; quorum unum ſurſum poſitum in media abſida collocatum in honore ſanctae Sophiae ſacravit & reliquias Domini noſtri Ieſu Chriſti, tamen de ſpongia quam & de ſandaliis ejus propriis, in confeſſione in eo facta collocavit. Fecit quoque atque ſacravit jamdictus Pontifex in ſuperiori & in dextera parte ipſius Eccleſiae aliud altare in honore ſancti Stephani, & ſancti Vincentii, ac ſancti Gervaſii, ſanctique Privati, ſive ſancti Quirini, atque ſancti Naboris, necnon & ſancti Nazarii martyrum Chriſti, & in eo decenter eorum reliquias collocavit. Fecit namque in ſuperiori & in ſiniſtra parte ipſius Eccleſiae tertium altare, atque ſacravit in honore ſanctae Dei genitricis Mariae, ſive ſancti Clementis Romanae Eccleſiae Epiſcopi & martyris, & ſancti Albini, ſancti Amantii ac ſancti Arnulphi, ſeu ſancti Martini, atque ſancti Clementis primi Metenſis urbis Epiſcopi, atque ſancti Audoeni, necnon & ſancti Martialis, ac ſancti Benedicti, & ſancti Paterni, & ſancti Silveſtri confeſſorum Domini, & in eo propriis manibus decenter praedictorum ſanctorum reliquias in confeſſione ipſius altaris collocavit. In ſubteriori ergo parte & in abſida ipſius Eccleſiae fecit & conſecravit quartum altare in honore ſancti Stephani & omnium ſanctorum, & in eo ſancti Stephani atque aliorum multorum ſanctorum reliquias propriis manibus decenter collocavit atque concluſit. In dextera igitur & ſubteriori parte ipſius Eccleſiae quintum fecit altare, quod & conſecravit in honore ſancti Pauli & ſancti Iacobi Apoſtoli & ſancti Matthaei Apoſtoli & Evangeliſtae, & in confeſſione ipſius altaris praedictorum ſanctorum Apoſtolorum reliquias propriis manibus decenter compoſuit atque concluſit. In ſiniſtra & in ſubteriori parte ipſius Eccleſiae ſextum fecit altare, quod & conſecravit in honore ſancti Theodori & ſancti Iuliani atque ſancti Lamberti martyrum Chriſti, & in confeſſione ipſius altaris eorum pignora propriis collocavit manibus.

III. Anno ſiquidem incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti DCCCXXXIV. Indictione vero XIII. & anno imperii Domni Hludovici piiſſimi Imperatoris XXII. anno vero ordinationis praeſcripti Aldrici Epiſcopi tertio praedictam Eccleſiam jam dictus Pontifex ſolemniter & decenter dedicavit. In praeſcripto namque Kalendarum die Turonis metropolis civitate per conſenſum & electionem Landramni praedictae Turonicae urbis Archiepiſcopi ſive aliorum Epiſcoporum atque multorum Abbatum atque Comitum necnon & aliorum innumerabilium prudentium virorum a Hludovico praeſcripto Imperatore cura Cenomanicae urbis & ſollicitudo totius populi ipſius urbis parochiae Aldrico praefato Epiſcopo commiſſa eſt; cui omnipotens Deus, ſuppliciter oramus, una nobiſcum tribuat requiem ſempiternam & vitam aeternam. Praeſcripto videlicet anno incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti, XI. quoque Kalendarum Decembris die ſolemniter conſecravit jam dictus Aldricus Pontifex abſidam matris & ſenioris civitatis Eccleſiae, quam à novo fundavit & mirabiliter ornavit atque fabricavit, in qua & altare mirabiliter fabricatum & compoſitum conſtruxit. Iam dictam quippe abſidam una cum praefato altari conſecravit in honore ſancti Salvatoris & ſanctae Dei genitricis Mariae & ſanctorum martyrum Gervaſii & Protaſii, ſed & ſancti Stephani; in quo & reliquias ſancti Salvatoris & ſanctae quidem Dei genitricis Mariae atque de proprio corpore ſanctorum martyrum Gervaſii & Protaſii ſive ſancti Stephani in ſuperdicto altari propriis manibus decenter collocavit & mirabiliter compoſuit. Aliam quoque partem praeſcriptae matris & civitatis Eccleſiae, cujus conſecrationis dies penitus ab omnibus ignorabatur, in praedicto Domini Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti nomine & ſanctae Dei genitricis Mariae ſanctorumque martyrum Gervaſii & Protaſii atque ſancti Stephani reconciliavit atque ſolemniter dedicavit. In praefata namque Eccleſia ſeniori altaria conſtruxit & à novo fundavit atque in ſupradicta die ſacravit numero decem: & nomina ſuper ea eorum ſanctorum, in quorum memoriis ea conſecravit, deſuper aſcribere juſſit; quae & adhuc per ſingula altaria inſerta ſingillatim & diſtincte ac diligenter inveſtigantibus reperiri hodierna die queunt. Deambulatoria ſiquidem ſurſum per totum in circuitu ipſius Eccleſiae fecit, in quibus & altaria quinque nobiliter conſtruxit atque ſacravit. Primum enim in dextera & in orientali parte altare in praedictis deambulatoriis poſitum ſacravit in honore ſancti Martini & ſancti Hilarii ac ſancti Germani ſanctique Vedaſti, ſive ſancti Domnoli atque ſancti Carileſi & ſancti Rigomeri confeſſorum Chriſti, & pignora praedictorum ſanctorum in eo propriis manibus decenter & eccleſiaſtico more collocavit. Aliud vero altare in ſupradicta dextera parte & in eodem deambulatorio in medio poſitum ſacravit in honore ſancti Petri & ſancti Iohannis Apoſtoli & Evangeliſtae atque ſancti Andreae, necnon & omnium Apoſtolorum, & reliquias eorum in ipſo collocavit altari. In occidentali quippe parte ipſius Eccleſiae, in ipſo ſolario fecit atque ſacravit altare in honore omnium ſanctorum, in quo & multorum ſanctorum pignora propriis collocavit manibus. In ſiniſtra autem parte ipſius Eccleſiae & in ſiniſtro deambulatorio in orientali parte fecit & conſecravit altare in honore ſancti Dionyſii & ſancti Laurentii, ac ſancti Remigii ſanctique Medardi, ſeu ſancti Bonifacii & ſancti Ruſtici necnon & ſancti Eleuterii martyrum & confeſſorum Chriſti, & eorum reliquias in ipſo propriis manibus collocavit altari. In praedicto videlicet ſiniſtro ſolari & deambulatorio, in medio aliud fecit & ſacravit altare in honore ſanctae Dei genitricis Mariae ac ſanctae Anaſtaſiae ſanctaeque Caeciliae, necnon & omnium ſanctarum virginum, & pignora ſanctarum virginum in eo multa propriis collocavit manibus. Deorſum quoque & in dextera ſive orientali parte praefatae Eccleſiae fecit & conſecravit altare in honore ſancti Ambroſii & ſancti Benedicti, ſanctique Gregorii, ac ſancti Auguſtini ſive ſancti Iuliani atque ſancti Hieronymi, necnon & ſancti Vigoris Chriſti confeſſorum, & eorum in eo decenter & eccleſiaſtico more collocavit reliquias. Extra chorum ſcilicet & in dextera parte ipſius Eccle-

clesiae fecit & consecravit altare in honore sancti Georgii & sancti Felicis, ac sancti Symphoriani sive sancti Sixti atque sancti Tiburtii, sanctorum quippe Marcellini & Petri, & eorum in eo decenter collocavit reliquias. In sinistra namque & in orientali parte ipsius Ecclesiae fecit & sacravit altare in honore sanctae Scholasticae & sanctae Agnetis ac sanctae Luciae, atque sanctae Hlodesindae, sive sanctae Afrae, sanctaeque Geretrudis & sanctae Aldegundis virginum Christi, & in eo earum reliquias propriis decenter collocavit manibus. Extra chorum autem in sinistra parte ipsius Ecclesiae fecit & consecravit altare in honore sanctae Agathae & sanctae Felicitatis ac sanctae Sabinae sanctaeque Eufemiae sive sanctae Perpetuae atque sanctae Brigidae necnon & sanctae Genovefae virginum Christi, & earum in eo decenter propriis manibus collocavit reliquias. In media quoque Ecclesia fecit altare, in quo & Crucifixum Domini nostri Iesu Christi auro & argento mirabiliter fabricatum erexit, & ipsum altare in media Ecclesia positum in honore sanctissimae Trinitatis in eo decenter propriis collocavit manibus. Antedictus igitur Aldricus Cenomanicae praefatae urbis Episcopus anno incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCCXXXV. & anno imperii piissimi Hludovici Imperatoris XXIII. anno siquidem ordinationis suae tertio, Inditione XIV. undecimo vero Kalendarum Iuliarum die solemniter consecravit occidentalem partem saepedictae matris & Cenomanicae civitatis senioris Ecclesiae, quam & a novo fundavit & mirabiliter ornavit, ad effectum quoque usque perduxit: in qua & altare fecit in honore sancti Iohannis Baptistae, quod & insuper dicto Kalendarum die in honore sancti Iohannis Baptistae solemniter consecravit, & praedicti sancti Iohannis Baptistae sive aliorum multorum sanctorum reliquias propriis manibus in eo decenter collocavit. Aliud ergo in dextera parte ipsius occidentalis partis Ecclesiae fecit altare & in praescripto die consecravit in honore sancti Christophori & sancti Hippolyti atque sancti Saturnini martyrum Christi, & eorum reliquias in confessione ipsius altari propriis decenter collocavit manibus. In sinistra namque parte ipsius occidentalis partis senioris Ecclesiae in supraescripto Kalendarum die tertium consecravit altare in honore sancti Victurii & sancti Victuri ac sancti Brixii sanctique Arvei atque sancti Baumadi seu sancti Almiri, seu sancti Vitacii & sancti Iuliani primi ipsius urbis Episcopi, atque sancti Turibii & sancti Pavacii, necnon & sancti Liborii confessorum Christi, & eorum reliquias propriis manibus decenter in supradicto collocavit altari. Praescripto namque XI. Kalendarum Iuliarum die antedictus Aldricus Pontifex est de utero matris suae natus, cui omnipotens Deus assidua intercessione praedictorum sive omnium sanctorum tribuat vita aeternaliter una cum eis frui sempiterna. Amen.

IV. Dedit quippe praefatus Aldricus Pontifex villam quandam Canonicis suis cujus vocabulum est Buxarias, cum omnibus ad se pertinentibus, una cum silva cujus vocabulum est Felicionis, de qua & plenius praedicti Canonici eorum mererentur habere stipendia, & delectabilius Domino famulari, sive pro Imperatore antedicto Hludovico & conjuge sua Iudith, sed & pro liberis regalibus, sive pro universo exercitu eorum, atque pro saepedicto Aldrico ipsius urbis Episcopo orare certatim studerent, & delectabilius sive studiosius eis Domino militare delectarei. De praefixa videlicet villa censuit, atque suis successoribus contestando in suo privilegio quod de eadem villa praedictis Canonicis suis fecit adjuravit ut fratres & Canonici Cenomanica in urbe degentes haberent plenam refectionem in XI. Kalendarum Ianuariarum die, quando mater & civitatis Ecclesia senior Cenomanica in honore sancti Salvatoris & sanctae ejusdem dei genitricis Mariae & sancti Gervasii & Prothasii sive sancti Stephani est a jam dicto Aldrico Episcopo solemniter dedicata. Similiter censuit ut de praefata villa plena praedictis fratribus & Canonicis XI. Kalendarum Ianuariarum die fieret plena refectio; in quo die & saepedictus Aldricus in praescripta civitate & in praefata Ecclesia est canonice & solemniter a nobilissimis & doctissimis atque sanctissimis Episcopis Pontifex ordinatus. Similiter censuit ut in XI. Kalendarum Iuliarum antedictis Canonicis & Dei servis de praefata villa fieret plena & optima refectio, in quo die & praefixus Aldricus Episcopus est de utero matris suae natus, atque occidentalis pars praescriptae matris & civitatis Ecclesiae ab eodem Pontifice est solemniter dedicata. Similiter in Assumptione sanctae Dei genitricis Mariae, quae est XVIII. Kalendar. Septemb. die, in cujus honore praefata Ecclesia a sancto Iuliano sacrata fuit, cujus consecrationis dies ab omnibus penitus ignorabatur, sed modo renovata & reconciliata sive consecrata est in honore praedictae sanctae Dei genitricis Mariae seu sanctorum Gervasii & Prothasii sive sancti Stephani solemniter & canonice in praescripto Kalendarum die a praefixo Aldrico Episcopo, constituit fieri & plenam refectionem jam dictis Dei servis ministrari. In his quoque praedictis quinque festivitatibus censuit ut praedicti Canonici & Dei servi acciperent de praefata villa de pane optimo per singulos praedictarum festivitatum dies modios quatuor, arietes optimos sex, & de vino optimo modios duos, & de potione optima modium unum, & cetera sicut in ejus testamento quod de eadem re fecit continentur inserta.

V. In ipso ergo ordinationis atque consecrationis praescriptae matris & Cenomanicae civitatis Ecclesiae anno primo virtutes in suprascripta Ecclesia apparuerunt multae videntibus Domino largiter tribuente multis. Quidam enim claudus & utrisque pedibus debilis in praefata Ecclesia ad vespertinalem synaxin adveniens, dum fratres Domino vota persolverent & officia vespertina peragerent, utrisque pedibus restauratus ac sanatus multis videntibus fuit, ita vero pristinum recipere meruit gressum quasi nunquam claudus ac debilis fuisset. Alius siquidem ad matutinalem synaxin veniens, qui mutus ab ortu nativitatis suae & surdus erat, dum Canonici ac Dei servi in jam dicta sancti Salvatoris & sanctae Dei genitricis Mariae & sanctorum martyrum Gervasii & Prothasii atque sancti Stephani Ecclesia devotissime matutinalem peragerent synaxin, tam auditum quam & locutionem inibi pleniter recepit, & ita loqui ac audire meruit ceu nunquam surdus ac mutus fuisset. Sequenti namque tempore quidam caecus veniens in jam dictam Ecclesiam, dum Missa à saepedicto Aldrico Episcopo & à suis consacerdotibus sive reliquis ministris devotissime peragebatur, visum Domino largiente recipere in supradicta Ecclesia meruit plenum & ita videre veluti nunquam caecus fuisset. Alius ergo plenus daemonio, qui graviter a diabolo vexabatur, & saepe tam in ignem quam & in aquam sive in reliqua pericula se demergere volebat, qui & multis funibus constrictus atque colligatus erat ne aliquem laedere posset, in supradictam Ecclesiam ad matutinalem synaxin adveniens, dum ibi à Dei servis ibidem consistentibus & à jam dicto Episcopo divina peragebatur intentissime officia, à daemonio curatus & pleniter sanatus est ceu nunquam à daemonio vexatus esset. Alia quoque innumerabilia signa in suprascripta Ecclesia & in antedicto primo ordinationis, consecrationis, sive reconciliationis suae anno, necnon & in subsequentibus annis, innumerabilia multis apparuerunt videntibus signa, quae propter prolixitatem sive propter taedium lectoris atque auditoris hic non inseruimus; quae tamen tanta sunt in ejiciendis daemoniis, in recipiendis gressibus, in reddendis auditibus, & reparandis visibus, sive in reliquis Dei beneficiis quanta, ut reor, duo vel tres quaterniones minime capere valerent. Alii autem infirmi tam de febribus quam de aliis infirmitatibus in suprascripta Ecclesia innumerabiliter multi Domino largiente sunt sanati, atque pristinam sanitatem recipere & plenam meruerunt adipisci salutem.

VI.

VI. Antedictus enim Dominus Aldricus praefatae urbis Episcopus quando in praedicto V. Iduum Nov. die à largitione Domini Hludovici piissimi Imperatoris, per consensum & electionem multorum nobilium virorum, sicut supra dictum est, accepit jam dictum episcopatum, quidam aemuli sanctae Dei Ecclesiae & sui insinuaverunt atque firmiter protestati sunt praefixo Domino Hludovico Imperatori quod abbatia sancti Vincentii non esset de jure antedicti Episcopi, sed fiscus saepedicti Domini Hludovici Imperatoris esse debebat. Dominus igitur Hludovicus Imperator ad hoc inquirendum atque veraciter investigandum suos strenuos & fideles misit Missos, qui hoc inquirerent si fiscus esse debebat, an de jure & dominatione antedicti Episcopi esse deberet. Aldricus verò in hoc valde angebatur, tristabatur que quod tali occasione a jure & dominatione saepedicti episcopii jam dicta abbatia sancti Vincentii perdita & injuste ablata fieret. Non enim habebat ibi cognitos homines, nec ipsam rem cognoscebat, sed Dominum obnixe deprecabatur ut sua negligentia ipsa abbatia sancti Vincentii de jure praedictae Ecclesiae perdita nec alienata fieret. Quem nempe Dominus in hoc exaudivit, & oppido illum consolatus est; & ipsas res adminiculante Domino evindicare meruit, & ad jus suae sedis Ecclesiae jure firmissimo retinere, licet in ipso die introitus sui, quando primo in festivitate sancti Martini in ipsam civitatem Cenomanicam est ingressus, ipsa inquisitio facta fuisset, ubi & testes habuit qui ad jus sui praefixi episcopatus ipsam abbatiam testificaverunt atque confirmantes dixerunt quod sub dominatione & jure praefati episcopatus esse deberet. Privilegium ergo quod Dominus Domnolus de praefata abbatia fecit quando praefatum monasteriolum & jam dictam Ecclesiam de rebus suae sedis Ecclesiae ditavit, ipso tempore minime invenire quivit, quod ei tunc absconditum fuit. Sed postquam illud jam evindicatum & per praeceptum confirmatum monasteriolum habuit, ipsum privilegium Domino adminiculante invenire & adipisci meruit. Idcirco in hoc opusculo praedictum privilegium nobis inserere placuit; ut si, quod absit, futuris temporibus de saepe jam dicta abbatia aliqua quaestio orta fuerit, & praefatum privilegium aliqua machinatione aut malo ingenio aliquis occultare vellet, in hoc opusculo exemplar ejus invenirent, cum quo & solatium fideles ejusdem sanctae Dei Ecclesiae haberent, qualiter ipsa abbatia nunquam à jure & dominatione praefatae Ecclesiae perdita fieret. Similiter & privilegium quod jam dictus Dominus Domnolus de colonica ad Ecclesiam sancti Vincentii & ad opus fratrum ibi degentium cum consensu suorum Canonicorum atque aliorum tam Episcoporum quam & aliorum nobilium virorum fecit hic inserere placuit.

VII.

Exemplar Privilegii & traditionis quam Dominus Domnolus de villa Tricione & de Fraxinido, sive villula nomine Debus, atque de aliis villulis sive rebus ac territoriis suae sedis Ecclesiae in die dedicationis saepedictae sancti Vincentii Ecclesiae ad ipsam Ecclesiam fecit.

DOmino venerabili Ecclesiae Cenomanicae clero Domnolus Episcopus. Congruum nobis fuit ut votum desiderabile in caritatis vestrae notitiam poneremus; quia si consensus vester desiderium cordis nostri decreta adverterit, credimus nullius nullo unquam tempore contrarietate à nobis pariter firmata posse convelli, cum pro salute populi, velut custodiam civitatis, reliquias Domni ac venerabilis sancti Vincentii martyris intercedente praesumptione ausi fuerimus deferre, cum Dei adjutorio & vestro, eidem loco dignitatis ereximus in culmine, ita petimus ut nostro pariter ditetur & munere; & si sensus vester in nos contulerit claritatem, hanc paginulam donationis vestro quaesumus ut firmetur robore. Domno ergo in ipsius Domni Vincentii honore donatumque esse volumus villa cognominante Tricione, quam Abundantius vitis est quondam tenuisse, per loca designata de Confinentes usque Buccias deinde in summa usione termino Frossacense, subjungente ad se adjacentia Saturniacense, inde pervia Saturniacinse pervenit ad vinaeta usque campo Daulfo, deinde à broialo Censurio usque ad domum Merae, inde ad campum Locogiacinse pervenit ad ipso Tricione, cum id quicquid Mallaricus Diaconus noster tempore vitae suae usufructuario possidere videtur, cum agris, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumve decursibus, cum mancipiis his nominibus, Leudomadin cum uxore Leudomal a & infantulum Leonteri, Leudolso, item Leudolfo, Charibandi, Vinonede, & Mogiane, gregi equino quem Allomeris intra terminum ipsum commanens custodire videretur. Idemque & villa Fraxeneto, quam bonae memoriae Ap. Presbyter tenuit, cum broialis Marcelliacensis, cum vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, cum accolis decem commanentibus in rem Ecclesiae. Quicunque opportuni ad domum ipsam fuerint, quos per adsignationem Leudorico de ratione perceperit possidendos, cum mancipiis his nominibus Lanvoneto, Fredulo cum uxore Taligia, Sclasso, Castino cum uxore Leudemalla & filio Lendoghisilo, cum filia Childegunde, Puppa cum filio suo Populoneo, cum Leudomundo & Leudomanda cum libertus omnes praedicti Presbyteri. Pari modo & locello ad Buccis, quem de Eutelio Presbytero accepimus, cum mancipia qui ibidem excolere videntur, pratum intra vinarium supra ripa Sarthae secum quem Abundantius vel actores Ecclesiae visi sunt tenuisse, Chyldegisilo puero, cum armento pecorum quem ipse custodire videtur, & campo adjacente ad memorato prato quem nostro opere tecimus, Setelmundo cum uxore sua VVilime. Haec omnia quidem per hanc paginam donationis, quam Aurelio Diacono praetato unanimiter rogavimus conscribendam, constat delegasse, nuncupata basilica habeat, teneat, possideat, quicunque loci ipsius dignitatem perceperit, jure hereditario perpetualiter firmitet vendicet possidendum. Si ullo umquam tempore aut Pontifex civitatis aut quaelibet persona à nobis donata vel tradita de dominatione basilicae ipsius adtrahere voluerit, induat maledictionem pro benedictione, & Domini nostri Iesu Christi vel omnium sanctorum martyrum incurrat offensam, & voluntas nostra perpetim maxime Domino capiat firmitatem, Aus Iuliani levis indesinenter. Actum Cenomanis civitate anno XI. regnante Domini nostri Chilperici Regis pridie Nonas Martias ✝ Domnolus peccator subscripsit. Germanus peccator rogante clero Cenomanis subscripsit. Dinamius peccator consensit & subscripsit. Draucio Presbyter subscripsit. Injuriosus peccator subscripsit. Meterius Presbyter consensum nostrum subscripsi. Populonius Presbyter consensi & subscripsi. Alloveus Presbyter consensum nostrum subscripsi. Setrius peccator consensi & subscripsi. Leudoveus Presbyter subscripsi. Daunarelus Presbyter consensum nostrum subscripsi. Frigimodus Presbyter, Vitlicinus Diaconus consensum nostrum subscripsimus. Censius Diaconus consensum nostrum subscripsi. Romulus Diaconus consensi & subscripsi. Daddus Diaconus consensum nostrum subscripsi. Noxus Diaconus subscripsi. Senvovechus Diaconus consensi & subscripsi.

VIII.

Item exemplar quod Dominus Domnolus de villa Canon per consensum Canonicorum suorum ad Ecclesiam sancti Vincentii fecit.

ANno xx. regni Domini nostri Chilperici gloriosissimi Regis, pridie Nonas Septembris, ego Domnolus in Christi nomine Episcopus cum evocatiem Domno & fratri meo Audoveo Episcopo Ande-

degavae civitatis visitare sanctis liminibus patroni peculiaris mei Victoris Episcopi immo & solemniter ipsius celebrassem, cum consensu omnium fratrum meorum Presbyterorum, quia ante tempus testamentum meum condidi & in ipsam voluntatem meam adhuc non complevi, quod meum conscriptum videtur volo in omnibus conservetur, & haec paginola plenum capiat opto robur. Dono basilicae sanctorum Vincentii & Laurentii, quam meo opere construxi & aedificavi pro salvatione civitatis & populi conlocavi colonicam cognominatam Cannono, cum agris, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, & mancipiola duo Vvaldando cum uxore sua vel infantibus eorum qui ibidem nunc commanere videntur, ab hodierno die praedictus Abbas antedicti loci ad stipendia fratrum nuncupatae basilicae faciat revocare, & tamen post obitum meum, quando Deus jusserit, qui praesens fuerit ordinatus de loco praefato commemorationem meam anni singulis adimplere procuret. Ideo tibi, Nivarde Diacone ac defensor nostrae Ecclesiae, indico atque jubeo ut hoc nia traditione, sicuti nunc a dicta Ecclesia possidetur, cum omni soliditate vel adjacentia Suolevo Abbati facias consignari. Hoc vero inserendum rogavi, ut qui voluntati meae obvius esse voluerit, maledictionem illam incurrat quem Propheta in psalmo CIX. decantavit, & praesens pagina maneat inconvulsa, quam pro rei veritate manu propria subscripsi & Domnis & fratribus meis muniendam rogavi Domnolus peccator subscripsi. Audovcus peccator subscripsi rogante Domno Domnolo Episcopo * Theoduisus peccator subscripsi. Aimulfus Presbyter subscripsi. Leudoricus Presbyter subscripsi.

IX. Placuit etiam in hoc opusculo exemplar praecepti quod jam dictus Aldricus à Domno Hludovico pissimo Imperatore, quando res de saepedicta sancti Vincentii abbatia & ipsam abbatiam adjudicare & adipisci meruit.

EXEMPLAR SUPRADICTI praecepti de abbatia sancti Vincentii, sive de cellulis sancti Albini & sancti Andoeni infra & secus urbem positis, quam Domnus Aldricus causa justitiae & futurae quaestionis malitia excludenda percipere studuit.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Omnibus fidelibus sanctae Dei Ecclesiae & nostris praesentibus scilicet & futuris notum esse volumus qualiter ad notitiam nostram de tribus cellis perventum est, quae una earum intra muros Cenomanis civitatis sita est & dicata in honore sancti Albini, reliquae vero duae in suburbio memoratae civitatis constructae, & altera earum in honore sancti Vincentii, altera vero in honore sancti Andoeni dicata habetur, quas praesenti tempore Aldricus Episcopus sub jure praescriptae urbis possidebat, quod non juste ad eandem urbem sed ad publicum nostrum pertinere deberent. ad quam causam diligenter per meliores & veraciores homines circumquaque memoratae urbis consistentes inquirendam nobisque renuntiandam destinavimus fidelem nostrum Vvidonem nomine; qui cum ad nos reversus esset, retulit nobis, sicut relatione bonorum hominum circa fines memoratae civitatis consistentium cum sacramenti assertione invenerat, quod praescriptae cellae non ad publicum nostrum pertinebant, sed sub jure memoratae Cenomanis Ecclesiae juste & legitime esse deberent. Cumque ex memorati fidelis nostri Vvidonis relatione per omnia ita verum esse cognovissemus, propter futuras occasiones & resultationes penitus repellendas & abiciendas, complacuit nobis hoc nostrae auctoritatis atque memoriae conscriptum super hujuscemodi factum conscribere, per quam praecipimus atque jubemus ut repulsa omnino publica & judiciaria potestate praefatae cellae perpetuo in jure memoratae Cenomanis Ecclesiae consistant, easque memoratus Aldricus Praesul suique successores jure ecclesiastico habeant, teneant, atque possideant, & inde faciant quicquid pro commodo vel utilitate memoratae Cenomanis Ecclesiae faciendum esse decreverint. Et ut haec nostrae auctoritatis conscriptio firmior habeatur & a fidelibus nostris melius credatur & diligentius conservetur, de anulo nostro subtus eam jussimus sigillari.

Hirminmarus Notarius ad vicem Theotonis recognovi & subscripsi.

Data IV. Kal. Januar. anno Christo propitio XVIII. Imperii Hludovici piissimi Augusti, Indictione decima.

Actum Cenomanis civitate in Dei nomine feliciter Amen.

X. Similiter in hac scedula vel in hoc libello inserere placuit exemplar praecepti quod supradictus Domnus Aldricus de villa quae Brogilus vel Novavilla nominatur cum omnibus ad se pertinentibus tam villulis quam mancipiis, sive reiculis atque forestibus, necnon & omnibus ad eas juste pertinentibus accipere meruit; ut si necesse fuerit, hoc exemplar futuris appareat fidelibus praescriptae Ecclesiae, qualiter omnibus notum sit supradicta cautio.

EXEMPLAR PRAECEPTI SUBSCRIPTI.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Si supplicationibus sacerdotum, quando pro suis vel Ecclesiarum sibi commissarum necessitatibus aliquid nobis intimare voluerint, aurem benigniter atque libenter accommodamus, eorumque justas & rationabiles petitiones ad optatum effectum pervenire facimus, non solum regiam atque imperialem consuetudinem in hoc exercemus, sed etiam eosdem sacerdotes ad Domini misericordiam pro nobis exorandam promptiores atque devotiores facimus. Idcirco notum fieri volumus omnium fidelium nostrorum tam praesentium quam futurorum industriae qualiter cum nos de Aquitania reverteremur & in urbem Cenomanis pervenissemus, Aldricus ejusdem urbis venerabilis Episcopus accedens ad aures nostras retulit nobis de quadam villa quae Brogilus vocatur & Novavilla nominatur, quae ante hos complures annos de jure ejusdem Ecclesiae cum appendiciis & omnibus ad se pertinentibus subtracta atque ad publicum nostrum redacta, moderno tempore ab Heremberto vassallo nostro in beneficium data possideretur, & sic praecedenti tempore de manibus rectorum praedictae urbis eandem villam cum appendiciis & omnibus ad se pertinentibus elapsam esse. Sed cum nos ad rei veritatem diligentius vestigandam fideles nostros Simonem Presbyterum & venerabilem Abbatem & Hildemannum vassallum nostrum mitteremus, renuntiaverunt nobis per omnia ita verum esse. Cumque eorum relatione memoratum beneficium Heremberti non ad publicum nostrum sed ad jus praedictae Ecclesiae Cenomanis juste pertinere cognovissemus, complacuit clementiae nostrae praefatum beneficium Heremberti, id est, forestum illam quae Gauciacinsis dicitur, cum duabus forestulis quae Dovera & Tulpiacus vocantur, cum aedificiis in eadem constructis, quae Brolius nominantur, necnon & Novamvillam cum omnibus ad se pertinentibus, id est, Salvariam, Colonicam, Cauqueriolas curtem Herilavan. Ferrarias, villarem Saviniacum, Buxarias, in Monticellis capellam unam cum omnibus ad se pertinentibus, & in Caliniaco dimidium mansum, & in Vincariis mansum unum, & in Cipido atque Belino eos quos jumentarios dicunt, cum redditione census quem singulis annis solvere noscuntur, id est, mel & ceram, & in Cabanido eos quos porcarios vocant, & eos qui in illa

ru-

ruba quae est contra orientem manere noscuntur, necnon & illos qui super fluvium qui dicitur Sartha consistere noscuntur, similiter & medietatem telonei quod de illo porto annis singulis persolvitur, & quemadmodum saepedictus Herembertus memoratum beneficium cum omni integritate, sicut illa die sub jure nostrae dominationis erat quando a largitione nostra ipsi in beneficium accepisse constat, pro emolumento animae nostrae memorato venerabili Aldrico Episcopo ad partem praescriptae suae Ecclesiae reddere, ut in perpetuum in utilitates & usus ejusdem Ecclesiae Deoque in ea deservientium pertineat. Idcirco suggerente atque rogante praedicto venerabili Episcopo hanc nostrae commemorationis atque redditionis praeceptionem ei vel ad partem jam dictae urbis fieri jussimus, per quam decernimus atque jubemus ut nullus fidelium nostrorum de praedicta villa vel de his omnibus quae ad praefata loca pertinere noscuntur memorato venerabili Aldrico Episcopo sive successoribus ejus ullo unquam tempore inquietudinem facere aut quamlibet calumniam ingerere praesumat; sed liceat ei & successoribus ejus quieto ordine memorata loca cum omnibus ad se pertinentibus jure ecclesiastico tenere & possidere, & quicquid pro opportunitate & commoditate praefatae Ecclesiae exinde facere decreverint, liberam in omnibus habeant potestatem faciendi. Ut autem haec nostra auctoritas perpetuam obtineat firmitatem, de anulo nostro jussimus sigillari.

Hirminmarus Notarius ad vicem Theotonis recognovi & subscripsi.

Data VI. Idus Januar. anno Christo propitio XVIII. imperii Domini Hludovici piissimi Augusti, Indictione X.

Actum Bes villa in Dei nomine feliciter. Amen.

XI. Insuper in hoc opusculo inscribere libuit exemplar praecepti quod saepedictus Aldricus de nonis & decimis vel restaurationibus Ecclesiarum sive de censibus tam monasteriorum quam cellularum & villarum quae largitione regia vassalli dominici adipisci, licet injuste & contra canonicam auctoritatem, meruerunt. Nam oblatio fidelium ab Episcopis & ministris eorum secundum canonicam institutionem dispensanda & gubernanda est, non a laicis & secularibus hominibus; quoniam qui hoc facere ex secularibus vel laicis hominibus praesumpserint, sub anathematis nomine a sanctis patribus districte feriuntur. Illis quoque hoc valde cavendum est, ne pro temporalibus hujus seculi a divitiis caelestis regni perpetuo alienati, quod absit, fiant.

EXEMPLAR PRÆDICTI praecepti ita continetur.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Si his qui Deo debitum exhibent famulatum quiddam honoris conferimus, & ad suum ministerium liberius exequendum opem ferimus, hoc nobis proculdubio ad statum terreni regni corroborandum & ad aeternae vitae beatitudinem capessendam profuturum esse confidimus. Notum igitur esse volumus omnibus fidelibus nostris praesentibus scilicet & futuris quia nos de Aquitania revertentes, cum in urbem Cenomanis pervenissemus, quam Aldricus venerabilis Episcopus regere videtur, Clerici & Dei servi inibi consistentes in nostram advenerunt praesentiam, & conquesti sunt quod nonas & decimas, unde necessarios sumptus habere debebant, fideles nostri qui res sancti Gervasii munere beneficiario possidebant, aut negligenter persolverent, aut penitus reddere differrent; petieruntque & suppliciter deprecati sunt nos ut nostra imperialis potestas efficeret qualiter secundum antiquam consuetudinem & jussionem Domini & genitoris nostri Karoli praestantissimi Augusti ac nostram pleniter de eisdem rebus decimae & nonae partibus praescriptae Ecclesiae sancti Gervasii & fratrum inibi consistentium pleniter & absque ulla dilatione persolverentur, & aedificia ejusdem Ecclesiae sive domus episcopalis ac fratrum inibi degentium refectae & restauratae fierent. Insuper humiliter flagitantes postulaverunt ut villarum nomina ex quibus nonae & decimae ad supradictam Ecclesiam persolvi debent in nostrae auctoritatis praecepto nominatim adscribi praeciperemus, ne aliquo malo ingenio aut qualibet calliditate aut potentia alicujus divitis vel potentis hae villae vel hae res a jure ejusdem Ecclesiae alienatae futuris fierent temporibus aut nonae vel decimae sive census vel restaurationes jam dictae Ecclesiae ablatae fieri possent. Quorum deprecationes propter amorem Dei libenter audivimus, & sicut deprecati sunt, monasteria vel cellulas seu vicos vel villas quas nostra largitione ex jure praefixae Ecclesiae nostri fideles habere dinoscuntur nominatim in hoc praecepto inserere jussimus, ut futuris temporibus in jure & dominatione jam dictae Ecclesiae cum omni integritate permaneant, id est, monasterium sancti Petri quod Bertranus Episcopus aedificavit, cum monasteriolo sancti Martini in Ponteleuve, & monasteriolum sancti Victurii, in quo ipse Dominus Victurius corpore requiescit, & monasteriolum sanctae Mariae quod est constructum inter murum civitatis & fluvium Sarthae, cum monasteriolo sancti Ricomeri ultra fluvium Sarthae ad eum pertinente, & monasterium Sanctae Scholasticae, & monasteriolum sancti Germani ultra fluvium Sarthae, & monasteriolum vel synodochium sanctae Mariae, in quo Dominus Paduinus requiescit in corpore, & cellulam sancti Victurii intra civitatem, & monasterium sancti Carilefi, in quo ipse Dominus requiescit in corpore, & monasteriolum sancti Iuliani, in quo ipse requiescit in corpore, & monasterium sancti Georgii, monasterium Ilidi, & monasterium Tussiaco, & monasterium sancti Iohannis & sancti Trechii in Buxiolo: & monasteriolum sancti Martini in Diablentico, & monasterium sanctae Mariae in Auriamno, & monasterium Buxido, & cellulam Semilaco, & monasterium Caladon. Haec omnia, sicut diligenter inquisitum habemus, cum omnibus ad se pertinentibus & in scriptis authenticis sancti Gervasii invenimus, ad praedictam Ecclesiam sancti Gervasii juste & legaliter pertinent. Ex quibus jubentes praecipimus ut festivitatibus illorum sanctorum in quorum memoriis ipsa coenobia dicata esse noscuntur, per singulos annos ad praefixam matrem & civitatis Ecclesiam census ad ipsis qui eadem coenobia nostro beneficio tenent libenter ad opus Episcopi vel fratrum ibi degentium & ad ipsam Ecclesiam restaurandam & nunc & futuris temporibus persolvantur, & refectio Canonicis sancti Gervasii optima ab eodem Abbate, qui ipsum coenobium tunc temporis habere videtur, in praedicta festivitate libenti animo fiat, sicut nostram gratiam & ipsa beneficia habere voluerint; ut nobis seu decessoribus vel genitoribus nostris propter ablationem vel minorationem harum rerum jam dictae Ecclesiae aliquod detrimentum aut periculum regni non adcrescat, sed perennis temporibus sub jure ejusdem Ecclesiae permaneant. * Divitis cum Canonicis omnibus & Ecclesiis baptismalibus in praedictae urbis parrochia consistentibus, cujuscunque juris sicut, census cunctos tam in oleo quam in cera sive denariis pleniter partibus praefatae Ecclesiae, sicut in plenariis & breviariis ejusdem matris Ecclesiae continentur, per singulos annos absque ulla contradictione aut mora persolvere praecipimus. De vicis vero publicis ac propriis vel villulis jam dictae Ecclesiae quas fideles nostri nostra largitione habent, omnino praecipimus ut nonae & decimae partibus praescriptae matris Ecclesiae ab eisdem fidelibus nostris libenter & pleniter persolvantur, & aedificia ejusdem Ecclesiae sive domorum ad eam infra civitatem pertinentium reaedificare vel restaurare faciant, id est, de villa Tavida, de villa

Lug-

Lib. 1. Capitul. c. 157. & lib. 2. c. 21. 22.

* Vox corrupta.

Lugduno, de villa Baladon, de villa quae Brogilus sive Novavilla nuncupatur, de villa Pradellis, de Aturniaco, de villa Guilis, de tertia parte de cella sancti Almiri, de tertia parte de cella sancti Ulfacii, & de tertia parte de cella sancti Rigmiri, de villa Boulido, de Angono, de Solemnis villa, & vico & cella Virmeno; & de villa Apiliaco, & de Aldrino, & Claufido, de Noviliaco, & Fanifnonia, & campo Sigirico, Luciaco, & monte, & de Commis cella sancti Leodegarii, Angor, & Boulir, de Vinogabron cum suis appendiciis, & Allino vico publico, & Brusler & Sogonna vicis publicis, & Silviaco, & de villa Viliaco & Triciono, & Sigiaco, & Sabolosio, & Vinonio vico publico, & de villa longua, & de villa Campaniaco, & de Tonedralio, de Geneda vicis publicis, & de villa Dolas, & de Tredento, & Vitiena, Tauriniaco, Calliano, & villare de Verno & Adillanitae & Vigta, & Fontanas, & Sannaro, & Brassilo, Folcara, Domnosorio, & partem de Fraxiñdo, Mandaria, Dirgeto, villare de Verno, Clermicio & Canniaco, de Traxmarias, & Coxiaco vico publico, & villa Amoriaco, de villa Bunassa, & de omnibus villis quae ad cellam sancti Martini infra murum civitatis pertinent, & Caugiaco vico publico, & de villa Limbriaco, & Vernella, & Verniaco, & villa de Ferciaco, & de Ponciaco, de Carliaco, Priliaco, de Vigra, & de beneficio Hadingi, & de villare & de valle Bovonis, & de Breviaco, & de Carbonariis, & de Ruiliaco, & de Sidrego, & de Paciaco portu super Garronam, & de Gaureco, & de cella quae Longolin vocatur, & de Gajureco, & de Floreco, & de vico Diablentico, & de cella Areiacas, & de villa Canarisco, & Eviziaco, & Calla, & Commoriaco, & de villa Andoliaco, & de villa Griniaco, & Martiniaco, & Liverolas, & Sifeniaco, & de cella Domno regis, & de pago Ardunente, in quo sunt manentes villae sancti Gervasii, & de Curte Bulanc, & de Noviomo, & Scomoiaco, & Camiliaco, & Comaco, & Corma, & Novomor, & Bottiliaco vicis publicis. Haec autem omnia quae nominatim supra inserta sunt, ut jam dictum est, evidentius & diligentius investigatum habemus, & in authenticis quidem Ecclesiae scriptis ipsis Clericis nonoolianribus reperimus, sive alias villas quae propter prolixitatem vel propter ignorantiam nominum villarum in hoc precepto non sunt insertae, ad jam dictam Ecclesiam juste & legaliter pertinere; super quibus has nostrae auctoritatis litteras fieri decrevimus, per quas statuentes omnibus qui in praesenti tempore aut futuris temporibus ex memoratae matris Ecclesiae beneficiis assecuti sunt aut adsequi potuerant, praecipimus ut de omnibus conlaborationibus terrae, tam feni quam annonae omnium generum, tam de sua dominatione quam & de vassallorum suorum, de vivericiis quoque & perdonato, de pastionibus & pascuariis, de herbaticis & pastis, de piscationibus & pastonaticis, id est, de glandaticis, de merie, & conlaborationibus quae in hortis sunt, de nutriminibus animalium & casteis qui sunt, de vaccaritiis dominicatis; ac de omnibus redditionibus quae ab hominibus memoratae matris Ecclesiae recipiuntur, excepto hostilensie, id est, de bubus & conjectus ad carros construendos. De his autem omnibus praecipimus & censum legitimum & nonas & decimas annis singulis partibus praescriptae matris Ecclesiae absque ulla marritione vel dilatione reddere, insuper restaurationes tam in praefata Ecclesia quam in domibus juxta eam adjacentibus in tegumentis & restaurationibus pro possibilitate rerum quas in beneficium exinde possidet facere non negligatis, si gratiam nostram & eadem beneficia unusquisque vestrum habere voluerit. Praescripta vero beneficia volo ut fideles nostri supradicto censu cum consensu & benevolentia ejusdem Ecclesiae Episcopi teneant usque dum illa cum eis quae ex nostra datione habere videntur mutare possimus & saepedictae Ecclesiae quae juste & legitime, ut inquisitum habemus, debentur, auxiliante Domino restitui atque reddere mereamur. Et hoc omnibus vobis notum sit, quod si aliquis vestrum extiterit qui hanc jussionem nostram aut contemnendo aut negligendo adimplere distulerit, quia volumus atque praecipimus ut praescriptae urbis Episcopus in jure ejusdem Ecclesiae suae in suam vel Canonicorum suorum potestatem vel dominationem easdem res revocare faciat usque dum illi qui jam dictae Ecclesiae res vel beneficia nostra largitione habebant in nostram veniant praesentiam pro eadem negligentia atque contemptu rationes reddere. Et praevideat unusquisque ne illam ibi audiat sententiam, *Qui neglegit censum, perdat agrum*, & per hanc auctoritatem, sive pro eorum negligentia vel contemptu ipsa perdant beneficia. Et ut haec jussio nostra verius credatur & diligentius conservetur, atque per omnia a vobis perficiatur & firmius futuris temporibus teneatur, de anulo nostro subter has litteras nostras jussimus sigillari. (Capitula Karoli lib. vi. cap. 69.)

Hirminmarus Notarius ad vicem Theotonis recognovi & subscripsi.

Data II. Kal. Januar. anno Christo propitio XIX. imperii Domni Hludovici pissimi Augusti, indictione X.

Actum Cenomanis civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

XII. Placuit etiam in hoc scripto inserere exemplaria praeceptorum quae praefatus Domnus Aldricus saepedictae urbis Episcopus de monasteriolo sanctae Mariae quod est situm intra murum civitatis & fluvium Sarthae accepit, quod etiam Domnus Hludovicus pissimus Imperator propter amorem Dei & reverentiam sanctorum sive propter dilectionem & amorem praedicti Aldrici suprascriptae urbis Episcopi ad matrem & civitatis seniorem Ecclesiam potestative & legaliter tradidit. Quam antedictus Domnus Aldricus in honore Domini nostri Salvatoris Iesu Christi & ejusdem genitricis Mariae sive sanctorum Martyrum Gervasii & Prothasii atque sancti Stephani renovavit solemniterque consecravit atque reconciliavit, congregatis scilicet Episcopis atque sacerdotibus multis nobilibus sive reliquis Christi & sanctae Dei Ecclesiae ministris, cum consensu videlicet absentium multorum & innumerabilium nobilium Episcoporum praedictam matrem Ecclesiam in supradictorum memoriis consecrare solemniter ac studiosissime meruit. Primo siquidem hoc accepit praeceptum, quoniam putabat quod praedictum monasteriolum donatio Regum & fiscus esset Imperatorum. Sed postquam invenit traditiones & precarias sive privilegia & strumenta multarum chartarum investigatio sive armario praedictae Ecclesiae, qualiter praefatum monasteriolum sanctae Mariae ad jam dictam matrem & civitatis Ecclesiam à Deo devotis & liberis atque nobilibus utriusque sexus hominibus traditum fuerat, aliud inde accepit praeceptum, sicuti in eo continetur insertum. Idcirco hoc facere studuit ut si, quod absit, futuris temporibus aliqua ex hoc causatio orta fuerit, & praedicta praecepta aliquo ingenio ablata vel perdita fuerint, exemplaria amborum in his reperiantur schedulis praeceptorum, & in hoc inveniantur inserta libello, quatenus ex hoc procuratores jam dictae sedis Ecclesiae, si necessitas fuerit, adjutorium & recuperationem habere valeant.

EXEMPLAR PRÆCEPTI PRIORIS.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Augustus. Si illius amore cujus munere ceteris mortalibus praelati sumus, loca divino cultui consecrata congruis munificentiae nostrae beneficiis ad divinum cultum uberius exequendum sublimamus, dignae retributionis praemio nos à Domino re-

remunerari fideliter credimus. Quapropter omnium fidelium nostrorum benevolentiae tam praesentium quam & futurorum, Episcoporum videlicet, Abbatum, Ducum, Comitum, Domesticorum, & eorum superioris & inferioris ordinis tam ecclesiasticae quam reipub. administratorum notum esse volumus quia complacuit celsitudini nostrae quandam cellam sitam in pago Cenomanico in suburbio ipsius civitatis, id est, intra fluvium Sarthae & murum praefatae urbis, quae est constructa & dedicata in honore sanctae Dei genitricis Mariae & sancti Petri Apostoli atque aliorum sanctorum quorum reliquiae & memoriae inibi venerantur, sub integritate cum omnibus rebus, appendiciis, & terminis suis, & cum omnibus ad se pertinentibus, id est, basilicis, domibus ceterisque aedificiis, vineis, terris, pratis, silvis, campis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, locis cultis & incultis, mobilibus rebus & immobilibus ac seseque moventibus, mancipiis diversi sexus & aetatis, matris & civitatis Ecclesiae Cenomanicae senioris, quae est fundata & dedicata in honore sancti Salvatoris & praefixae sanctae Mariae semper virginis & sanctorum martyrum Gervasii & Prothasii atque sancti Stephani, ubi praesenti tempore vir venerabilis nobisque fidelis Aldricus Episcopus pastor & rector esse dinoscitur, nostra largitione tradere atque concedere & de nostro jure in jus ac potestatem illius solemni donatione transferre, ea videlicet ratione ut famulis servisque Dei inibi consistentibus & stipendia necessaria uberius ministrentur & necessitates ejusdem Ecclesiae tam exterius quam & interius facilius procurentur. Per hanc quoque auctoritatem nostram, per quam memoratam cellam cum omnibus ad se pertinentibus, sicut superius dictum est, praescriptae matris & civitatis Ecclesiae ac praefati Aldrici ejusdem sedis Episcopi delegamus, praecipientes interdicimus ut nullus aut nostris aut successorum nostrorum temporibus eandem cellam inde abstrahere, usurpare, aut invadere praesumat, sed in saepedictae Ecclesiae & in antedicti Aldrici ejusdem Ecclesiae Pontificis successorumque suorum Pontificum ditione jure perpetuo consistat ad ea quae supra diximus exequenda & perficienda. Et ut haec nostrae concessionis traditionis sive auctoritas sui vigoris perpetuam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus & anuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum Hludovici serenissimi Imperatoris.

Hirminmaris Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi.

Data XVI. Kalendas Aprilis anno Christi propitio XXIII. imperii Domni nostri Hludovici piissimi Augusti, Indictione XIV.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

EXEMPLAR SECUNDI PRAECEPTI quod supradictus Domnus Aldricus Episcopus accipere studuit, postquam chartulas & privilegia in chartulario suae sedis invenit qualiter praescriptum monasteriolum sanctae Mariae à bonis & Deo devotis ac liberis hominibus ad supradictam matrem Ecclesiam traditum fuit.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Augustus. Si sacerdotum servorumque Dei justis & rationabilibus petitionibus aurem accommodamus, easque ad optatum effectum perducimus, non solum regiam & imperatoriam exercemus consuetudinem, sed etiam eosdem pro excessibus nostris Domini misericordiam exorando devotiores promptioresque facimus, atque per hoc immensam Dei misericordiam facilius nobis conciliandam esse confidimus. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctae Dei Ecclesiae & nostris praesentibus & futuris quia Aldricus venerabilis Cenomanicae urbis Episcopus suggessit nostrae excellentiae monasterium sanctae Mariae & sancti Petri situm extra muros memoratae urbis, à decessore suo Innocente quondam Episcopo in rebus & ex rebus sui Episcopii fundatum atque constructum, deinceps quibusdam intervenientibus causis à jure jam dictae suae sedis subtractum, & ab illius dominatione hactenus fuisse elatum. Utque quod asserebat veraciter nobis patefaceret, detulit obtutibus majestatis nostrae quaedam chartarum monimenta Regumque, decessorum videlicet nostrorum, auctoritates quasdam; quibus inspectis atque evidenter ostenditur praedictum monasterium juris saepedictae sedis Cenomanicae sibi commissae esse & in ipsius dominatione debere persistere, humiliter nostram implorans mansuetudinem ut quod tam evidentibus indiciis declaratur, nostra quoque assensione immo auctoritate denuo roboretur. Quae ita liquidius cognoscentes eique ob amorem Dei & ejusdem sanctae sedis reverentiam favorem nostri culminis adhibere dignum judicantes, hanc auctoritatis nostrae praeceptionem ei suisque per tempora successoribus fieri ac dari jussimus, per quam decernimus atque sancimus ut memoratum monasterium sanctae Mariae ac sancti Petri, quod aliquandiu aliorum jure & ditione subtractum fuerat, abhinc in posterum habeant atque possideant, & quicquid more ecclesiastico de eo disponere voluerint, liberam habeant potestatem, neque ullo deinceps tempore à jure praescriptae sedis seu ejus rectorum qualibet occasione aut violentia segregetur, sed semper in illius rectorumque ejus potestate & dispositione ac voluntate ad divinum cultum propensius exequendum cum omnibus ad se pertinentibus integerrime sincerrimeque perpetuo consistat. Et ut haec nostrae redditionis auctoritas perpetuam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, & de anulo nostro jussimus sigillari.
HLUDOVICUS.

Hirminmaris Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi.

Data XI. Kalend. April. anno Christo propitio XXIII. imperii Hludovici piissimi Augusti, Indictione XIV.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

Hic est inserendum item exemplar praecepti quod saepedictus Domnus Aldricus de rebus & de monasteriolis sive cellulis atque vicis, necnon & villulis sigillatim nominatis sub emunitatis tuitione & gubernatione suae sedis Ecclesiae, quam reaedificavit, & quasi à novo restruxit atque immelioravit, immajoravitque, & in honore sancti Domini Salvatoris & beatae ejusdem Dei genitricis Mariae atque sanctorum martyrum Gervasii & Prothasii sive sancti Stephani solemniter consecravit, & praeceptum illius exemplaris à Domno Hludovico piissimo Imperatore percipere meruit, sicut in eo continetur insertum. Ita etenim in eo habetur scriptum.

In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Augustus. Si petitionibus sacerdotum pro quibuslibet ecclesiasticis necessitatibus aures nostras libenter accommodamus, & eas cum Dei auxilio ad effectum perducimus, id nobis ad aeternae remunerationis praemia capessenda profuturam liquido credimus. Igitur notum esse volumus sagacitati fidelium nostrorum praesentium videlicet & futurorum necnon successorum nostrorum quia adiens serenitatem nostram Aldricus Cenomanicae urbis Episcopus innotuit nobis qualiter olim peccatis praepedientibus sancta mater Ecclesia, quae in eadem urbe in honore sanctae Dei genitricis Mariae & sanctorum Gervasii & Prothasii martyrum, Christi Deo est dicata, ubi multae res dudum erant, adeo humiliata & rebus suis sit exinanita ut & thesaurus ipsius Ecclesiae à Christianissimis Principibus de ea ablatus, & quaedam strumenta chartarum, per quae res & man-

mancipia eidem Ecclesiae fuerant delegatae, diversorum etiam eventibus magna ex parte ibi devenerunt, necnon paupertatis causa praepediente divini cultus officium miserabiliter fuerit destitutum, & in eadem miserabili conlapsione immo destitutione tamdiu ipsa permanserit Ecclesia donec inspirante Domino Domnus & genitor noster sanctae memoriae Karolus nobilissimus orthodoxus Imperator aliqua monasteriola & villas quasdam juris ejusdem episcopii cum rebus aliis per intercessionem nobilium multorum & optimatum suorum eidem reddiderit Ecclesiae, quibus ipse sanctus adminiculatus locus libere atque inexcusabiliter divinae nunc famulatur potentiae. Postulavit atque nos praedictus Pontifex ut de eisdem cellulis & rebus, sive quas memoratus genitor noster & nos postea reddidimus Ecclesiae, necnon & de iis quas ante ipsam redditionem jure & legaliter memorata tenebat Ecclesia, nostrae auctoritatis atque emunitatis praeceptum circa ipsum sanctum locum firmitatis gratia fieri decrevissemus, per quod firmius & securius memoratas res modernis futurisque temporibus ipsa teneat & possideat atque defendat Ecclesia. Ostendit etiam nobis praeceptum bonae recordationis beati genitoris nostri Domni Karoli, in quo & eadem continebantur singillatim nominata quae & in nostro, nisi tantum ea quae nos postea ex jure praefatae Ecclesiae propter amorem Dei & reverentiam sanctorum praedicto venerabili Aldrico Episcopo & suprascriptae matri per nostrae auctoritatis praecepta reddidimus Ecclesiae. Cujus petitioni ob amorem Dei & reverentiam ipius sancti libenter annuimus, & hoc praeceptum auctoritatis nostrae circa ipsum sanctum locum facere censuimus: per quod jubemus ut ipsas cellulas & res & mancipia cum omnibus ad se pertinentibus vel aspicientibus, quae moderno tempore juste & legaliter ipsa tenet Ecclesia, sive eas quas genitor noster & nos eidem reddidimus Ecclesiae, necnon & eas quae antea in jure ipsius episcopii consistebant, firmiter atque inviolabiliter per hanc nostram auctoritatem ipsa teneat atque defendat Ecclesia; id est, cellulam sancti Vincentii cum omnibus ad se pertinentibus, & cellulam sancti Albini, seu cellulam sancti Audoeni, & cellulam sancti Rigomeri, & cellulam sancti Almeri, & cellulam sancti Viriacii, & cellulam sancti Baomadi. Haec omnia cum omnibus ad se pertinentibus, cum vicis canonicis, id est, Salicam, Monniacum, Coeciacum, Piaciacum, & Oxellum, Anciacum quoque, & Artinis, una cum aliis vicis quorum nomina in plenariis praefatae matris Ecclesiae habentur inserta, cum villis seniorib us & aliis villulis ad eas pertinentibus, sicut in plenariis jamdictae matris Ecclesiae continentur, id est, Rupiacum, Cananiam, Culturas, Baliavalancion, Colonicam, Vetuliacum, & Celsiacum vicum canonicum; & villam ejusdem episcopii, Alonnacum quoque, & Artinas, atque Vodebeis, Callemartium scilicet, sive alias villulas quarum nomina in promptu non habentur, sed in plenariis jamdictae sanctae matris Ecclesiae tenentur inserta, & censiis omnium vicorum in eadem parrochia consistentium, sicut in plenariis & breviariis ejusdem Ecclesiae habetur inscriptum, insuper & monasterium sancti Carilefi situm in condita Labricente cum omnibus ad se pertinentibus, & monasteriolum quod & situm intra murum praefixae civitatis & fluvium Sarthae, & est constructum atque dicatum in honore sancti Salvatoris & sanctae Dei genitricis Mariae & sanctorum Apostolorum atque aliorum sanctorum. Haec autem duo monasteriola propter amorem Dei & dilectionem jamdicti Aldrici Episcopi praefatae cum omnibus, ad se pertinentibus reddidimus matri Ecclesiae perpetualiter possidendum atque tenendum. Reddidimus etiam praescriptae Ecclesiae & Conedralium vicum canonicum cum omni integritate, & villam quae Brogilus vel Novavilla nuncupatur, cum forestibus & villulis sive omnibus ad se pertinentibus. Reddidimus ei, & Lugdunum & Calisium & Tridentem ac Banallam atque Biladon, & beneficia quinque vassallorum nostrorum, id est, Velladighei, Mundi, Vuolfardi, Bodonis, & socii ejus, cum omnibus ad se pertinentibus vel aspicientibus, sicut in praeceptis nostris quae de jam dictis monasteriolis & villulis adscripta sunt vel pertinentibus jam dicto Aldrico Pontifici facere & scribere jussimus continetur insertum. Haec vero omnia propter amorem Dei & reverentiam sanctorum venerabili Aldrico praefixo Episcopo & antedictae matri Ecclesiae, quam praedictus Aldricus immajoravit & quasi à fundamento reaedificavit, nobiliterque ornavit, & in honore Domini Salvatoris & sanctae ejusdem Dei genitricis Mariae atque sanctorum martyrum Gervasii & Prothasii sive sancti Stephani solemniter consecravit & reconciliavit, causa justitiae in nostra eleemosyna reddidimus & confirmavimus & in jure ejusdem Ecclesiae ac dominatione rectorum ejus tenendum & ecclesiastice gubernandum esse censuimus. Memorata igitur monasteriola & memoratas cellulas & villulas cum omnibus rebus & mancipiis ad se pertinentibus, quas modo juste & legaliter memorata tenet Ecclesia, per hanc nostram auctoritatem eidem sub nostrae emunitatis tuitione iterum confirmamus Ecclesiae. Praecipientes ergo jubemus ut nullus judex publicus, neque quislibet ex judiciaria potestate, nec aliquis ex fidelibus nostris in dictis villis, locis, vel agris seu reliquis possessionibus memoratae Ecclesiae, quas moderno tempore in quibuslibet pagis & territoriis intra ditionem regni nostri juste habere & possidere cognoscitur, quasque etiam deinceps in jure ipsius sancti loci divina voluerit pietas augeri, nemo ad causas audiendas, vel inferendas requirendas, aut tributa vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut tolonearn exigendum, nec fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiae tam ingenuos quam & servos qui super terram ejusdem residere videntur injuste distringendos, nec ullas rohibitiones aut illicitas occasiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeant, vel exactare praedicta ex praefatis rebus quodam in loco praesumant. Et quicquid ex rebus jam dictae Ecclesiae fiscus sperare poterat, totum nos memoratae Ecclesiae concedimus. Insuper & illud in hoc praecepto inserere deprecante jam dicto Episcopo jussimus, sicut & in bonae memoriae Domini & genitoris nostri Karoli Imperatoris praecepto insertum reperimus, ut nullus judex aut Comes aut quislibet homo vel qualiscet persona praedictae Ecclesiae ministros vel advocatos in mallo publico accusare praesumat antequam conveniat ministros rerum & judices villarum atque hominum à quibus laesus est, ut ab eis familiarem & justam accipiat justitiam; & si à praedictis ministris suam justitiam accipere non valuerit, tunc conveniat Episcopum jamdictae Ecclesiae, ut ab ipso suam justitiam familiarem & bonam atque justam accipiat. Et si ab ipso Episcopo neque à suis ministris suam justitiam accipere nequiverit, postmodum licentiam habeat ut in mallo publico suas querelas juste & rationabiliter atque legaliter quaerat. Sed si antequam fecerit illud, jam dictae sedis Ecclesiae Episcopum & suos ministros & advocatos in mallo & cujusdam conditionis publico placito accusare aut pulsare praesumpserit, quia nostram jussionem atque nostrum praeceptum & indictum contempsit sive praevaricavit, bannum nostrum ex hoc nobis componat, & praedictae Ecclesiae Episcopo vel suis ministris solidos centum argenti componat, & suam justitiam postmodum absque lege aut aliqua compositione recipiat. Praedictas enim causas memoratae Ecclesiae Pontificibusque atque servis Dei inibi Domino famulantibus pro Dei amore & reverentia sanctorum concessimus, concessumque futuris temporibus esse volumus. Iterum iterumque jubentes praecipimus ut nullus ex fidelibus nostris, aut judex publicus, vel etiam qualibet immissa vel subrogata persona, aliquam inquietudinem aut injustam contrarietatem de prae-

praedictis monasteriolis sive cellulis & rebus & mancipiis ac censibus, necnon & de his quae sive à nobis sive à successoribus nostris vel à reliquis Deum timentibus eidem Ecclesiae divina pietas deinceps augeri voluerit, nostris futurisque temporibus memoratae Ecclesiae facere praesumat; sed sub hoc nostrae confirmationis & tuitionis praecepto in jure ejusdem episcopii omni tempore in nostra eleemosyna quiete ac pacifice & juste possideri & legaliter tueri valeant, ita videlicet ut quicquid rectores vel ministri ipsius Ecclesiae pro opportunitate & utilitate de praelatis rebus facere voluerint, libero in omnibus pertruantur arbitrio faciendi, quatenus Pontifices ipsius sedis cum grege sibi commisso pro incolumitate nostra, conjugis, ac prolis, & stabilitate imperii à Deo nobis collati sua gratissima miseratione per immensum conservandi jugiter Domini implorent misericordiam. Et ut haec auctoritas per curricula annorum inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione sigillari jussimus.

Signum Hludovici pissimi Imperatoris.

Maginarius Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi.

Data Kal. Mart. anno Christo propitio XXIII. imperii Domini Hludovici pissimi Augusti Indict. III.

Actum Pictavis civitate publica in Dei nomine feliciter. Amen.

XVI. Praedicta quoque praecepta in hoc opusculo ideo inserere placuit ut, sicut dictum est, si futuris aut modernis de supradictis rebus aliqua quaestio orta fuerit, exemplaria antedictorum in hoc libello inveniantur inserta praeceptorum; quatenus per ea fideles suprascriptae Ecclesiae & rectores atque gubernatores ejusdem ex his exemplariis adjutorium habere queant. Nonnulla etenim alia praecepta praefatus Domnus Aldricus jamdictae urbis Episcopus accipere pro firmitatis causa studuit, quae in his schedulis propter prolixitatem vel fastidium audientium vel legentium sive taedium scribentium inserere minime libuit.

XVII. Praedictus quoque Aldricus saepedictae urbis Episcopus collegit quaedam capitula canonum valde utilia & necessaria, quae a suis consacerdotibus saepissime legenda sive memoriae commendanda tribuit. Ex quibus enim canonibus atque edictis patrum praefata capitula strictim colligere curavit, in suo proaemio continetur insertum. Primo vero collegit capitula nonnulla ex duodecim Conciliis sive ex decretis Romanae sedis Episcoporum, quorum praerationem in prima fronte praedicti operis valde utilem posuit. Demum quoque quae sequuntur ex aliis collegit canonibus atque dictis patrum diversarum provinciarum, atque nonnulla ex his quae cum aliis sanctissimis & doctissimis Episcopis in synodis pariter sanxit, sive ex capitulis Christianissimorum Imperatorum in synodis Episcoporum decretis tam tempore Pipini quam & Karoli sive Hludovici, sicut in praerationibus ipsius libelli à diligenter investigantibus inveniri potest. Saepedictus quoque Aldricus Episcopus fecit tugurium, quod & ciborium nominatur, super altare seniori, quod est sacratum, ut praefixum est, in honore Domini Salvatoris & sanctae Dei genitricis Mariae atque sanctorum martyrum Gervasii & Prothasii sive sancti Stephani necnon & simul in veneratione & honore omnium sanctorum. Ipsum enim ciborium auro & argento mirifice, sicut hodie apparet, fabricare studuit; in quo & cennas argenteas & deauratas desuper configere praecepit, sicut hactenus à conspicientibus praedictum opus videtur. Hinc namque fecit in loco in quo olim canes & meretrices sive latrones habitare solebant monasterium supra fluvium Sarthae miliario & semis à jam dicta urbe distante in honore sancti Salvatoris & sanctae Dei genitricis Mariae & sanctorum martyrum Stephani, Gervasii, & Prothasii, atque omnium sanctorum, in quo & dormitorium novum decenter compositum fecit, & in ipso dormitorio absidam in orientali parte mirifice construxit, & in ea altare construxit & erexit; ipsam vero absidam, una cum praedicto altare in die IV. iduum Septembr. una cum suis reliquiis in honore sancti Benedicti confessoris praecipui solemniter consecravit; & ubi antea latratus canum & ululatus pauperum qui à latronibus inibi inhabitantibus expoliabantur resonabant, ibi hymnos angelicos & propheticos sive ceterarum divinarum scripturarum laudes decantare & resonare die noctuque Domino constituit. Fecit quoque in ipso monasterio refectorium novum & nobiliter compositum, & cetera officina fratrum, tam cellaria quam & alia officina mirabiliter & decenter construxit & regulariter ordinavit, monachisque ad inhabitandum contradidit. In ipso ergo loco Kalend. Maii fundamenta Ecclesiae & claustri coepit ponere & construere; in quo opere mira & magna virtus Dei est declarata, quia quae in duos aut tres annos minime putabant esse consummata, in quatuor & quinto dimidio mensibus Domino adminiculante consummatum est, id est, à Kal. Maii usque XVI. Kal. Octobris; in quo Kalendarum die & ipsa Ecclesia est consecrata, & ipsi monachi in dormitorio inibi novo coeperunt dormire, & in refectorio inibi novo manducare. quae nullo modo fieri potuissent nisi Domini misericordia & ejus magna virtus hoc operata esset. Unde & ipse laudatur, qui hoc praestare & concedere atque divinitus operari dignatus est; cui est honor & gloria in saecula saeculorum. Amen.

XVIII. In praedicto itaque monasterio Ecclesiam mirifice & ordinabiliter compositam à novo construxit, in qua & quatuordecim altaria erexit, & ea in memorias & nomina atque honores eorum sanctorum dedicavit & consecravit, & eorum pignora in eis collocavit, quorum nomina super ea hactenus adscripta esse videntur. Ipsam ergo Ecclesiam, ut praefixum est, in honore Domini Salvatoris & sanctae ejusdem Dei genitricis Mariae sive sanctorum martyrum Gervasii & Prothasii atque santi Stephani, necnon & simul in honore omnium sanctorum solemniter decenterque in die XVI. Kalend. Octob. consecravit. Dum ergo consecratio praedictae Ecclesiae à jam dicto Episcopo & a suis ministris praepararetur, mira res & minime celanda accidit. Venit quoque quidam homo, nemine movente hominum aut vocante, sed divina clementia inspirante, compunctus, nomine Salahardus nobilis genere ad praefatum locum & ad jam dictum Episcopum, & ad ipsam congregationem, qui dixit se velle suum tradere proprium ad eandem devotionem & ad praefixum locum & suos filios binos ad supradictam Ecclesiam tradere servituti, ut & ibi, si Domino placuerit, monachi fierent, & cunctis diebus vitae illorum inibi Domino deservirent. Quod ita post consecrationem supradictam peractam Domino annuente factum est. Tradidit itaque praefixus vir, multis nobilibus coram astantibus, praefixo Episcopo una cum suis sacerdotibus & monachis supra praescriptum altare sancti Salvatoris votum ejus suscipientibus de proprio suo quantum, ut reor, cum mille solidis argenti pretiosi nemo emere poterat. Unde praedicto Episcopo & suis sacerdotibus atque monachis inibi Domino famulantibus chartam legalem fecit, & fidejussores ex eodem proprio nobiles & electos condonavit. Ista igitur miracula nisi instinctu Dei nullo modo fieri possent. Idcirco & ea hic inseruimus ut cuncti servi Dei pro eis qui haec legerint orent qui suis votis Domini famulatum amplificare magnificareque atque adimplere cupiunt sive cupierint.

XIX. Consecratione igitur solemniter & canonice peracta, ad ipsam Ecclesiam sive ad ipsum altare quod in praedictorum honore sanctorum consecravit, & ad fulciendam fratrum necessitatem ibidem Domino servientium, una cum suis consacerdotibus & Clericis sancte viventibus, cum consultu & consensu videlicet universi cleri & populi contradidit quatuor evangelia mirifice conscripta & calicem au-

reum una cum patena sua. Etenim ipsum evangelium & praedictum calicem aureum, Deoque sacratum, una cum caeteris Episcopis & consacerdotibus manus eorum desuper imponentibus, & cunctis reliquis consentientibus ac exorantibus, ibidem de rebus sitae sedis Ecclesiae cum consultu omnium contradidit, multis testibus circumastantibus nobilibus & liberis hominibus videntibus, id est, villam Apiacum, in qua sanctus Ulfacius confessor Christi requiescit in corpore, cum omni integritate, & villam Laciacum cum omni integritate, & medietatem de villa Can, & medietatem de villa Bernis, & illas culturas duas juxta praefatum monasterium infra illam silvam conjacentes, una cum prato ex alia parte monasterii consistente, sicut termini ipsorum monachorum dividunt, & illa molina duo juxta monasterium supra fluvium Sarthae constructum, & villam Salvaniam cum aliis villulis juxta eam adjacentibus, cum manentibus triginta, & illam vineam indominicatam quae juxta ipsum monasterium consistit. Hoc totum praenxae Ecclesiae & praedicto altari in dotem monachis ibidem Domino famulantibus regulariter cum consensu piissimi Hludovici Imperatoris & Episcoporum multorum, maxime comprovincialium & consacerdotum suorum, monachis ibidem degentibus perpetualiter ad possidendum contradidit, deprecans & contestans humiliterque implorans ut nemo ea inde auferat, sed plura adaugeat, & sicut vult unusquisque ut sua pia facta stabilia permaneant, ita & nostra, licet pauca, perpetualiter manere inconvulsa permittat. In quo die & in qua solemnitate constituit ut monachi in ipso monasterio degentes & regulariter viventes fratribus Canonicis matri & seniori civitatis Ecclesiae famulantibus dent plenam refectionem, quae & in subsequentibus commemorabitur. Ipsam ergo refectionem Clericis matri & seniori civitatis Ecclesiae famulantibus dare censuit; quae etiam similiter in honore Domini Salvatoris & sanctae ejusdem Dei genitricis Mariae sive sanctorum martyrum Gervasii & Prothasii atque sancti Stephani necnon & simul in veneratione & nomine omnium sanctorum noscitur à praedicto Aldrico Episcopo reconciliata & solenniter, ut praefixum est, sacrata esse, ad cujus similitudinem & imitationem & hanc Ecclesiam in jam dicto monasterio consecravit. Quae igitur quoniam subjecta est matri & seniori civitatis Ecclesiae, idcirco & in ipsorum memoria quorum praedicta mater Ecclesia est consecrata & hanc consecrare disposuit. Quod & ita ordinabiliter & solemniter Domino adjuvante factum est.

XX. In die namque consecrationis praescriptae Ecclesiae, ut superius commemoratum est, censuit supradictis Canonicis & Dei servis matri & seniori civitatis Ecclesiae famulantibus dari de jam dicto monasterio sancti Salvatoris de pane optimo modios IV. & de vino optimo modios III. & quarum de potione optima, friscingas vero vervecinas duas & porcinas similiter duas. Constituit etiam ut jam dicti Canonici pleniter & decenter venirent cum psallentio, id est, cum crucibus & reliquis divinis obsequiis & ornamentis, ut decet, nobilibus ad vesperas & vigilias jamdictae festivitatis & dedicationis Domini Salvatoris & ipsius monasterii Ecclesiae, in qua tam vespertinale quam & matutinale seu missale officium dedicationis Ecclesiae, sicut in sacramentorio & lectionario sive antiphonario atque in ceteris sanctorum patrum institutis & rationabiliter ordinatis a prudentibus sanctae Dei Ecclesiae cultoribus invenitur, agatur, & pleniter decenterque & rationabiliter atque solemniter una cum monachis ibidem degentibus & Domino famulantibus devotissime ab omnibus perficiantur, & post vesperas in ipsius dedicationis vigilia praedicti Canonici in refectorio cum ipsis monachis talem refectionem sicut ipsi monachi una cum eis habeant. Missa vero crastina in die ipsius solemnitatis canonice & solemniter peracta, faciant ipsi Canonici utrum Episcopus vel magistri eorum melius & rationabilius judicaverint, aut in ipso monasterio reficiant pleniter, aut praedicta stipendia ad eorum refectorium famuli eorum deferant, in quo & ipsi pleniter & decenter reficiant, laetantes quippe & gaudentes de praedicta solemnitate.

XXI. Constituit etiam praedictus Aldricus jam dictae civitatis Episcopus & humiliter deprecatus est ut in praefixae solemnitatis die unusquisque tam civitatis sacerdos quam & suburbanus sive praefati monasterii Presbyter unam decantaret, dum in praesenti peregrinatione vixerit, pro eo vivente Missam, post obitum quoque ejus, quando Dominus voluerit, similiter constituit & suppliciter deprecatus est, atque una cum eis pariter sanxit ut pro anima ejus praedicti sacerdotes in jam dicta die decantent devotissime unusquisque Missam unam, & reliquus clerus, cuncti videlicet monachi & Canonici, unusquisque psalmos quinquaginta devotissime decantet, orantes namque Dominum caeli ut vitam habere praedictus Aldricus mereatur sempiternam. Porro similiter constituit ut in die XI. Kal. Januar. dedicationis matris & senioris Ecclesiae civitatis sacerdotes & Clerici Missas & psalmodia sicut & in dedicatione Ecclesiae sancti Salvatoris jam dicti monasterii pro Aldrico Episcopo studiosissime decantent, id est, unusquisque sacerdos Missam unam vel eo amplius, si libuerit, & unusquisque Clericus psalmos quinquaginta & eo amplius, si placuerit, orantes & deprecantes Dominum caeli ut anima ipsius vita sempiterna perfrui & requie aeterna mereatur. Amen.

XXII. Similiter ergo & in dedicatione sancti Stephani Ecclesiae, quam infra claustrum Canonicorum jam dictus Aldricus Episcopus à novo construxit, decretum est ut praedicti Canonici & ipsius civitatis Dei servi & suburbani omnes Presbyteri & Clerici ad ipsam solemnitatem dedicationis Ecclesiae sancti Stephani mane prima revestiti convenientes, unusquisque sacerdos in ipsa Ecclesia pro anima praedicti Aldrici Pontificis cantet Missam unam; & si amplius voluerit, in ipsius erit benignitate & potestate ut faciat. Et unusquisque Clericus psalmos quinquaginta; & si amplius voluerit, in ipsius erit benignitate & misericordia sine remuneratione & potestate, orantes & deprecantes Domini misericordiam obnixe ut anima ipsius Aldrici Episcopi quiete aeterna frui valeat, & requiem sempiternam una cum sanctis & electis Dei habere mereatur. Amen.

XXIII. Sanxit quoque antedictus Domnus Aldricus Episcopus una cum fratribus & coepiscopis ac Canonicis suae sedis Ecclesiae consideravit ut in die ordinationis ejus omnes Presbyteri tam urbani quam & suburbani sive monasteriales reliquusque clerus ad vesperas & vigilias ipsius festivitatis, sicut in natalitiis Episcoporum constitutum est solemniter agere, pariter & solemniter convenirent, & in ipsa officia solemniter cum ipsis Canonicis & devotissime peragerent & post vesperas peractos in refectorio una cum ipsius Ecclesiae Canonicis ter biberent, & ad nocturnas vel ad matutinas pleniter postea venirent, & matutinalem synaxin una cum ipsis Canonicis solemniter & decenter peragerent. In ipsius quippe solemnitatis die constituit atque sanxit una cum sapientissimis Episcopis atque sacerdotibus ut mane prima omnes sacerdotes tam urbani quam & suburbani revestiti infra ipsam matrem & seniorem Ecclesiam convenirent, & reliquus clerus una cum eis advenat, & unusquisque Presbyter pro jam dicto Aldrico Pontifice Missas devotissime decantet tres, & unusquisque Clericus pro se psalterium decantet unum, aut simul omnis clerus versa vice unum decantet in choro psalterium, haec vero officia & Missarum solemnia pro Aldrico venerabili Episcopo devotissime completa, simul omnes ad legitimum & canonicum tempus in publicum & solemne introeant officium, sicut in natalitiis Pontificum facere constitutum est. Post actum quoque publicum atque solemne officium, simul tam ipsi Canonici quam & omnes Clerici ad praedicta officia peragenda convenientes in re-

refectorium pariter & sufficienter solemniterque reficiant de praebenda quae eis ad praedicta officia peragenda & ad ipsam solemnitatem complendam à praefixo Aldrico dare de villa cujus vocabulum est Buxarias decretum est, sicut in testamento de ipsa villa fratribus à jamdicto Aldrico Episcopo praefato & in eo scripto atque firmato à multis Episcopis constitutum est. Praedicta vero festivitas & antedicta refectio fratrum quae modo agitur in XII. Kalendarum Ianuariarum die, quae & una die anticipatur propter dedicationem praefixae matris & senioris civitatis Ecclesiae, decretum & consideratum est à jamdicto Aldrico Episcopo & à praedictis sanctis coepiscopis & suis sacerdotibus & Canonicis universis ut transferatur in diem depositionis ejusdem, quando eum Dominus de hoc seculo vocare voluerit, & in ipsa die agatur tam refectio praedicta quam & antedicta solemnitas, tantum enim ut hoc quod modo pro vino in Missis & psalmodiis & ceteris orationibus & ceremoniis agitur, tunc pro defuncto similiter, & praedicto numero adimpleto, id est, unusquisque sacerdos Missas tres, & unusquisque Clericus psalterium unum, in die depositionis ejus agatur pro defuncto Episcopo, & tunc unusquisque devotius & solemnius agere certet, quia major necessitas est tunc quam nunc; quoniam non est amicus in vita qui post mortem animam illius non diligit, & pro ea orare non certat, atque pro requie ejus orare & certare negligit & dedignatur. Est namque à praefixis sacerdotibus & Dei servis consideratum & decretum ut quisquis haec praeterierit, aut cujus negligentia praetermissum fuerit, sive in danda praedicta praebenda, seu in peragendis praedictis officiis, ut ante tribunal districti judicis reddat ex hoc rationem, & ibi sententiam suam accipiat. Videte, fratres & sancti successores antedicti Episcopi, ut hoc decretum non negligatis, sed magis adimplere studeatis; qualiter non damnationis poenam, sed retributionis praemium in aeternum percipere valeatis. Amen.

Oremus, fratres, ut Dominus animae praedicti Pontificis Aldrici tribuat primae resurrectionis partem, & vitam ei habere concedat in coelis, ubi & gloria aeterna perfrui una cum sanctis Dei aeternaliter mereatur, ipso dispensante & tribuente qui vivit & regnat cum Deo patre in unitate spiritus sancti per infinita seculorum secula. Amen.

XXIV. Similiter etiam in festivitate dedicationis occidentalis partis matris & senioris civitatis Ecclesiae, in qua altare sancti Iohannis construxit & alia altaria tria, facere censuit, id est, ut unusquisque Presbyter tam urbanus quam & suburbanus, sive cuncti monasteriales sacerdotes ad ipsam solemnitatem, quae est XI. Kalend. Iuliarum, mane prima revestiti conveniant, & ibi pro jam dicto Pontifice Aldrico venerabili Episcopo Missam unam decantent, & si amplius voluerint, in eorum erit potestate & misericordia sine retributione, & unusquisque Clericus psalmos quinquaginta, & eo amplius decantet pro anima Aldrici jamdicti Episcopi, orantes quoque Dominum coeli & deprecantes misericordiam ejus ut anima praedicti Aldrici Episcopi vitam aeternam habere valeat sive requiem sempiternam una cum sanctis & electis Dei aeternaliter frui mereatur per infinita seculorum secula. Amen,

XXV. Constituit enim praefatus Aldricus venerabilis Episcopus ut omnes Presbyteri tam urbani quam & suburbani sive monasteriales juxta urbem degentes & omnes sacerdotes infra illam commanentes ad praedictas sex festivitates decenter & revestiti convenirent, id est, XVIII. Kalend. Septembrium, quando festivitas Assumptionis sanctae Dei genitricis Mariae celebratur, & in festivitate consecrationis occidentalis partis matris & senioris civitatis Ecclesiae, quae est XI. Kal. Iuliarum, & in festivitate dedicationis Ecclesiae sancti Salvatoris infra monasterium monachorum quod Aldricus supradictus Episcopus sopra fluvium Sarthae à novo fundavit,

& in quo monachos habitare & regulariter vivere constituit, & in festivitate sacrationis Ecclesiae sancti Stephani quam jamdictus Aldricus Episcopus intra claustrum Canonicorum à novo fundavit, quae est V. Iduum Novembrium, & in festivitate natalitii praefati Aldrici Episcopi, quae est XII. Kal. Ianuariarum propter anticipationem unius festi diei, id est, matris & senioris Ecclesiae consecrationis celebratur, & in festivitate consecrationis matris & senioris civitatis Ecclesiae, quae est XII. Kal. Ianuariarum. Ad has ergo festivitates consideratum & decretum est ut praedicti sacerdotes revestiti mane prima conveniant, & in jamdictis Ecclesiis oblatas & vinum à custodibus ipsarum Ecclesiarum accipiant, & supradicta officia pro Aldrico Episcopo mane prima ante horam tertiam faciant, orantes humiliter & supplicantes, flexisque poplitibus Domini misericordiam obsecrantes tam sacerdotes cuncti quam & reliqui Clerici omnes ut absolvat Dominus animam Aldrici praedicti Episcopi ab omni vinculo delictorum, quatenus in resurrectionis gloria inter sanctos & electos Dei resuscitari mereatur, & vita sempiterna una cum eis perfruatur per infinita secula seculorum. Amen. Haec ergo officia pro Aldrico praedicto Episcopo devotissime & bono animo peracta, hora tertia in publicum & solemne ipsius diei officium omnes introeant, & officium solemne decenter solemniterque peractum in refectorio una cum praedictae sanctae matris Ecclesiae Canonicis in praedictis sex diebus & festivitatibus plenam & condecentem refectionem sicut ipsi Canonici habeant, gaudentes & jactantes plaudentesque in praedictis festivitatibus persistunt, laudantes & benedicentes Dominum qui eis tanta bona tribuere non dedignatus est, orantes quoque & supplicantes Dominum coeli precibus incumbant, ut hanc vitam pacifice & decenter sancteque & pie degere valeant, & postmodum, quando Deus voluerit, vita aeterna in coelestibus sedibus una cum sanctis Dei frui mereamur, quod ipse praestare dignetur cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen. Hanc quicunque cupit dissolvere, à membris Ecclesiae dissociatus eat.

XXVI. Fecit igitur antedictus Aldricus Episcopus monasterium in loco ubi dudum monasterium fuerat in honore sanctae Mariae constructum, quod & ipse legibus & per instrumenta chartarum à Domno Imperatore Hludovico ad jus saepedictae Ecclesiae acquisivit, sed pene destructum atque dirutum & absque ulla ratione neglectum. In loco vero supradicto ubi illud praedictum monasterium fuerat, id est, inter murum civitatis & fluvium Sarthae, monasterium praedictus Aldricus Episcopus, ut dictum est, fundavit, & à novo prout melius potuit construere studuit. Ecclesiam namque ibi fecit majorem quam ibi destructam invenisset, eamque in honore Domini Salvatoris & sanctae ejusdem Dei genitricis Mariae sanctorumque martyrum Stephani, Gervasii, & Prothasii IV. Idus Octob. canonice atque solemniter sacravit. Et propterea hoc illi visum fuit agere quia in eorum sanctorum nomine & honore in quibus caput ipsius monasterii, id est, mater Ecclesia civitatis sacrata, erat ut in ipsorum memoria & honore membrum constructum sacratumve foret, & sicut praedicta mater Ecclesia in honore Domini Salvatoris & sanctae Mariae sanctorumque martyrum Gervasii & Prothasii dedicata erat, ita & ipsa in eodem monasterio Ecclesia fuisset, qualiter eorundem sanctorum memoria ab omnibus ut decet ibi futuris veneretur temporibus. Porro claustrum juxta ipsam Ecclesiam fecit, id est, refectorium, dormitorium, cellarium, & cetera officina quae ad monasterium pertinent nobiliter composuit, & ita constituit ut in medio claustro fons vivus & bonus surgeret, & inde per eorum officina aquam eis ministrando discurreret. In ipso quoque monasterio monachas instituit secundum regulam sancti Benedicti degentes, quas per licentiam Domni Imperatoris Hludovici & Domnae Imperatricis Iudith ab Interamnis

monaſterio miſit ibidem. Et hoc decrevit atque ſanxit pariter cum ſuo Metropolitano & ſuis comprovincialibus & aliis multis Epiſcopis auctoritate praedicti Imperatoris Hludovici ut futuris temporibus ſemper monachae regulariter viventes & ſecundum regulam ſancti Benedicti degentes inibi permanerent, & ſi quis haec deſtruere aut infringere niſus (quod abſit) fuerit, ante tribunal aeterni judicis inde tremebundam redderet rationem: Ipſis quoque ſanctis monialibus & monachis villas dedit, ut inde eorum ſtipendia & veſtimenta atque cetera ſupplementa per ſingulos annos pleniter haberent, ut abſque ullo impedimento aut indigentia regulariter vivere poſſent, id eſt, villam Macerias in condita Conedralinſe cum omni integritate, & aliam in condita Vivonenſe cum omni integritate quae Taumiacus nominatur, & eſt ſita ſuper fluvium Sarthae, tertiam vero ſuper eundem fluvium Sarthae, quae Monaſteriolus vocatur, & quartam in condita Gabronenſe, quae Cambronis appellatur. Conſtituit namque ut de praefato monaſterio & de ſupradictis villis miniſtri & monachae ipſius monaſterii Canonicis matris & ſenioris civitatis Eccleſiae degentibus unam refectionem per ſingulos annos in ſolemnitate praedictae dedicationis Eccleſiae, id eſt quarto Idus Octob. plenam & bonam facerent, & ipſi Canonici ad officium dedicationis ipſius Eccleſiae reveſtiti veniant, & illud inibi per ſingulos annos, ſicut in libris officiorum continetur, ſolemniter celebrent, atque pro praedicto Aldrico Epiſcopo inibi Miſſas & pſalmodia devotiſſime cantent, id eſt, unuſquiſque Presbyter Miſſam unam aut duas, & unuſquiſque Clericus ſive monacha pſalmos centum decantent, perorantes Dominum ut ſi ut vitam aeternam habere in caeleſtibus mereatur, inſuper orantes & devotiſſime ſupplicantes ut requiem aeternam donet ei Dominus, & lux perpetua luceat ei. Amen.

Supradicta enim refectio Canonicorum talis debet eſſe, id eſt, ut accipiant per ſingulos annos de pane optimo modios quatuor, & friſcingas porcinas optimas quatuor, & de vino optimo modios quatuor, tam in vita ipſius Aldrici quam & poſt ejus obitum, ita ut qualiter ambobus congregationibus delectet ſemper pro eo orare tam in ipſo die quam & in reliquis diebus, & memoria ipſius nominis ab eis devotiſſime celebretur, qualiter cum ſanctis Dei in caeleſtibus laetari & beata requie frui mereatur. Amen.

XXVII. Praefatus ergo Aldricus Epiſcopus ingreſſus villam ſui epiſcopii, in condita videlicet Conedralinſe monachos regulariter degentes inſtituit, ubi & monaſteriolum, prout tunc temporis ratio dictavit & ipſe melius potuit, Eccleſiam & clauſtrum aedificavit, & futuris temporibus habitationes monachis regulariter viventibus praeparavit. Et hoc conſtituit, ut ſemper ibi monachi eſſent, & pro Domino Imperatore & pro eo ſive pro univerſa Eccleſia die noctuque orarent, ſuaſque animas inibi ſalvarent & aliorum lucrarent, bonamque vitam perpetualiter regulariter viventes ducerent. Ipſis enim monachis ex rebus ſuae ſedis Eccleſiae ſibique divinitus commiſſis ad eorum varias neceſſitates ſufficienter fulciendas atque ſupplendas dare abundanter, prout tunc temporis expoſcebat neceſſitas, non diſtulit. Unde & ſcriptum quoddam ſua ceterorumque venerabilium auctoritate Epiſcoporum reliquorumque ordinum Deo ſervientium necnon & laicorum religioſorumque pariter ac nobilium manibus roboratum futuris temporibus habendum & cuſtodiendum propriis manibus tradidit, ut ex rebus in eo inſertis eorum neceſſitates ſupplerent & Domino ſuiſque ſucceſſoribus regulariter militarent, atque multos Domino lucrarent, & pro . . . . Principibus & Pontificibus, quibus ſubjecti eſſe debebant, atque pro cunctis ſanctae Dei Eccleſiae fidelibus futuris temporibus exorarent, quatenus eorum & aliorum ſervorum Dei precibus remiſſionem omnium peccatorum & vitam perpetuam habere mereantur in caelis. Amen.

XXVIII. Saepedictus igitur Aldricus Cenomanicae matris Eccleſiae Epiſcopus quoddam monaſterium monachorum in condita Duciacinſe*, in loco qui dicitur Talipiacus, ſuper fluviolum Rhodani conſtruxit prout melius tunc temporis ratio permiſit. In ipſo enim monaſterio Talipiaco Eccleſiam in honore ſancti Petri unà cum clauſtro monachorum & molendinis & ceteris officinis quae ad curam & regulam monachorum pertinent prout melius potuit praedictus Pontifex conſtruere & ornare nobiliterque & ſapienter componere ſtuduit. In praefato enim monaſterio Talipiaco monachos de monaſterio ſuo quod Aniſola nominatur, in quo ſanctus Carilephus corpore requieſcit, miſit, ut in eo regulariter viverent, & multos ad Dominum attraherent, ſuaſque atque multorum aliorum animas inibi Domino multipliciter lucrarent, & pro Domno Hludovico Imperatore ſeu pro filio ejus Karolo atque pro praefixo Aldrico Epiſcopo ſive pro omnibus ſibi commiſſis & univerſis ſanctae Dei Eccleſiae fidelibus die noctuque fideliter exorantes rogarent ut nobis omnibus ſuam ſemper tribuat ſacere voluntatem vitamque concedat degere felicem, & inſuper requiem tribuat ſempiternam. Amen. In memorato ergo monaſterio Talipiaco Praepoſitum ſuum nomine Iacob Archipresbyterum Abbatem conſtituit, qui monachorum curam ibi gereret, eoſque monachos juxta regulam ſancti Benedicti regulariter regeret, ſuamque atque aliorum animas inibi ſalvaret, atque ad ſupernam patriam, id eſt caeleſte regnum Domino adjuvante deduceret, ut caeleſtibus in ſedibus una cum ſanctis & electis Dei perpetualiter vivere cum eis regnare & gloriari praeſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto mereantur. Amen. Has ergo villulas & res jamdictis Aldricus Epiſcopus praefixo monaſteriolo & monachis inibi Domino degentibus per ſuum privilegium confirmavit una cum licentia Domini Hludovici piiſſimi Imperatoris & una cum conſenſu Vrſmari ſui Metropolitani & ceterorum ſuorum comprovincialium ſanctorum Epiſcoporum, aſſenſum etiam praebente univerſo ordine & clero ſibi commiſſo ſive cuncto coetu Cenomanicae in parochia militantium ſacerdotum ac levitarum atque reliquorum ſacrorum ordinum miniſtrorum.

XXIX. Commemoratus namque Aldricus Cenomanicae matris Eccleſiae Epiſcopus divino honore fervens pariter & amore, monaſterium ſancti Vincentii juxta Cenomanicam urbem ſitum quaſi à novo reaedificavit & renovare ſtuduit, ipſamque Eccleſiam ſancti Vincentii tegumentis & aliis aedificiis ornare interius exteriuſque non diſtulit, & juxta eam in aquilonari parte clauſtrum monachorum una cum aliis aedificiis quae ad curam & regulam eorum pertinere videntur, prout melius potuit, conſtruere & ornare nobiliterque & ſapienter atque decenter componere ſtuduit. In praefato quippe monaſterio praefixi ſancti Vincentii, quod pene dirutum & quaſi annullatum invenit, jam magna ex parte reaedificato poſuit monachos, ut regulariter in eo viverent, & multos ad Domini Salvatoris ſervitium & ad decorem ſanctae Dei Eccleſiae attraherent, & ad lucrum animarum & corporum ſive ad ſalvationem & exaltationem Chriſtiani populi multos acquirerent, ſuaſque atque aliorum innumerabilium animas multipliciter inibi ſancte & juſte ac pie & regulariter viventes Domino lucrarent, & pro Domno Hludovico Imperatore ſive pro ejus conjuge Iudith Imperatrice atque pro nobiliſſima prole eorum Karolo glorioſo Rege, quorum licentia & auxilio fultus haec agere coepit, & pro omnibus ſibi commiſſis gregibus & populis fideliter & inceſſabiliter die noctuque implorarent, ſeu pro omnibus ſanctae Dei Eccleſiae filiis inceſſanter orarent ut Dominus Salvator noſter, qui nos proprio ſanguine redemit, die noctuque in ſuo ſervitio & ad ſuam peragendam voluntatem ubique cuſtodiat, ſemperque felicem vitam ducere concedat, & ad ſocietatem ſanctorum intercedentibus ſervorum & ſanctorum Dei meritis perducere dignetur.

XXX.

XXX.

Commemoratio de mansionibus & novalibus quae praefatus Aldricus Cenomanicae urbis Episcopus ad utilitatem sanctae Dei Ecclesiae suorumque servorum & sustentationem pauperum sive indigentium atque supplementum sibi famulantium, & ad alenda sive nutrienda pecora, construere & extirpare studuit.

IUxta monasterium sancti Salvatoris unam sibi ad inhabitandum fecit mansionem, & in monte Sedoneris octo fecit mansionilia, & in rebus de villa Vodebiltra in Caterniaco tria, in Ruiniaco tria, super fluviolum Miliciae tria, inter Agniacum & silva Brifcia tria, in Drumniaco duo, in Mantula de ratione sanctae Mariae duo, in Mantula sancti Albini & fratrum unum, in Novavilla duo, in Rino petroso unum, in Colonica secus urbem, in loco qui dicitur Vivariis, unum, in Puscit duo, in illa rua ultra fluvium Sarthae duo, in illa rua sancti Vincentii unum, in Laudemauro unum, in Bellasilva tria, in silva Laudentinde duo, in villa Tricionis quinque super fluvium Liti juxta Culturas duo, in monte ipsius villae, ubi vinea antiqua fuit, unum, in silva Vaustina septem, in Mouciaco tria, in Canon duo, in Noiolio unum, hoc est, in Vaustina, in Vvindoninse pago unum, in villa Cipetra super fluvium Sarthae unum, in parciaco unum, in Casiliaco duo, in Aciaco unam, in Rupiaco tria, in Asinariis villa fratrum duo, in Colonica duo, in vetus vicum unum, in Celsiaco duo, in Stauriaco in pago Bajocassimo duo, in silva Blanau in pago Oxomınse duo, in Spelteriis villa fratrum duo, in Colonica duo, in vetus vicum unum, in Durno unum, in Canania tria, & in Culcanna sive ad sanctum Iulianum duo, juxta monasterium sancti Carilephi super illud magnum vivarium unum, ad monasterium aliud, ad Belmont tertium, juxta Maceriolas quatuor, juxta illam silvam quam Godefredus fecit quinque, in Paniciariis sex & septem, in campo Cabalorum octo & novem, in Mont Camp decem, in Bovonis villare unum, in villam novam duo, in Vvarianas duo, ad Rueiacum unum, in luco Aldrici unum, in Cipetum super fluvium Lizi in Belsa unum, in Pertica ad illam cellam unum, in Runciviacum unum, in Stiviaie unum, ad mansiones juxta furcam Bargast unum, in Fraxinido in Belsa in Vundebris unum, juxta Vundebris in loco qui dicitur ad sanctum Paternum unum, in Flaciaco unum, in Rusiaco super Sartham unum, ad Curtunveli unum, in Brimo unum, in villa Maurane unum, in Breniaco in Bruslondinse unum, in Brinnaico in Exomınse quatuor, ad Cervias unum, ad Curt Cardrici unum, ad Piscotam unum, ad Gaure unum, in Sarciniaco super fluvium Meduanam unum, in Cambion unum, in Bolsingas unum, in Antiqua Saxoniae unum, in Alona unum, juxta campum Sigelaici unum, in Beisciola unum, in Molindareslingres unum, in Montmercantin unum, in finibus Culturentibus juxta Truccto sursum in illo monte e contra Montcue unum, in silva Carnida quinque, in Novavilla in Audecavo unum, in campo Scutdom una cum sua Ecclesia unum, in cultura quae Monasteriolus vocatur unum, in illo monte ad Archas unum, juxta Sabonarias unum, juxta Proliacum latronum unum, in Comiliaco unum, in Contidla unum, ad villam Hulduminum, ad Fraxino in finibus Balan unum.

Sunt in summa centum quinquaginta duo mansionilia à novo fundata & reaedificata non minima.

XXXI. Placuit quoque in hoc opusculo inserere exemplaria privilegiorum praefati Episcopi & praeceptorum ab Imperatoribus & Regibus super ipsa privilegia firmitatis studio à praescripto Domino Aldrico Episcopo impetrata, ne aliqua machinatione praefata privilegia quassarentur, Imperatorum & Regum auctoritatibus confirmata, quae suis monachis & Canonicis de quibusdam rebus & villulis fecit, ut eorum stipendia pleniter haberent, & absque indigentia Domino servirent, & mater Ecclesia suum privilegium pleniter retineret, sicut in subsequentibus haec scire & investigare volentibus inveniri poterit.

EXEMPLAR PRIVILEGII
quod fecit memoratus Pontifex fratribus suis de quinque festivitatibus anni & de villa Buxariis.

IN nomine sancti Salvatoris & veneratione sanctae Dei genitricis Mariae sanctorumque martyrum Stephani, Gervasii & Prothasii, quorum Ecclesiae titularius, licet indigne, esse videor, ego Aldricus Cenomanicae urbis indignus & peccator Episcopus primo anno ordinationis meae oppido moestus de conversatione fratrum & Canonicorum nostrorum, quadam nocte in oratione positus, ut credo divinitus inspiratus, coepi cogitare ut rationabilius & canonice viverent, atque quod multo seu, ut fertur, nullo transacto tempore habuere claustrum haberent, in quo canonice & regulariter conversarentur, & religiose ac canonicaliter Domino devote famulantes praesentibus scilicet atque futuris temporibus inhabitarent. Memorato ergo in tempore per consensum Landramni venerabilis nostri Archiepiscopi, seu & per exorationem comprovincialium nostrorum omnium Episcoporum, dedi praediens Canonicis nostris domum in dextera & australi parte constructam nostrae sedis & matris Ecclesiae, quae est consecrata in honore sancti Salvatoris & in nomine ac veneratione praedictorum sanctorum, id est, sanctae Dei genitricis Mariae, sanctorum martyrum Gervasii & Protahasii sive sancti Stephani, simulque in veneratione & nomine omnium sanctorum; qua etiam in domo ego & antecessores mei dudum inhabitare solebamus. Praedictam ergo domum nostram atque praefatum locum cum omnibus aedificiis superpositis & aedificatis dedi Canonicis nostris secundum ordinem canonicum ad inhabitandum. Ipsum quoque locum denuo in modum claustri juxta virium mearum imbecillitatem restaurare curavi, & ibidem secundum canonicam institutionem ac sanctorum patrum ordinem canonicaliter Deo & praedictae Ecclesiae servientes pariter institui degere vitam & ad canonicas pari modo cunctos devotissime concurrere horas, ac tempore refectionis, ut sanctus canonialis ordo docet, ad eorum refectionem nostri operis studio noviter aedificatum ad reficiendum occurrant, & omnia quae ad corporis sustentationem pertinent, secundum ordinem canonicum pleniter percipiant. Haec ergo ita peracta, accessi humiliter ad clementiam Domini senioris nostri Hludovici pissimi Imperatoris, petens ab eo ut pro sua largissima eleemosyna aliquid de rebus nostrae sedis ac matris Ecclesiae quas Vassi dominici per ejus beneficium tenebant mihi reddidisset. Quam petitionem Domino annuente non renuit, sed sicut deprecatus sum adimplevit, & per praeceptum suum, suo quippe anulo sigillatum, confirmavit. Haec autem taliter peracta & a sua clementia impetrata, petii ut mihi licentiam daret ut aliquid de ipsis rebus ad necessaria fratrum & Canonicorum nostrorum quas mihi reddidit tribuerem. Quod ita & fecit. Tunc ergo gratulanti animo in eleemosyna & memoria jam dicti Domini mei Hludowici pissimi Augusti dedi sana mente & prompto animo praefixis fratribus & Canonicis nostris, una cum consensu praefati Domini Landramni Turonensis Ecclesiae Archiepiscopi & aliorum omnium scilicet comprovincialium coepiscoporum nostrorum, ad supplementum memora-

rarorum fratrum nostrorum atque Canonicorum nostrorum, in pago Cenomanico infra quintam praefixae civitatis villam unam nomine Buxarias cum omnibus ad se pertinentibus, & silvam aliquam quae Follicionis vocatur cum omni integritate, atque futuris temporibus ad eorum supplementum augendum per hoc testamentum confirmavit. Ita sane hoc feci ut per singulos annos habeant memorati fratres de praefata villa in festivitate dedicationis occidentalis partis matris & senioris Ecclesiae, quae XI. Kal. Iuliarum die, in qua etiam parte occidentali est in suprascripto die sacratum altare in honore sancti Iohannis, & alia duo in honore aliorum sanctorum quorum nomina super ipsa altaria sunt conscripta, & quartum altare desuper in solario constructum in honore omnium sanctorum dinoscitur in jam dicto die a nobis esse sacratum. in memorato itaque XI. Kal. Iuliarum die, in veneratione jam dictae dedicationis & solemnitatis, de praedicta villa Buxarias statuentes per hoc testamentum censemus, & censentes consultu & exhortatione multorum Episcoporum ac sacerdotum devotissime statuimus ut accipiant suprascripti Canonici & fratres nostri de frumento optimo modios sex, & de vino optimo modios quatuor, & insuper potione quae vulgo alixona dicitur modium unum, & arietes optimos quatuor, & porcos optimos duos. Et in dedicatione Ecclesiae sancti Stephani quae est infra claustrum constructa, cujus festivitas dedicationis est V. Idus Novembris, similiter habeant fratres de frumento optimo modios sex, & de vino optimo modios quatuor, & insuper de potione quae dicitur silvia modium unum, & trifcingas porcinas perbonas duas, & arietes quatuor. In anniversario etiam ordinationis nostrae, quae celebratur XII. Kal. Ianuarias, quae tamen anticipatur una die propter dedicationem matris & senioris nostrae sedis Ecclesiae, quae est XI. Kal. Ianuarias, habeant praedicti fratres ad eorum refectionem de frumento optimo modios sex, & de vino optimo modios quatuor, & insuper potionem de finiculo modium unum, & ad pisces emendos de argento solidos quinque, de caseo autem modium unum, & de legumine optimo similiter modium unum. In dedicatione vero absidae matris & senioris nostrae urbis Ecclesiae & reconciliatione ipsius Ecclesiae quam noviter aedificavi atque reaedificare studui, quam & in honore sancti Salvatoris & in nomine sanctae Dei genitricis Mariae sanctorumque martyrum Stephani, Gervasii, & Prothasii, simulque in honore & veneratione omnium sanctorum XI. Kal. Ianuariarum die cum aliis Episcopis & sacerdotibus multis solemniter dedicavi, & multorum sanctorum reliquias in ea propriis manibus collocavi, sive de corpore proprio sanctorum martyrum Gervasii & Prothasii in confessione senioris altaris reliquias deducendo, decenter composui. In ipsa ergo festivitate habeant jamdicti fratres de frumento optimo modios sex, de vino autem optimo modios quatuor, insuper & de catto optimo modium unum, & ad pisces emendos solidos quinque, de caseo verò modium unum, & de legumine similiter modium unum. Haec autem omnia de praefata villa Buxarias memoratis fratribus, velut praefixum est, devotissime ministrentur. Ea scilicet ratione haec illis dare censuimus ut praedictas quinque festivitates saepedicti fratres solemniter & devotissime celebrent adjunctos sibi monasteriales omnes, sive suburbanos sacerdotes & reliquos Clericos, qui in supradictas festivitatum vigilias devotissime veniant, & tunc mane prima revestiti in Ecclesia cujus festivitas celebratur devotissime adesse procurent, ministrante autem eis custode ipsius Ecclesiae oblatas & vinum sufficienter ibi per singula altaria pro me peccatore, dum advixero, unusquisque sacerdos Missam decantet unam & amplius, si libuerit & caritas ministraverit, & unusquisque Clericus psalmos quinquaginta & amplius quantum dilectio & amor Dei instigaverit. Ipsos autem psalmos tam ipsi Canonici quam & suburbani vel monasteriales Clerici alterius chori in praefata Ecclesia vicissim decantare studeant. Post obitum vero meum, quando Deus voluerit, in praedictis festivitatibus futuris temporibus similiter pro defuncto faciant tam in Missis quam & psalmodiis humiliter precantur. Haec ergo omnia diligenter peracta, hora tertia in publicum introeant officium, ipsius diei festivam peragentes solemnitatem. Peracto autem solemniter praedictae festivitatis officio, tunc in refectorio una cum praedictis monasterialibus & suburbanis sacerdotibus ac Clericis religiosè lectionem continuo audientes & intendentes religiosissime & cum silentio reficiant. Hoc ergo summopere suppliciter obsecro sanctos successores meos & praepositos ac magistros seu ministros Canonicorum praedictorum, sive ipsos Canonicos praesentes scilicet & futuros, ut praedictos suburbanos seu monasteriales sacerdotes & Clericos qui ad praedictam festivitatem venerint, & suprascriptas orationes pro me miserrimo peccatore fecerint, a memorata refectione & ab eorum refectorio a se non excludant; sed si aliqua necessitate factum fuerit, tunc statuentes imploramus ut unus Canonicorum bene fidelis de praedictis stipendiis quae de memorata villa Buxarias tribuuntur accipiat unum modium panis & alterum vini, insuper & de jam dicta potione sextaria quatuor, & unam frifcingam qualem meliorem invenerit, & ex his, illis praeparet infra praefixum claustrum in optimo loco devotè & religiosè & refectionem plenam, sed magis opto & supplex deprecor ut cum saepedictis Canonicis nostris in refectorio cum illis religiosissime reficiant, solemniter quoque praedictas dies ducentes, & de tantis festivitatibus laetantes, Deumque in omnibus laudantes ac deprecantes ut tranquillam hanc degere valeam vitam, & praemia aeternae vitae percipere mereantur. Insuper de praedictis stipendiis deprecans sanctos successores meos atque ministros praefatae matris Ecclesiae contestor, atque contestans humiliter deprecor, ut unum modium de praefixo pane per singulas jam dictas festivitates & alium de praedicto vino, & de praefatis trifcingis unam quadraginta pauperibus in singulis memoratis festivitatibus tribuant, & in optimo loco ex his eis refectionem praeparent: qui inde refectionem habentes Dominum salvatorem mundi collaudent, & pro me miserrimo peccatore vivo atque defuncto orare studeant, qualiter cum sanctis & electis Dei aeternaliter laetari valeam, & vita frui perpetua merear. Amen. Quicquid autem in jam dicta villa amplius elaboratum & acquisitum quam superius in praedictis festivitatibus ministrandum insertum est de qualicumque justo ingenio vel arte, hoc ipsum veniat ad communem utilitatem praedictorum fratrum & ad eorum refectionum augmentum proficiat, & nihil eis de sumptibus praefatae villae a quoquam subtractum vel minoratum fiat, ut magis ac magis Domini omnipotentis servitium adimplere valeant, & pro perpetuitate imperii & Domini & senioris nostri Hludovici praescripti piissimique Imperatoris & sospitate conjugis & prolis ejus atque invictissima sui exercitus victoria exorare humiliter delectetur, & quasi ad vestigia pedum eorum provolutus deprecor universos in hac sede succedentes ut hanc firmitatem quam pro amore Domini Salvatoris & veneratione sanctae Dei genitricis Mariae sanctorumque martyrum Stephani, Gervasii, & Prothasii, atque omnium in veneratione sanctorum, & eleemosyna saepedicti Domini Hludovici Imperatoris, ac per ejus licentiam pro pondere peccaminum meorum fieri decertavit, in perpetuum conservent esse mansuram. Quam devotionem si quispiam violare praesumpserit, ante tribunal Christi, pro cujus amore hoc factum esse dinoscitur, tremebundam in judicium deducat rationem. Ego Aldricus Cenomanicae urbis indignus & peccator Episcopus hoc testamentum à me factum subscripsi. Ursmarus indignus Turonicae urbis Archiepiscopus huic testamento annuens subscripsi. Dodo humilis Andecavensium antistes huic testamento de-

cr?

creto assensum praebui & subscripsi. Ionas indignus Episcopus huic testamento annuens subscripsi. Ego Autcarius Magontiae urbis Archiepiscopus subscripsi. Ebroinus indignus Episcopus huic testamento annuens subscripsi. Guntardus indignus Episcopus huic testamento annuens subscripsi. Ego Erchanradus Parisiacae urbis Episcopus hoc testamentum deprecante Aldrico Episcopo subscripsi. Vvarnarius indignus Episcopus huic testamento subscripsi. Ego Echardus Episcopus hoc testamentum deprecante Aldrico Episcopo subscripsi. Theodoricus Cameracensis urbis Episcopus hoc testamentum subscripsi. David Chorepiscopus subscripsi. Ansteus Decanus subscripsi. Godenus Archipresbyter subscripsi. Ricardus Presbyter subscripsi. Dedivinus Archipresbyter subscripsi. Eruardus, licet indignus, Presbyter subscripsi. Geraldus subscripsi. Gansuinus Presbyter subscripsi. Alcaricus Presbyter subscripsi. Alexander Presbyter subscripsi. Gerihanus Presbyter subscripsi. Vvineboldus Presbyter subscripsi. Flodoinus Presbyter subscripsi. Flodebertus Presbyter subscripsi. Ansacharus Diaconus subscripsi. Rodricus Diaconus subscripsi. Regnegardus modicus subscripsi. Vivaldus Subdiaconus subscripsi. Data Kalend. April. in die sancto Paschae anno incarnationis dominicae DCCCXXXVII. Indictione vero XV. anno quoque XXIII. imperii Domni nostri Hludovici gloriosissimi Imperatoris, & anno ordinationis nostrae quinto. Actum ergo Cenomanica in urbe publica in Dei nomine feliciter. Amen.

XXXIII.

Exemplar Praecepti Domni Hludovici Imperatoris super praescripto privilegio de villa Buxarias.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi Ego Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Augustus. Omnibus sanctae Dei Ecclesiae & nostris fidelibus praesentibus & futuris notum sit quia vir venerabilis Aldricus Cenomanicae urbis Episcopus nostrae suggessit mansuetudini eo quod primordiis ordinationis suae confusum Canonicorum matris Ecclesiae sibi commissorum ordinem statumque invenerit, & claustrum qui canonice vivere debent ceterus nullum habuerant, sed ipse divini cultus amore fervens, ex domibus quas Episcopi antecessores sui propriis usibus habere solerent, memoratorum Canonicorum habitaculis ac variis usibus attribuerit, illisque constructis & secundum opportunitatem cujusque usibus aedificatis ac decoratis, eos secundum auctoritatem canonicam fecerit habitare. Retulit etiam serenitati nostrae eo quod jam dictae matris Ecclesiae quibusdam additis oratoriis aliisque forinsecus Ecclesiis, solemniter religioseque eorum devotionem adimplere curaverit, easdem dedicationum festivitates propriis temporibus solemniter memorati Canonici, convenientibus tam sacerdotibus quam religiosis laicis reliquoque populo solemniter celebrare valerent, eisdem Canonicis quamdam ejusdem villam Buxarias vocabulo per testamenti conscriptionem propria ceterorumque Episcoporum venerabilium manibus roboratam proprie delegaverit, quatenus in saepedictis dedicationum festivitatibus, praenxis etiam quibusdam conditionibus dignam ac necessariam refectionem habere valerent. Quae sua institutio ut perennibus temporibus inviolabilis persistere possit nostrae supplicavit celsitudini ut super idem devotissime religiose institutam nostram firmitatis gratia auctoritatem percipere mereretur, per quam futuris temporibus inconvulse atque inviolabiliter permaneret. Cujus supplicationibus annuentes, per hoc nostrae auctoritatis scriptum statuentes decernimus ut quod studio divini honoris & cultus religiose patratue atque institutue dinoscitur, & jam dicta inscriptionis suae serie conscribi ac roborare non distulit, cunctis temporibus maneat inconvulsum, nec quispiam successorum suorum de conditionibus in ea comprehensis quicquam audeat immutare aut memoratam villam a jure eorundem Canonicorum abstrahere, sed quicquid de ea secundum institutionem ejus, ut dictum est, ordinare atque disponere voluerint saepedicti Canonici, liberam in omnibus habeant potestatem; quatenus pro nobis, conjuge, prolequc nostra, ac stabilitate totius imperii a Deo nobis concessi Domini misericordiam jugiter valeant exorare. Et ut haec nostrae confirmationis auctoritas nostris successorumque nostrorum temporibus inviolabilem & inconvulsam obtineat firmitatem, de annulo nostro subter eam jussimus sigillari.

Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi.

Datum XIV. Kalendas Iul. anno Christo propitio XXIII. imperii Domni nostri Hludovici piissimi Augusti, Indictione XV.

Actum Theodonis villa palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

XXXIV.

Sequitur Exemplar privilegii quod fecit praenominatus Aldricus Episcopus Ecclesiae sancti Salvatoris super fluvium Sarthae & monachis ibi Domino famulantibus.

IN nomine sanctae trinitatis & unicae divinitatis. Ego Aldricus Cenomanicae urbis indignus & peccator Episcopus, illustratione divinae pietatis provocatus, una cum consensu & licentia Domni Hludovici piissimi Imperatoris seu omnium sanctorum comprovincialium Episcoporum atque aliarum multarum provinciarum nobilium ac sapientium Pontificum, sive cum omni nostrae curae commissae Deo devotae congregationi matrique & nostrae sedis Ecclesiae famulanti, pertractans ego casum fragilitatis humanae, pavescensque ultimum vocationis diem, ne multa mole peccaminum oneratus, sine fructu aliquo, quod absit, boni operis repertus inveniar, commonitusque alloquio praedicatoris praecipui, Pauli scilicet Apostoli, ubi ait, *Si cujus opus manserit, mercedem accipiat*, idcirco, ut dictum est, cum consensu & licentia supraescripti Principis atque praedictorum sanctorum Praesulum sive praefixorum servorum Dei promptissimo animo, divina inspirante clementia, nostrae devotionis decrevit compunctio ut ad augendum cultum divinum sive matris & nostrae sedis Ecclesiae atque parrochiae nobis commissae, ac cumulandum honorem atque lucrum multarum animarum, ut monasteriolum aliquod in nostra parrochia nostro labore ad perpetuam omnipotentis Dei laudem fundare & construere deberemus, quod ita annuente Domino & facere studuimus, in quo & Ecclesiam prout valuimus ad invocandum perpetualiter nomen Dei aeterni in honore Domini Salvatoris & sanctae ejusdem Dei genitricis Mariae sive sanctorum martyrum Gervasij & Prothasij atque sancti Stephani, necnon & in honore & memoria simul omnium sanctorum construere & solemniter XVI. Kal. Octob. die cum aliis Episcopis & sacerdotibus sive reliquis sanctae Dei Ecclesiae ministris decenter & rationabiliter canoniceque atque insigniter Domino auxiliante curavimus consecrare, in qua & quindecim altaria erigere & in honoribus & memoriis eorum sanctorum quorum nomina super ea inserta esse praesentis temporis momento videntur, eorumque atque aliorum multorum sanctorum patrocinia & reliquias meis propriis manibus collocavi, solemniterque ea & decenter adjunctis nobis praefatis sanctissimis locis ordinabiliter sanctificantes consecrare Domino miserante meruimus, quorum intercessionibus nos adjuvari misericorditer confidimus eorumque perpetuis tueri praesidiis largiente Domino humiliter petimus. In memorato itaque Kalendarum die & in dedicatione praefatae Ecclesiae cum licentia & exhortatione jam dicti Principis sive praescriptorum sanctorum patrum, videlicet Episcoporum ac nobilium & sancte vi-

viventium sacerdotum, per librum quatuor evangeliorum nobiliter ornatum & auro ex parte conscriptum, seu per calicem aureum unum cum patena sua desuper Episcopis & Sacerdotibus manus eorum imponentibus, multis scilicet nobilibus coram astantibus & videntibus, tradidimus simulque delegavimus una cum jam dicto evangelio & memorato aureo calice de nostrae sanctae sedis Ecclesiae rebus ad supradictum sanctum locum, qui vocatur monasterium sancti Salvatoris, olim vero Brogilus à priscis vocabatur, & ad opus monachorum inibi regulariter viventium & Domino famulantium, donatumque in perpetuum ibidem ob mercedem & stabilitatem praedicti Domini nostri Hludovici piissimi Imperatoris, cujus largitione & praefatum locum acquirere meruimus, sive futurorum Dominorum, Regum videlicet Francorum, seu & nimis pro pondere peccatorum nostrorum donamus & per hoc testamentum confirmamus confirmatumque futuris temporibus esse volumus, tam opportunitatem quam & pro stipendio fratrum ibidem Domino servientium, necnon & consolationem peregrinorum, atque hospitum advenientium receptionem. Primo vero omnium delegavimus ibidem villam Salvarias cum manentibus xxx. & illas culturas duas juxta illud monasteriolum sitas, seu illam silvam quae intra fluvium Sarthae & inter praedictas culturas & praefatum monasteriolum consistit, atque illam vineam dominicam quae inter Salvarias & jam dictum monasteriolum conjacet, & illa molina duo juxta illud monasteriolum supra fluvium Sarthae sita, necnon & illud pratum ex alia parte praefati monasterioli situm una cum silva, sicut termini praedictorum monachorum dividunt. Delegavimus etiam ibidem villam nostrae sedis Ecclesiae Apacum cum omni integritate, in qua sanctus Ulfacius pretiosus Christi confessor corpore requiescit; simulque tradidimus ibi medietatem de villa Canon; parique modo confirmamus ibidem villam Luciacum cum omni integritate; simulque inibi dedimus & medietatem de villa quae Beruas vocatur de ratione sanctae Mariae, quam redditione Domini nostri Hludovici excellentissimi Imperatoris adquisivimus; & illam precariam quam Friderardus per precariam de rebus sanctae Mariae & sancti Gervasij tenet, tradimus totam similiterque donamus, & in villa quae vocatur villa sancti Auleni manentes tres cum vineis tribus & campis aliis, & quantum pars sanctae Mariae ibi habere. Videlicet & illas res quas Saleardus in die dedicationis ipsius Ecclesiae eidem sancto loco & nobis sive ipsis monachis legaliter tradidit inibi, per hoc testamentum confirmamus. Haec autem omnia in pago Cenomanico sunt sita. Supradictas igitur villas omnes & res cunctas superius nominatas & ad praedictas villas jure pertinentes una cum ceteris dominibus, aedificiis, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, acquis, aquarumve decursibus, farinariis, mobilibus & immobilibus, omnia & ex omnibus ad praefatum sanctum locum pro lucranda sancta mercede & augmento nostrae sanctae sedis Ecclesiae atque nostrae congregationis ornatu donamus, tradimus, simulque delegavimus. & omnia quae eidem sacrosancto loco & fratribus & monachis inibi Domino famulantibus & regulariter viventibus divina pietas deinceps augeri voluerit & à bonis hominibus ibidem condonatum atque traditum fuerit, ita ut ab hac die ibidem perpetualiter Domino auxiliante in augmentis proficiant. Unde constitui ob hoc piae devotionis amore veniente jamdictae sancti Salvatoris Ecclesiae consecrationis festivitate omni anno fratribus matri & nostrae sedis Ecclesiae famulantibus consolationem ministrandam ab Abbate & monachis in praefato monasterio Domino famulantibus, id est, de pane optimo modios sex, & friscingas porcinas tres, berbicinas vero similiter tres, & de vino optimo modios quatuor, & de potione optima quinque. Ea vero ratione haec illis dare censuimus ut supradictae matris Ecclesiae jam praefati Canonici pleniter ad memoratam dedicationis Ecclesiae cum silentio & ceteris divinis ornamentis veniant festivitatem cum ceteris suburbanis sacerdotibus & reliquis Clericis, & tunc mane prima inibi pro me peccatore, dum advixero, unusquisque sacerdos cantet unam Missam & amplius, si libuerit & caritas ministraverit, & unusquisque Clericus psalmos quinquaginta & amplius, quantum dilectio & amor Dei instigaverit. Post obitum vero meum, in praedicta die similiter pro defuncto faciant. Haec ergo omnia diligenter peracta, hora tertia in publicum intoneant officium & una cum monachis ibidem Domino famulantibus solemniter ipsius diei festivam peragant solemnitatem; & tunc utrum elegerint faciant, aut inibi cum ipsis monachis pariter reficiant, aut si ibi non refecerint, tunc accepta stipendia in refectorio infra domum & claustrum Canonicorum una cum praedictis suburbanis Clericis & sacerdotibus reficiant. Hoc sane humiliter obsecro sanctos successores meos atque Abbates vel monachos praefati monasterii & praepositos ac magistros seu ministros Canonicorum nostrorum sive ipsos Canonicos praesentes scilicet atque futuros & praedictos suburbanos seu monasteriales sacerdotes & Clericos qui ad praedictam festivitatem venerint, & suprascriptas orationes pro me miserrimo peccatore fecerint, à memorata refectione vel ab eorum refectorio à se non excludant; sed si aliqua necessitate factum fuerit, tunc flagitantes imploramus ut unus Canonicorum bene fidelis de praedictis stipendiis quae jam dicti monachi tribuerint accipiat unum modium panis & alterum vini, insuper ex potione sextaria quatuor, & unam friscingam qualem meliorem invenerit, & ex his illis praeparet devotè & religiosè refectionem. Sed magis opto & supplex deprecor ut cum saepedictis Canonicis nostris in refectorio cum illis religiosissime reficiant, solemniter quoque illum diem ducentes, & de tanta festivitate laetantes, Dominumque in omnibus laudantes ac deprecantes ut tranquillam vitam hanc degere valeant & praemia aeternae vitae percipere mereantur. Insuper de praedictis stipendiis deprecans sanctos successores meos contestor & contestans humiliter deprecor atque ministros quidem Ecclesiae ut unum modium de praefixo pane & alterum de jamdicto vino & de praefatis friscingis unam quadraginta pauperibus in memorata festivitate tribuant, qui inde refectionem habentes Dominum Salvatorem mundi collaudent & pro me miserrimo peccatore orare studeant, qualiter cum sanctis & electis Dei laetari aeternaliter mereamur. Amen. Porro quod multas episcopales sedes & matres Ecclesias diversa monasteria sub se habere videmus constructa, quaeso ne quidam superflue hoc me fecisse arbitrentur, praesertim cum magis pro honore Ecclesiae nobis commissae & pro lucro animarum quam pro facinore humano hoc me fecisse profiteor. Nec mirum si praefatum locum de rebus nostrae sedis Ecclesiae ditavimus, cum multos sanctos Episcopos jam talia fecisse & legimus & cognovimus. Ideireo precor cunctos fideles sanctae Dei Ecclesiae ut non hoc me superflue fecisse putent, sed magis pro me peccatore orare non dedignentur; ut si quam pro hoc mercedem adipisci meruero, ejusdem fieri mereantur participes. Denique humiliter precor Dominum nostrum Jesum Christum, beatum successorem meum mox futurum, & post eum in sede nobis commissa succedentes cunctos Episcopos, atque quasi ad pedes eorum provolutus suppliciter flagito, omnesque Principes ac nobiles & ignobiles, cunctosque Christianos obsecro ut parvula à nobis facta ad divinam omnipotentis Dei laudem & incrementum praedicti monasterioli sancti Salvatoris conservent, & in eorum eleemosyna sive ob praedicti Domini Salvatoris amorem, in cujus honore jam dictum monasteriolum aedificatum & dedicatum esse dinoscitur, augere inibi plura dignentur, & de eis quae fecimus atque delegavimus inibi imminuere aut subtrahere non praesumant; quatenus & bona illorum facta in praesenti & in futuro, sicuti & nostra fecerint, Deo auspi-

ce

ce conservetur; quatenus si aliquam mercedem pro pio practivo facto Domino annuente habere meruerimus, ipsius mercedis auxiliante ipso Domino Salvatore nostro, pro cujus & amore hoc fecimus, effici mereamur consortes. Precor etiam cunctos sacerdotes ac Dei servos sive monachos omnes ut praedictas orationes in praefata die pro me peccatore pie & studiosissime adimplere procurent, qualiter absolutionem omnium peccatorum meorum eorum precibus adipisci valeam, & sanctorum consortio perpetualiter Domino largiente frui mereamur. Similiter precor obnixe Abbates & monachos cunctos in praefato sancti Salvatoris monasterio degentes ut praedicta stipendia Canonicis & fratribus nostris sive suburbanis sacerdotibus & Clericis ministrare in jam dicta die non negligant; quatenus ipsis ministrantibus nobisque humiliter famulantibus & ceteris fratribus & Dei servis orantibus per suffragia omnium sanctorum nos & illos Iesus Christus Dominus noster in aeterna laetitia una cum sanctis suis fovere dignetur. Amen. Porro ut hoc testamentum sive privilegium à me pia voluntate factum per rationem supradictam omni tempore maneat illibatum atque firmissimum, manu propria illud pro firmitatis studio roboravimus, sive sanctos patres nostros Episcopos atque fratres nostros sacerdotes & levitas seu reliquos Clericos ceterasque personas quorum nomina subter habentur inserta firmare humiliter postulavimus.

Ego Aldricus Cenomanicae urbis indignus peccator Episcopus hoc testamentum à me factum subscripsi. Vrtmarus indignus Turonicae urbis Archiepiscopus huic testamento annuens subscripsi. Dodo humilis Audecavensium antistes huic testamento decreto assensum praebens subscripsi. Vvarnarius indignus Episcopus huic testamento annuens subscripsi. Ebroinus indignus Episcopus huic testamento annuens subscripsi. Ego Autcarius Magontiae urbis Archiepiscopus hoc testamentum deprecante illo Aldrico praedictae urbis Episcopo subscripsi. Guntardus indignus Episcopus huic testamento annuens subscripsi. Ego Erchinradus Episcopus hoc testamentum deprecante Aldrico Episcopo subscripsi. Ego Hechardus Episcopus hoc testamentum deprecante Aldrico Episcopo subscripsi. Ego Theodoricus Cameracensis urbis Episcopus hoc testamentum subscripsi. David Chorepiscopus subscripsi. Austeus Decanus subscripsi. Deduus Archipresbyter subscripsi. Erauldus Presbyter indignus subscripsi. Ricaudus Presbyter subscripsi. Godenus Archipresbyter subscripsi. Geraldus Presbyter subscripsi. Floduinus licet indignus Presbyter subscripsi. Gaozuinus Presbyter subscripsi. Ascaricus Presbyter subscripsi. Flodebertus Presbyter subscripsi. Alexander Presbyter subscripsi. Ausbaldus Presbyter subscripsi. Gerbaus Presbyter subscripsi. Ansacar Diaconus subscripsi. Roaricus Diaconus subscripsi. Vinaldus Diaconus subscripsi. Reginhardus modicus subscripsi. Leodaldus Diaconus scripsit. Data Kalend. Aprilis in die sancto Paschae anno incarnationis dominicae DCCCXXXVII. Indictione vero XV. anno quoque XXIII. imperii Domini nostri Hludovici gloriosissimi Imperatoris, & anno ordinationis nostrae quinto. Actum ergo Cenomanica in urbe publicè in Dei nomine feliciter. Amen.

XXXV.

Sequitur Exemplar precepti Domini Hludovici Imperatoris super memoratum previlegium sancti Salvatoris & monachorum quod eis jamdictus Aldricus Episcopus pio affectu fecit.

IN nomine Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina repropitiante clementia imperator Augustus. Omnibus fidelibus sanctae Dei Ecclesiae ac nostris praesentibus & futuris notum sit quia vir venerabilis Aldricus Cenomanicae urbis Episcopus, divino honore fervens pariter & amore, monasteriolum in sua parrochia novo opere suoque proprio sudore & labore in honore Dei & Salvatoris nostri ac sanctae ejusdem genitricis Mariae beatorumque martyrum Gervasii & Procasii atque Stephani cunctorumque generaliter sanctorum in loco qui prius vulgo Broialus vocabatur construere studuit, & ad optatum dignumque decorem atque perfectionem summo studio perducere procuravit, congruoque tempore dedicavit solemniter, & de rebus jam dictae sedis sibi divinitus commissae sufficienter ad necessitates varias monachorum in eo Domino militantium abunde fulciendas atque supplendas ditare non distulit. Unde & scriptum quoddam sua ceterorumque venerabilium Episcoporum reliquorumque ordinum Deo servientium necnon laicorum religiosorumque pariter ac nobilium manibus roboratum nostrae majestatis obtutibus offerens, humiliter nostrae supplicavit clementiae ut quod ipse divino tactus amore pia religiosaque devotione superno fultus auxilio fecerat, nostra imperiali auctoritate roborare atque in perpetuum absque cujuslibet convulsione aut tergiversatione firmissimum permanere deberet decernere studeremus, & ut monachi inibi degentes una cum consensu suo successorumque ejus licentiam inter se eligendi haberent Abbates qui eos secundum regulam sancti Benedicti regerent. Cujus pelitionis Deo amabilibus & nobis admodum amplectendis supplicationibus aurem favoris libentissime accommodantes, hanc nostrae auctoritatis conscriptionem ei fieri ac dari praecepimus, per quam decernimus atque sancimus ut memoratum opus religiosissimis ab eo patratis studiis omni tempore firmum & stabile permaneat, quemadmodum in memorato devotionis suae scripto, quod nobis obtulerat ad relegendum, ipse complexus est, neque de rebus quas ad idem monasteriolum contulit, à quoquam ullo unquam tempore quippiam minuatur, aut conditiones inibi studio ejus inditas qualibet occasione convellere aut ullatenus quisque negligere praesumat, sed quemadmodum ab eo pie religioseque sancita sunt, ita per hanc nostram auctoritatem inconvulsa perenniter maneant. Quandoquidem autem divina vocatione Abbas qui praesenti tempore praefectus est, aut qui suoris temporibus subrogandi sunt, ab hac luce migraverint, tunc cum consensu ejusdem Aldrici Episcopi successorumque ejus, Praesulum videlicet memoratae sedis, licentiam habeant ex seipsis eligendi Abbates, si tales inter eos reperiri poterint qui eis merito vitae & scientiae secundum regulam sancti Benedicti praeesse & prodesse possint. Et ut haec nostrae confirmationis auctoritas perpetuam nostris successorumque nostrorum temporibus obtineat firmitatem, de anulo nostro subter eam jussimus sigillari.

Hincminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi.

Data XVII. Kal. Iulii anno Christo propitio XXIII. imperii Domni nostri Hludoici piissimi Augusti, Indictione XV.

Actum Gundulfi villa in Dei nomine feliciter. Amen.

XXXVI.

Sequitur Descriptio de eleemosyna praefati Aldrici praefixae Cenomanicae urbis Episcopi qualiter sibi credita singillatim disposuit & discrete Christi famulis ejusque famulabus per hoc scriptum dare constituit.

IN nomine sancti Salvatoris & veneratione sanctae Dei genitricis Mariae sanctorumque martyrum Gervasii & Prothasii atque sancti Stephani, quorum Ecclesiae, licet indigne, titulatus esse videor, Aldricus Cenomanicae urbis & praedictae Ecclesiae indignus & peccator Episcopus, omnibus in nostra dioecesi & parrochia consistentibus, Episcopis, Sacerdotibus, Diaconibus, Subdiaconibus, & reliquis sanctae Dei Ecclesiae ministris, seu cunctis fidelibus notum esse cupio quia pertractans casum humanae

fragilitatis, una cum licentia Domni Hludovici piissimi Imperatoris & consensu etiam Metropolitani Vrsmari Turonicae urbis Archiepiscopi seu ceterorum comprovincialium Episcoporum atque multorum aliarum provinciarum sanctorum Episcoporum considerare coepi cum Canonicis & ceteris parrochianis nostris tam sacerdotibus quam aliis divino cultui famulantibus atque nobilibus laicis tam nostris quam & aliis liberis & bonis hominibus qualiter mea facultaticula & inibi commissa post meum obitum utiliter & rationabiliter foret in utilitatem sanctae matris Ecclesiae & meam eleemosynam dispensata, ne forte (quod absit) aliquis sibi ea rapere aut furari aut in suos usus converti faciat sicut in multis jam factum cognovimus, sed omnia in utilitatem sanctae Ecclesiae & sublevationes nobis famulantium seu supplementa nostrorum Clericorum tam monachorum quam & Canonicorum sive adminicula laicorum qui nostrae Ecclesiae & nobis famulari videntur, necne in alimonias pauperum, per consilium predicti Metropolitani & per manus fidelium sacerdotum sive Diaconorum atque fidelium laicorum qui ad hoc peragendum à me denominati & constituti fuerint, fideliter & rationabiliter in supra nominatas utilitates & necessitater, sicut in sublequentibus dicemus, distribuantur, id est, quicquid tunc temporis in nostro ergastulo de pecuniis diversi generis & vestimentis inventum fuerit, tota decima pars distribuatur Ecclesiae quam fecimus super fluvium Sarthae in loco qui dudum Broilus Casalis nominabatur, quam & in honore Domini Salvatoris & sanctae Dei genitricis Mariae sive sanctorum martyrum Gervasii & Prothasii atque sancti Stephani insigni sacravimus, & monachis ibi Domino famulantibus fideliter & cum caritate tribuatur, nona vero pars Ecclesiae quam fecimus inter fluvium Sarthae & murum civitatis, in qua & monachas collocavimus, & sub regula sancti Benedicti vivere decrevimus, quam & in honore praedicti Domini Salvatoris & sanctae Mariae ejusdem Dei & Domini genitricis sive sanctorum martyrum Gervasii & Prothasii sed & sancti Stephani, quae matri Ecclesiae subjecta esse videtur, indigni canonice sacravimus, & monachis, sanctimonialibus, sive cunctae congregationi ibidem Domino famulanti fideliter & cum caritate absque ulla dilatione aut prohibitione vel impedimento attribuatur. De reliquo vero, tantum quod in ergastulo inventum fuerit, juxta decreta canonum quatuor portiones fiant tam de auro quam & de argento, sive de ceteris metallis vel utensilibus & diversi generis vestimentis & supellectilibus omnibus; una quae remaneat Ecclesiae nobis commissae, alia vero in nostra eleemosyna detur fidelibus pauperibus, tertia autem Clericis Capellanis & vassallis nostris, quarta Presbyteris urbanis & monasterialibus sive suburbanis atque reliquis parrochianis & Diaconibus seu Subdiaconibus necnon & reliquis ministris & Clericis, ut melius fieri potuerit. Nam & hoc summopere videndum est, ut omnia cum caritate fiant. Similiter & de vino solummodo quod tam in civitate quam & in ejus ruis tunc inventum fuerit faciendum est, id est, omnis decima praedicti vini detur monachis viris, & nona funditus detur monachis feminis in praedictis locis degentibus; reliquum autem in quatuor partes dividatur & ut praescriptum est partiatur fideliterque & cum caritate per praefixas turmas, ceu de pecuniis in nostro inventis ergastulo dictum est, rationabiliter distribuatur. De vino quoque quod in civitate & ejus ruis tunc temporis fuerit inventum fiat ut dictum est. De reliquo autem vino cuncto, & de annonis omnibus diversi generis, & leguminibus sive foenis per diversa loca & in omnibus villis nostris nobisque commissis recondiris, volumus atque praecipimus suppliciterque deprecamus ut decem partes fiant aequa lance divisas, una videlicet fideliter servetur matri Ecclesiae & beato successori nostro quem Dominus elegerit, & alia detur vassallis & Cappellanis sive servientibus qui Domino nobisque in nostra mansiuncula militare videntur, ut non ipsi quique, quod absit, in aliquo periclitentur inopia, sed habeant unde sustentari queant usquequo se cum sancto successore nostro mox futuro collocare Domino adjuvante utiliter valeant. Tertia tribuatur Canonicis & famulis sanctae matris Ecclesiae & nonnatis quae in ea quotidie oblationes Domino offerunt, ut & pro me peccatore futuris temporibus Domino offerre eis delectet eorum oblationes. Quarta largiatur monachis qui sunt in monasterio sancti Carilephi & ingresive in Savonaris atque sanctimonialibus monachis quae sunt Intramnis monasterio. Quinta detur monachis quae sunt in monasterio sancti Salvatoris paulo minus miliario ab urbe distante super fluvium Sarthae, & illis monachis quae sunt in sancto Vincentio juxta urbem, seu sanctimonialibus monachis quae sunt in monasterio sancti Salvatoris & sanctae Mariae sive sancti Gervasii inter fluvium Sarthae & murum civitatis collocato. Sexta congregationibus quae per cetera diversa monasteria tam in Cenomanica parrochia quam & in pago Andecavo sive Turonico atque Oxomense & per ceteros pagos Domino militantibus fideliter, in quantum posse & esse facultas tribuerit, cum omni discretione rationabiliter tribuatur. Septima Presbyteris & Diaconibus ac reliquis Clericis nostra in parrochia Domino per diversas Ecclesias militantibus discrete & rationabiliter tribuatur, ut eis semper pro me misserimo peccatore delectet orare & sacrificia Domino assidua offerre, & flexis poplitibus precor ut eis assidue agere suadeatur. Octava, ut diximus, tam de vino quam & de annona diversi generis & legumina sive fieno rationabiliter & discrete detur funditus familiis in nostris villis nobisque commissis commanentibus, quae ea suis sudoribus laboraverunt, ut & eis pro me peccatore orare delectet; & hoc eis agere precor saepissime suadeatur. Nona & decima pars omnis annonae, vini & fieni & leguminis pauperibus, viduis, & orphanis fideliter cum omni discretione & caritate funditus tribuatur. Omnes enim precor ut pro me orare dignemini, ut remissionem cunctorum valeam percipere peccatorum, & vitam habere annuente Domino merear sempiternam. Fiat, fiat. Greges autem jumentorum una cum eorum amissariis, & vaccarum ac boum seu porcorum, & ovium sive caprarum, qui sunt in B... in condita Noviacense, & in Prolliaco infra villam quantam, seu in Novavilla super fluvium Sarthae, sive in Cavania, & in Cepeto supra Sartham, & in Brunonis villare in Belia, & in altero Prolliaco super fluviolum Viduam, Ecclesiae nobis commissae & nostro successori cum omni integritate possidendos & utiliter lucrandos & gubernandos relinquimus. Ego autem in toto episcopio non inveni viginti jumenta. Modo Deo gratias septem ei relinquo greges una cum eorum amissariis; neque in toto episcopio nobis commisso ex omnibus pecoribus vel pecudibus tantum inveni quantum modo Domino auxiliante in una ex supradictis villulis relinquo ex his quae meo pretio comparavi & meo labore acquisivi. Ideo supplex flagito ne alicui durum aut contrarium sit si ea quae meo sudore acquisivi, & meo pretio comparavi, meis benefactoribus tribuo & mihi servientibus dono, atque Domino offerendo in mea eleemosyna fideliter distribui praecipio, & pro redemptione multorum & innumerabilium peccatorum meorum dari Dei servis & pauperibus humiliter supplico. Illi ergo greges jumentorum una cum eorum amissariis & vaccarum ac boum seu porcorum & ovium atque caprarum qui sunt in Alamanicas, & illi greges jumentorum una cum eorum amissariis & boum utriusque sexus & porcorum sive ovium atque caprarum qui sunt in Drimiaco juxta Mantulam, & in Paciaco, in villae videlicet parte quam David modo providet, fratribus & Canonicis nostris cum omni integritate absque ulla dilatione sive diminutione fideliter & cum omni caritate dentur. Illi namque greges jumentorum una cum eorum amissariis &

boum

boum utriuſque generis, ſeu porcorum & ovium atque caprarum, qui ſunt infra monaſterium ſancti Carilephi, & in villa Floriaco, & in Conſlentio, & in villa Mauri & in Cormnis, & in villare Martis, & Ruſciaco, & in campo Sigalaici, & in illa cella ſive in Cantarnaco, atque in diverſis manſionibus circa monaſterium conſtructis, omnes integerrime monachis qui in monaſterio ſancti Carilephi & in cella quae Savonarias vocatur Domino militant abſque ulla minoratione aut tarditate detur. Ternos autem greges jumentorum una cum eorum amiſſariis ac boum & vaccarum ſive caprarum & ovium qui ſunt in Halisu, & quatuor porcarias quae in eadem villa tam in manſionibus quam & in aliis locis eſſe videntur, & illos greges qui ſunt in Curte Quadrici, in Saxonenſe, omnes tam jumentorum quam & boum & vaccarum ſeu porcorum & ovium atque caprarum illis monachis qui Domino in Eccleſia ſancti Salvatoris ſupra fluvium Sarthae, ubi ille Abbas praeeſſe videtur, cum omni integritate & cum caritate abſque ullo ſcrupulo aut contradictione ſive dilatione fideliter tribuantur. Illi quoque greges jumentorum una cum eorum amiſſariis & boum utriuſque generis ſeu porcorum & ovium atque caprarum qui ſunt in villa Colonica juxta urbem in illa curte quae dicitur Villa, quam Gundoldus modo providet, & in Carrariis ſuper fluvium Sarthae, & in Canon, dentur monachis integerrime qui Domino in monaſterio ſancti Vincentii militant. Illi ergo greges jumentorum una cum amiſſariis & boum utriuſque generis ſeu porcorum & ovium qui ſunt in Gres & in Fraxinido, in Belſa, & in Semmuro, monachis in Gres Domino in Eccleſia ſanctae Mariae & ſancti Almiri militantibus funditus abſque ulla tarditate aut minoratione tribuantur. Illi quoque greges una cum eorum amiſſariis jumentorum & vaccarum ac boum ſive ovium & porcorum atque caprarum omnes qui ſunt in Aviniaco, ſeu in Caſiliaco, & in illa parte Paciaci quam Gundoldus providet, noſtris ſororibus ſanctimonialibus monachis quas inter murum civitatis & fluvium Sarthae in Eccleſia Domini Salvatoris & ſanctae ejuſdem Dei genitricis Mariae ſemperque virginis ſive ſanctorum martyrum Gervasii & Prothaſii atque ſancti Stephani ſub monaſtico ordine & ſub regula ſancti Benedicti vivere collocavimus, cum ſumma caritate & omnium integritate abſque ulla dilatione fideliter attribuantur. Illi quoque greges jumentorum una cum eorum amiſſariis & boum utriuſque ſexus & ovium ſive porcorum atque caprarum qui ſunt in Rupiaco, integerrime fratri meo Iſaac filioque ejus Rotgario abſque ulla diminutione aut dilatione tribuantur. Illi autem greges jumentorum unà cum eorum amiſſariis & boum utriuſque generis ſeu porcorum & ovium atque caprarum qui ſunt in Contrella, & in Varennis, in Vindoſnenſe, & in Breuviaco, in Oxomenſe, & in Artinis ſuper Liz, & in Lanciati ultra Ligerim, ſive in Vodebris, vaſſallis qui nobis in noſtra manſiuncula ſerviunt & Clericis qui Domino in noſtra capella famulantur cum omni integritate diſpoſite & rationabiliter largiantur. Reliquos namque greges jumentorum & boum utriuſque generis & ovium ſeu porcorum atque caprarum, omnes qui ſunt in culturis & in ſilva Vvaſtina in diverſis manſionibus & locis tam ſuper fluvium Lix quam & in ſilva Vvaſtina, & in Tricione in diverſis manſionibus, & in locis diverſis, & in Tauriaco, & in Bajocaſſino, & in Veruſvico, ſive in Celſiaco, ac in Naſcas, ſeu in Cadarus, & in Colonica ultra Medanam, & in Culcamia ultra fluvium Ligeris, & in Callemarcio, ſive in monte Sodeuris, in omnibus manſionibus in eo conſtructis, & in rivo petroſo, & in villa nova in Belſa, & in villa Macunen, & in Biocia ſuper fluvium Brica, & in Villena in Pariſiaco, in noſtra eleemoſyna Presbyteris & Dei ſervis ſive pauperibus fideliter & rationabiliter cum omni timore & reverentia diſtribui diſponi imploramus atque rogamus, & omnia fieri cum caritate optamus. De equis namque noſtris & ſecmariis ſive mulis & aſinis ac poledris, quibus adhuc fruimur, & ſine quibus regale & commune ſervitium explere nequimus, de illis qui antea dati minime fuerint, praecipimus duos, quales meliores inventi fuerint, praedicto Domino Metropolitano noſtro bene paratos & ornatos dari; & alios duos, quales poſt hos meliores inventi fuerint, Didani Andecavenſis urbis Epiſcopo bene ornatos tribui jubemus. Ipſos enim ſanctos Epiſcopos, ſi mihi ſuperſtites Domino miſerante fuerint, ad obitum meum venire deprecor, & animam meam per eorum ſanctas orationes Domino devotiſſime commendari ſuppliciter flagito, & ad corpuſculum meum eorum precibus Domino unà cum anima commendari & cum orationibus eorum ſepeliri humiliter poſtulo; & in omnibus ſummopere illos & quaſi ad pedes eorum provolutus deprecor ut de me & pro me ſic faciant ſicut voluit ut de illis tam in vita quam & poſt obitum fiat. Inſuper quatuor equos bonos meae ſepulturae loco & fratribus inibi Domino famulantibus dari jubeo. De ceteris ergo equis volo ut cauſa benedictionis ſingulos accipiant ſinguli qui praeſcripti & praeordinati ad noſtram eleemoſynam faciendam fuerint, ut melius illis delectet pro me orare & commiſſum ſibi negotium peragere. De reliquis quippe equis & poledris & mulis atque aſinis tres jubemus fieri portiones. Vna pars remaneat Eccleſiae nobis commiſſae & ſancto ſucceſſori noſtro; alia vero largiatur diſpoſite & rationabiliter Clericis & vaſſallis & ſervientibus & miniſterialibus nobis famulantibus. Tertia autem pars diſtribuatur fideliter & rationabiliter in noſtram eleemoſynam prout melius ſcierint & potuerint quibus hoc commiſſum fuerit. Taliter quoque illis hoc praecipio & deprecor agere & tam fideliter & rationabiliter diſpenſare qualiter inde rationem non metuant reddere in conſpectu Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ex hoc non recipiant, quod abſit, damnationem aeternam, ſed praemium ſempiternum. Illa vero omnia quae in praefato tempore, ut dictum eſt, in praedictis locis & agris tam internis quam externis inventa fuerint, Domino Deo devota mente & ſano corpore pro ingenti & nimio pondere peccaminum meorum ſupplex & devotus offero, & per hanc chartulam, quam ſana mente dictavi & ſupradicto praetextu ſcribere juſſi, atque propria manu ſubter firmavi, ad ſupradicta & ſcripta, ſicut haec paginula teſtamenti commemorat, explenda & fideliter peragenda Domino Deo ſponte & devote trado: ut ſi quis aliter, quod abſit, ex praefatis rebus, in quantum melius praevaluerit ac poterit, agere praeſumpſerit, ipſo Domino Deo meo & Salvatori noſtro Ieſu Chriſto reddat inde rationes, cui haec praeſcripta peragenda & explenda devote oblata & tradita ſunt, & ante tribunal ipſius judicis aeterni ex hoc tremebundam deducat rationem. Conteſtor enim ſanctum ſucceſſorem meum mox futurum, quicunque fuerit, & quaſi ad veſtigia pedum ejus provolutus humiliter deprecor ut ſic de me & pro me miſerrimo peccatore faciat ſicut vult ut ſui ſucceſſores poſt obitum ejus de eo faciant, & ſic mea facta integra conſervet ſicut ſua vult poſt ſe ſervari. Hanc ergo paginolam teſtamenti ſuppliciter flagito ut per omnia conſervet; & ſi quis aliter ex his quae hic inſerta ſunt facere voluerit, ſupplico ut eum corrigat, & eis quos ad hoc peragendum de nomine vero, ſive quibus hoc negotium commiſſum fuerit, auxilium per omnia praeſtet, ut haec abſque ullo impedimento perficere queant. Si autem, quod abſit, aliter fecerit, ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti tremebundam ex hoc reddat rationem. Obnixe quoque deprecor ſanctum ſucceſſorem meum, quemcumque Dominus fore voluerit, & omnes ſacerdotes tam monachos quam & Canonicos ſive cunctos Clericos & laicos in noſtra dioceſi & parrochia commanentes & converſantes ut in anniverſaria obitus mei per ſingulos annos diligenter tractent & fideliter in eis pro

me orare studeant & vigilias & Missas devote decantent, ut Domino annuente remissionem omnium peccatorum meorum & indulgentiam misericorditer percipere merear, & vitam insuper habere sempiternam valeam. Amen. Precor etiam Dominum successorem meum per Dominum omnipotentem, cunctosque fratres & consacerdotes nostros contestor, quatenus ei fideliter suadeant ut si facultas permiserit, & illi placuerit, per singulos annos in die obitus & anniversarii mei de suo faciat praedictis sacerdotibus tam monachis quam & Canonicis & reliquis Clericis atque pauperibus plenam atque bonam refectionem. Et si illi hoc durum, quod absit, aut difficile fuerit, tunc de villa Buxarias, quam fratribus & Canonicis nostris per testamentum firmiter corroboratum & per praeceptum Domini Hludovici piissimi Imperatoris confirmatum sponte & devotissime tradidi, atque perpetualiter possidendam & perfruendam reliqui, illa refectio quae modo & sicut modo praeparatur & agitur in die natalis & ordinationis meae, precor ut convertatur funditus in die obitus & anniversarii mei, & sicut in praedicto testamento continetur per omnia ita agatur, & sicut in eo scriptum est devotissime & fidelissime perficiatur, ut refectionem & consolationem habeant in illa die tam sacerdotes & Clerici quam & pauperes & indigentes qui pro me miserrimo peccatore oraverint, ut omnes devota mente in ibi requiem aeternam habere exorent suppliciter. Insuper supplico praedictum successorem meum ut praedictum testamentum meum quod de praefixa villa Buxarias feci, fratribus & Canonicis nostris per omnia conservet, & sicut in eo continetur insertum de quinque refectionibus eorum & aliorum sacerdotum ac Clericorum atque pauperum diligenter adimplere faciat, ut omnes per singulas festivitates exorent & dicant: *Aldrico, Domine, Pontifici nostro da requiem aeternam & vitam sempiternam. Amen.* De jam dictis ergo rebus nemo aliquid meum potest esse nisi ad immeliorandum & canonice dispensandum, quoniam Domino omnia quae in hac chartula memorata & conscripta sunt per hoc testamentum praecieus taliter tradidi, & ad praedicta explenda & peragenda firmiter delegavi, & sicut in hac paginula distinctum & insertum est summopere deprecando fieri jussi & postulavi; & si quis aliter, in quantum facultas fuerit, aut deterius de praescriptis rebus Domnoque oblatis ad praefixa peragenda egerit, ante tribunal Domini nostri Iesu Christi de sua praesumptione tremebundam deducat rationem. Obnixe quoque omnes precor ut taliter ex omnibus in hac chartula conscriptis agant qualiter in conspectu Domini, quod absit, & vitam aeternam Domino tribuente una cum sanctis & electis Dei habere mereantur. Amen.

XXXVII.

Sequitur exemplar praecepti domni Hludovici piissimi Augusti super praescriptam descriptionem de eleemosyna Aldrici Episcopi causa firmitatis & inconvulsionis facti.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Augustus. Notum igitur esse volumus omnibus fidelibus nostris praesentibus & futuris quia Aldricus Cenomanicae urbis venerabilis Episcopus obtulit ad relegendum majestatis nostrae obtutibus quoddam devotionis atque dispositionis suae scriptum quo statuerat atque religiosa distributione disposuerat qualiter res quae tempore suae decessionis in episcopio sibi commisso invenirentur, in sua eleemosyna secundum voluntatem modumque à se ecclesiastice descriptum fideliter largirentur, petens humiliter ut quod à se pia devotione votoque religiosissimo constabat dispositum, nostra imperiali auctoritate fieret inconvulsum. Cujus venerabilibus supplicationibus annuentes hanc nostrae auctoritatis conscriptionem ei fieri jussimus; perquam decernimus atque sancimus ut quemadmodum ab eo per memoratum scriptum dispositum atque distributum constat, ita modis omnibus observetur atque firmissime teneatur, neque cujuslibet cupida improbitas improbaque cupiditas id ullo astu convellere audeat, aut quippiam in suos usus retorqueat, sed sicut ab eo, ut diximus, religiosissime statutum liquido cernitur, ita ab his quos ad eandem distributionem impetrandam elegerit, incunctanter atque intrepide perficiatur; quatenus & ipse tantae dispositionis fructum in aeterna beatitudine ab omnium retributore percipiat, & nos ejusdem beatitudinis consortium copiosius consequi mereamur. Ut igitur haec nostra auctoritas inviolabilem obtinere valeat vigorem, de anulo nostro subter eam jussimus sigillari.

Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi.

Data VII. Idus Septembris anno Christo propitio XXV. imperii Domni Hludovici piissimi Augusti Indictione prima.

Actum Carisiaco palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

XXXVIII.

Exemplar immunitatis sanctae Mariae & sancti Gervasii & Aldrici Episcopi de monasterio sanctae Mariae.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Augustus. Si sacerdotum servorumque Dei justis & rationabilibus petitionibus aurem accommodamus, eorumque justas & rationabiles postulationes ad optatum effectum perducimus, non solum regiam & imperatoriam exercemus consuetudinem, sed etiam eosdem pro excessibus nostris Domini misericordiam exorandos devotiores promptioresque facimus, atque per hoc immensam Dei misericordiam facilius nobis conciliandam esse confidimus. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctae Dei Ecclesiae nostrisque praesentibus scilicet & futuris quia Aldricus venerabilis Episcopus obtulit nobis quasdam auctoritates Regum Francorum videlicet decessorum nostrorum erga monasterium suum quod extra muros ejusdem urbis in honore sanctae Dei genitricis Mariae & sancti Petri Apostolorum principis aliorumque sanctorum situm atque consecratum est factas per quas eum immunitatem à quibuscunque publicis functionibus statuentes sub sua immunitate & defensione constituerunt, suppliciter postulans ut pia facta antecessorum nostrorum confirmanda benignitate & mansuetudine nostrae celsitudinis roboranda imperiali auctoritate sanciremus. Cujus precibus aurem favoris libentissime accommodantes, has auctoritatis nostrae litteras circa memoratum monasterium fieri jussimus; per quas praecipientes volumus atque jubemus ut nullus quislibet majoris aut inferioris ordinis seu quisquam ex judiciaria potestate in curtes & villas seu loca aut agros ejusdem monasterii ad causas judiciario more audiendas & inferenda exigenda, aut teloneos requirendos, nec freda aut fidejussores tollendos, seu mansiones aut paratas faciendas, aut homines ipsius monasterii tam ingenuos quam servos distringendos, nec ullas redibitiones requirendas seu exigendas, ullo unquam tempore ingredi praesumat aut exigere audeat; sed quicquid exinde fiscus sperare poterat, totum in luminaria ejusdem Ecclesiae atque necessitates congregationis in eo Domino militantis sublevandas ac fulciendas perpetuo cedat atque proficiat; quatenus memoratam congregationem pro nobis, conjuge, ac prole nostra, & stabilitate totius imperii nostri Domini misericordiam attentius exorare delectet. Si quis autem judiciariae potestatis tam temerarius extiterit ut hanc nostram eorumque praeceptiones violare conetur, noverit se, sicut in praedecessorum nostrorum

im-

immunitatibus continetur, DC. ſol. eſſe multandum; ex quibus duas partes rectores memorati monaſterii, tertiam vero fiſcus noſter recipiat. Et ut haec noſtra auctoritas inviolabilem & inconvulſam obtineat firmitatem, manu propria ſubter eam firmavimus, & anuli noſtri impreſſione adſignari juſſimus.

Signum Hludovici piiſſimi Imperatoris.

Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovit & ſubſcripſit.

Data X. Kal. April. anno Chriſto propitio XXIII. imperii Domni noſtri Hludovici piiſſimi Auguſti, Indictione III.

Actum Aquiſgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

XXXIX.

Item Exemplar praecepti Domni Hludovici piiſſimi Imperatoris de monaſterio Aniſolae Aldrico Epiſcopo & Eccleſiae ſibi commiſſae imperialiter actum quando praedictus Domnus Hludovicus Imperator illud canonice atque legaliter reddidit Eccleſiae ſanctae Mariae & sancti Gervaſii, memorato Aldrico ejuſdem matris Eccleſiae Epiſcopo.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Auguſtus. Si petitionibus ſacerdotum ſervorumque Dei, juſtis & rationalibus poſtulationibus pro quibuslibet Eccleſiarum ſibi commiſſarum negotiis & neceſſitatibus eorum aures noſtras libenter annuimus, & eas cum Dei auxilio ad effectum perducimus, non ſolùm regiam & imperatoriam exercemus conſuetudinem, ſed id nobis ad aeternae remunerationis praemia percipienda profuturum liquidò credimus. Idcirco notum eſſe volumus cunctis fidelibus ſanctae Dei Eccleſiae & noſtris praeſentibus ſcilicet & futuris quoniam adiens ſerenitatem noſtram Aldricus venerabilis Cenomanicae urbis Epiſcopus innotuit nobis quòd monaſterium Aniſole ſitum infra terminos parrochiae ſuae, in quo etiam ſanctus Carilephus corpore requieſcit, à jam dicto Domno Carilepho concedente atque ordinante Domno Innocente praeſcriptae urbis quondam Epiſcopo de rebus tam ſui epiſcopii quam & de rebus aliorum bonorum hominum tam Regum quam & aliorum nobilium virorum memorato Domno Carilepho traditis, quas & ipſe poſtea per inſtrumenta chartarum & per licentiam ſive permiſſum atque conſenſum Childeberti Regis Francorum ad matrem & civitatis Eccleſiam, quae eſt conſtructa in honore ſanctae Mariae Dei genitricis & ſanctorum martyrum Gervaſii & Prothaſii, inſtante & confirmante juſſo praedicti Childeberti Regis Francorum, & tradidit atque canonice & legaliter confirmavit, in quibus rebus praedictum monaſterium fundatum à jam dictis ſanctis viris atque conſtructum eſt, & à praedictae ſedis Pontificibus canonice legibuſque longo tempore poſſeſſum atque dominatum, ſed quibuſdam intervenientibus cauſis poſtmodum à jure praefatae matris Eccleſiae ſubſtractum & aliquo tempore injuſte fuiſſe alienatum. Sed haec omnia, ut nobis à Drogone fratre & Archicapellano noſtro & à reliquis fidelibus Miſſis noſtris, quibus hoc inveſtigare & diligenter inquirere praecepimus, veraciter renunciatum eſt & ſcriptis manifeſtatum à bonae memoriae Domno & genitore noſtro Karolo glorioliſſimo Rege Francorum ad liquidum olim fuiſſe tam per ſe quàm per fideliſſimos Miſſos ſuos perſcrutata & diligenter inveſtigata, & poſt rei veritatem veraciter inveſtigatam pleniterque per omnia cognitam ad jus & dominationem praeſcriptae Genomanicae matris Eccleſiae Franconi ejuſdem Eccleſiae Epiſcopo Aniſolae monaſterium canonice & legaliter redditum, & per ſuum praeceptum, propria ſcilicet ſua manu roboratum, & anuli ſui impreſſione ſignatum, futuris temporibus jure eccleſiaſtico poſſidendum, ut vere quod aſſerebat, veraciter nobis per omnia pateſceret, obtulit obtutibus majeſtatis noſtrae quaedam inſtrumenta ſanctorum propriis ſubſcriptionibus firmata, monumenta videlicet chartarum, & praedicti Domni & genitoris noſtri Karoli piiſſimi Auguſti inquiſitionem atque ſupranominatum praeceptum, per quod ut jam dictum eſt, praeſcriptum Aniſolae monaſterium memoratae matris Eccleſiae ſolemniter & legaliter reddidit. Inſuper detulit nobis nonnulla aliorum regum praecepta non pauca deceſſorumque noſtrorum, Regum videlicet Francorum, propriis manibus corroborata, & ſigillis eorum ſubter ſigillata; quibus inſpectis atque relectis evidenter oſtenditur praedictum monaſterium juris ſaepedictae ſedis Cenomanicae ſibi commiſſae eſſe, & in ipſius dominatione jure firmiſſimo debere perſiſtere, qua de re humiliter implorans noſtram ut quod tam evidentibus indiciis declaratur, noſtra quoque aſſenſione immo auctoritate declararetur. Quae ita liquidiùs cognoſcentes, eiſque ob amorem Dei & ejuſdem ſanctae ſedis reverentiam favorem noſtri culminis adhibere dignum judicantes, hanc auctoritatis noſtrae praeceptionem ſuis per tempora ſucceſſoribus fieri ac dari juſſimus, per quam decernimus atque ſancimus ut memoratum monaſterium Aniſolae quod aliquandiu ab eorum jure & ditione ſubſtractum fuerat, ab hinc in poſterum habeant & poſſideant; ut quicquid more eccleſiaſtico de eo diſponere voluerint, liberam habeant poteſtatem, neque ullo deinceps tempore à jure praeſcriptae ſedis ejuſque rectorum qualibet occaſione aut violentia ſegregetur, ſed ſemper in illius rectorumque ejus poteſtate & diſpoſitione & voluntate ad divinum cultum propenſius exequendum cum omnibus ad ſe pertinentibus integerrimè ſinceriſſimeque perpetuo conſiſtat. Et ut haec noſtrae redditionis auctoritas inviolabilem & inconvulſam perpetuamque obtineat firmitatem, manu propria ſubter firmavimus, & anuli noſtri impreſſione adſignari juſſimus.

Signum Hludovici piiſſimi Imperatoris.

Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi & ſubſcripſi.

Data VII. Idus Septemb. anno Chriſto propitio XXV. imperii Domni Hludovici piiſſimi Auguſti, Indictione prima.

Actum Cariliaco palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

XL.

Exemplar Praecepti Domni Hludovici piiſſimi Imperatoris de moneta Aldrico Cenomanicae urbis Epiſcopo ejuſque ſucceſſoribus conceſſa.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Auguſtus. Si ſacerdotum ſervorumque Dei juſtis & rationabiliſbus petitionibus ad optatum aurem accommodamus, non ſolum regiam & imperatoriam exercemus conſuetudinem, ſed etiam eoſdem pro exceſſibus noſtris Domini miſericordiam exorandos devotiores promptioreſque facimus, atque per hoc immenſam Dei miſericordiam facilius nobis conciliandam eſſe confidimus. Idcirco notum eſſe volumus cunctis fidelibus ſanctae Dei Eccleſiae noſtriſque praeſentibus ſcilicet & futuris quia vir venerabilis Cenomanicae urbis Epiſcopus Aldricus nomine nobis innotuit eo quod anteceſſores ſui, Merolus ſcilicet & Gauziolenus, atque praedeceſſores eorum in praedicta urbe monetam publicam per praecepta bonae memoriae Domni & genitoris noſtri Karoli & Pipini avi noſtri ſive Theoderici Regis atque anteriorum Regum plena eorum auctoritate conceſſam praedictam monetam habuiſſent, quae propter ablationem rerum praedictae ſedis Eccleſiae, ſive propter vaſtationem earum, aliquo tempore, licet parvo, noſtroque ſive in fine genitoris noſtri praedicta moneta dimiſſa & propter praedictarum rerum inopiam atque deſolationem ceſſata eſſet; quam

ne-

neque nos neque Domnus Karolus genitor noster neque ullus Missus noster nostra aut sua auctoritate prohibuit, sed solummodo propter praefatam indigentiam dimissa esset. Obtulit etiam antedictus Episcopus obtutibus nostris praecepta Regum praedecessorum nostrorum videlicet Francorum, in quibus continebatur quod praedicta moneta antecessoribus praedicti Aldrici Episcopi à praescriptis Regibus concessa antiquis & modernis temporibus fuisset. Quae & nos relegentes tanta invenimus, & signa atque sigilla Regum praedecessorum quoque nostrorum in eis inspicientes, vera esse quae dicebat cognovimus. Idcirco praecipientes jubemus ut nullus Missus noster vel Comes ipsius provinciae aut quilibet ex judiciaria potestate ei successoribusque suis ex praefata moneta ullo unquam tempore aliquam calumniam aut molestiam aut injustam pulsationem sive causationem atque machinationem facere praesumat, sed nostris futurisque temporibus praescripta moneta in praefata urbe saepedicto Episcopo atque ejus successoribus permaneat; ita tamen ut hoc praevideat tam praefixus Aldricus quàm & sui successores, ut aliqua fallitas in ipsa moneta non appareat. Et ut haec concessio nostra de praedicta moneta futuris conservetur temporibus, quam nos pro Dei amore & pro reverentia ipsius loci fieri jussimus, & verius credatur & diligentiùs conservetur, manu nostra subter firmavimus, & de anulo nostro sigillari jussimus.

Signum Hludovici piissimi Imperatoris.

Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi.

Data XI. Kal. Aprilis anno Christo propitio XXIII. imperii Domni Hludovici piissimi Augusti, Indictione XIV.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

XLI.

Item Exemplar praecepti immunitatis Domni Hludovici Imperatoris de sancti Carilephi monasterio de Aldrico Episcopo impetratum.

IN Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hluduvicus divina repropitiante clementia imperator Augustus. Si sacerdotum servorumque Dei justis & rationabilibus petitionibus aurem accommodamus, eorumque justas & rationabiles postulationes ad optatum effectum perducimus, non solum regiam & imperatoriam exercemus consuetudinem, sed etiam eosdem pro excessibus nostris Domini misericordiam exorando devotiores promptioresque facimus, atque per hoc immensam Dei misericordiam faciliùs nobis conciliandam esse confidimus. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctae Dei Ecclesiae nostrisque praesentibus scilicet & futuris quia Aldricus venerabilis urbis Cenomanicae Episcopus obtulit nobis quasdam auctoritates Regum Francorum decessorum videlicet nostrorum erga monasterium suum quod intra terminos praedictae urbis parrochiae in loco qui vocatur Anisola, in quo sanctus Carilephus corpore requiescit, in honore praedicti sancti Carilephi aliorumque sanctorum situm atque consecratum est factas, per quas eum immunem à quibuscunque publicis functionibus statuentes sub sua immunitate & defensione constituerunt, suppliciter postulans ut pia facta antecessorum nostrorum consueta benignitate & mansuetudine nostrae celsitudinis roboranda imperiali auctoritate sanciremus. Cujus precibus aurem favoris libentissimè accommodantes, has auctoritatis nostrae literas circa memoratum monasterium fieri jussimus; per quas praecipientes volumus atque jubemus, ut nullus quislibet majoris aut inferioris ordinis seu quisquam ex judiciaria potestate in curtes vel villas seu loca aut agros ejusdem monasterii ad causas judiciario more audiendas, vel inferenda exigenda, aut teloneos requirendos, nec freda aut fidejussores tollendos, seu mansiones aut paratas faciendas, aut homines ipsius monasterii tam ingenuos quàm servos distringendos, nec ullas redibitiones requirendas sive exigendas ullo unquam tempore ingredi praesumat, aut exquirere audeat; sed quicquid exinde fiscus sperare poterat, totum in luminaria ejusdem Ecclesiae atque necessitates congregationis in eo Domino militantis sublevandas ac fulciendas perpetuò cedat atque proficiat: quatenus memoratam congregationem pro nobis, conjuge, ac prole nostra, & stabilitate totius imperii nostri Domini misericordiam attentius exorare delectet. Si quis autem judiciariae potestatis tam temerarius extiterit ut hanc nostram eorumque praeceptiones violare conetur, noverit se, sicut in praedecessorum nostrorum immunitatibus continetur, DC. sol. esse multandum; ex quibus duas partes rectores memorati monasterii, tertiam verò fiscus noster accipiat. Et ut haec nostra auctoritas inviolabilem & inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus & anuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum Hludovici piissimi Imperatoris.

Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi.

Data VII. Idus Septembris anno Christo propitio XXV. imperii Domni Hludovici piissimi Augusti, Indictione prima.

Actum Carisiaco palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

XLII.

Item Exemplar praecepti Domni Hludovici piissimi Imperatoris de villa Lugduno, quod fecit praedictus Imperator Cenomanicae matris Ecclesiae & Aldrico ejusdem Ecclesiae Episcopo.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Augustus. Si fidelium nostrorum justas & rationabiles petitiones ac postulationes, quas pro utilitate & exaltatione sanctae Dei Ecclesiae exposcunt, ad optatum effectum perducimus, non solum regiam atque imperialem consuetudinem in hoc exercemus, sed etiam eos nobis promptiores, ut credimus, atque devotiores facimus. Idcirco omnibus sanctae Dei Ecclesiae fidelibus & nostris praesentibus scilicet & futuris notum esse volumus quia Banzlegbus Comes & Saxoniae patriae Marchio noster nobis innotuit quod quandam villam sitam in pago Cenomanico nomine Lugdunum de jure canonicae matris Ecclesiae per nostrum beneficium possideret, de qua per singulos annos nonas & legitimos census atque decimas partibus praefatae matris Ecclesiae & ejusdem rectoribus persolveret. Qua de re memoratus Banzlegbus pertractans casum humanae fragilitatis, & pavescens ultimum vocationis diem, timensque ne praefata villa aliquo cupiditatis suae stimulo vel quolibet ingenio à jure praescriptae matris Ecclesiae alienata fieret, ideoque fervens amore divino, adiit clementiam nostram suppliciter deprecans ut memoratam villam nomine Lugdunum cum omnibus ad se pertinentibus partibus praedictae Cenomanicae sedis Ecclesiae & Aldrico ejusdem urbis venerabili Pontifici, praesentaliter nostra imperiali auctoritate redderemus, & hanc redditionem per nostrum praeceptum futuris temporibus firmiùs eidem Ecclesiae suisque rectoribus possidendam confirmassemus. Cujus petitionem ob amorem Dei & reverentiam ejusdem sancti loci servorumque Dei inibi Domino famulantium libenter audivimus, & deprecationem ac pium desiderium ejus ad optatum effectum adimplere dignum duximus. Quapropter per hoc nostrae auctoritatis scriptum statuentes decernimus atque jubemus ut quemadmodum saepedictus Banzlegbus fidelis noster memoratam villam cum omni integritate, sicut illa die sub jure nostrae potestatis erat quando à largitione nostra ipsum benefi-

cium

cium accepisse constat pro emolumento animae nostrae & stabilitate imperii nostri memorato venerabili Aldrico Episcopo ad partem suae Ecclesiae praesentialiter reddidimus, ut in perpetuo in utilitates & usus ejusdem Ecclesiae Deoque in ea deservientium permaneat. Idcirco suggerentibus atque humiliter postulantibus praedictis fidelibus nostris, memorato videlicet Aldrico venerabili Episcopo & Banzlegbo jam dicto fideli nostro hoc confirmationis nostrae atque redditionis praeceptum saepedicto Aldrico Episcopo vel ad partem jam dictae urbis fieri jussimus; per quod decernimus atque jubemus ut nullus sub ditione imperii nostri degens ullo unquam tempore de praedicta villa vel de omnibus ad eam pertinentibus in quibuscunque pagis vel locis saepedicto Aldrico Episcopo suisque successoribus ullo unquam tempore inquietudinem facere praesumat aut quamlibet calumniam ingerere, sed liceat ei & successoribus suis quieto ordine memoratam villam cum omnibus locis & territoriis sive mancipiis & cum omnibus ad se pertinentibus jure ecclesiastico tenere & possidere; & quicquid pro oportunitate & commoditate praefatae sedis Ecclesiae exinde facere decreverint, liberam in omnibus habeant futuris temporibus potestatem faciendi. Et ut haec nostrae redditionis auctoritas perpetuam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus & de anulo nostro sigillari jussimus.

Signum Hludovici serenissimi Imperatoris.

Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi.

Data XI. Kalend. Aprilis anno Christo propitio XXV. imperii Domni Hludovici piissimi Augusti, Indictione prima.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

XLIII.

De Dedicatione senioris altaris Anisolae monasterii.

ANno incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCCXXXVIII. Indictione verò prima, anno siquidem XXV. imperii Domni Hludovici piissimi Imperatoris, anno sexto ordinationis Aldrici Cenomanicae urbis Episcopi, quinto quoque Iduum Maiarum die, solemniter senius dedicatum est altare senioris Ecclesiae monasterii Anisolae à praefixo Episcopo Aldrico in honore Domini Salvatoris & sanctae ejusdem Dei genitricis Mariae sanctique Martini confessoris praecipui. In praefixo ergo Iduum die cum psallentio susceptus est jam dictus Aldricus Episcopus, primò postquam ei redditum fuit memoratum Anisolae monasterium à Domino Hludovico Imperatore, à monachis & reliquis nobilibus hominibus in ipso monasterio; cui Dominus precibus praedictorum & omnium sanctorum aeternam tribuat vitam. Amen.

Praesul, ave, noster cuncti te, Aldrice, rogamus,
Nunc altus Dominus, nunc humilisque pater.
En tua fama sacri vulgans praeconia facti.
Gallorum celsas venit ad usque domos.
Qui es pia spes patriae; solamen & optima virtus,
Ast murus fortis, & clipeus validus.

XLIV.

De Hospitalium constitutione & receptione, & de sex sanctorum corporibus in sinu matris Ecclesiae delatis & collocatis, quorum nomina hic habentur inserta, & de XII. *signis in clocariis matris Ecclesiae collocatis per singulas horas reboandis, & de consecratione Episcoporum & sacerdotum ac reliquorum graduum sive sanctimonialium, atque de commemoratione dedicationum Ecclesiarum.*

MEmoratus igitur Aldricus Episcopus in praefata Cenomanica urbe duo hospitalia facere studuit. Vnum idque juxta praefatam Cenomanicam urbem super fluvium Sarthae a radice pontis sanctae Mariae propter abundantiam aquarum & pascuorum construere certavit, ad receptionem videlicet Episcoporum & Comitum atque Abbatum sive cunctorum adventantium, in quo & Ecclesiam construxit, quam & in honore sancti Stephani solemniter dedicavit, & alia aedificia ad praedictum opus faciendum rationabiliter & mirifice ordinabiliterque construxit & disposuit. Alterum ergo hospitale juxta matrem & senioris civitatis scilicet Ecclesiam infra urbem construxit, in quo pauperes & debiles, caeci ac claudi, sive aliarum debilitatum subnixi & indigentes multi reciperentur, quibus alimenta & lectorum stramenta sufficienter & discrete ministrarentur. Praefixa quoque hospitia jam dictus Aldricus venerabilis Episcopus de rebus suae sedis Ecclesiae nobiliter dotavit, & villulas seu decimas, sicut in testamentis de iis factis continetur insertum, una cum consensu Episcoporum multorum & suorum consacerdotum ad memorata hospitalia & ad usus hospitum ac peregrinorum atque pauperum sive reliquorum adventantium canonice rationabiliterque contradidit, & per testamenta ab Episcopis & sacerdotibus sive reliquis nobilibus & liberis hominibus roborata confirmavit. Praescriptus quippe Aldricus jam dictae urbis Episcopus venerabilis invenit quaedam corpora sanctorum sex, quae in desertis Ecclesiis valde divinis officiis & luminaribus atque reliquis divinis cultibus negligebantur, quae una cum consilio consacerdotum suorum in gremio suae sedis Ecclesiae & in confessione senioris ejusdem Ecclesiae altaris decenter & rationabiliter collocavit, id est, corpus sancti Iuliani praefatae urbis Episcopi & praedicatoris primi, & sancti Thuribii praedicti Episcopi Iuliani successoris, sanctique Pavacii jam dictae urbis etiam Episcopi & praedicatoris optimi, seu sancti Romani sacerdotis praecipui &, ut fertur, nepotis sancti Iuliani & sanctae Romanae Ecclesiae ministri, quem etiam sanctae Iuliae fratrem nonnulli esse testantur, atque sanctae Tevestinae praecipuae virginis, quae & monasteriolum sanctae Mariae in rebus senioris Ecclesiae unà cum adjutorio sancti Innocentis praefixae urbis Episcopi construxit, sed & sanctae Adae, quae & Adrehildis alio nomine nominatur, quae ut legitur, deprecante praedicto sancto Innocente de monasterio sanctae Mariae quod situm est in urbe suessionis ad Cenomanicam urbem venit, & ibi in suburbio Cenomanico in praefato monasterio sanctae Mariae regulam sancti Benedicti docuit, & eam inibi decenter ordinavit, & partem corporis sancti Liborii supradictae urbis Episcopi & confessoris optimi, & maximam partem corporis sancti Haduindi. Antedicta quoque corpora sanctorum in Ecclesia quam praefatus Aldricus praefixae urbis Episcopus in honore Domini Salvatoris & sanctae ejusdem Dei genitricis Mariae atque sanctorum martyrum Gervatii & Prothasii sive sancti Stephani simulque & in veneratione omnium sanctorum solemniter consecravit, & in memorata ejusdem Ecclesiae senioris altaris confessione praedicta corpora, ut praefixum est solemniter decenterque & ordinabiliter collocavit, ea videlicet ratione ut inibi officia & luminaria & cetera ad divinum cultum & ad honorem sanctorum per-

pertinentia pleniter haberentur, & postmodum ubicunque necessitas construendorum poposcerit monasteriorum, singillatim praefixa corpora in unoquoque monasterio collocaret; quatenus ex eorum memoriis & apertis intercessionibus magis cultus cresceret divinus, & laus Dei in melius & multis modis multiplicaretur, sicut in posteris actum esse Domino annuente probatur. Ipse ergo Aldricus in praefata seniore & matre Ecclesia civitatis duodecim signa ex metallo optimo fundere & firmare studuit, quae & in jam dicta seniore Ecclesia decenter in clocariis collocavit, & ad singulos cursus mirabiliter & ordinabiliter reboare & sonare disposuit, quatenus & per ea populum ad Ecclesiam decenter & solemniter convocaret, & ex eis plura & multimoda laus Domini exornaretur & cresceret, ut & in cymbalis bene sonantibus cuncti assidue Dominum laudarent, & quandocunque dulcis eorum sonus in auribus populorum reboaret, de eorum sceleribus omnes recordarentur, & pro eis Domini misericordiam singulis horis invocarent, quatenus remissionem & absolutionem eorum percipere mererentur, & mundi atque puri ab omnibus sordibus peccatorum fierent, atque ad sempiternam pervenire gloriam mererentur. Praefatus igitur Aldricus Episcopus tantae fuit dignitatis & honoris amorisque ut usque ad Romanam sedem ejus rumor perveneri, eique Domnus Gregorius Romanae sedis Ecclesiae venerabilis Apostolicus Roma in pago Cenomanico suum vestimentum sacerdotale miserit, illud scilicet vestimentum quo in Pascha indutus fuerat. Misit etiam ei baculum pastorale, quod ferula nuncupatur, una cum sua epistola, vocans eum ut, si possibile foret, usque ad eum perveniret, eique concessit ut qualemcunque petitionem & benedictionem à sede sancti Petri accipere vellet, aut per se ipsum aut per suum missum ei voluntarie & libenti animo mitteret atque concederet. Fuit enim memoratus Episcopus Consiliarius Imperatoris & unus ex prioribus, quem tam Domnus Imperator quam & sui optimates & regni proceres obtemperabant & oppido credebant atque in omnibus obedientes ei se esse & benevoli dicebant. Sed unde valde tristabatur quod saepissime eum in palatio retinebant, & propterea suum ministerium ei ut desiderabat & volebat perficere non licebat, quoniam erat persaepe prope unum annum quod de palatio non absolvebatur, sed ibi, licet invitus, morabatur; & ideo multa remanserunt tam in sua civitate quam & in suis monasteriis sive in sua parrochia imperfecta, seu & quaedam nec inchoata quae ad divinum cultum explendum & ad laudem omnipotentis Dei magnificandam atque ad utilitatem sanctae Dei Ecclesiae perficiendam facere prudenter disponebat & perfici desiderabat. Praedictus quoque Aldricus Episcopus fecit ordinationes per diversa & canonica tempora sexaginta. Episcopos ergo sacravit septem, Sacerdotes vero DCCC. Levitas DCCCC. Subdiaconos quoque & reliquos ordines prout necessitas poscebat; quorum nomina propter prolixitatem & taedium scriptoris atque lectoris hic non inseruimus, sed in alia scedula, in qua nomina eorum & testes & titulos & tempora & reliqua quae ad hoc pertinent plenius inseruimus; ut si quis haec plenius nosse voluerit, in ea reperire valeat, vel si aliqua altercatio de eorum ordinatione futuris temporibus orta fuerit, in ipsa scedula appareat pleniter declaratum qualiter aut qua ratione sive ad quos titulos ordinati esse noscuntur. Ipsam enim scedulam apud seniorem custodem matris & civitatis Ecclesiae reperire poterit si quis voluerit. Sacravit etiam praedictus Pontifex virgines inter monachas & Canonicas per diversa & canonica tempora CXX. In monasterio videlicet Intramnensi monachas virgines canonice sacravit LXV. Et in monasterio sanctae Mariae juxta urbem super fluvium Sarthae, quod ipse à novo fundavit & ornavit, monachas virgines consecravit XXXVIII. & reliquas canonicas virgines per diversa loca Domino militantes XVII.

Vid. infrà cap. 71.

XLV.

De Translatione corporis sancti Pavacii & dextri brachii sancti Liborii.

ANno incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCCXL. Indictione III. anno verò imperii Hludovici piissimi Augusti XXVII. & anno VIII. Aldrici hujus parrochiae Episcopi atque hujus coenobii fundatoris, VII. videlicet Iduum Iuliarum die, solemniter translatum est à praescripto Episcopo & ab aliis Episcopis & sacerdotibus & reliquis sacris ordinibus corpus sancti Pavacii & brachium dextrum sancti Liborii in hanc sancti Salvatoris Ecclesiam, hucque in nobilissima urna decenter à praefixis Episcopis & sacerdotibus subsequentibus signis humatum; quorum precibus ab omnibus petimus liberari malis & cunctis frui aeternaliter bonis, ipso auxiliante cui est honor & gloria in saecula saeculorum. Amen.

XLVI.

Constitutio Aldrici urbis Cenomanicae Episcopi de luminaribus & incensibus Ecclesiae senioris civitatis.

COnstitutum est ab Aldrico Cenomanicae civitatis Episcopo ut ardeant per quotidianas noctes in seniori Ecclesia de oleo à vespere per totam noctem usque mane tria, & de cera, quando tempus dictaverit, una, & ad nocturnas sive matutinas ardeant luminaria per quotidianas noctes de oleo decem & de cera quinque, tria ante senius altare, & quartum ante altare sanctae Trinitatis vel crucifixum, & quintum ante altare sancti Iohannis. Illa verò luminaria quae de oleo fiunt ardeant per altaria & loca destinata, unum inter senius altare & sedem episcopalem, & aliud ante gradus senioris altaris, & tertium in medio choro, & quartum in exitu chori, & quintum ante altare sancti Georgii & sancti Felicis atque sancti Symphoriani & aliorum sanctorum quorum nomina super eo adscripta adesse videntur, & sextum ante altare sanctae Agathae & sanctae Felicitatis & sanctae Sabinae & aliarum sanctarum virginum quarum nomina super illud scripta adesse videntur, septimum ante altare sanctae Trinitatis, & octavum ante aram sancti Iohannis Baptistae & nonum ante altare omnium sanctorum, & decimum ante aram sancti Christophori & sancti Hyppoliti atque sancti Saturnini & reliquorum sanctorum quorum nomina super illud scripta esse videntur, & undecimum ante altare sancti Victorii & sancti Brixii atque sancti Arvei & reliquorum sanctorum in quorum honore sacratum esse cognoscitur. In dominicis vero omnibus noctibus & in festivitatibus XX. sanctorum constitutum est ut amplius incendantur & ardeant luminaria XXX. de oleo & quinque de cera, & in festivitate sancti Iohannis Apostoli & Evangelistae, & in festivitate sanctorum Innocentium, & in octavis Domini, sive in octavis Epiphaniae, & in festivitate sanctae Agnetis, seu in festivitate sanctae Agathae, & in festivitate Apostolorum Philippi & Iacobi, & in inventione sanctae crucis, & in festivitate sancti Petri, similiter & in festivitate sancti Pauli, seu in festivitate sancti Laurentii, & in decollatione sancti Iohannis Baptistae, sive in festivitate sancti Michaelis Archangeli, atque in festivitate sancti Bartholomaei Apostoli, & in festivitate sancti Matthaei Apostoli & Evangelistae, sive in festivitate Apostolorum Simonis & Iudae, nec non & in festivitate omnium sanctorum Kalendis Novembris, atque in festivitate sancti Martini, & in festivitate sanctae Caeciliae virginis & martyris, atque in festivitate sancti Andreae Apostoli. In his quoque festivitatibus amplius agatur, id est, in Epiphania & in Purificatione sanctae Mariae & in Ascensione Domini, seu in Pentecosten, & in dedicatione occidentalis partis Ecclesiae senioris & altaris sancti Ioannis Baptistae, quae est XI. Kal. Iu-

lii,

lii, & in nativitate sancti Iohannis Baptistae, & in Assumptione sanctae Mariae, & in nativitate sanctae Mariae, seu in natale Episcopi, quae agitur in die festivitatis sancti Thomae Apostoli, atque in dedicatione matris & senioris Ecclesiae sive senioris altaris. In his namque festivitatibus constitutum est ut ardeant luminaria triplicata, id est, de oleo XC. & cera X. hoc scilicet centum vel eo amplius, prout opportunitas & locus fuerit. Tamen nullo modo concessum est ut minus, sed amplius. In nativitate autem Domini tam festivè constitutum est fieri sicut illos dies decet; & in festivitate sanctorum Gervasii & Prothasii sive sancti Stephani prout melius potuerit fiat. Est etiam constitutum à praedicto Episcopo ut incensum boni odoris offeratur per singula altaria & deferatur fratribus in Ecclesiam convenientibus & populis ad Ecclesiam venientibus ad matutinas & ad Missam sive ad vesperas atque completorium. Haec autem per singulos quotidianos dies devotissimè, in dominicis verò diebus & in festivitatibus amplias & solemnius agatur.

XLVII. Placuit etiam in hac scedula, quae de quibusdam actibus Pontificum Cenomanica in urbe degentium usque ad Aldricum ejusdem urbis Episcopum conscripta esse dinoscitur, inserere relationem sive memoriale qualiter praedictus Aldricus antedictae urbis Episcopus monasterium Anisolae, in quo sanctus Carilephus confessor praecipuus corpore requiescit, ante Dominum Hludovicum Imperatorem legibus conquisivit; ut si deinceps aliqua altercatio de eo orta fuerit, praefati memorialis exemplar in hac scedula conscriptum bonis hominibus ad relegendum appareat. Quòd si aliquis ex hoc aliquam pulsationem praedictae matri & civitatis Ecclesiae deinceps suisque successoribus ullo unquam tempore facere tentaverit, in hac scedula reperiatur qualiter evindicatum fuerit, & quid repetierit evindicare non valeat, sed subter inserta evindicatio firma & stabilis omni tempore permaneat.

INCIPIT RELATIO VEL evindicatio sive memoriale qualiter monasterium Anisolae ad jus Cenomanicae matris Ecclesiae ante Dominum Hludovicum Imperatorem ab Aldrico Episcopo canonice & legibus evindicatum fuit.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi. Temporibus Hludovici piissimi Augusti subter inserta causatio vel evindicatio fuit de monasterio Anisolae inter Aldricum Episcopum & Sigismundum Abbatem, qui illud tunc tenebat. Nam praefatus Aldricus dicebat & scriptis & testibus approbabat quòd de jure suae sedis Ecclesiae praefatum monasterium cum omnibus ad se pertinentibus esse debebat, & sui antecessores illud ex rebus Cenomanicae matris Ecclesiae magna ex parte fundarant, & ad ipsam matrem Ecclesiam subjectum esse debebat, & hoc legibus affirmabat. E contra Sigismundus dicebat quòd proprium Domini Imperatoris esse debebat, & non de praedicta Ecclesia: sed nullam veram auctoritatem exinde ostendebat nisi tantum unam epistolam quam Pipinus propter odium Gauzioleni Episcopi cuidam suo monacho fecerat ut illi subjectum esset & non Gauzioleno; & hoc propter odium Gauzioleni factum esse prescrutatum est. Quia quando fuit Pipinus Cenomanica in patria, & de quadam persecutione inimicorum suorum reversus per Cenomanicam patriam transibat, tunc eum praefatus Gauziolenus & suus frater Harivius non receperunt, sed infra Cenomanicam urbem cum omnibus quos secum conducere potuerunt se recluserunt, & Dominum Pipinum Regem illuc introire non permiserunt, sed damnum ei de suis hominibus facere nitebantur, & suum pincernam coram eo stantem, dum sua castra in vinea sancti Petri juxta urbem Cenomanicam posita erant, interfecerunt, & alios homines vulneraverunt. Videns autem Dominus Pipinus quod ibi proficere non potuit, vastans totam illam regionem, pergere coepit ad Franciam. Tunc in ipso itinere venit ad ipsum praedictum monasterium Anisolam, & praecepit illis monachis ut nullam obedientiam facerent jam dicto Gauzioleno, eo quod ei rebellis esset, sed sub suo mundeburdo vel sub sua tantummodo tuitione vel dominatione permanerent. Et tunc eis ac Siebaldo eorum Abbati talem epistolam dedit quod propter odium, ut dictum est, Gauzioleni, & non propter ullam aliam rem aut injustitiam factum esse liquet. Tunc enim ipse Sieraldus non fuit ausus ibi remanere, sed unà cum Pipino usque in Franciam perrexit. Postea vero cognoscens Pipinus, quod injustè fecisset & propter odium Gauzioleni hoc egisset, praecepit filio suo Karolo & jurejurando contestatus est ut praefatum monasterium redderet Cenomanicae matri Ecclesiae, cujus justè esse debebat, ne aliquod detrimentum sua anima ex hoc haberet. Et sic fecit postea Dominus Carolus, & Franconi Episcopo illud reddidit, atque per praeceptum suum praedictae matri Ecclesiae confirmavit. Multi autem hactenus vivunt qui Domno Karolo hoc dicere audierunt, qualiter suus pater Dominus Pipinus ei hoc contestando facere praecepit. Et quando jam dictum monasterium Franconi reddidit, multi vivebant qui hoc Dominum Pipinum Karolo praecipere & contestari audierunt. Istam vero rationem pleniter praedictus Aldricus Episcopus perscrutatam apud veridicos homines habebat, & hoc testibus veris & bonis coram omnibus affirmabat. Taliter enim Aldricus & Sigismundus altercantes, pervenit ipsa ratio usque ad Dominum Imperatorem; qui hoc firmiter inquirere praecepit, & veraciter sibi renuntiare jussit. Sed antequam ipsa cantatio ante Dominum Imperatorem veniret, volebant eorum amici & boni homines eos inde pacare & concordare. Sed Aldricus Episcopus obtemperabat eorum justis petitionibus, & Sigismundus non faciebat; sed quicquid ei justè & rationabiliter sui amici agere suadebant, praedictus Sigismundus spernebat. Offerebat enim ei memoratus Aldricus Episcopus ut aliquem censum ei ex hoc solveret, sicut sui antecessores praedicti Episcopi antecessoribus faciebant, & per suum beneficium illud teneret, & nunquam ei diebus vitae suae de illo aliquod impedimentum facere volebat, sed quietè & pacificè unà cum suis monachis eum sibi esse permittebat. Offerebat etiam & aliam cautam praedicto Sigismundo, suadentibus praedictis amicis & bonis hominibus, jam dictus Aldricus Episcopus, ut si hanc non vellet, saltem aliam faceret. Permittebat autem ei duas aut tres villas, quales sibi eligeret, per suum beneficium habere, & ex his nullum servitium aut aliqua dona requireret, sed quicquid ex his vellet faceret. His omnibus à Sigismundo spretis, coepit saepedictus Episcopus suam justitiam justè & rationabiliter quaerere, quia plenam & justam rationem sibi in hoc habere videbatur. Praecepit enim hanc justitiam inquirere Dominus Imperator Ebroino Pictavensis urbis Episcopo & Erchenrado Parisiacae civitatis Episcopo & Rorigoni Comiti & Altmaro Seneschalcho Dominae Iudith Imperatricis & Misso palatino unà cum aliis vassis dominicis. Sed dum haec res ad effectum tunc minimè pervenit propter alias necessitates, & hoc Domno imperatori renuntiatum esset, praecepit ut ante se in suo palatio ipsa altercatio finiretur. Tunc ergo jussit Dominus Imperator ut haberent ambo eorum auctoritates & testimonia Aquisgrani palatio ad suum placitum quod ibi tempore quadragesimali cum Episcopis & Abbatibus & Comitibus & ceteris fidelibus suis habebat, ut ibi pleniter praefixa altercatio finem perciperet. Sed Sigismundus jam vocatus ad ipsum placitum minime pervenit. Qua de re iterum Dominus Imperator per suam epistolam eum vocavit ut post Pascha veniret. Qui & hoc renuens, jam tertiò vocatus minimè venit, neque missum aliquem misit cur hoc dimitteret. Tunc cernens Dominus Imperator suam inobedientiam & contumaciam, expectavit tamen adhuc post tertium condictum placitum quindecim dies

ut veniret; ſed cernens eum jam venire non velle, neque ſuam rationem juſte diſtinare, quia minimè hoc rationabiliter & veraciter ſe facere confidebat, & propterea venire ad placitum nolebat, tunc Domnus Imperator interrogavit ſuos Conſiliarios & Epiſcopos ſive Abbates & Comites & reliquos fideles ſuos quid ex hoc facere deberet, & quale conſilium ex hoc ei darent, & quid de tam inobediente ſuo praecepto facturus eſſet. Tunc reſpondentes dixerunt utriuſque ordinis omnes. Vidimus quòd iſte Epiſcopus veſter Aldricus habet ſuas auctoritates & praecepta regalia tam genitoris veſtri quàm & aliorum veſtrorum anteceſſorum, videlicet Regum Francorum, in quibus, ut coram nobis relectum eſt, continetur inſertum & ſanctorum ſacerdotum ac Regum manibus propriis corroboratum, quòd monaſterium Aniſolae, unde agitur haec juſtitia, Cenomanicae matri Eccleſiae traditum fuit & ab Epiſcopis ejuſdem matris Eccleſiae conſtructum & ornatum atque legibus poſſeſſum. Habet etiam praefixus Epiſcopus, quos vidimus & audimus, ſuos teſtes veros & bonos, qui has auctoritates firmas & veras eſſe teſtantur, & jurejurando quae dicunt affirmant. Inſuper teſtantur quòd intra legitimo tempore praedicta mater Cenomanicae civitatis Eccleſia veſtituram legitimam habuiſſet de praedicto monaſterio, & adhuc triginta anni non ſunt tranſacti quod ex eo legitimam veſtituram habuit, & propterea inde fuit modò alienatum quòd Franco Epiſcopus praedictae Eccleſiae ſuo propinquo Adalghyto illud impetraverit, ut pro illo ei alia ſervitia & itinera faceret, quae ille pro ſua infirmitate & ſenectute facere non valebat. Affirmant etiam eundem Franconem aliquas villulas & quoſdam vaſſallos caſatoſque, ut nominant, ex praefixo monaſterio ad ſuum opus, dum advixit, retinere, ſed illis ambobus defunctis non fuit ad praeſens Epiſcopus ejuſdem ſedis qui Domnum Imperatorem Hludovicum ex hoc interpellaret ad tempus; & ſic datum eſt alio, & tali occaſione ſublatum eſt de praefixa ſede. Sed & hoc quod illi monachi dicunt quòd veſtrum proprium eſſet, praedicti teſtes Aldrici Epiſcopi per eorum auctoritates & per veſtros vaſſallos & alios veridicos & bonos homines affirmant non eſſe. Dicunt etiam, ſi veſtrum proprium eſſet, res ipſius monaſterii ſecundum legem Salicam aut Ribuariam tuerentur ſicut alia loca & res quae de veſtro ſunt proprio faciunt, & mancipia non partirentur, ſicut de aliis locis & rebus quae de veſtro ſunt proprio in illa regione eſt conſuetudo facere; ſed de illis cauſis in rebus ſancti Carilephi ſicut in propriis Domni Imperatoris obſervare apud eos eſt conſuetudo, nihil unquam conſervatum fuit; & pro illis cauſis affirmant & defendunt jam dicti teſtes ſaepedictum monaſterium non veſtrum proprium aut alicujus eſſe, ſed de jure Cenomanicae matris Eccleſiae, de cujus rebus eſt fundatum, illud eſſe affirmant, quod & rationabiliter & legibus, ut nobis videtur, facere poſſunt. Teſtantur etiam ſuprà memorati teſtes quòd omnes Epiſcopi qui in praedicta civitate & in jam dicta ſede à tempore ſancti Innocentis Epiſcopi ſecundi, ſucceſſoris videlicet ſancti Victurij, & à tempore ſancti Carilephi confeſſoris eximii fuerunt, praedictum monaſterium ſubjectum habuiſſent, exceptis duobus. quod propter praedictum odium & pro aliqua negligentia veraciter factum eſſe inquiſitum eſt. Teſtantur etiam quòd plus ad jus & ſubjectionem praedictae matris Eccleſiae praefatum monaſterium pertineat quam ad veſtrum proprium aut ad aliam aliquam cauſam; & hoc, ſi aliqui teſtes contra ſe venerint, falſos eos, qualiter praeceperitis, facere poſſe teſtantur firmiterque affirmant. Supradicta verò ratione hanc juſtitiam diligentiſſimè ventilatam, rei veritatem cognoſcentes, pleniter & rationabiliter legis divinae & mundanae nos utriuſque ordinis veſtri fideles auctoritate inſtructi, & plena ratione ſuffulti, judicamus voſque hortamur ut ei auferatur qui vobis inobediens extitit & ad veſtrum placitum non ſolùm ſemel aut bis vel ter vocatus venire contempſit, quia de ſua abſentia culpabilis & convictus eſſe cognoſcitur, & ei veſtra auctoritate noſtroque judicio reddatur praefatum monaſterium qui vobis inobediens non fuit, nec ad placitum venire renuit, ſed ſemper praeſens cum ſuis auctoritatibus & nobilibus teſtibus adfuit, & hoc pleniter & legaliter approbare eſt paratus quòd ſuae ſedis Eccleſiae praefatum monaſterium eſſe debet. Et propterea praefato Aldrico Epiſcopo firma auctoritate ad jus ſuae ſedis Eccleſiae praefatum monaſterium cum omni integritate ut reddatur judicamus. Quidam autem eorum dixerunt. De nobis ipſis aliter judicare non poſſumus, quòd ſi aliquis noſtrum licèt nemine quaerente, aut aliqua cauſatione pulſante, vocatus ad veſtrum placitum venire contempſerit, ni infirmitas aut legitima ſomnis eum detinuerit, & ſi aliqua ſomnis, aut infirmitas eum detinuerit, ni ipſe ſuum advocatum aut ſuam excuſationem rationabilem ad vos miſerit, juſtè & plena ratione perdere debet unuſquiſque noſtrum quod de veſtro habet. Et propterea ſicut & de nobis, ſic & de illo judicamus; quia neutrum fecit, nec ipſe venit, nec mandare ſtuduit cur illud dimiſit. Sed ſicut iſti homines qui praeſentes adſtant, id eſt, Hagano & Benedictus & alii, dicunt & affirmare volunt qualitercunque vobis placuerit, ſive ſi aliquis ex vobis aliter dixerit, ſingulare certamen cum eo praeliari ſive in judicio, ſi vobis placuerit, ſeu cum ſacramento verum facere nullam ob aliam cauſam praefatum Sigiſmundum remanſiſſe, neque propter infirmitatem, neque propter aliam neceſſitatem, niſi quòd venire, ne convinceretur, noluit, quia nullam juſtitiam neque aliquam juſtam aut rationabilem cauſam praedicta quaeſtione ſe habere confidebat. Et haec praedicti homines quotidie ante vos & ante nos & reliquos fideles veſtros clamant, & approbare, ſicut praedictum eſt, vel qualiter vos placuerit & eis praeceptum fuerit volunt. Et hoc ſaepiſſime publiciter in hoc palatio eſt acclamatum & perquiſitum nobis & ceteris fidelibus veſtris audientibus: ſed nemo eſt qui eis contradicere aut reſiſtere velit, ſed plus dicunt omnes eos veritatem dicere, quod & veriſimile nobis eſſe videtur. Sic vos jam quindecim dies per aliud placitum vel tertium ei conceſſum expectantes, neque ſuum advocatum aut ſuas auctoritates miſit, neque ullam excuſationem de ſe vel de ſuo contemptu facere voluit. Idcirco de ſua abſentia vel contumacia jam convictum atque damnatum eum eſſe legibus judicamus, ita ut nec ejus vox ampliùs de hac cauſa audiatur. Et ut hoc quod dicimus & judicamus auctoritate canonum & legis plenios confirmemus, precamur ut nonnullae ſententiae ad hoc pertinentes canonum & legum ante vos legere jubeatis. Et tunc publicè coram omnibus recitatae ſunt hae ſententiae canonum & legum.

EXCERPTVM EX DECRETIS *Papae Bonifacii, capitulo* III.

MAnifeſtum eſt confiteri eum de crimine qui indulto & delegato judicio purgandi ſe occaſione non utitur. Nihil enim intereſt utrum in praeſenti examine omnia quae dicta ſunt de eo comprobentur, cum ipſa abſentia pro confeſſione conſtet. Lib. 5. Capitul. c. 37. lib. 7. c. 43.

Item ex decretis ejuſdem Bonifacii Papae.

NVlli dubium eſt quod reus judicium nocens ſubterfugit, quemadmodum ut abſolvatur qui eſt innocens quaerit. Confitetur enim de omnibus quiſquis ſe ſubterfugere judicium dilationibus putat.

Item ejuſdem cujus ſuprà.

CAvendum eſt ut ſi quis adeſſe neglexerit, dilationem ſententiae de abſentia non lucretur; ſed quae malè pullulaſſe noſcuntur, radicitus evellantur & emendentur.

Ex

Ex decretis Caelestini Papae.

NOn caret enim suspicione qui ad judicium venire contempserit & purgari se distulerit, quia ipsa absentia sua est comprobatio. Insuper occurret veritas, si falsitas displicet. Meritò namque causa nos respicit si silentio faveamus errori. Ergo corripiantur qui hujusmodi sunt modis omnibus, ut veritas eorum versutiis non sopiatur, sed astuta eorum cavillatio aptissimè & prudenter omnibus manifestetur & emendetur, atque restituatur quod hactenus occultum & neglectum fuit.

Decreta Innoc. I. c. 35. *Item excerptum ex decretis Papae Innocentii.*

VEritas saepius exagitata magis splendescit ad lucem, & pernicies revocata in judicium gravius condemnatur. Nam fructus divinus est justitiam saepius
Decret. Caelestini I. c. 14. recenseri, & errata corrigere, ablata restaurare. Nec otiosa ergo Dominus judex noster in nobis esse patitur quae exercenda, non negligenda donavit.

Sequentia verò capitula ad eandem rationem pertinentia a sapientibus Comitibus & Scabinis dominicis sunt prolata; & per judicium coram omnibus sunt recitata.

HÆC CAPITVLA QVÆ SVBSEQVVNTVR
De lege Romana sunt assumpta.

Novell. unica de Episc. judicio in interpret. I*Mperator Valentinianus inter cetera Firmino Praefecto praetorio & Patricio data.* Si quis pulsatus in judicio adesse noluerit, post secundam aut tertiam conventionem sciat se contumacis sententiam subiturum, id est, ut quicquid, si fuisset in judicio, addicendus erat petenti litigatori quasi victus exolvat. Data VII. Kal. Maii Romae Herculano V. c. Cons.

Paul. lib. 5. sent. tit 5. in interpr. *Quinque capitula de effectu sententiarum & finibus litium Pauli sententiarum lib. V.* Quicunque tribus auctoritatibus judicis conventus, aut trinis litteris vel tribus edictis ad judicium fuerit provocatus, aut uno pro omnibus peremptorio, id est, quod causam extinguit, fuerit evocatus, & praesentiam suam apud eum judicem à quo ei denuntiatum est exhibere non voluerit, adversus eum quasi in contumacem judicari potest. Quinimmo nec retractari per appellationem negotia possunt, quoties in contumacem fuerit judicatum.

Item Theodosius libro quarto de sententiis ex periculo recitatum.

I*Mperatores Gratianus, Valentinianus & Theodosius A A A. Clearcho Praefecto.* Quicquid praesentibus partibus in causis fuerit ordinatum, habebit plenissimam firmitatem, nec poterit immutari. Data Kal. April. Honorio VIII. & Boëtio Conss.

SEQVITVR SENTENTIA DE EADEM
Lege Romana, de libro Pauli assumpta.

SI enim judicibus talia conceduntur, quanto magis Regibus & Imperatoribus fraena & lora simplora & latiora relaxantur, quoniam de crimine majestatis gravius judicantur rei & incriminati quàm alterius alicujus generis secularis: quia honor capitis decus est aliorum membrorum, & dedecus capitis ignominia est aliorum membrorum. Porrò quia omnia membra sequuntur caput, scilicet ut in comparatione praedecessorum nostrorum, more videlicet antiquorum, loquamur, sicut ab illis non semel aut bis vel ter sed persaepe firmatum & definitum esse legimus, dehonoratio & despectio seniorum & magistrorum & contumacia eorum contumelia est subditorum & juniorum, & honor & exaltatio atque benevolentia & obedientia seniorum & magistrorum honor & exaltatio est subditorum & juniorum, quia & illi ab istis & isti ab illis mutuò foventur & exaltantur, & honor regni & populorum ampliatur, & vis atque justitia eorum crescit, & populus salvatur & exaltatur. Si quis autem contra haec inire aut aliqua machinatione aliquid agere praesumpserit, damnatus in omnibus & ab omnibus interius exteriusque sententia ultionis feriatur, ne in posterum quisquam talia agere praesumat, & si quis facere tentaverit, similiter damnetur, & ultionis sententiam non effugiat.

Item unde suprà, si quis ad placitum venire distulerit.

SI quis subterfugiendo placitum huc illucque vadit, & ad placitum venire distulerit, & maximè si vocatus à judicibus fuerit, omnimodis providendum est ne quaerens suam justitiam pro tali occasione perdat, sed quasi convictus ille qui ad placitum venire distulerit, item culpabilis & convictus de sua absentia judicetur, & deinceps hoc recuperare non valeat, sed magis metallis & aliis poenis deputetur, ne amplius quisquam talia agere praesumat, & ille de sua versutia & absentia vicisse non lucretur, neque subterfugisse gaudeat, neque suam justitiam perdat. Data IX. Kal. Maii.

His & aliis auctoritatibus sanctorum patrum & canonum atque legum rationabiliter instructi judicavimus & iterum judicamus ut Aldrico saepedicto Episcopo jam dictae res, qui semper pleniter instructus praesens adfuit, & nunquam ad suam justitiam comprobandam defuit, vestra auctoritate vestroque judicio reddantur. Et si talis firmitas ex hoc facta sit quae in posterum appareat, nunquam deinceps de hoc praedicta Ecclesia sibi commissa aliquod damnum aut scandalum aut ullam causationem patiatur. Et si aliquis, quod non credimus, ex hoc deinceps aliquam pulsationem aut causationem ei facere voluerit aut suis successoribus, evindicare non valeat, nec ejus vox penitus audiatur qui hoc facere tentaverit, sed hoc judicium quod modò agitur, ratum futuris maneat temporibus, & vestra redditio firma & stabilis permaneat. His taliter peractis, hoc divisimus. Tunc Dominus Imperator coram illis reddidit Aldrico praefixo Episcopo per eorum judicium plena auctoritate monasterium Anisolae, in quo Domnus Carilephus corpore requiescit, ad jus Cenomanicae matris Ecclesiae, cui praefatus Episcopus praeerat, futuris temporibus possidendum, & Missos ei dedit qui ei inde plenam vestituram facerent, Fulconem scilicet Comitem palatii & Ardoinum & Gaufridum Comites & Folcradum vassum dominicum, qui postea, sicut Domnus Imperator eis jussit, plenam & legalem vestituram per eloceas & ostia senioris ipsius monasterii Ecclesiae, in qua etiam sanctus Carilephus corporaliter requiescit, & per portas ipsius monasterii jam dicto Aldrico Episcopo multis coram testibus in ipso monasterio solemniter fecerunt. Hoc autem factum est anno incarnationis dominicae DCCCXXXVIII. Indictione II. & anno imperii praefati Domni Hludovici piissimi Imperatoris XXV. anno verò ordinationis saepedicti Aldrici Episcopi sexto. Pridie quoque Kalendarum Maiarum Aquisgrani palatio praedictum judicium est actum & in ipsa die ipsa ratio à praefixo Imperatore legibus est adimpleta & plena ratione peracta. Propterea ergo hoc memoriale conscribere libuit ut si aliqua altercatio deinceps exorta fuerit qualiter haec res acta sit, per hoc memoriale declaratum appareat: ut si aliquis ex hoc aliquam querelam facere tentaverit, evindicare minimè valeat. Actum atque conscriptum est hoc memoriale Aquisgrani palatio Kal. Maii in sacrario sanctae Mariae, regnante Domino nostro Iesu Christo in perpetuum. Hae verò chartae & haec praecepta publicè relecta & recitata sunt ante Domnum Imperatorem & Drogonem ejus fratrem & Archicapellanum, sive etiam ante suos Missos quos Domnus Im-

Imperator ad hanc caufam audiendam & difcernendam conftituit, feu ante confcriptos Epifcopos & Comites & miniftros ac judices, quando hoc judicium in praefcripto palatio judicatum eft, & quando praefatum monafterium ad jus praefixae Cenomanicae matris Ecclefiae eft legibus redditum & fupradicto praetextu evindicatum, id eft,

I. Traditio fancti Carilephi quam fecit fancto Innocenti Epifcopo per licentiam & confenfum Childeberti Regis.

II. Charta commendationis qualiter fe Domnus Carilephus per licentiam fui Abbatis, exhortante Domno Avito, unà cum fuis monachulis fubdidit Ecclefiae civitatis, & in manus fancti Innocentis Epifcopi duabus vicibus fe tradidit.

III. Precaria quam fanctus Carilephus accepit à fancto Innocente de eadem re.

IV. Praeceptum Childeberti Regis quod juffit facere fuper traditionem fancti Carilephi & fuper precariam quam ipfe fanctus Carilephus accepit à fancto Innocente.

V. Charta donationis de rebus & villulis, & auro & argento & veftimentis tam ecclefiafticis quam & aliis, five libris & crucibus & capfis vel reliquiis fanctorum multorum quae Domnus Innocens in adjutorium ad monafterium Anifolae conftruendum & ornandum Domno Carilepho & fuis monachulis per fcripturam tradidit.

VI. Charta de conventionibus fancti Innocentis & fancti Carilephi mirae magnitudinis confcripta, & à quindecim Epifcopis firmata, ut eorum conventiones nullo modo irritae fierent, fed per omnia ftabiles permanerent.

VII. Precaria quam fanctus Domnolus Epifcopus Abbati fuo Gallo fecit de monafterio fancti Carilephi.

VIII. Praeceptum quod Chilpericus Rex fancto Domnolo Epifcopo fecit & fuo Abbati Gallo de monafterio Anifolae.

IX. Praeceptum emunitatis quod fecit Chilpericus Rex fancto Domnolo Epifcopo de monafterio Anifolae & de omnibus villulis & rebus ad eum pertinentibus.

X. Precaria quam Hadoindus Epifcopus de monafterio fancti Carilephi Sigranno Abbati fecit.

XI. Praeceptum quod Rex Chlotarius Haduindo Epifcopo & Sigranno Abbati de monafterio Anifola fecit.

XII. Praeceptum emunitatis quod fecit Chlotarius Rex Haduindo Epifcopo de monafterio Anifola & de omnibus villulis & rebus ad illud pertinentibus.

XIII. Precaria quam Domnus Berarius Epifcopus de monafterio fancti Carilephi Ibboleno Abbati fecit.

XIV. Praeceptum Dagoberti Regis fuper precariam Ibboleni Abbatis quam à Domno Berario Epifcopo de monafterio Anifola accepit.

XV. Praeceptum emunitatis quod fecit Dagobertus Rex Domno Berario Epifcopo de monafterio Anifola & de omnibus villulis & rebus ad illud pertinentibus.

XVI. Precaria quam Gauziolenus Epifcopus de monafterio fancti Carilephi Didoni Abbati fecit.

XVII. Praeceptum Chilperici Regis quod fecit Gauzioleno Epifcopo & Sicbaldo Abbati fuper precariam eorum de monafterio Anifola.

XVIII. Praeceptum Chilperici Regis fub emunitatis tuitione Cenomanicae fedis Ecclefiae factum Gauzioleno Epifcopo. Simul & confirmatio in hoc ipfo praecepto continetur quam fecit fuper precariam praedictus Rex Gauzioleno memorato Epifcopo & Didoni Abbati fuo.

XIX. Praeceptum emunitatis quod fecit Theodoricus Rex Berario Epifcopo de cellulis & villulis fui epifcopii & nominatim de monafterio Anifola.

XX. Praeceptum emunitatis quod fecit Dagobertus Rex Epifcopo Herlemundo de cellulis & villulis de fuo epifcopatu; ubi & monafteriolum Anifola commemorat, & fuae fedis Ecclefiae effe affirmat.

XXI. Monumentum de vita fancti Innocentis Epifcopi.

XXII. Exemplar de vita & actibus fancti Turibi Epifcopi.

XXIII. Praeceptum quod fecit Domnus Karolus Franconi Epifcopo quando ei monafterium Anifola per judicium & plenam auctoritatem reddidit & fuae fedis Ecclefiae confirmavit, ficut in eo continetur infertum.

XXIV. Praeceptum quod fecit Domnus Hludovicus Imperator Franconi Epifcopo de mancipiis fanctae Mariae & fancti Carilephi, in quo continetur monafterium Anifolae fubjectum effe debere Cenomanicae matri Ecclefiae.

XXV. Praeceptum quod fecit Domnus Karolus Franconi Epifcopo quando ei conceffit ut hoftes & itinera nulla faceret, fed Adalghifus fuus propinquus omnia regalia fervitia pro eo faceret, & per licentiam Franconis aliquam partem abbatiae fancti Carilephi teneret, & poft obitum Adalghifi ad jus & regimen Cenomanicae matris Ecclefiae abfque ulla contradictione reverteretur, ficut in eo continetur infertum.

Huic judicio & redditioni interfuere fubter inferti viri. Iudith Imperatrix, Karolus gloriofiffimus Rex, Drogo Archiepifcopus atque Archicapellanus, Aurcarius Archiepifcopus, Hadalboldus Archiepifcopus, Amaluuinus Archiepifcopus, Aiulphus Archiepifcopus, Rataldus Epifcopus, Ecardus Epifcopus, Erardus Epifcopus, Ebruinus Epifcopus, Vvilaricus Epifcopus, Albericus Epifcopus, Ghefridus Epifcopus, item Albericus Epifcopus, Simeon Epifcopus, Ercanradus Epifcopus, Ionas Epifcopus, Vuiladus Epifcopus, Anfigaudus Epifcopus, Adalardus Comes, Radulfus Comes, Bonefacius Comes, Adalbertus Comes, Vuarinus Comes, Herbertus Comes, Audulfus Comes, Stephanus Comes, Ramaldus Comes, Giflebertus Comes, Landricus Comes, Gerardus Comes, Abbo Comes, Teoto Comes, Poppo Comes, Ermінus Comes, Anfredus Comes, Adalgarius Comes, Gebuinus Comes, Tetghildus Comes, Troandus Comes, Ardoinus Comes, Rumaldus Comes, Herloinus Comes, Hungarius Comes, Theodoricus Comes, Richoto Abbas, Hludovicus Abbas, Stolido Abbas, Hilduinus Abbas, Burchardus Abbas, Lantramnus Abbas, Godolricus Abbas, Daniel Abbas, Georgius Abbas, Elmeradus Abbas, Vuaringarius Abbas, Aldricus Abbas, Eribertus Abbas, Tethaldus Abbas, Marcoardus Abbas, Humbertus Abbas, Eginardus Abbas, Fulco Vaffus dominicus & Comes palatii, Ragenarius Vaffus dominicus & Comes palatii, Teutfridus Vaffus dominicus, Adalelmus Vaffus dominicus, Henricus Vaffus dominicus, Engifcardus Vaffus dominicus, Difo Vaffus dominicus, Franco Vaffus dominicus, Teoto Vaffos dominicus, Folcradus Vaffus dominicus, Bernuinus Vaffus dominicus, Evrardus Vaffus dominicus, Salaman Vaffus dominicus, Egibertus Vaffus dominicus, Vuinitmarus Vaffus dominicus, Vuitbaldus Vaffus dominicus, Radulphus Vaffus dominicus, Gunzo Vaffus dominicus, Odorricus Vaffus dominicus, Cadilo Vaffus dominicus, Letricus Vaffus dominicus, Nantarius Vaffus dominicus, Robertus Vaffus dominicus, Ifaac Vaffus dominicus, Hugo Vaffus dominicus, Dagobertus Vaffus dominicus, Ebruinus Vaffus dominicus, & reliqui innumerabiles quorum nomina propter prolixitatem hic non inferuimus.

XLVIII.

XLVIII.

Exemplar Epistolae quam Domnus Imperator Hludovicus Ionae urbis Aurelianensis Episcopo & Henrico Abbati fecit de causa Aldrici Cenomanicae urbis Episcopi suorumque monachorum de monasterio sancti Carilephi, quando illud ei Domnus Imperator plena ratione Ecclesiaeque sibi commissae reddit, & propterea quidam monachi inconsultè contra omnem auctoritatem canonicam & regularem ex eo sunt egressi, & res ecclesiasticas non paucas sive sacrata vasa aurea & argentea furtim inde exportaverunt.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Augustus. Ionae venerabili Episcopo salutem. Notum tibi esse volumus quia perventum est ad nos quòd monachi ex monasterio sancti Carilephi in egressu praesumptivo idem monasterium expoliatient ornamentis ecclesiasticis tam in thesauro quamque in vasis seu vestimentis, necnon & libris. Quapropter tibi praecipimus & Henrico Abbati ut vos omni diligentia illud inquiratis, & eum omni integritate res ecclesiasticas eidem Ecclesiae restituere faciatis. Vale, ex hoc habeto studium sicut de te bene confidimus, & sicut in hoc nostram cognoscis voluntatem.

XLIX.

Item Exemplar alterius epistolae Domni Hludovici Imperatoris de praedicta re, ad quos supra.

IN Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina repropitiante clementia imperator Augustus. Ionae venerabili Episcopo salutem. Notum tibi esse volumus quia perventum est ad nos quòd monachi ex monasterio sancti Carilephi egressi sunt de proprio monasterio, aliena loca quaerentes, immemores propriae promissionis eorum, in qua promiserunt obedientiam & stabilitatem propriae promissionis loci, atque renuntiaverunt propriis voluntatibus secundum regulam sancti Benedicti, oblitti etiam sententiam evangelicam, in qua dominicum exemplar audivimus: *Non veni*, inquit, *facere voluntatem meam, sed eius qui misit me*. oblitique apostolicae sententiae ita dicentis: *Subjecti estote omni creaturae, sive Regi quasi praecellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis*. Et hoc non ob aliud fecerunt nisi quòd Abbas eorum nobis inobediens apparuit, & nos eidem Abbati idem monasterium tulimus, & illud Aldrico Episcopo Ecclesiaeque sibi commissae legaliter, sicut à suis praedecessoribus possessum & constructum fuit, reddidimus, sicut lator ejus epistolae tibi dicere poterit, quia prolixum est nobis in hac epistola omnia inserere qualiter actum & dennitum rationabiliter fuit, & quia in nullo sentimus contrarium esse auctoritati canonum monachos subjectos Episcopis fieri debere. Quapropter volumus ut Missus noster sis unà cum Henrico Abbate, & eosdem monachos plena auctoritate canonum & regulari atque nostra ad proprium monasterium redire compellatis. Si verò quispiam eorum vos non obaudierit, volumus ut compellatis eum venire ad nostram praesentiam in proximo placito quod habituri sumus Domino annuente apud Carisiacum. Bene vale, & ora pro nobis Dominum.

L.

Notitia de Monasterio sancti Carilephi in generali synodo in Carisiaco palatio regio facta ab Aldrico Episcopo per iudicium Episcoporum accepta, sicut in ea continetur insertum.

CVm in nomine Domine Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi Domnus Hludovicus Imperator anno incarnationis dominicae DCCCXXXVIII. ad universorum causas audiendas vel recta judicia terminanda in Carisiaco palatio publicè resedisset, & conventum generalem totius populi unà cum Pipino & Karolo filiis suis, gloriosis videlicet Regibus, & synodum Episcoporum & reliquorum sacerdotum ibidem generaliter ad ecclesiastica sive mundana negotia tractanda necnon & ad utilitatem sanctae Dei Ecclesiae fulciendam coadunatum haberet, ibique venientes monachi de monasterio Anisolae, in quo sanctus Carilephus corpore requiescit, ante praedictum Domnum Hludovicum Imperatorem amplius quam viginti unà cum Sigemundo, qui dudum eorum Abbas fuerat, qui se injustè reclamaverunt de eorum monasterio ejectos esse, quorum causam Domnus Imperator in generali conventu ibidem habito diligenter discutere & enucleatim inquirere praecepit. Cum autem in conspectu Episcoporum & Abbatum & reliquorum sacerdotum se pro praedicta causa advenientes reclamarent, interrogatum est Aldrico eorum & Cenomanicae parrochiae Episcopo & ejusdem monasterii Abbati si eos ejecisset ex eorum monasterio, aut à quo ejecti taliter vagantes discurrerent relicto loco in quo seculo renuntiaverunt, in quo etiam ecclesiasticis vel secularibus negotiis diebus vitae eorum permanere deberent. Qui respondens ait: Nec ego ejeci eos, nec scivi eos ejectos esse. Tunc adlata est coram Rege & optimatibus ejus traditio sancti Carilephi, quam fecit sancto Innocenti Episcopo per licentiam & consensum Childeberti Regis, & aliae multae auctoritates quas enumerare longum est, de quibus saepedictus Pontifex coram omnibus in eodem Concilio consistentibus habuit suos testes tam sacerdotes quàm & veridicos laicos nobiles & bonos & legitimos sufficienter, qui eadem instrumenta chartarum approbaverunt: & ea infra legitimos annos canonicè & legibus vestita viderunt, & pleniter atque legibus testificabantur plus per justitiam & legem canonicam & mundanam praedictum Anisolae monasterium cum omnibus ad se pertinentibus ad jus Cenomanicae matris Ecclesiae pertinere quàm alibi, aut fiscus dominicus aut proprium Domini Imperatoris aut alicujus hominis esse debere. Sed nullus inventus est qui contra haec aliquid dicere aut probare voluisset. Tunc praefatus Domnus Drogo Archiepiscopus & senior Capellanus & ceteri qui praeterito tempore Aquisgrani palatio fuerunt quando haec ratio ventilata est & ad liquidum perscrutata canonicèque & legibus definita, respondentes dixerunt: Non est necesse haec modò iterum per omnia removere neque singula retractare, quia scimus te canonicè & legibus memoratum monasterium habere conquisitum & evindicatum: sed de istis monachis, qui modò se reclamant ejectos esse de eorum monasterio, quod Dómnus Imperator nobis inquirere praecepit, modò agendum est. Sed postquam perscrutatum est praescriptos monachos nullius ejectione, nec aliqua indigentia, nec culpa aut facto praedicti Aldrici Episcopi exisse ab eorum monasterio, sed eorum libitu & contumacia hoc eos perpetrasse, & ut jam dictum monasterium praedicto Episcopo auferrent & à jure suae sedis Ecclesiae quoquo modo potuissent subtraherent vel alienarent sibique evindicarent, tunc eis praeceptum est ut reverterentur ad eorum monasterium quo renuntiaverunt, ibique jejuniis & orationibus insisterent & Domino regulariter militarent. Illi verò contrà stomachando responderunt, atque illuc reverti nolle di-

xe-

xerunt. Tunc videntes eos omnes Episcopi & reliqui sacerdotes tantae stultitiae esse & taliter Domno Imperatori & omni sanctae synodo, atque eorum proprio Episcopo inobedientes existere eorumque jussionibus & piis ac justis consiliis resistere, praeceperunt afferre regulam sancti Benedicti & in conspectu omnium sententias ejus legere, quibus in omnibus repugnabant, & ad ultimum de humilitatis gradibus sententiam legere jusserunt, de quibus eis nullum tenere visum est, sed magis propriis voluntatibus inservire & eorum libido inservire & insistere. Quam regulam tunc considerantes dixerunt, quoniam ea quae levi & blando medicamine sanari non possunt, ferro abscindi necesse est. Et praeceperunt afferre canones, è quibus in praesentia omnium in plenaria synodo relecta est sententia Concilii Chalcedonensis de Clericis qui praesunt ptochiis vel monasteriis, capitulum VIII. continens haec: *Clerici qui praeficiuntur ptochiis, vel qui ordinantur in monasteriis & basilicis martyrum, sub Episcoporum qui in una quaque civitate sunt secundùm sanctorum patrum traditiones potestate permaneant, neque per contumaciam ab Episcopo suo dissiliant. Qui verò audent evertere hujusmodi formam quocunque modo, nec proprio subiciuntur Episcopo, si quidem Clerici sunt, canonum correptionibus subjacebunt; si verò laici vel monachi fuerint, communione priventur.* Perlecta autem hac sententia, iterum interrogati sunt si adhuc essent ita inobedientes ut prius. Illi verò in eadem pertinacia permanentes, tunc judicio omnium Episcoporum & universalis sancti Concilii secundum hanc sententiam ab omnibus Episcopis & reliquis sacerdotibus exclusi sunt ab omni sacerdotali catalogo & communione, & exortes, si irrevocabiles persisterent, à catholica Ecclesia facti sunt. Tunc ergo ab omnibus Episcopis & reliquis Dei servis sive à generali conventu judicatum est ut reciperet praefatus Aldricus Episcopus suos monachos, & faceret ex eis quicquid ei libitum fuerit, & aliqui ei per manus à sancto Concilio redditi sunt. Et judicatum est ei ab universa sancta synodo quod legibus evindicatam habebat suam causam & praefatum monasterium cum omnibus ad se pertinentibus canonicè & legibus conquisitum, & Ecclesiae sibi commissae futuris temporibus suisque successoribus lucratum, & quicquid inde ecclesiastico ordine facere & disponere Domino annuente decreverit, liberam in omnibus habeat potestatem faciendi. Idcirco necesse fuit ut praefatus Episcopus & ministri suae sedis Ecclesiae hoc evindicatum vel hanc notitiam consilio & judicio omnium ad praedictam synodum convenientium Episcoporum & reliquorum sacerdotum acciperent; ut si post hunc diem, quod fieri minimè credimus, de hac causa aliqua causatio vel repetitio vel quaedam calumnia instigantibus malevolis hominibus orta fuerit, coram omnibus haec notitia vel evindicatio declarata appareat, ut quod repetit evindicare non valeat, sed praesens conscriptio omni tempore vel notitia firma & stabilis permaneat. His praesentibus actum fuit. Drogo Archiepiscopus & senior Capellanus subscripsit. Autcarius Archiepiscopus subscripsit. Agobardus Archiepiscopus subscripsit. Bernardus
Barthclomaeus. Archiepiscopus subscripsit. * Bernegarius Narbonensis Archiepiscopus subscripsit. Agiulfus Bituricae urbis Archiepiscopus subscripsit. Notho Arelatensis Archiepiscopus subscripsit. Abtadus Genevensis Episcopus subscripsit. Harimbertus Bajocensis Episcopus subscripsit. Freculfus Lexoviensis Episcopus subscripsit. Theodoricus Cameracensis Episcopus subscripsit. Erardus Tungrensis Episcopus subscripsit. Ragenarius Ambianensis Episcopus subscripsit. Eccardus Noviomacensis Episcopus subscripsit. Ebroinus Pictaviensis Episcopus subscripsit. Gundacher Lemoticinensis Episcopus subscripsit. Ionas Aurelianensis urbis Episcopus subscripsit. Moduinus Ostudunensis Episcopus subscripsit. Heribaldus Altisiodorensis Episcopus subscripsit. Adalbertus Tricacensis Episcopus subscripsit. Dodo Andegavensis Episcopus subscripsit. Herehenradus Parisiacae urbis Episcopus subscripsit. Humbertus humilis Episcopus subscripsit. Fulcarius humilis Episcopus subscripsit. Godofredus Senlitensis Episcopus subscripsit. Favvo Cavilonensis Episcopus subscripsit. Hildi Virdunensis Episcopus subscripsit. Lupus Cadolonensis Episcopus subscripsit. Stephanus humilis Episcopus subscripsit. Vvalafridus Diaconus rogatus recognovi & subscripsi. Data VIII. Idus Septembris anno Christo propitio imperii Domni Hludovici piissimi Augusti XXV. Indictione I. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

Concil. Chalcedon. [margin note beside cap. VIII]

* Barthclomaeus.

LI.

De responsione Hludovici Imperatoris & judicio optimatum suorum contra praecepta quae monachi de monasterio Anisolae attulerunt coram eo, quando contra Aldricum Episcopum de praedicto monasterio in rationes venerunt.

QVando Aquisgrani palatio anno imperii Domni Hludovici piissimi Augusti XXV. coram eo & principibus suis tam ecclesiasticis quam & secularibus in generali conventu querela de monasterio Anisolae & rebus suis inter Aldricum Cenomanicae urbis Episcopum & Sigemundum ejusdem monasterii Abbatem agebatur & diligentius scrutabatur, atque jam dictus Pontifex inter reliqua instrumenta chartarum & praecepta regalia unum praeceptum quod Domnus Karolus facere jussit, sua videlicet propria manu roboratum & anulo suo subter sigillatum, per quod ipse jam dictum monasterium Franconi Episcopi Ecclesiaeque sibi commissae reddidit, & monachi praedicti Sigemundi quoddam praeceptum de electione eorum, ut de semetipsis haberent licentiam eligendi Abbatem, quod dicebant jussu Domni Hludovici piissimi Imperatoris esse conscriptum. Ad quod respondit Domnus Imperator: Si ego hoc praeceptum fieri jussi, nesciebam quòd praedictum monasterium de episcopio Cenomanico esset, & ignorabam quòd pater meus illud ibi per suum praeceptum redderet. Sed quia vos & pares vestri hoc mihi celastis, & per fraudem & malum ingenium facere statuistis, idcirco ipsum praeceptum, quod mihi praecipere fieri dicitis, vestro mendacio infirmatur, quia causa ubi fraus intercedit non valet, sed magis reproba efficitur. Et ideo vestrum praeceptum stare non poterit, quia vestro mendacio & vestra fraude funditus destruitur. Si enim nos unam vobis tantùm electionem concessimus, ipsam citò finitam esse cognoscimus, quia Sigemundus, quem vobis Abbatem elegistis, memoratum monasterium sua culpa perdidit, quia nobis inobediens & infidelis extitit. Haec taliter praedictus Domnus Imperator agens interrogavit cunctos circumstantes quid super hac re eis rectiùs videbatur. Qui respondentes dixerunt tam Episcopi quàm Abbates, sive Comites, & reliqui omnes. Haec posteriora praecepta, quae isti monachi afferunt, non possunt destruere anteriora quae Aldricus Episcopus & Ecclesia sibi commissa habet; sed anterioribus cedendum est, & posteriora, quae fraude & malo ingenio impetrata fuerunt, infirmantur & stare non possunt, quia actio qua in quibuscunque negotiis fraus intercesserit non valebit. Et ut ratione & lege firmentur ea quae testamur, aliqua ex authenticis nostris vobis testimonia indicantes proferimus. Constitutum est à sanctis patribus & bonis Imperatoribus & lege decretum ut quicquid falsa petitio à principe obtinuerit, quia fraus intervenit, non valebit. Item alibi: *Quaecunque contra jus conscripta fuerint non valebunt, quocunque modo fuerint impetrata.* Item alibi: *Qui falsa Principum praecepta detulerint, puniantur.* Item alibi: *Dolus malus est cùm aliter agitur, aliud simulatur.* Item alibi: *Qui dolum vel metum adhibuit ut res ad alium transiret, de doli actione tenebitur.* Item alibi: *Dolus malus est si per falsitatem voluerit quis priùs definita convellere.* Item alibi: *Redinte-*

Paul. lib. 5. sent. tit. 9

L. un Cod. Theodos. de dolo malo in interpr.

te-

tegrandum est à praesentibus judicibus & in ejus unde abcessit potestate revocandum quod quacunque conditione temporis aut dolo, aut captivitate, aut virtute majorum timore faciente deperierit. Item alibi: *Quicquid vera seu falsa petitio a Principe obtinueris, quia fraus intercessit, non valebit.* Magna fraus fuit, quoniam monachi praedicti memoratum monasterium de jure Cenomanicae sedis Ecclesiae esse sciebant, quia non sunt adhuc XXX. anni quòd à Pontificibus memoratae sedis possessum est; & haec calumnites, vobisque mentientes, praecepta sibi sine consensu praedictae sedis Pontificis, cui justè debetur, facere suadebant. Et hoc justum esset, ut si aliquis laicorum hoc fecisset, ut magnum detrimentum sustineret; sed & pro certo judicaretur illi ut capitali sententia puniretur. Sed quia non laici sed jam dicti monachi hoc fecerunt, dignum est ut ita coerceantur ne alii monachi deinceps talia agere praesumant. Propterea nonnulli praefati monasterii monachi cum Sigemundo praedicto eorum Abbate exilio damnati sunt. Et sic confirmatum est saepedictum monasterium Aldrico Episcopo & ejus episcopio, sicut in ejus notum est praeceptis & aliis monumentis chartarum continetur insertum.

LII.

Memoriale qualiter Anisolae monasterium à jure Cenomanicae matris Ecclesiae post obitum Hludovici piissimi Imperatoris alienatum est.

SI quis nosse desiderat qualiter monasterium Anisolae unà cum rebus suis de jure Cenomanicae matris Ecclesiae post obitum Hludovici secundi Francorum Imperatoris elapsum est, in hoc memoriale breviter comprehensum aliquid invenire poterit. Defuncto praescripto domno Hludovico piissimo Augusto anno incarnationis dominicae DCCCXL. magna seditio orta est in imperio suo. Inter cetera autem mala surrexit quaedam tyrannica potestas in pago Cenomanico quae resistere nitebatur Karolo filio ejus, cui praedictus Imperator inter ceteras regiones Neustriam dederat, & suos fideles valde infestabat. Praefatae ergo tirannicae potestati se conjunxit Sigemundus, qui dudum de praefatae Anisolae monasterio Abbas fuerat, & Aldricus Ecclesiae Cenomanicae Episcopus, qui illud monasterium unà cum rebus suis tunc tenuerat, fideliter Karolo seniori suo adhaerebat, & licèt memorata tyrannica potestas eum ad se saepissime vocaret, & firmitatem ei facere vellent qui eam exercebant qualiter ipse quaereret ut diebus vitae illorum suos honores non perderet nec imminutos haberet, sed majores & qualescunque in illa regione peteret adipisceretur, si se illis conjungeret. Sed ille propter haec omnia proposita à praedicto semore suo se non subiliavit; sed inconvolsè fidelis & pro viribus adjutor illi extitit, & propter illum omnia sua dimisit, & eum secutus est per omnia. Cessante verò jam dicta seditione, cepit Karolus Rex praedictus consilium ut memoratos tyrannos aut à jam dictis finibus eiceret, aut eos sibi fideles faceret. ad quos misit optimates suos, vocans eos ad se. Quibus responderunt: Nec ad illum veniemus, nec illi fideles erimus, nisi nobis convictis concedat omnibus vitam & membra & tales honores quales modò tenemus, quocunque modo eos habeamus, inter quos praefatum Sigemundum & monasterium Anisolae cum rebus suis comprehenderit. Videns Domnus Karolus praefatus Rex, propter alias seditiones quae undique grassabantur, sine magno discrimine aliter tunc non posse fieri, consensit petitionibus eorum, & inter reliquos Sigemundo concessit memoratum monasterium habere, & praedicto Aldrico & suae sedis Ecclesiae firmiter promisit illud citò redditurum: & tali occasione memoratum monasterium alienatum est tunc à jure Cenomanicae matris Ecclesiae, non legibus evindicatum, sed tyrannicè alienatum.

LIII. Vertente autem tempore, & praedicto Sigemundo ad memoratum Regem, Domnum videlicet Karolum filium Hludovici Imperatoris, minimè veniente, & facto maximo praelio in pago Altisidiorense inter Karolum & Hlotharium, in quo à Domino Deo & salvatore nostro data est jam dicto Karolo victoria, & eo per partes Cenomanicas remeante, nec tunc memorato Sigemundo ad eum veniente, redditur Kal. Augusti in villa cujus vocabulum est Boon super fluvium Liz in pago Cenomanico à praescripto Domno Karolo legibus praefato Aldrico Episcopo per judicium multorum nobilium & sapientium virorum praedictum Anisolae monasterium cum omnibus ad se pertinentibus; eique ibi Missi boni & strenui dati sunt qui eum & Cenomanicam matrem sibi commissam Ecclesiam legibus revestirent, & plenam ei atque legalem vestituram ex eo futuris temporibus legaliter tenendam facerent. Quod & supradicto praetextu III. Nonas jamdicti mensis factum esse liquet. Et sic falsitas subditur veritati, atque injustè alienata justè restituuntur; quae & hactenus à praefato Episcopo & à suae sedis Ecclesiae ministris legibus possidentur, & canonicè atque regulariter gubernantur.

LIV.

Exemplar Epistolae formatae quam Drogo Archicapellanus & urbis Mediomatricae Archiepiscopus Landramno Turonicae urbis Archiepiscopo canonicè misit ut Aldricum praedictae urbis Mediomatricae Cardinalem Presbyterum atque ejusdem urbis Primicerium suo permissu & jussu Domni Hludovici piissimi Imperatoris Episcopum Cenomanicae matris Ecclesiae ordinaret, sicut in ea habetur insertum. Talis enim est prologus praedictae epistolae venerabili Landramno Archiepiscopo.

VEnerabili in Christo fratri & coepiscopo Landramno Archiepiscopo Drogo in Domino salutem. Auditu comperi quòd Domnus Imperator concessisset Aldrico Presbytero consecrationis nostrae, qui etiam & noster tonsus doctus & Clericus fuit, episcopium Cenomanicae urbis. Sed ille, postea ad nos mittens petiit, sicut debuit, ut ei & ordinatoribus suis tibi atque suffraganeis tuis ad episcopatus culmen ordinandi assensum praebuissem & licentiam tribuissem. Cujus petitioni ita consensi, ut si ipsum per Dei voluntatem & Domni Imperatoris dignum & utilem sanctae Dei Ecclesiae ad hoc officium inveneris, & ita decreveris, quia ipse apud nos probos mores ostendit, licentiam à nobis concessantibus id perficiendi atque ipsum consecrandi habere cognoscas. Oro te valere & omnes fratres, atque memor sis mei in sacris orationibus caritatis tuae.

LV.

Exemplar formatae epistolae quam Drogo Archicapellanus & Mediomatricae urbis Archiepiscopus Aldrico praedictae Mediomatricae urbis Cardinali Presbytero atque ejusdem urbis Primicerio canonicè misit, ut suo consensu & Domni Hludovici piissimi Imperatoris jussu Cenomanicae matris Ecclesiae à suo Archiepiscopo & reliquis comprovincialibus Episcopus ordinaretur, ideo quia populus eum sibi ordinari Episcopum petierat, & ad eum epistolam pro hoc direxerat, ut suo adminiculo & permissu antedictus Aldricus eorum atque jam dictae Ecclesiae Episcopus ordinaretur, canonicè eis direxit epistolam hunc modum continentem.

DIlecto filio Aldrico * vocato Episcopo Drogo indignus Archiepiscopus in Christo sempiternam salutem. Cognoscat dilectio tua mihi placere ea quae tibi divina largitio honoris conferre per imperialem administrationem dignata est. Sed dilectio, tua, ut debuit, ad me misit ut tibi epistolam misissem ad Metropolitanum tuum conscriptam ut ei licentiam

* Vide Notas ad Capitularia pag. 1262.

tri-

tribuissem te ordinandi. Nunc verò, quamquam decentius atque honestius fuisset mihi & tibi ut scripto à te directo iterum scriptis respondissem, tamen ne fortè occasio per me differentem donum tibi divinitus, ut credo, concessum aliquod tibi inferret impedimentum, caritate fretus feci ut petisti. Vnde duas tibi misi epistolas; quarum una ad Metropolitanum tuum est conscripta juxta petitionem tuam, ei retribuendo licentiam; altera verò ad te, ut & tu cognoscas licentiam à nobis tibi attributam & nos potius in augmento honoris tui gaudere quàm ullo modo injuriam tibi aliquam inferre voluisse. Vale semper in Domino, & confortare, memor semper nostri, & fidem quam semper erga nos jure servasti inconvulsam deinceps per caritatem tuam esse rogamus. Iterumque vale.

LVI.

Summa de poleCticis vel plenaris fratrum Cenomanica in urbe Deo servientium, de rebus quas Franco senior & Aldricus eorum Episcopi eis dederunt & testamentis atque praeceptis regalibus confirmaverunt.

DEbent homines fratrum in summa de Vmericia vini modios CCCCII. de pastione vini modios CCLXXI. de hostilense argenti solidos CXLIA. Et debentur VII. multones de pascuario cum lana LXVI. figales XLII. Et debentur II. & de laudatico solidi V. Et debentur X. de carnatico arietes LV. sine lana de lignario solidi XXVI. & debentur IX. de censu sol. CI. de inferenda & de postiarno sive de fenfatico sol. CLXXX. & debentur inde de pastione inter frumentum & figale modii XXXIIII. & sextaria IX. sususo, de avena modii CCCCXLIIII. axilios ad alimannum IIII. L & omni anno scudulas I. CCCC. L.

LVII.

De ejectione Aldrici Cenomanicae urbis Episcopi, & de invasione atque vastatione Cenomanicae matris Ecclesiae unà cum rerum.

DEcedente domno Hludovico Francorum Imperatore secundo, filio videlicet Karoli magni Imperatoris, anno incarnationis dominicae DCCCXL. Indictione III. anno siquidem imperii sui XXVII. surrexit quaedam tyrannica pravitas, inter cetera mala, inter Ligerim & Sequanam, & maximè in pago Cenomanico, in quo Aldricus tunc octavum annum in episcopatus dignitate fulgebat. Et licèt praedictus Imperator inter tres filios suos regna sua divideret, id est, inter Hlotharium & Hludovicum atque Karolum, Hlotharium in media Francia, Hludovicum
*Austria. verò in *Hostria, & Karolum in Neustria & Aquitania collocaret, cetera verò regna & ducatus inter eos, sicut in annalibus eorum continetur, divisa consensu principum suorum partivit. Praefatum autem Pontificem memorato Karolo filio suo minori per manus commendavit. Cui jam dictus Pontifex Aldricus fidem servans debitam, ab infidelibus famulae Dei Ecclesiae & suis à praefata tyrannica potestate in supradicto anno à praescripto episcopio & à sua sede ejectus est; & propterea multa quae in ecclesiasticis & aliis rebus pro amore Dei facere coeperat, imperfecta remanserunt. Nam penè praedictum episcopium tunc vastatum est & quasi ad nihilum redactum. Habebat enim coeptum claustrum Canonicorum & matrem Ecclesiam in media civitate à fundamento unà cum suis porticibus & paradisum inchoatum, & maximam partem ex ea factam, similiter & aedificia monasteriorum quinque, unà cum claustris & ceteris eorum. Habebat quoque ad utilitatem ejusdem Ecclesiae fulciendam & ad pauperes recreandos congregatos greges jumentorum unà cum amissariis amplius quàm octoginta, vaccarum & ovium atque caprarum sive porcorum ampliùs quam ducenta, annonam & fenum ac vinum tam ad opus congregationum hospitumque ac pauperum quàm & ad sibi Ecclesiaeque sibi commissae servientium opus sufficienter. Sed quid ampliùs dicam? Ita habebat fundatum tam in ecclesiasticis quàm & in aliis rebus praedictum episcopium & res sibi commissas qualiter non fuerunt à diebus antiquis, vel à tempore quo alicujus . . . . . . hominis memoria retinetur. Sed haec & reliqua bona innumerabilia à praedictis tyrannis, sive hospitalia septem quae ad pauperes & hospites recipiendos & recreandos fecerat, funditus vastata & diruta sunt. Propter has verò insidias & alias multas haec & alia bona innumerabilia quae facere voluit & coepit in suo episcopio non apparent, quae à Domino illis requirantur à quibus haec subversa & vastata atque prohibita sunt, & non ab illo, qui haec agere & adimplere voluit & prohibitus atque dejectus dimisit. Praescripti ergo tyranni de genere Herivei & Vvidonis superiorum tyrannorum remanserunt.

LVIII.

Synodus habita ab Aldrico in urbe Cenomanica.

IN nomine patris & filii & spiritus sancti. Aldricus indignus Cenomanicae matris Ecclesiae Episcopus omnibus nostrae curae commissis sacris ordinibus & cunctis fidelibus salutem & gloriam sempiternam. Cum in Dei nomine anno incarnationis dominicae DCCCXL. Indictione III. & anno imperii Domni Hludovici piissimi Imperatoris XXVII. anno verò octavo ordinationis praedicti Aldrici Episcopi, quarto videlicet Iduum Maiarum die, synodum omnium sacerdotum ac Levitarum seu reliquorum servorum Dei Cenomanica in urbe praedictus Pontifex coadunaret, post allocutionem & admonitionem sive inquisitionem eorum, coepit jam dictus Aldricus Episcopus unà cum eis, illisque deprecantibus, tractare quid officii unusquisque pro suis confratribus tam pro vivis quàm & pro solutis debitae mortis diligenter ageret, & quid pro praefixo Pontifice & grege utriusque ordinis sibi commisso fideliter adimpleret. Qua de re hoc instinctu divino pariter considerantes tractavimus, simulque inter nos bono animo & pura voluntate decrevimus, ut dum (advixerit,) unusquisque nostri ordinis sacerdos pro praescripto Domno Aldrico Episcopo & pro populo sibi commisso in quarta feria una cum letania & oblationibus Missam decantet, similiter & sexta feria faciat; & qui hoc facere non poterit, quinquaginta psalmos decantet, orantes & supplicantes Dominum caeli ut Deus omnipotens praefixo nostro Pontifici secundum suam voluntatem hanc tribuat degere vitam, & quando ei placuerit, finisque hujus vitae advenerit, caelestis janua ei pateat, & locus sanctorum consortii nobis deprecantibus detur. Amen. Similiter & praefatus Pontifex pro nobis omnibus aut per se aut per aliquem à se commissum est pollicitus agere. Insuper haec tractantes in praescripto Iduum Maiarum die & in jam dicta synodo inter nos decrevimus ut unusquisque nostrum, dum advixerit, pro suis confratribus in anno duodecim cantet Missas cum oblationibus & reliquis orationibus, & quandocumque nostrum unusquisque (decesserit,) Decanus nomina de suis junioribus conscripta in nostra, per singula tempora, synodo deferat, & unusquisque nostrum pro illis Missas compleat duodecim cum oblationibus & reliquis orationibus & vigiliam cum novem psalmis & totidem lectionibus & responsoriis, unà cum matutinalem synaxim fideliter pro defunctis fratribus peragat, & sic hoc faciat sicut vult pro se fieri quando hoc idem ei advenerit, & sicut ante tribunal districti judicis rationem ex hoc reddere voluerit quod hic coram Deo, & coram nostro Pontifice & coram nobis omnibus se facere sponte promisit. Tribuat Dominus omnipo-

potens ut sic inde faciamus ut non damnationem sed plenam retributionem ex his à Domino Deo nostro percipere valeamus, & vitam habere sempiternam valeamus, auxiliante Domino nostro Iesu Christo, qui cum patre & spiritu sancto vivit & gloriatur Deus per omnia secula seculorum. Amen.

LIX. Hæc est missa quæ pro Domno Episcopo & pro omnibus sibi commissis in unaquaque hebdomada, id est, quarta & sexta feria, unà cum letania adimpleri debetur; & post illam subsequitur illa quam pro nobis in invicem canere debemus; & post illam subsequitur illa quam pro fratribus nostris defunctis cantare debemus.

MISSA QVOTIDIANA. V. *Intret oratio mea*.

SAnctae Dei genitricis Mariae ac beatorum Apostolorum sive martyrum tuorum Gervasii & Protasii atque sancti Stephani simulque reliquorum martyrum & confessorum virginumque atque omnium sanctorum tuorum assiduis intercessionibus quaesumus, salvator mundi, Pontificem nostrum Aldricum misericorditer protege, pariterque ei familiaritate atque consanguinitate conjunctos, & omnes sibi commissos utriusque ordinis viros & feminas ab omni pravitate defende, & secundum tuam voluntatem eis vivere tribue, omnemque populum Christianum misericorditer custodi, & animabus famulorum famularumque tuarum omnium tibi commissorum & commissarum atque cunctorum cunctarumque in Christo quiescentium requiem tribue benignus sempiternam, & sanctorum tuorum coetibus consociare digneris propitius. Per Christum &c. *Epistola ad COLOSSENSES*. Fratres, non cessamus pro vobis orantes & postulantes. R. Domine exaudi V. Ne avertas. *Evangelium secundùm Iohannem*. In illo tempore, sublevatis Iesus oculis in caelum dixit: Pater, quos dedisti mihi volo ut ubi ego sum, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante mundi constitutionem. Pater juste, mundus te non cognovit, Ego autem novi te, & hi cognoverunt quia tu me misisti: & notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio qua dilexisti me in ipsis sit, & ego in ipsis. *Offert*. Exaudi Deus. *Secreta*. Oblationis hujus, Domine, placare muneribus, & intercedentibus omnibus sanctis tuis protege pontificem nostrum Aldricum & omnes sibi commissos commissasque, atque omnem populum Christianum à cunctis defende periculis, & animabus famulorum famularumque tuarum omnium tibi commissorum commissarumque atque cunctorum cunctarumque in Christo quiescentium per haec sancta sacrificia remissionem omnium tribue peccatorum, & vitam habere concede sempiternam. *Praefatio*. Verè dignum &c. & tuam clementiam profusis precibus implorare, intercedente beata & gloriosa semper virgine Dei genitrice Maria, sanctisque martyribus tuis Gervasio & Prothasio, sive sancto Stephano, & omnibus sanctis tuis, cunctorum peccatorum veniam Pontifex noster Aldricus consequi mereatur, & eos easque quos & quas ei cura regiminis consociasti, ac familiaritate & consanguinitate junxisti, & omnem populum Christianum angelorum omnium sanctorum tuorum praesidiis tuere, & animas famulorum famularumque tuarum omnium tibi commissorum & commissarum atque cunctorum cunctarumque in Christo quiescentium ut in pacis ac lucis regione constituas deprecamur. Per Christum Dominum nostrum. *Infra actionem*, Hanc igitur oblationem quam tibi pro Pontifice nostro Aldrico atque grege sibi commisso & propinquitate ac familiaritate junctis ei atque pro salute cuncti populi Christiani suppliciter immolamus quaesumus, Domine, ut benignus accipias, & tua pietate concedas, ut & illis proficiat ad salutem hujus pietatis affectus, & animabus famulorum famularumque tuarum omnium tibi commissorum & commissarum atque cunctorum cunctarumque in Christo quiescentium impetret beatitudinem sempiternam, diesque nostros. *Ad communionem*. Amen dico vobis. *Ad complendum*. Purificet, quaesumus, salvator mundi, Pontificem nostrum Aldricum divini sacramenti libatio, & gloriosa sanctae Dei genitricis Mariae atque omnium sanctorum oratio, & gregi sibi commisso ac familiaritate & consanguinitate junctis ei & omni populo Christiano misericordiam tuam ubique praetende, & animabus famulorum famularumque tuarum omnium tibi commissorum & commissarum atque cunctorum cunctarumque in Christo quiescentium remissionem omnium tribue peccatorum & vitam habere concede sempiternam, per &c. *Alia*.

Omnipotens sempiterne Deus, sanctae Dei genitricis Mariae & omnium sanctorum tuorum pia & assidua intercessione Pontificem nostrum Aldricum ubique misericorditer protege & ab omnibus adversitatibus corporis & animae tua potentia defende, commissumque sibi gregem cunctum ad regendum custodi, & omnem populum Christianum conserva, atque illi & omnibus in Christo quiescentibus requiem tribue sempiternam, per &c.

ITEM ALIA MISSA

Quam mutuò praedicti sacerdotes inter se cantare debent.

DEus, qui caritatis dona per gratiam sancti Spiritus tuorum cordibus fidelium infudisti, da famulis & famulabus tuis diversorum coenobiorum & titulorum atque locorum tam sacerdotum & Levitarum quàm & reliquorum fidelium tuorum quorum quarumque memoriam agimus, & quorum quarumque his in titulis scripta continentur vocabula, fratribus ac sororibus & familiaribus nostris salutem mentis & corporis, ut te tota virtute diligant, & quae tibi placita sunt tota dilectione perficiant, per Dominum. *Lectio Hieremiae Prophetae*. Si iniquitates nostrae contenderint contra nos, Domine, libera nos, quaesumus, fac propter nomen tuum, quoniam multae sunt aversiones nostrae. Tibi peccavimus, expectatio Israël es salvator noster, in tempore tribulationis. Tu autem in nobis es, Domine, & nomen sanctum tuum super nos invocatum est. Ne derelinquas nos, Domine Deus noster. *Secundùm Matthaeum*. In illo tempore, dixit Iesus discipulis suis, Petite & dabitur vobis, quaerite & invenietis, pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit &c. *Secreta*. Munera, quaesumus Domine, quae pro nostra & omnium, quorum quarumque memoriam recolimus, & quorum quarumque his in dipticiis nomina continentur inserta, redemptione oculis tuis tuae offerimus majestati placatus suscipe, & ad perpetuam nobis omnibus tribue pervenire salutem, per.

Omnipotens aeterne Deus, imploramus tuae majestatem misericordiae ut nobis & omnibus quorum quarumque recolimus memoriam, & quorum quarumque nomina his in dipticiis continentur inserta veniam largiri digneris peccatorum, ut ab omnibus inimici vinculis liberati, nos toto corde inhaereamus mandatis, & te solum semper tota virtute diligamus, & ad tuae quandoque beatitudinis visionem pervenire mereamur, per Christum.

Hanc igitur oblationem, Domine, quam tibi pro peccatis atque offensionibus nostris, & omnium quorum quarumque agimus memoriam, & quorum quarumque hic continentur inserta vocabula, offerimus, ut cunctorum delictorum remissionem consequi mereamur, quaesumus.

Divina libantes mysteria, quaesumus, Domine, ut haec salutaria sacramenta illis proficiant ad prosperitatem & pacem pro quorum quarumque dilectione haec tuae obtulimus majestati, per Christum.

ALIA.

Da famulis & famulabus tuis quaesumus, Domine, omnibus quorum quarumque memoriam agimus, & quorum quarumque nomina his in dipticiis continentur conscripta, seu etiam ceteris fidelibus utriusque sexus, in tua fide & sinceritate constantiam, ut in caritate divina firmati, nullis tentationibus ab ejus integritate vellantur, per Christum.

Item Missa pro defunctis fratribus & sororibus nostris.

DEus, cujus misericordiae non est numerus, suscipe pro animabus famulorum famularumque tuarum, quorum quarumque memoriam agimus, & quorum quarumque nomina his in dipticiis conscripta esse noscuntur, preces nostras, & lucis eis laetitiaeque regionem in sanctorum tuorum societate concede, per.

Alia.

Deus, cui proprium, est misereri & preces exaudire supplicantium, propitiare animabus famulorum famularumque tuarum diversorum coenobiorum & titulorum quorum quarumque memoriam agimus, & quorum quarumque hic assignata continentur vocabula, ut te miserante à vinculis peccatorum absoluti, ad aeternae beatitudinis requiem pervenire mereantur, per.

Ad Thessalonicenses.

Fratres, nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini sicut & ceteri qui &c.

Secundùm Iohannem.

In illo tempore, dixit Iesus turbis Iudaeorum: Amen amen dico vobis quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei, & qui audierint vivent &c.

Secreta.

His quaesumus, Domine placatus muneribus intende, & quod ad laudem tui nominis supplicantes offerimus, ad indulgentiam omnium quorum quarumque memoriam agimus, & quorum quarumque nomina hic continentur inserta, sive cunctorum fidelium proficiat defunctorum, per.

Deus, qui nobis in Christo unigenito filio tuo Domino nostro spem beatae resurrectionis concedis, praesta quaesumus ut animae pro quibus hoc sacrificium redemptionis nostrae tuae offerimus majestati ad beatae resurrectionis requiem te miserante cum sanctis tuis pervenire mereantur, per Christum.

Hanc igitur oblationem quam tibi offerimus pro animabus omnium quorum quarumque memoriam agimus, & quorum quarumque nomina his in dipticiis conscripta esse noscuntur, seu cunctorum cunctarumque fidelium defunctorum defunctarumque, quaesumus Domine propitiatus accipias, & miserationum largitate tuarum concedas ut quicquid terrena conversatione contraxerunt, his sacrificiis emundetur, ac vinculis mortis absolutae, transitum mereantur ad vitam; diesque nostros &c.

Propitiare, Domine quaesumus omnibus in Christo quiescentibus, & animae famulorum famularumque tuarum, quorum quarumque memoriam agimus, & quorum quarumque nomina his in dipticiis conscripta esse noscuntur, his purgatae sacrificiis indulgentiam pariter & requiem capiant sempiternam, per.

Alia.

Deus cui possibile est omnes homines sine difficultate salvare, tantò benignus animabus famulorum famularumque tuarum diversorum coenobiorum & titulorum quorum quarumque memoriam agimus, & quorum quarumque hic assignata continentur vocabula, misericordiam concede perpetuam quantò eos ad filii tui Domini nostri pertinere gratiam tribuisti, per.

Alia.

Deus vita viventium, spes morientium, salus omnium in te sperantium, praesta propitius ut animae famulorum famularumque tuarum quorum quarumque memoriam agimus, & quorum quarumque nomina his in dipticiis continentur inserta, à nostrae mortalitatis tenebris absolutae in perpetua cum sanctis tuis luce laetentur per Christum.

LX.

Exemplar Precariae de villa Tridente, quam Aldricus Episcopus Bavoni Vasso dominico fecit tempore Hludovici piissimi Augusti.

DOmino sancto ac venerabili basilicae sanctorum Gervasii & Prothasii martyrum quae est constructa infra urbis Cenomanicae civitatem, quam Aldricus Episcopus in dominatione & regimine habere videtur, ejusque congregationi ex ipsa consistenti basilica. Ego enim in Dei nomine Bavo, dum & mea fuit petitio & vestra decrevit voluntas, & per permissionem Domni nostri Hludovici gloriosi Imperatoris villas vestras de ratione ipsius basilicae, cujus vocabula sunt Tridentus & Vintleva, cum omni integritate eorum nobis ad usandum tenere permisistis, in ea verò ratione ut dum ego advivo, tenere & dominare facere debeam, & post meum quoque Deo jubente discessum partibus sancti Gervasii revertere faciatis. Et convenit nobis annis singulis ad festivitatem sancti Martini hibernaticam argenti solidos XXV. transolvere debeam, aut decimam & nonam pleniter persolvam de omni redim; & si negligens aut tardus exinde apparuero, fidem exinde facere debeam, & ipsas villas perdere non debeam, & ut hae precariae uno tenore conscripeae omnique tempore firmae & stabiles permaneant. Actum Cenomanis civitate publicè anno XVIII. regnante Domno Hludovico gloriosissimo Imperatore IX. Kal. Maias S. Bavonis Vassi dominici, qui hanc precariam fieri rogavit. S. Vviddonis. S. Vul. S. Hervei. S. Serilonis. S. Berilonis. S. Ebrulfi Vicarii. Hercheus. S. Adalberti Gislarnis. S. Adalgysi. S. Godofridi. S. Iacobi. Deusdet subscripsit. Bobilo Subdiaconus scripsit & subscripsit.

LXI.

Exemplar Praecepti Domni Hludovici piissimi Imperatoris de villa Tridente, quod fecit praedictus Imperator Cenomanicae matri Ecclesiae & Aldrico ejusdem urbis Episcopo.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Augustus. Si fidelium nostrorum justas & rationabiles petitiones ac postulationes, quas pro utilitate & exaltatione sanctae Dei Ecclesiae exposcunt, ad optatum affectum perducimus, non solum regiam atque imperialem consuetudinem in hoc exercemus, sed etiam eos nobis promptiores, ut credimus, atque devotiores facimus. Idcirco omnibus fidelibus sanctae Dei Ecclesiae & nostris praesentibus scilicet & futuris notum esse volumus quia Bavo Vassallus noster nobis innotuit quòd quandam villam

lam sitam in pago Cenomanico nomine Tridentem de jure Cenomanicae matris Ecclesiae per nostrum beneficium possideret, de qua per singulos annos nonas & decimas & legitimos census partibus praefatae matris Ecclesiae & ejusdem rectoribus persolveret. Qua de re memoratus Bavo pertractans casum fragilitatis humanae, & pavescens ultimum vocationis diem, timensque ne praefata ville aliquo cupiditatis suae stimulo vel quolibet ingenio à jure praefatae matris Ecclesiae alienata fieret, idenque divino fervens amore, adiit clementiam nostram suppliciter deprecans ut memoratam villam nomine Tridentem cum omnibus ad se pertinentibus partibus praedictae Cenomanicae matris Ecclesiae & Aldrico ejusdem urbis venerabili Pontifici praesentalitèr nostra imperiali auctoritate redderemus, & hanc redditionem per nostrum praeceptum futuris temporibus firmius eidem Ecclesiae suisque rectoribus possidendam confirmassemus. Cujus petitionem ob amorem Dei & reverentiam ejusdem sancti loci servorumque Dei mihi famulantium libenter audivimus, & deprecationem ac pium desiderium ejus ad optatum effectum adimplere dignum duximus. Quapropter per hoc nostrae auctoritatis scriptum statuentes decernimus atque jubemus ut quemadmodum saepedictus Bavo fidelis noster memoratam villam cum omni integritate, sicut illa sub nostrae jure potestatis, quando à largitione nostra ipsum beneficium accepisse constat, pro emolumento animae nostrae & stabilitate imperii nostri memorato venerabili Aldrico Episcopo ad patrem praescriptae Ecclesiae suae praesentaliter reddidimus, ut in perpetuum in utilitates & ejusdem Ecclesiae Episcopi Deoque in ea deservientium permaneat. Idcirco suggerentibus atque humiliter postulantibus praedictis fidelibus nostris, memorato videlicet Aldrico Episcopo & Bavone vasallo nostro, hoc nostrae confirmationis atque redditionis praeceptum saepedicto Aldrico Episcopo vel ad partem jam dictae urbis fieri jussimus, per quod decernimus atque jubemus ut nullus sub ditione imperii nostri degens ullo unquam tempore de praedicta villa vel de omnibus ad eam pertinentibus in quibuscunque pagis vel locis saepedicto Aldrico Episcopo suisque successoribus ullo unquam tempore inquietudinem facere aut quamlibet calumniam ingerere praesumat; sed liceat ei & successoribus ejus quieto ordine memoratam villam cum omnibus locis & territoriis sive mancipiis & cum omnibus ad se pertinentibus jure ecclesiastico tenere & possidere, & quicquid pro oportunitate & commoditate praefatae sedis Ecclesiae exinde facere decreverint, liberam in omnibus habeant futuris temporibus potestatem faciendi. Et ut haec nostrae redditionis auctoritas perpetuam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, & de anulo nostro sigillari jussimus.

Signum Hludovici serenissimi Imperatoris.

Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi.

Data IX. Kalend. Maias anno Christo propitio XXV. imperii Domni Hludovici piissimi Augusti, Indictione prima.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

LXII.

Exemplar Precariae de Fraxinedo & sancto Georgio in condita Sagonense vel de aliis villis sancti Gervasii quarum vocabula in ea habentur inserta, quas Vulfingus tenet, quam ei Gauziolenus Episcopus fecit primo anno regni Pipini Regis.

DOmino sancto ac venerabili basilicae sancti Gervasii & Prothasii infra urbis Cenomanicae civitatem constructae, ubi Gauziolenus Episcopus praeesse videtur, ejusque congregationi ex ipsa consistentia. Ego enim in Dei nomine Vulfingus, dum & cognitum est qualiter Domnus noster Pipinus gloriosus Rex villas de sancto Georgio, sancto Gervasio, Fraxinedo, Flexobracciale, Aciago vel sancto Georgio cum appendiciis suis, Aloniaco Longa silgaria, Camiaico, Mundarias, ad ipsam Ecclesiam reddere jussit, & postea per verbum Domno nostro Pipino mea fuit petitio, & vestra decrevit voluntas, ut ipsa locella per vestra beneficia ad usus fructuario ordine mihi tenere permisistis, id est, cum mansis, casis, domibus aedificiis, mancipiis, accolabus, libertis, terris, vineis, silvis, pratis, & pascuis, vel quantum ad ipsa loca aspectum esse videtur, dum ego advivo pro vestro beneficio mihi licet tenere & dominare. Et spondimus vobis ut pro indicio ipsius sancti Gervasii vel vestro non sit annis singulis ad festivitatem sancti Martini illam hibernaticam argento libra una ad parte sancto Gervasio aut rectoris Ecclesiarum transolvere faciam: & si negligens aut tardus de ipso censo ad ipso placito fuero, fidem exinde facere debeam, & ipsam rem, dum ego advivo, perdere non debeam, & post meum quoque Deo jubente discessum ipsa locella cum eorum soliditate ad se pertinentis vel aspicientis vel quicquid ibidem attrahere vel immeliorare potuero, vel quantumcunque tunc temporis ibidem inventum fuerit, vos rectores sancti Gervasii sine ulla judicis consignatione aut heredum meorum contradictione in vestram faciatis revocare dominationem & potestatem ad faciendum quod volueritis, & haec precaria, ac si semper per quinquennium renovata fuisset, firma permaneat. Actum Cenomanis civitate in anno primo regni Domni nostri Pipini gloriosi Regis. Signum Vulfingo, qui hanc precariam fieri rogavit. S. Fulcoberti. S. Sichardi. S. Vildeni. Salomano rogatus subscripsit. Aiglibertus subscripsit. S. Vuamarredi. S. Giboleni. Bertobodus subscripsit. Beraldus scripsit & subscripsit.

Anteriorum Episcoporum authentica, & precariae infrascriptarum villarum in archivo Cenomanicae matris Ecclesiae conservantur, & propter prolixitatem operis in hac scedula non sunt inserta.

LXIII.

Exemplar Precariae quam Franco Episcopus Germundo fecit de villa Fraxinedo, Flexobrachiale, Aciaco, sancto Georgio in condita Sagonense, cum appendiciis suis, & alaunaco, seu longua filcaria, & Camiaco, atque Mundarias, cum omnibus ad se pertinentibus.

DOmino sancto ac venerabili basilicae sancti Gervasii & Prothasii martyris infra urbis Cenomanicae civitatem constructae, ubi Franco Episcopus praeesse videtur, ejusque congregationi ex ipsa Ecclesia consistenti. Ego enim in Dei nomine Germundus, dum & cognitum est qualiter Domnus Karolus gloriosus Rex villas sancti Gervasii, Fraxinedo, Flexobrachiale, Aciaco, vel sancto Georgio cum appendiciis suis, Aloniaco, Longua filcaria, Camiaco, Mundarias, ad ipsam Ecclesiam reddere jussit, & postea per verbum Domno nostro Karolo glorioso Regi mea fuit petitio, & vestra decrevit voluntas, ut ipsa locella pro vestro beneficio ad usus fructuario ordine mihi tenere permisistis, id est, cum mansis, casis, domibus, aedificiis, mancipiis, accolabus, libertis, terris, vineis, silvis, pratis, & pascuis, & quantum ad ipsa loca aspectum esse videtur, dum ego advivo pro vestro beneficio mihi liceat tenere & dominari; & spondimus vobis ut pro indicio ipsius sancti Gervasii vel vestro non sit annis singulis ad festivitatem sancti Martini illa hibernatica argenti libra una vobis ad partem sancti Gervasii & rectoris Ecclesiarum transsolvere faciam, aut decimam aut nonam ex omni reditu pleniter persolvam; & si negligens aut tardus exinde apparuero ad praedictum placitum, fidem exinde facere debeam, & ipsas res, dum ego advivo perdere non debeam, & post meum quoque Deo jubente discessum ipsa lo-

locella cum eorum soliditate ad se pertinentis vel aspicientis, vel quicquid ibidem attrahere vel immeliorare potuero, vel quantumcunque tunc temporis ibidem inventum fuerit, vos aut rectoris sancti Gervasii sine ullius judicis consignatione aut heredum meorum contradictione in vestram faciatis revocare dominationem & potestatem ad faciendum quod volueritis, & haec precaria, ac si semper per quinquennium renovata fuisset, firma & stabilis permaneat. Actum Cenomanis civitate in anno XXXI. regnante Domno nostro Karolo glorioso Rege, in mense Martio. S. Germundi, qui hanc precariam fieri rogavit. S. Fulcoberti. S. Sichardi. S. Vuildoni. Haifredus subscripsit. Salomon rogatus subscripsit. Aiglibertus subscripsit. Vuanafredus Gibolomus subscripsit. Bertobodus subscripsit. Bavo subscripsit. Ebtardus subscripsit. S. Vultadi. Salaardus subscripsit. Vualtarius subscripsit. S. Frumaldi. S. Leuberti. Beraldus scripsit & subscripsit.

LXIV.

Exemplar Precariae de villa quae vocatur Mansiones in condita Diablentica, quam Merolus Episcopus Vuiliberto fecit.

DOmino sancto ac venerabili basilicae sancti Vincentii martyris quae est constructa extras muro Cenomanis civitatis, quam Merolus Episcopus in dominatione & in regimine habere videtur. Ego enim in Dei nomine Vuilibertus, & mea fuit petitio & vestra voluntas decrevit, & per jussionem Domini nostri Karoli gloriosi Regis villa vestra de ratione monasterii sancti Vincentii quod situm est extra urbem, cujus vocabulum est ad Mansiones, cum omni integritate & appendiciis in vicaria Diablentica nobis ad usitandum tenere permisistis, in ea verò ratione ut dum ego advivo tenere & dominari facere debeam, & post meum quoque Domino jubente discessum partibus sancti Vincentii monasterii revertere faciatis. Et convenit nobis annis singulis ad festivitatem sancti Martini hibernaticam de argento solidos decem transsolvere debeam, aut decimam & nonam pleniter persolvam de omni reditu, & si negligens aut tardus exinde apparuero, fidem facere exinde debeam, & jam dictam villam perdere non debeam, sed haec precaria, ac si semper per quinquennium renovata fuisset, firma & stabilis permaneat. Actum Cenomanis civitate in anno XXXII. regnante Domno nostro Karolo glorioso Rege in mense Aprili. S. Vuiliberti, qui hanc precariam firmare ac fieri rogavit. S. Maginardi. S. Barivei. S. Girberti. S. Enigrimi. S. Adalberti. Bavo subscripsit. Gedeon subscripsit. Ebtardus subscripsit. S. Raginfredi. Iacob subscripsit. S. Bartaldi. S. Amalberti. S. Ioachim. S. Bosleni. Versinus Diaconus scripsit & subscripsit.

LXV.

Exemplar Precariae quam Merolus Episcopus Vuiliberto de cella sancti Frambaudi fecit.

DOmino sancto ac venerabili basilicae sanctorum martyrum Gervasii & Prothasii quae est constructa infra urbem Cenomanis civitatem, quam Merolus Episcopus in dominatione, & in regimine habere videtur, ejusque congregationi in ipsa basilica consistenti. Ego enim in Dei nomine Vvilibertus, dum & mea fuit petitio & vestra decrevit voluntas, & per jussionem Domini nostri Karoli gloriosi Regis monasteriolum vestrum de ratione praedictae basilicae, cujus vocabulum est ad cellam sancti Frambaldi, in vicaria Gabronensa, cum omni integritate sua vel appendiciis nobis ad usandum tenere permisistis, in ea verò ratione ut dum ego advivo tenere & dominari facere debeam, & post meum quoque Deo jubente discessum partibus sancti Gervasii revertere faciatis. Et convenit nobis annis singulis ad festivitatem sancti Martini hibernaticam de argento solidos sex transsolvere debeam; & si negligens aut tardus exinde apparuero, fidem exinde facere debeam, & ipsum monasteriolum perdere non debeam, sed hae precariae uno tenore conscriptae omnique tempore firmae & stabiles permaneant. Actum Cenomanis civitate anno XXXII. regnante Domno Karolo gloriosissimo Rege, IX. Kal. Maias. S. Vviliberti, qui hanc precariam fieri & firmare rogavit. S. Gedeonis. S. Gripponis. S. Gauzberti. S. Ragemberti. S. Audulfi. S. Gheldulfi. S. Bruceleni. Ionas subscripsit. S. Vvaran. S. Gulfaldi. Bavo Diaconus scripsit & subscripsit.

LXVI.

Exemplar Precariae quam Merolus Episcopus Vviliberto fecit de Belsaido in canonico, & de Senmuro, & Ingranda, & Vrvillare, & Fontanas, & Monasteriolum, & Bragolium, cum eorum appendiciis.

DOmino sancto & venerabili basilicae sanctorum Gervasii & Prothasii martyrum infra urbem Cenomanis civitatem constructae, ubi Merolus Episcopus praeesse videtur, ejusque congregationi in ipsa Ecclesia consistenti. Ego enim in Dei nomine Vvilibertus, dum & cognitum est qualiter Domnus Karolus gloriosus Rex Villam sancti Gervasii Belsaidum vicum publicum cum suis appendiciis, & Senmurum, & Ingrandam, & vivillare, sive Fontanas, & Monasteriolum, & Bragolium, sive Auciacum vicum publicum, cum omni integritate vel eorum appendiciis ad jam dictam Ecclesiam reddere jussit, & postea per verbum Domno nostro Karolo glorioso Regi fuit petitio, & vestra decrevit voluntas; ut ipsa locella per vestrum beneficium ad usum fructuarium ordinem mihi tenere permisistis, id est, cum mansis, casis, domibus, aediticiis, mancipiis, accolabus, libertis, terris, vineis, silvis, pratis, & pascuis, vel quantum ad ipsa loca aspectum esse videtur, dum ego advivo per vestrum beneficium mihi liceat tenere & dominari. Et spondimus vobis ut pro indicio ipsius sancti Gervasii vel vestro non sit annis singulis ad festivitatem sancti Martini hibernaticam argenti libram unam & dimidiam vobis ad partem sancti Gervasii & rectoris Ecclesiarum transsolvere faciam, aut decimam & nonam ex omni redditu pleniter persolvam; & si negligens aut tardus exinde apparuero ad praedictum placitum, fidem exinde facere debeam, & ipsas res, dum ego advivo, perdere non debeam, & post meum quoque Deo jubente discessum ipsa locella cum omni soliditate ad se pertinentes vel aspicientes, vel quicquid ibidem attrahere vel immeliorare potuero, vel quantumcunque tunc temporis ibidem inventum fuerit, vos aut rectores sancti Gervasii sine ullius judicis consignatione aut heredum meorum contradictione in vestram faciatis revocare dominationem & potestatem ad faciendum quod volueritis, & hae precariae, ac si semper per quinquennium renovatae fuissent, firmae & stabiles permaneant. Actum Cenomanis civitate publicè anno XXIX. regnante Domno Karolo glorioso Rege in mense Maio. S. Vviliberti, qui hanc precariam fieri & adfirmare rogavit. S. Hervich. S. Adalulfi. S. Osberti. Boso subscripsit. S. Vvedranni. S. Troduini. S. Gehrei. S. Ramestani. Bavo subscripsit. Eptardus subscripsit. Salahardus subscripsit. S. Amalberti. Beraldus subscripsit. S. Pharamundi. Vinueradus Diaconus scripsit & subscripsit.

Anteriorum Episcoporum authentica & precariae infrascriptarum villarum in archivo Cenomanicae matris Ecclesiae conservantur, atque propter prolixitatem operis in hac scedula non sunt inserta.

LXVII.

LXVII.

Exemplar Epistolae quam Domnus Hludovicus Imperator Elisacharo Abbati suaque Misso misit, ut beneficia & res in ea scriptas Aldrico Episcopo vel suis Missis consignaret, & suum episcopium imperiali auctoritate ex eis pleniter revestiret.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Augustus Aldrico venerabili Episcopo & fideli nostro salutem. Noverit tua industria quia missus tuus nostram adiit praesentiam innotescens quòd quidam vassalli nostri, Ghermundus, Vulfardus, Berchadus, Bodo & socius suus, beneficia ex tuo episcopio habent quae olim per precarias inde alienata fuerant. Qua de re volumus ut tu nostra auctoritate recipias usque ad nostram praesentiam, & de nostra fidelitate magnam curam semper habeas, sicut hactenus te habere cognovimus. Nam memoratus missus tuus nostram deprecatus est pietatem ut aliquem Missum tibi dederimus qui praedictas res tibi Ecclesiaeque tibi commissae consignaret & vestituram legitimam faceret. Qua de re Helisacharo Misso nostro praecepimus ut de supradictis beneficiis tibi vestituram faciat quando illas in partes à nobis directas fuerit. Volumus etiam ut quàm citiùs poteris missum tuum bene fidelem ad nos dirigas, qui nos certos faciat qualiter erga vos & reliquos fideles nostros modò agatur, & quid de illis causis factum quas vobis agere praecepimus. Bene vale, & ora pro nobis.

LXVIII.

Exemplar Praecepti Domni Hludovici piissimi Imperatoris de quibusdam beneficiis vassallorum suorum, id est, Germundi, Vulfardi, Berchadi, Bovonis, & socii ejus, quae praedictus Imperator reddidit & confirmavit Cenomanicae matri Ecclesiae & Aldrico ejusdem Ecclesiae Episcopo.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Augustus. Si precibus sacerdotum, quando pro suis vel Ecclesiarum sibi commissarum necessitatibus aliquid intimare voluerint, aurem libenter accommodamus, eorumque justas ac rationabiles petitiones ac postulationes ad operum effectum pervenire facimus, non solum regiam atque imperialem consuetudinem in hoc exercemus, sed etiam eosdem sacerdotes ad Domini misericordiam pro nobis exorandam promptiores atque devotiores facimus. Idcirco notum fieri volumus omnium fidelium nostrorum tam praesentium quàm & futurorum industriae quia Aldricus venerabilis Cenomanicae urbis Episcopus accedens ad aures nostrae pietatis retulit nobis de quibusdam beneficiis quae ante complures annos de jure suae sedis cum appendiciis eorum fuissent subtracta & ad publicum nostrum redacta quae modò Ghermundus, Berthadus, Vulfardus, Bodo, & socii ejus vassalli nostri in beneficium data possident, & sic praecedenti tempore de manibus rectorum praedictae urbis memoratorum vassallorum beneficia cum appendiciis & omnibus ad se pertinentibus elapsa esse. Sed cùm nos ad rei veritatem diligentius investigandam fideles Missos nostros Helisacharum venerabilem Abbatem & Vvidonem Comitem mitteremus, renuntiaverunt nobis per omnia ita verum esse. Cumque eorundem relatione praedictorum vassallorum beneficia non ad publicum nostrum sed ad jus praefatae Cenomanicae Ecclesiae juste pertinere cognovissemus, complacuit clementiae nostrae suprascriptorum vassallorum beneficia cum omni integritate, quemadmodum ipsos ea per singula loca à largitione nostra accepisse constat, pro emolumento animae nostrae memorato venerabili Aldrico Episcopo ad partem praedictae Ecclesiae suae reddere, ut perpetuò in utilitates & usus ejusdem Ecclesiae Deoque in ea deservientium permaneat. Idcirco suggerente atque rogante praedicto venerabili Episcopo hanc nostrae confirmationis atque redditionis praeceptionem ei vel ad partem praedictae urbis fieri jussimus; per quam decernimus atque jubemus ut nullus fidelium nostrorum de jamdictis beneficiis vel de his omnibus quae ad praedictorum vassallorum nostrorum, quibuscunque in locis consistant, beneficia pertinere noscuntur, memorato Aldrico venerabili Episcopo sive successoribus ejus ullo unquam tempore inquietudinem facere aut quamlibet calumniam ingerere praesumant, sed liceat ei & successoribus ejus quieto ordine memorata loca cum omnibus ad se pertinentibus jure ecclesiastico tenere & possidere, & quicquid pro opportunitate & commoditate praefatae Ecclesiae exinde facere decreverint, liberam in omnibus habeant potestatem faciendi. Et ut haec auctoritas nostra perpetuam obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus, & de anulo nostro jussimus sigillari.

Signum Hludovici piissimi Imperatoris.

Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi.

Data VIII. Kal. Iulias anno Christo propitio XXII. imperii Domni Hludovici piissimi Imperatoris, Indictione XIII.

Actum Stramiaco supra fluvium Rhodanum in Dei nomine feliciter. Amen.

LXIX.

Concordia Bethtae cum monasterio sancti Vincentii.

DVm cognitum est quòd Bethta Deo sacrata portione aliqua in locella nuncupantia Soliaco, Mansione, villam Bariaco, seu & Brisciino, quam filius suus Ermenfredus quondam moriens dereliquit, & ad ipsam legibus obvenit, per vinditionis titulum ad basilicam sancti Vincentii Cenomanis civitate vindicat, & accipit exinde in pretium, quod & benè complacuit atque convenit, hoc est, auri solidos probos, optimos, atque pensantes numero ducentos. Quò veniens venerabilis frater Patuinus Praepositus de ipso monasterio unà cum vinditione ipsa, in privata conlatione ipsa protulit ad relegendum, dum inter se intenderent, (Hi sunt, Berthofridus, Dodo unà cum conjuge sua Eudilane vel Bertholanda cum infantibus suis his nominibus Adumaro & Iohanne.) chartam ambagibalem ibidem praesentabant quam Bethta ad ipsos infantes suos fecerat, ubi habebat insertum, dum advivebat, & in partes duas Leogiliso quondam conjuge suo quàm & suam tertiam ad usum tenuerit, & post suum discessum ad jam dictos infantes suos tam illas duas partes quàm & suam tertiam in eorum reciperent dominatione, cum inter se intenderent, mediantibus bonis hominibus ad pacis concordiam visi sunt eos revocasse. Convenit inter ipsos quòd illa quarta parte quam Ermenfredo quondam in Mansiones debitum erat memorati infantes Berthofredo, Dodo una cum conjuge sua Eodilane vel Bertholanda contra venerabile fratre Patuino Praeposito vel ipso monasterio, quantumcunque ibidem habere videntur, omni tempore habeant evindicatum, & reliquo verò tam in Soliaco quàm in Bariaco seu & in Brisceino quicquid Ermenfredo quondam obvenire debuit, vel quantum per vinditionis titulum memorata Bethta sive jam Noberta ad memorata basilica delegata contra ipso Berthofredo & Dodone unà cum conjuge sua Eodilane necnon & Bertolandane, tam terris, casis, mancipiis, domibus, aedificiis, accolabus, pratis, pascuis, vineis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, mobile & immobile, junctis & subjunctis, vel omni suprapposito, quantumcunque in jam dicta locella Ermenfredo quondam habere debuerat, pars monasterii sancti Vincentii vel ejus rectores contra ipsos homines superiu-

riu-

riùs commemoratos aequali lance dividere debent. Vnde convenit ut tres epistolas uno tenore conscriptas inter se fieri & accipere deberent, quod & ita fecerunt, ut oullus contra parem suum de istis convenientis se remotare oon posset; quòd in hoc facere praesumpserit, partem suam à pare suo amittat, & insuper fisco sociante auri libras decem argenti pondo vigenti coactus exolvat, & nec sic quod reperit vindicare non valeat, & has epistolas, quas in iovicem bona voluntate fecerunt, cum stipulatione intraposita firmas & inviolabiles omni tempore valeant perdurare. Actum Soliaco in rem ipsam in anno XI. regni Domni Theodorici gloriosi Regis, quod fecit praesens mensis Octobris dies XIS. Dodo subscripsit. S. Eodilane conjuge sua. Berthosredus subscripsit. S. Bertolandane germana eorum, qui hanc epistolam fieri rogaverunt. Derriceus Abbas subscripsit. Beoraldus in Dei nomine Abbas subscripsit. Aiglimanus subscripsit. Iohannes subscripsit. Salico subscripsit. Cadolo Sidonianis subscripsit. Bertholandus subscripsit. S. Vvitdoni. S. Turpaldo. Bavo subscripsit. Landulfus subscripsit. Odricus subscripsit. Caldobertus recognovi & subscripsi.

Anteriorum Episcoporum authentica & precariae infra scriptarum villarum in archivo Cenomanicae matris Ecclesiae conservantur, & propter prolixitatem operis in hac scedula non sunt inserta.

LXX.

Precaria de Villa Califamen quam fecit Aldricus Cenomanicae sedis Episcopus Agberto vasso dominico tempore Hludovici piissimi Augusti.

DOmino sancto ac venerabili basilicae sanctae Mariae semper virginis sanctorumque martyrum Gervasii & Prothasii quae est constructa infra muros Cenomanis civitatis, quam Aldricus Episcopus in dominatione & regimine habere videtur, ejusque congregationi ex ipsa consistenti. Ego enim in Dei nomine Agbertus, dum & mea fuit petitio, & vestra decrevit voluntas, villam vestram de ratione ipsius basilicae, cujus vocabulum est Califamen, eum omni integritate nobis ad usandum tenere permisistis, in ea verò ratione ut dum ego advivo tenere & dominari debeam, & post meum Deo jubente discessum partibus sanctae Mariae & sancti Gervasii sanctique Prothasii revertere faciatis; & convenit nobis ut annis singulis ad festivitatem sancti Martini hibernaticam argenti solidos XXV. transsolvere debeam, aut decimam & nonam pleniter persolvam de omni reditu, & si negligens aut tardus exinde apparuero, fidem exinde facere debeam, & ipsam villam perdere non debeam. Et ut hae precariae uno tenore conscriptae omni tempore firmae & stabiles permaneant, manu nostra & aliorum nobilium nostrorum subterfirmandas esse decrevimus. Actum Pictavis civitate publicè anno XXVII. imperii Domni Hludovici piissimi Augusti IX. Kal. Februarias. S. Agberti qui hanc precariam fieri ac firmare rogavit. S. Ragenarii Comitis palati. S. Gauzelini mansionarii. S. Ragenaldi Comitis. S. Ramnulfi Comitis palatii. Girbertus Comes signavit. S. Vvalfredi Comitis. S. Vvalfredi Comitis. Eberardus Comes signavit. Emino Comes signavit. Radulfus vassus dominicus signavit. Gauziolenus vassus dominicus signavit. Rotgarius vassus dominicus signavit. Isaac vassus dominicus signavit. Immo vassus dominicus signavit. Vvarnarius Diaconus scripsit & subscripsit.

LXXI.

Exemplar Praecepti Domni Hludovici piissimi Imperatoris de villa Califamen, quod fecit praedictus Imperator Cenomanicae matri Ecclesiae & Aldrico ejusdem urbis Episcopo.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Augustus. Si fidelium nostrorum justas & rationabiles petitiones ac postulationes quas pro utilitate & exaltatione sanctae Dei Ecclesiae exposcunt, ad optatum effectum perducimus, non solum regiam atque imperialem consuetudinem in hoc exercemus, sed etiam eos nobis promptiores, ut credimus, atque devotiores facimus. Idcirco omnibus fidelibus sanctae Dei Ecclesiae & nostris praesentibus & futuris notum esse volumus quia Agbertus Comes & Ostiarius atque Consiliarius noster nobis innotuit quòd quandam villam sitam in pago Cenomanico nomine Califamen de jure Cenomanicae matris Ecclesiae per nostrum beneficium possideret, de qua per singulos annos nonas & decimas atque legitimos census partibus praefatae matris Ecclesiae & ejusdem Ecclesiae rectoribus persolveret. Qua de re memoratus Agbertus pertractans casum fragilitatis humanae, & pavescens ultimum vocationis diem, timensque ne praefata villa aliquo cupiditatis suae stimulo vel quolibet ingenio à jure praescriptae matris Ecclesiae alienata fieret, ideoque divino fervens amore, adiit clementiam nostram suppliciter deprecans ut memoratam villam nomine Califamen cum omnibus ad se pertinentibus partibus praedictae Cenomanicae sedis Ecclesiae & Aldrico ejusdem urbis venerabili Episcopo praesentaliter nostra imperiali auctoritate redderemus, & hanc redditionem per nostrum praeceptum futuris temporibus firmius eidem Ecclesiae ejusque rectoribus possidendam confirmaremus. Cujus petitionem ob amorem Dei & reverentiam ejusdem sancti loci servorumque Dei inibi Domino famulantium libenter audivimus, & deprecationem ac pium desiderium ejus ad optatum effectum perducere dignum duximus. Quapropter per hoc nostrae auctoritatis praeceptum statuentes decernimus atque jubemus ut quemadmodum saepedictus Agbertus fidelis noster memoratam villam cum omni integritate, sicut illa die sub jure nostrae potestatis erat quando à largitione nostra ipsum beneficium accepisse constat, pro emolumento animae nostrae & stabilitate imperii nostri memorato venerabili Aldrico Episcopo ad partem praescriptae suae sedis Ecclesiae praesentaliter reddidimus, ut in perpetuo in utilitates & usus ejusdem Ecclesiae Deoque in ea deservientium permaneat. Idcirco suggerentibus atque humiliter postulantibus praedictis fidelibus nostris, memorato videlicet Aldrico venerabili Episcopo & Agberto jamdicto fideli nostro, hoc nostrae confirmationis atque redditionis praeceptum saepedicto Aldrico Episcopo vel ad partem jam dictae urbis fieri jussimus, per quod decernimus atque jubemus ut nullus sub ditione imperii nostri degens ullo unquam tempore de praedicta villa vel de omnibus ad eam pertinentibus in quibuscunque pagis vel locis saepedicto Aldrico Episcopo suisque successoribus ullo unquam tempore inquietudinem facere aut quamlibet calumniam ingerere praesumat: sed liceat ei & successoribus ejus quieto ordine memoratam villam cum omnibus locis & territoriis sive mancipiis & cum omnibus ad se pertinentibus jure ecclesiastico tenere & possidere, & quicquid pro opportunitate & commoditate praefatae sedis Ecclesiae exinde facere decreverint, liberam in omnibus habeant futuris temporibus potestatem faciendi. Et ut haec nostrae redditionis auctoritas perpetuam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, & de anulo nostro sigillari jussimus.

Signum Hludovici serenissimi Imperatoris.

Ma-

Maginarius Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi.

Data XVI. Kal. Decembris anno Christo propitio xxvi. imperii Domni Hludovici piissimi Augusti, indictione secunda.

Actum Pictavis civitate publicè in Dei nomine feliciter. Amen

LXXII.

Exemplar Praecepti Domni Hludovici piissimi Augusti quod precante Aldrico Episcopo fieri jussit quando ei concessit ut haberet suum oeconomum qui pro illo secundum jussionem suam gereret exteriores curas & regalia servitia, & itinere faceret, & praedictus Pontifex sua in parrochia resideret, & suum ministerium absque impedimento adimplere curaret, & reliqua sicut in eo continentur inserta.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Augustus. Si Sacerdotum Dei justis & rationabilibus petitionibus aurem libenter accommodamus, easque ad optatum effectum perducimus non solùm regiam & imperatoriam exercemus consuetudinem, sed etiam eosdem pro nostris excessibus Domini misericordiam caorandos devotiores promptioresque facimus, atque per hoc immensam Dei misericordiam faciliùs nobis conciliandam esse confidimus. Idcirco notum esse volumus omnibus fidelibus sanctae Dei Ecclesiae & nostris praesentibus scilicet atque futuris quia Aldricus venerabilis Cenomanicae urbis Episcopus innotuit celsitudini nostrae quòd multa ex his quae in sua parrochia agere debebat, & ad suum ministerium pertinebat, propterea quòd jam assiduè in nostro servitio vel etiam nobiscum detentus tamdiu commorabatur, neglecta erant tam in praedicatione seu confirmatione atque doctrina quàm & in restauratione Ecclesiarum, vel pravorum hominum correctione, sive in aliis atque in aliis Ecclesiae sibi commissae utilitatibus, & cleri vel populi necessitatibus. Innotuit etiam quod mater Ecclesia infra praedictam civitatem à multis temporibus constructa propter maceriarum imbecillitatem quotidie ad casum se praeparabat, quam ideo à novo fundare & in meliorem statum & locum aedificare se velle dicebat. Lacrymabili quoque vultu coram nobis & fidelibus nostris asserebat quòd si aliter ad suum peragendum ministerium otium à nobis impetrare non posset, magis vellet honores sibi conlatos dimittere quàm clerum & populum sibi commissum negligere, & propterea in perditionem, quod absit, incidere. Quapropter humiliter deprecatus est nostram clementiam ut liceret ei juxta canonicam auctoritatem habere oeconomum qui pro illo exteriores curas gereret, & nostra servitia atque itinera, prout melius posset, sua vice faceret, & praedictus Episcopus ad ea quae Dei sunt intenderet & ad suum ministerium perficiendum certaret. Deprecatus est etiam ut si in proprio clero & in sua parrochia talem oeconomum qualem volebat, aut qualem necesse erat, sibique secundùm canonum institutionem per omnia obedientem invenire minimè posset, ut haberet licentiam undecunque & quemcunque de nostris fidelibus vellet tam infra palatium quàm extra palatium sibi Ecclesiaeque sibi commissae eligere adjutorem & defensorem, & quotiescunque necesse fuerit mutare, & meliorem vel utiliorem statuere. Cujus precibus aurem favoris libentissimè accommodantes praescriptis suis petitionibus assensum praebuimus, & postulationes ejus ad effectum usque perduximus. Concedimus quippe memorato Pontifici per has auctoritatis nostrae litteras, quas ei fieri jussimus, concessumque in futuro esse volumus ut praefatus Episcopus quietè, dum voluerit, in sua resideat parrochia, & pro nobis & pro commisso nobis à Deo populo Dominum exoret, suos verò homines cum suo oeconomo vel quemcunque, & ut dictum est, elegerit, ubicunque nostra fuerit jussio vel necessitas ingruerit dirigat. Praecipientes ergo per hoc nostrae auctoritatis praeceptum volumus atque jubemus quòd si jam dictus Episcopus nobis superstes fuerit, ut nullus filiorum aut successorum vel fidelium nostrorum praescripto Pontifici Ecclesiaeque sibi commissae ullam perturbationem aut calumniam ingerere praesumat, aut facere volentibus consentiat, sed mundeburdum vel defensionem pro Dei amore & pro nostra reverentia ei pleniter faciant, ut quietè & pacificè, ut praescriptum est & ei à nobis concessum, in sua Ecclesia absque ullius impedimento ei residere & suum ministerium agere liceat: quatenus memoratum Pontificem pro nobis & pro liberis nostris sive pro stabilitate & pace imperii à nobis Deo commissi attentiùs exorare delectet. Et ut haec nostra auctoritas inviolabilem & inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, & annuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum Hludovici piissimi Imperatoris.

Maginarius Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi.

Data XV. Kal. Martias anno Christo propitio xxvii. imperii Domni Hludovici piissimi Augusti, Indictione tertia.

Actum Pictavis civitate publica in Dei nomine feliciter. Amen.

LXXIII.

Exemplar Praecepti Domni Hludovici piissimi Augusti de villa Bonalla quod fecit praedictus Imperator quando illam reddidit Cenomanicae matri Ecclesiae & Aldrico ejusdem Ecclesiae Episcopo.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Augustus. Si fidelium nostrorum justas & rationabiles petitiones & postulationes, quas pro utilitate & exaltatione sanctae Dei Ecclesiae exposcunt, ad optatum effectum perducimus, non solùm regiam atque imperialem consuetudinem in hoc exercemus, sed etiam eos nobis promptiores, ut credimus, atque devotiores facimus. Idcirco omnibus fidelibus sanctae Dei Ecclesiae & nostris praesentibus scilicet & futuris notum esse volumus quia Adalbertus Comes & Consiliarius noster nobis innotuit quòd quandam villam sitam in pago Carmicense nomine Bonalia de jure Cenomanicae matris Ecclesiae per nostrum beneficium possideret, de qua per singulos annos nonas & decimas & legitimos census partibus praefatae matris Ecclesiae & ejusdem Ecclesiae rectoribus persolveret. Qua de re idem Adalbertus pertractans casum humanae fragilitatis, & pavescens ultimum vocationis diem, timensque ne praefata villa aliquo cupiditatis suae stimulo vel quolibet ingenio à jure praescriptae matris Ecclesiae alienata fieret; idcirco divino fervens amore ad clementiam nostram suppliciter deprecans accessit ut memoratam villam nomine Bonallam cum omnibus ad se pertinentibus partibus praedictae Cenomanicae matris Ecclesiae & Aldrico ejusdem urbis venerabili Pontifici praesentaliter nostra imperiali auctoritate redderemus, & hanc redditionem per nostrum praeceptum futuris temporibus firmius eidem Ecclesiae suisque rectoribus possidendam confirmaremus. Cujus petitionem ob amorem Dei & reverentiam ipsius sancti loci servorumque Dei inibi Deo famulantium libenter audivimus, & deprecationem ac pium desiderium ejus ad optatum effectum adimplere dignum duximus. Quapropter per hoc nostrae auctoritatis praeceptum statuentes decernimus atque jubemus ut quemadmodum saepedictus Adalbertus fidelis noster memoratam villam cum omni integritate, sicut illa die sub jure nostrae potestatis erat quando à largitione nostra ipsum beneficium accepisse constat, pro emolumento animae nostrae & stabilitate imperii nostri memorato venera-

bili

bili Aldrico Episcopo ad partem praescriptae suae sedis Ecclesiae praesentaliter reddidimus, ut in perpetuo in utilitates & usus ejusdem Ecclesiae Deoque in ea deservientium permaneat. Idcirco suggerentibus atque humiliter postulantibus praedictis fidelibus nostris, memorato videlicet Aldrico Episcopo & Adalberto jamdicto fideli nostro, hoc nostrae confirmationis atque redditionis praeceptum saepedicto Aldrico Episcopo & ad partem jam dictae urbis fieri jussimus, per quod decernimus atque jubemus ut nullus sub ditione imperii nostri degens ullo unquam tempore de praedicta villa vel de omnibus ad eam pertinentibus in quibuscunque pagis & locis saepedicto Aldrico Episcopo suisque successoribus ullo unquam tempore inquietudinem facere aut quamlibet calumniam ingerere praesumat; sed liceat ei & successoribus ejus quieto ordine memoratam villam cum omnibus locis & territoriis sive mancipiis & cum omnibus ad se pertinentibus jure ecclesiastico tenere & possidere, & quicquid pro oportunitate & commoditate praefatae sedis Ecclesiae exinde facere decreverint, liberam in omnibus futuris temporibus habeant potestatem faciendi. Et ut haec nostrae redditionis auctoritas perpetuam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, & de anulo nostro sigillavimus.

Signum Hludovici Serenissimi Imperatoris.

Ermimnarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi.

Data XV. Kalend. Maias anno Christo propitio XXVII. imperii Domni Hludovici piissimi Augusti, Indictione prima.

Actum Aquisgrani palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

CHRONICON BREVISSIMVM MONASTERII SANCTI GALLI.

DCXCI. Bellum Pippino in Strictin, ubi superavit Francos.

DCCII. Obitus Hildeberti Regis.

DCCXVI. Grimaldus interficitur.

DCCXIX. Hoc anno pugna Karlus in Vinciaco XII. Kal. Aprilis, XV. dies ante Pascha.

DCCXLI. Carlus moritur. Et Theodoldus interficitur.

DCCLII. Eodem anno Pippinus Rex apud Suessionis civitatem benedictin. regalem accepit.

DCCLIV. Hoc anno Pippinus Rex cum Francis in Italiam perrexit, Langobardos superavit in gladio. Hoc anno Carlomannus moritur.

DCCLVI. Hoc anno iterum Rex Pippinus super Langobardos cum magna munera reversus est in regnum suum.

DCCLX. Hoc anno Pippinus Rex cumflictum habuit cum VVascones.

DCCLXI. Bellum Pippino in VVasconia.

DCCLXIII. Bellum Pippino in VVasconia. Tunc superavit VVascones.

DCCLXIV. XIX. Kal. Ian. sic incipit gelus, & finivit in XVII. Kal. April.

DCCLXVIII. Hoc anno VVepherius interficitur in nocte die V. feria IV. Non. Ian. Et in ipso anno Domnus Rex Pippinus transiit VIII. Id. Octobris in nocte die sabbato. Et insequente die VI. Idus Octobris sic Domne Reges Karlus & Karlomannus benedictionem regalem acceperunt, Domnus Rex Karolus in Noviamaco civitate, & Carlomannus in Suessiones civitate in sede patris sui.

DCCLXIX. In ipso anno perrexit Karlus Rex in VVasconia, & apprehendit Hunualdum.

DCCLXXI. Karlomannus moritur II. Non. Decembris.

DCCLXXIII. Hoc anno Domnus Rex Karolus perrexit in Italia cum Francis.

DCCLXXIV. Hoc anno perrexit Domnus Karolus ad Romam ad sanctum Petrum. Et revertens inde adquisivit * Pecunia civitate sive * Cicinio cum Rege Desiderio, & cum gaudio reversus est in Francia. * Pavia * Ticino

DCCLXXV. In ipso anno perrexit Karlus super Saxones, & plurimos ex ipsis ad baptismi gratiam perduxit, & multos pluriores interfecit.

DCCLXXVII. Hoc anno fuit Domnus Rex Karlus in Saxonia ad Patrisbunna, & ibi aedificavit Ecclesiam in honore Salvatoris.

DCCLXXVIII. Hoc anno Domnus Rex Karlus perrexit in Spania, & ibi dispendium habuit grande.

DCCLXXXI. Hoc anno Domnus Rex Karolus reversus est de Roma.

DCCLXXXII. Hoc anno Domnus Rex Karolus plures de Saxonis interfecit.

DCCLXXXIII. Hoc anno moritur Hildegardis Regina II. Kal. Maij.

DCCCI. Hoc anno Domnus Rex imperialem sedem accepit.

DCCCV. Hoc anno perrexit Domnus Karolus in Saxonia ad Holdistede, & multos barones & mulieres inde adduxit.

DCCCXIII. Hoc anno Riculfus Episcopus in V. Id. Augusti.

DCCCXIV. In hoc anno Domnus Karolus Caesar obiit in V. Kal. Februarij in die sabbati.

CHRONICON AVGIENSE.

DCCIX. Hiemps durus. Et Gotafredus Dux moritur.

DCCX. Pippinus Alamanniam ingreditur.

DCCXXV. Sarraceni primitus ingrediuntur.

DCCXXX. Lantfrid. moritur.

DCCXXXI. Obitus Bedae Presbyteri.

DCCXXXIV. Karolus Fresiam vastat.

DCCXXXV. Karolus VVasconiam invasit.

DCCXLI. Karolus moritur.

DCCXLV. Karlomannus Alamanniam ingreditur.

DCCXLVII. Karlomannus Romam pergit.

DCCLI. Lantfrid. moritur.

DCCLII. Pippinus in Regem elevatur.

DCCLIII. Stephanus Papa in Franciam venit.

DCCLIV. Sanctus Bonifacius martyrizatur. Et Pippinus Italiam intravit.

DCCLVIII. Pippinus Rex in Saxoniam ingreditur.

DCCLIX. Pippinus in VVasconia.

DCCLXVIII. Pippinus Rex obiit.

DCCLXX. Karlomannus Rex obiit.

DCCLXXI. Karolus Rex in Saxoniam.

DCCLXXIII. Capta est Italia à Francis, & Karolus Romam pervenit.

DCCLXXVII. Karolus Ispaniam ingreditur.

DCCLXXIX. Item Karolus in Saxonia. Et fames magna mortalitasque in Francia.

DCCLXXX. Saxonia capta est.

DCCLXXXI. Item Karolus Romam venit. Et Pippinus baptizabatur.

DCCLXXXII. Hiltgart Regina obiit.

DCCLXXXV. Karolus Romam perrexit. Cruces in vestibus apparuerunt.

DCCLXXXVI. Karolus per Alamanniam pervenit ad fines Bajariae.

DCCLXXXVII. Tassilo Dux.......

DCCXCI. Karolus Rex Hunorum regnum vastat.

DCCXCIX. Geroli occiditur.

DCCCIX. Egino constituitur IX. Kal. Septembris.

DCCCXI. VVerdo III. Kal. Aprilis.

DCCCXII. VVilto. IV. Kal. Aprilis.

DCCCXIV. Annus I. Hludovici Imperatoris.

DCCCXVI. Bernhartus Rex.

DCCCXXIII. Vitio VVettini.

DCCCXXIX. Pretiosa corpora sancti Valentini & sancti Senesij in Augiam insulam venerunt V. Idus Aprilis.

DCCC-

DCCCXXXVI. Hatto Episcopus obijt.

DCCCXXXVIII. Puato Diaconus palatij lapsus est in Iudaismo.

Erlebadus cessit, & VValafrid constitutus est.

DCCCXL. Eclipsis solis III. Non. Mai, inter VIII. & nonam horam, in vigilia Ascensionis Domini. Hludovicus obijt.

DCCCXLII. Divisio regni.

DCCCXLIII. Iudith obijt.

DCCCLVI. Hildigarht obijt.

DCCCLVIII. Folcuvinus Abbas obijt, & VValdarius successit.

DCCCLX. Meginratus heremita martyrizatus est.

DCCCLXIV. VValdheri Abbas desijt. Hecco successit.

DCCCLXVIII. Visa est cometa manifestissimè.

DCCCLXIX. Ictus fulminis Kal. Iulij inter X. & XI. horam diei.

DCCCLXXI. Hecco Abbas obijt, & Ruadbo successit.

DCCCLXXIII. Ictus fulminis VVormatiam combussit.

DCCCLXXIIII. Ludouvicus Caesar Italiae obijt, & Karolus Rex Galliae Romam pervenit.

Ludouvicus filius Ludouvici Imperatoris obijt. Et bellum inter Ludouvicum, & Karolum Imperatorem.

DCCCLXXVIII. Eclipsis solis IV. Kal. Novembris.

Karolus filius Ludouvici Regis Francorum & frater Carolomanni & Ludouviei Italiam primùm intravit.

DCCCLXXX. Karlomannus Rex Bauvariae obijt.

DCCCLXXXI. Karolus Romae Caesar efficitur.

DCCCLXXXVII. Karolus Imperator regno privatur. Et Arnolfus filius Karlomanni in Regem elevatur.

Karolus Imperator obijt.

DCCCXCI. Sunderolt Archiepiscopus à Nordmannis occiditur.

DCCCXCVI. Arnolfus Romae Caesar efficitur. Et in Augia, miseria famis & mortalitatis, Christiani homines alterius carnem comederunt.

DCCCXCVII. II. Idus Iunij ictus fulminis ante auroram.

DCCCXCIX. Zuntibold Rex filius Arnolfi occiditur.

Vngari Italiam ingressi multa fecerunt. Et Arnolfus Imperator moritur. Et Ludouvicus filius ejus in Regem elevatur.

DCCCCV. Bellum inter Chuonradum & Adalbertum Francos, in quo cecidit Chuonradus.

DCCCCVII. Bajoarij & ab Vngaribus interficiuntur.

DCCCCVIII. Vngares Saxoniam & Turingiam vastant.

DCCCCIX. Vngares Alemanniam ingressi sunt.

DCCCCX. Franci ab Vngaribus aut occisi aut fugati sunt.

DCCCCXI. Chuonradus in Regem elevatur.

DCCCCXIII. Hug abbatiam successit. Vngri partes Alemanniae vastaverunt, & juxta. In fluvium à Bauvarijs & Alemannis succensi sunt. Hiemps magna nimis.

DCCCCXV. Vngari totam Alemanniam igne & gladio vastaverunt.

DCCCCXVII. Vngari per Alemanniam in Alsatiam & usque ad fines Lotharij regni venerunt.

Erchanger & Peratolth decollati sunt. Et Chuonradus Rex obijt.

DCCCCXXIII. Preciosissimus thesaurus sanguinis Do-
* Augiam mini in * Attigiam venit VI. Idus Novemoris.

DCCCCXXVI. Vngari totam Franciam, Alsatiam, Galliam, atque Alemanniam igne & gladio vastaverunt. Et Burghardus Duc occiditur. Vngari per orientales Francos & Alemanniam multis civitatibus igne & gladio consumptis, juxta VVormatiam Rheno transito, usque ad mare oceanum regnum Galliae devastaverunt, & per Italiam redierunt.

DCCCCXXVII. Hiemps magna nimis.

DCCCCXXXI. Heinricus Rex Reges Abodritorum & Nordmannorum efficit Christianos, & profectus est in Galliam.

DCCCCXXXIV. Vngari ab exercitu Regis Heinrici occisi sunt, & multi comprehensi sunt.

DCCCCXXXVI. Heinricus Rex obijt, & Otto filius ejus in regnum constituitur.

Frithuricus Archiepiscopus ordinatus.

DCCCCXXXVII. Monasterium sancti Bonifacij & sancti Galli igne consumuntur.

Ruodolfus Rex & Arnolfus Duc obierunt.

DCCCCXXXVIII. Otto Rex in Bauvarios ibat; illisque resistentibus, redijt. Frater ejus Heinricus comprehensus est ab Eberhardo. Illo verò liberato, Eberhardum in exilium misit; ac iterum Bauvarios invasit cum exercitu, omnesque sibi subdidit, nisi tantùm unum Arnolfi filium. Interim magna pars Vngarorum à Saxonibus occisa est.

DCCCCXXXIX. Otto Rex ibat in Lotheringos usque ad Caprimontem. Interea Ludouvicus Rex Galliæ invasit Alsatiam. Tunc Rex Otto revertens venit ad Prisacam, & obsedit eam; & Ludouvicus discessit. Interim verò Eberhart Duc occisus est, & Giselbertus Duc in Rheno submersus mortuus est. Postea Rex ibat cum exercitu in Lutheringos, & omnes suo subjugavit imperio, præter Metensis Episcopum. Necnon & frater ejus Heinricus projectis armis venit ad eum.

DCCCCLIII. Mogontia civitas ab Ottone Rege obsessa est.

DCCCCLIV. Per loca Germaniæ Galliæque plurima terræ motus magnus factus est.

Quæ sequuntur, addita sunt à Willielmo Archiepiscopo Moguntino, & à Trithemio descripta sunt in chronico Hirsaugiensi.

Anno dominicae incarnationis DCCCCLIV. Indictione XII. beatae memoriae Domnus Frithuricus sanctae Mogontiacensis Ecclesiae Archiepiscopus VIII. Kal. Novembris obijt. Eodem verò anno ego VVillelmus, tantae successionis indignus, loco ejus, cum consensu cleri & populi ejusdem sanctae sedis, XIV. Kal. Ianuarij (ipsoque die pace inter Regem Ottonem & filium ejus Luidolfum facta in loco Aranstedt) sum electus, & in IX. Kal. Ianuarij Moguntiæ ordinatus.

CHRONICON FLORIACENSE.

DCXV. Dagobertus junior in Francia regnat.

DCXXVI. Leodebodus Floriacensis monasterij fundator obiit.

DCLXXXVIII. Pipinus major domus efficitur in Francia annis XXVII.

DCCVIII. Drogo Princeps Francorum obiit.

DCCIX. Primùm Pipinus perrexit in Alamanniam contra Vuilharium Ducem.

DCCXI. Childebertus Rex obiit.

DCCXIV. Pipinus obiit.

DCCXV. Dagobertus Rex obiit.

DCCXVI. Primùm pugnavit Carolus Dux contra Ratbodum ad Coloniam.

DCCXXXI. Beda Presbyter doctor Anglorum obiit.

DCCXLI. Carolus Princeps obiit.

DCCXLII. Carlomannus & Pipinus contra Hunaldum perrexerunt.

DCCL. Pipinus electus est in Regem, & Hildericus tonsoratus.

DCCLXIV. Pipinus Rex obiit. Carolus & Carlomannus regnum suscipiunt.

DCCLXVI. Carlomannus obiit.

DCCLXXVIII. Hludovicus natus est.

DCCCIV. Alchuinus Abba obiit.

Anno incarnationis dominicae DCCCVI. II. Non Iun. luna XIII. signum crucis mirabili modo in lu-

na apparuit feria v. prima aurora incipiente, quasi hoc modo. ✠

Anno incarnationis dominicae DCCCIX. Indictione II. XVII. Kal. Aug. II. fer. incipiente hora diei v. eclypsio solis apparuit luna XXIX.

DCCCXIV. Carolus Imperator obiit, & Hludouvicus imperium recepit.

DCCCXXIX. Hieremias archiepiscopus obiit.

DCCCXXXIII. Hludovicus regnum amisit, & Hlotharius illud suscepit. Item Hludovicus recepit.

DCCCXL. Hludovicus Imperator obiit, & eclypsin solis facta est IV. feria ante ascensionem Domini, hora diei nona, II. Non. Maij.

DCCCXLI. Bellum apud Fontanetum.

Anno incarnationis Domini DCCCXLIX. anno octavo Caroli Regis, XII. Kal. Martias, extitit terrae motus quasi decima hora noctis.

DCCCLIII. Adalbertus bonae memoriae monachus XI. Kal. Ianuarij obiit.

DCCCLIV. Dedicatio monasterij sanctae Columbae virginis & sancti Lupi confessoris.

DCCCLXIV. Cometes apparuit circa Kal. Maias per viginti dies.

Anno incarnationis dominicae DCCCLXVI. regnante Karolo Ludovici filio, duo filij illius moriuntur Hlotarius Abbas & Karolus Rex Aquitaniorum. Avunculus quoque ejus Rhodulfus consiliarius primasque palatij hominem exit, necnon & Rhodulfus Archiepiscopus Aquitaniorum. Et duo principes Aquitanici Landricus & Immo inter se dimicantes semet interimunt. Rhothbertus quoque atque Rannulfus, viri mirae potentiae, armisque strenui, & inter primos ipsi priores, Northmannorum gladio necantur.

Anno DCCCLXXVII. dominicae incarnationis Karolus Ludouvici filius II. Non. octobr. obiit. Et Ludouvicus filius ejus VI. Idus Decembris regnum suscepit.

DCCCLXXVIII. Iohannes Papa in Gallias venit, & apud civitatem Trecas diù moratus est.

Eodem anno, Idibus Octobris, eclypsis lunae fuit, cùm esset quartadecima. Et eclypsis solis secuta est eodem mense IV. Kal. Novembris, luna vicesima octava, utroque sidere in quindecim diebus deficiente.

DCCCLXXIX. Hludovicus Rex IV. Idus Aprilis obiit.

DCCCLXXX. Hludovicus & Karlomannus apud Ambianas regnum suscipiunt & dividunt mense Martio.

DCCCLXXXII. Hludovicus Karlomanni frater obiit.

DCCCCV. Hoc anno, mediante Maio, v. feria, apparuit stella circa ipsum septentrionem à parte Circij, emittens radium magnum versùs Euro austrum quasi longissimam hastam inter leonem & geminos trans zodiacum; & visa est ita ferè XXIII. diebus.

DCCCCXVII. Memorabile bellum apud Suessones, in quo Rothbertus Rex occubuit, licèt exercitus ejus victoriam adeptus sit. Eodemque anno Rodulfus regno sublimatur.

DCCCCXXXVI. Gloriosus Francorum Rex Rodulfus obiit.

Prima in totam Galliam Vngarorum irruptio.

DCCCCLII. Hoc anno Vgo dux Burgundionum & Alanus Britonum obiere.

DCCCCLIV. Ludouvicus Francorum Rex obiit. Et filius ejus Hlotharius in Regem nobiliter Remis elevatus est.

DCCCCLVI. Hoc anno IV. Nonas Septembris luna versa est in sanguinem. Eodem quoque anno, mense Iunio, signum mirabile in caelo apparuit draco magnus scilicet, & sine capite. Secuta est statim mors Hugonis magni principis Francorum, Burgundionum, Britonum, atque Northmannorum. Eclipsis solis factus est XI. Kal. Ianuarij, & stellae apparuerunt à prima hora usque tertiam.

DCCCCLXXIV. Ipso anno cœnobium sancti Benedicti Floriacense combustum est. Sed Dei providentia procurante in brevi trium spatio annorum in meliorem statum est restauratum, Domno Abbate Richardo ordinatore. Octavas sancti crematum est Laurentij.

DCCCCLXXIX. Ludovicus à Francis Compendij Rex est elevatus.

DCCCCLXXXIV. Lotharius Francorum Rex obiit.

DCCCCLXXXVII. Ludovicus Francorum Rex obiit. Eodem anno Hugo Dux Rex Francorum est elevatus Noviomi, * *qui secum Rothertum filium suum Regem Aureliams elevat.*

* Haec addita sunt à manu paulò recentiore, sed antiqua.

Anno ab incarnatione Domini MIII. & qualitas hyemis longior solito, pluviarumque inundatio extitit gravior, atque diversis in regionibus flumina suos ultra modum praeterierunt terminos. Prae ceteris verò Liger in tantum suas praeteriit metas ut cuncta circumcirca posita periculo mortis tremefaceret, valla penetrando, casas unà cum hominibus eruendo, pontes firmos sepesque eradicando, boves cum bubulcis, ovilia cum ovibus & pueris demergendo, ita ut diluvium esse crederetur. Quo etiam anno propter Aurelianensem urbem, in loco qui dicitur Porcaria, multis, ut fertur, est visa civitas fantasmate constructa ab hora diei tertia usque in nonam horam, pratis aquisque cum molendinis vallata, militibus necessariisque rebus adplenè referta. Infantem quoque fama vulgante audivimus natum fuisse omnium animalium pedes habentem, soloque capite unoque pede & manu hominem simulantem: quem parentes dolore & rubore confusi bis terque terra occulentes, dum nequeunt cum perdere, consilio accepto in fluvio demerserunt. cujus casum tantus vocum fragor secutus est ut tota regio ejulasse crederetur.

Eodem quoque anno Girbertus Papa obiit.

Sequenti anno Abbo Abbas martyrio coronatus est.

MXVII. Rotbertus Rex filium suum Hugonem consortem regni facit apud Compendium.

MXXV. Hugo Rex moritur.

MXXVI. Iterum sub Gauzlino Abbate Floriacense cœnobium conflagratum est, sed biennio restauratum cum omnibus officinis & Ecclesia sancti Petri.

MXXIX. Obiit Gauzlinus Abbas.

MLIX. Philippus regni monarchiam suscepit.

MLX. Heinricus Rex Francorum obiit.

CHRONICON CREMONENSE.

MCXI. nono Kal. Iunij, Indictione IV. capta est & destructa civitas Laudes.

MCXVII. tertio die mensis Ianuarij, Indictione X. die Mercurij, in hora vespera, fuit terrae motus maximus, qui antea non erat visus.

MCXVIII. decimo nono Kal. Novembris, Indictione XII. die Iovis captum est castrum Lomelli.

MCXXVII. octavo Kal. Septembris, indictione V. civitas Cumensis capta fuit.

MLXIV. X. die mensis Madij fuit pugna in campo Montuo.

MCC. Indictione tertia, die XI. erat Augusti, una die Lunae, fuit captus burgus Pisonij & combustus & ferè omnes habitantes fuerunt & rorum suum naudium; & multi projecerunt se de turri magna, & quamplures interim concesserunt peregrè. Et illa nocte veniente die Lunae veniente valde serenum erat. Et ferè circa medietatem noctis apparuit quòd caelum aperuisset, & pulcram flammam fecit.

Anno Domini MCCXIII. Indictione prima, una die pase, quae fuit secunda die intrante mense Iunij, venerunt Cremonenses cum caroçolo supra terram Cremae, & Mediolanenses venerunt cum suo caroçola & cum bruira, & magnam pugnam fecerunt insimul, & Cremonenses expulserunt Mediolanenses de campo, & tulerunt eis caroçolum & buiram & XXXVI. confanones, & magnam copiam fecerunt de populo Mediolanensium.

MCCXXXIV. die II. intrante Iulio, cùm Mediolanenses ivissent in comitatu Cremonensium, die tertio

erant

eratu apud Covenoltam sive in loco ubi dicitur prato de bisso. Ibi Cremonenses cum sua societate pugnaverunt cum Mediolanensibus & Bresanis, ita quòd Cremonenses meliorem partem obtinuerunt.

MCCXXXVII. una die Veneris, quarta exeuntis Novembris, aput Curtisnuvam Dominus Imperator cum militia Papiensium & Pergamensium & cum aliis suis militibus pugnaverunt cum Mediolanensibus & cum illis de eorum societate. Et Mediolanenses ibi amiserunt caroçolum suum; & innumerabiles fuerunt ibi mortui & capti. Et ipso die captum fuit castrum Curtisnovae. Et ultima die ipsius mensis captum fuit per Bergamenses castrum Paluscis.

De Majori-monasterio & Abbatibus ejus.

PRimus Abbas Majoris-monasterij post sanctum Martinum fuit Gaubertus, qui constitutus est ab eo, & multi alij post ipsum usque ad adventum Normannorum. Tunc desolata Ecclesia, Canonici sancti Martini de novo castello miserunt ibi conventum Clericorum. Postea Hugo Capet Rex Francorum dedit illam Ecclesiam Odoni Comiti Turonensi, qui misit Cluniacum, & adduxit inde Guislebertum cum duodecim aliis monachis anno ab incarnatione Domini millesimo. Hunc Guislebertum idem Comes fecit Abbatem ejusdem loci anno millesimo quarto. Quod & sanctus Majolus Abbas Cluniacensis concessit, cùm Majus-monasterium per quatuor annos fuisset cella Cluniaci. Huic Odoni successit alius Odo filius ejus, pater Comitis Tebaldi; qui ambo jacent in capitulo Majoris-monasterij. Secundus Abbas post Guislebertum fuit Sichardus, tertius Gaubertus, quartus Albertus, quintus Bartholomaeus, sextus Bernardus, septimus Hilgotus antea Episcopus Suessionensis, octavus Vvillelmus, nonus Odo, decimus Garnerius, undecimus Robertus.

Nota quomodo Cluniacenses occupaverunt locum sancti Martialis.

An. 1063. NOtum esse volumus cunctis hominibus quoniam beati Martialis Levomicensis monasterium ab eodem sanctissimo patre ea libertate quam & ipse à Domino Jesu Christo acceperat in initio dispositum, & in eadem ab ipsius successoribus confirmatum, usque ad tempus sexti Abbatis Cluniacensis sancti Hugonis absque omni jugo omniumque mortalium subditione liberum semper & absolutum permansit. Quam libertatem Ludovicus etiam Francorum Rex, &, quod praecipuum est, sanctae Romanae Ecclesiae Leo Papa beati Petri Apostolorum principis suique vice confirmans, sui etiam auctoritate privilegii integram inconvulsamque sub anathemate permanere praecepit. Qualiter autem hoc monasterium tam liberali praeditum auctoritate à Cluniacensibus occupatum sit, qualiterve qui Deo sanctoque Martiali famulabantur exinde ejecerint, in subsequentibus elucebit. Praesidente quippe Lemovicensibus Ademaro Vicecomite, erat in Lemovicensi castro quidam Miles nomine Petrus Escaufe-rius. Hic cùm Abbati Cluniacensi Hugoni nomine familiaris existeret, Ademarn Lemovicensi Vicecomiti ut monasterium beati Martialis Cluniacensibus traderet saepissime persuadebat. At Vicecomes propter Abbatem Mainardum, qui eidem monasterio praeerat, hoc difficillimum esse cognoscens petitioni illius minimè acquiescebat. Interea dum Petrus praedictus haec saepius saepiusque Vicecomiti persuaderet, contigit supradictum Abbatem Mainardum praesentis vitae adimplere terminum. Quod ipse Petrus ut cognovit, Vicecomitem audacius aggrediens hoc quod ipse rogaverat in promptu esse testatur. Quod etiam facere ne moraretur praestantissimum sibi equum nomine Milisents ab Abbate Cluniacensi, addito magno auri pondere, dari spopondit. Sicque Vicecomes excoecatus tam equi quam auri cupiditate quod petebatur facturum sese promisit. Defuncto, ut dictum est, Abbate Mainardo, praedictus Escauferius, pacto cum Vicecomite venditionis convento, nuntios Cluniacum transmisit; indeque Abbatem Hugonem cum pluribus monachis Lemovicam perducens eos in Ecclesiam sancti Michaelis, quae juxta curiam Vicecomitis sita est, furtim recepit. Postea autem, hoc est tertio Nonas Augusti, qua die beati Stephani celebratur inventio, parans Vicecomes coeptum patrare opus, beati Martialis claustrum adiit, omnesque monachos advocari praecepit. Congregatis igitur omnibus, cum eis capitulum est ingressus, & quasi fideliter de eorum communi salute pertractans, ut sibi Abbatem eligerent praecipit. Illi verò ex majoribus suis, hoc est Gaufredum de Niolio, Guidonem cognomento Fautam, simulque Geraldum grammaticum, viros genere, litteris, & sanctitate praeclaros in medium deducentes unum ex ipsis cum ejusdem Vicecomitis consilio sibi praeficere voluerunt. Illis verò de hoc tractantibus, Vicecomes nihil penitus respondebat, sed declinem vultum gerens, eos loquentes auscultans, hoc quod facturus erat in corde volvebat. Illo verò ita reticente, unus ex supradictis, Gaufridus scilicet de Niolio, cognito jam Cluniacensium adventu, tale fertur dedisse responsum. Non ignoramus, ait, Cluniacenses consensu vestro ut nos de monasterio nostro ejiciant advenisse. Utrum tamen fiat pro quo venerint nescimus. Tunc Vicecomes furore accensus eundem qui hoc dixerat per pannos arripiens vi aggressus est eum à claustro simul & à monasterio expellere. Videntes autem caeteri eum quem praecipuum inter se habebant ita duci, ac verentes Vicecomitem & milites qui cum eo erant, timore perculsi quo quisque potuit aufugerunt, remanentibus tamen infantibus ac juvenibus, quot & postea Abbas ipse, timens ne aliquis ibi remaneret qui ei suisque quandoque noceret, per monasteria sua quasi captivos transmisit. Expulsis itaque à monasterio suo, ut dictum est, monachis, Abbatem Cluniacensem ab Ecclesia sancti Michaelis, ubi morabatur, Vicecomes advocari praecepit. Quo veniente, parvi ex suis monachis, qui jam cum Vicecomite advenerant, exierunt contra eum in suis froccis foras per cimiterium quasi cum processione eum recipientes. Sicque vi laica violentaque praesumptione naturales monachos expellentes, contra jus, contra fas, contra bonum, contra sanctos canones, contra Apostolicorum decreta, contraque omnem rectitudinem ecclesiasticam vi sua utentes, jus postponentes, aliis ex adverso reclamantibus ei sic sic monasterium tradentes, ipsum Abbatem in sede beati Martialis imposuerunt. Ita se res habet. Sed ne oblivioni tradidisse videar, postquam Cluniacenses monasterium hoc acceperunt, praedictae libertatis sigilla in eo reperientes comminuerunt. Actum est hoc anno gratiae MLXIII.

Ex chronico Gaufredi Prioris Vosiensis.

Anno Domini MLXIII. Nonis Augusti invaserunt locum sancti Martialis Cluniacensis per fraudem Ademari filii Guidonis Vicecomitis & Petri Escaufarii, qui pro hoc dedit eidem Vicecomiti equum optimum qui appellabatur Milesents.

Ademarus Vicecomes Lemovicensis & Humberga ejus uxor donant abbatiam sancti Martialis Hugoni Abbati Cluniacensi.

NOverint omnes sanctae matris Ecclesiae filii ac fideles, tam praesentis quàm futuri temporis quòd ego Ademarus Vicecomes Lemovicensis dono Hugoni Abbati Cluniacensis monasterii omnibusque successoribus ejus Abbatibus qui idem monaste- An. 1062.

rium Cluniacense regulariter gubernabum dono & trado abbatiam sancti Martialis Lemovicensis cum consensu & auctoritate domni Iterii ejusdem civitatis Episcopi Canonicorumque ejus necnon & conjugis meae Umbergae filiorumque meorum & obtimatum ob indulgentiam peccatorum nostrorum & parentum nostrorum, & maximè eorum quae de eadem abbatia contraximus, consentientes monachos ibidem degentes non secundùm regulam sancti Benedicti vivere, & animarum regimen symoniacè ementibus Abbatibus vendentes. Quam haeresim cùm ab initio nascentis Ecclesiae beatus Petrus Apostolorum princeps in ipso suo capite extinxerit, nuper tamen sanctus Leo Papa & omnes deinceps ejus successores perpetuo anathemate damnaverunt. Poenitens igitur praeteritorum excessuum meorum, & confidens ejusdem Abbatis successorumque ejus industria eandem abbatiam sancti Martialis ad regularem tramitem posse reduci, & detestabilem haeresim symoniacam Deo adjuvante funditus expelli, dono & trado praedictam abbatiam praedicto Hugoni Abbati omnibusque successoribus ejus Abbatibus regulariter viventibus deinceps perpetuò possidendam, & Abbates quos eidem loco tam ipse quàm successores ejus praefecerint, si, quod absit, pro mala conversatione removendi fuerint, ipse & successores ejus submoveant eos, & meliores substituant absque contradictione ullius hominis, nihil in eadem abbatia neque ego neque successores mei retinendo, exceptis his consuetudinibus, cc. solidis ad vindemiam colligendam in festivitate sancti Aredii reddendis & sagmario in hostem praestando cum famulo: qui sagmarius hoste transacta monasterio reddatur, & uno recepto Comitis Pictavensis per jussionem Vicecomitis, & justitia panis & vini, cùm in hanc villam venerit. Eo tenore ut hanc donationem & traditionem omnes successores mei confirment & hanc cartam laudent & auctorizent, & haec traditio nostra, ut stabilis & inconcussa permaneat, apostolica auctoritate firmetur. Quòd si ego aut successorum meorum aliquis hanc traditionem infringere aut contradicere voluerit, iram Dei omnipotentis & anathema perpetuum incurrat, & praefatus Hugo Abbas & successores ejus apud ejusdem civitatis Episcopum & omnes Christianos & praecipuè apud apostolicam sedem habeat potestatem reclamandi.

Facta est autem haec traditio in urbe eadem Lemovicensi anno incarnationis dominicae MLXII. indictione XV. regnante Philippo Francorum Rege anno II. Cujus traditionis confirmatores & confignatores & testes hii sunt. In primis Iterius Episcopus signavit. Ademarus Vicecomes signavit cum quatuor filiis suis, & uxor ejus Umberga.

Narratio de electione Abbatis Soricinensis.

An. 1071 QUanta sit omnipotentis Domini clementia, & quàm multae miserationes ejus laetificantes corda sperantium in eo, nulla sufficiet vel mens percipere, vel lingua eloqui: qui ubique praesens, ubique memor Ecclesiae suae, quam sibi salutari sanguine adquisivit, clamantium ad se preces non aspernatur, sed à praeparato habitaculo suo respiciens super timentes eum, in necessitatibus consulit, in angustiis eis auxiliatur. Unde etiam Sorecensi Ecclesiae dextram adjutorii sui porrigere dignatus est. Quae cùm patris esset orbata regimine, & quasi mariti solatio mulier destituta, per decem ferè annos vidua permaneret, complacuit fratribus loci, monachis videlicet ejusdem cœnobii, ut fusis ad Deum orationibus precarentur quatinus ipse, qui verus fidelium consolator est, talem illis permitteret Abbatem eligere qui eos secundum regularia praecepta ad viam veritatis sciret erudire. Invenere igitur, divino disponente consilio, fratrem quendam nomine Raimundum, virum bonae conversationis, atque monachilis ordinis amatorem; qui & morum probitate & utriusque doctrina legis honestissimè pollebat. Quod cum indicassent domno Froterio venerabili Nemausensi Episcopo, qui multùm eandem diligebat Ecclesiam prae magnitudine sanctarum reliquiarum quas procul dubio ibidem noverat esse, qui etiam consilio & opere plurima saepe beneficia supradictae contulit Ecclesiae, respondit idem sibi multùm placere, quoniam frater ille quem sibi pastorem cupiebant & regulariter commisso sibi gregi praeesse sciret & esurientibus filiorum animabus pabulum sacrae praedicationis exhibere. Electus est ergo suprascriptus ille frater Raimundus, & consecratus in Abbatem in civitate Tolosa in basilica sanctae Dei genitricis & virginis Mariae, consilio domni Alexandri Papae atque Hugonis Blanc Romanae sedis Cardinalis, consensu etiam & voluntate domni Durandi Tolosae civitatis antistitis, qui divina gratia commotus dedit & concessit & laudavit & confirmavit Domino Deo & beatae Mariae monasterii Soricinensis & Abbati Soricinensi, Raimundo scilicet praenominato, & monachis ipsius loci praesentibus & futuris, omnes Ecclesias & possessiones Ecclesiarum quas milites & laici Tolosanae diocesis sive nostrae potestatis quocunque modo tenent vel acquisierunt ab Abbate vel à monachis monasterii Soricinensis aut abstulerant, ut recuperent eas Abbas & monachi quocunque modo potuerint, & recuperatas teneant, & possideant omni tempore cum omnibus prorsus pertinentiis suis, & regant ad honorem Dei & beatae Mariae & Ecclesiae sancti Stephani. S. Froterius Nemausensis Ecclesiae Pontifex. S. domni Raimundi Abbatis sancti Papuli. S. Isarni Praepositi sancti Saturnini. S. Isarni Gamalberti. S. Ugonis Escafredi. S. Isarni Guilaberti. Anno ab Incarnatione Domini MLXXI. XVIII. Kal. Septembris, regnante Philippo Rege Francorum. Ato Raimundus hanc cartam scripsit.

Notitia de Ecclesia de Vianco.

EX praedictis antiquorum testamentorum codicillis Ecclesiam sancti Eugenii de Vianco alodium esse atque fuisse Episcopi Albiensis & Canonicorum Ecclesiae Albiensis sedis comperimus; ex quorum providentia & cura ab antiquis temporibus Rege Carolo & Agamberto ejusdem Principis contemporaneo & Albiensis Ecclesiae Episcopo Viancium regebatur usque ad tempora quibus Frotardus Albiensem episcopatum obtinuit. Hic ergo Albiensem episcopatum ambitione adeptus est, datis pro episcopatu equis numero quindecim potentis pretii Froterio Nemausensi Episcopo & Bernardo ejus germano, qui pro intuctione Episcopi Albiensis pecuniam non parvam accipere erant soliti, ita ut nonnisi de eorum manu episcopatus ille posset haberi. Sicque episcopatu adepto, de simonia coram praesentia Domini Papae Gregorii septimi alio nomine Aldebranni vocati accusatus est: à quo cum canonicè evocatus fuisset, Romam venit habens itineris sui socium Conchensem grammaticum Hugonem nomine. Erat eodem (tempore) quidam Ravennae Archiepiscopus Guibertus nomine papatum ambiens, qui ad invidiam Domini Gregorii septimi à quibusdam seditiosis Papa electus fuerat. Hunc adiit, quia à Domino Papa Gregorio VII. auditus Romae fuerat & pro simoniaca haeresi repulsus. Cujus deposcens suffragium, litteras quidem ab eo accepit; reversusque celavit eas, & alias ex nomine Gregorii VII. praenotatas Albiensis Ecclesiae Canonicis praemonstravit: qui nomini apostolico reverentiam adhibentes, tunc quidem susceperunt eum. Paucis verò evolutis diebus grammaticus Conchensis Hugo, cùm mulam quam sibi promiserat nollet dare, litteras quas à Ravennate Episcopo acceperat reddidit Gausberto religioso viro Albiensis Ecclesiae Thesaurario, & eas quas & nomine Gregorii VII. praenotans monstraverat non ab

eo

eo acceptas indicavit, & quomodo ab eo repulsus abjectusque fuisset narravit. Quo certissimè comprobato, tandem ab Hugone Lugdunensi Episcopo tunc Romanae sedis Legato commonitus est & evocatus Tolosam, celebrato ibi Concilio, & nec agere ipse per se nec acturum etiam procuratorem mittere curavit. Unde comprobato certissimè quòd esset simoniacus, praescriptus Hugo Lugdunensis pontificale ei officium interdixit, & excommunicavit eum in Concilio illo. Sub qua excommunicatione biennium egerat cùm quidam Artmannus Galliacensis monasterii transfuga & propter inobedientiam Conchensis repulsus, postea Aureliacensis monasterii monachus, qui in primaevo aetatis suae in Ecclesia Viancensi fuerat nutritus & doctus, excogitavit eundem Viancium, si posset, de jure Albiensis Ecclesiae subripere & Aureliacensi monasterio subjugare. Cujus rei gratia Bernardum Aimerici & Guillelmum Aimerici Cadalonensis castri principes convenit: qui laici quidem, ut Viancensem Ecclesiam manutenerent & defenderent, partem honoris ejusdem Ecclesiae de Episcopo Albiensi & Canonicis sanctae Caeciliae habebant ad feudum, qui ut eandem Ecclesiam cum universis pertinentiis suis Aureliacensi monasterio donarent multis modis operam dedit. Sed illi primò quidem omnimodis restiterunt. Videns autem Artmannus ille quòd eos ad hoc impellere non posset ut hanc facerent donationem, sentiensque quòd promittendo & donando, sicut in hujusmodi negotiis fieri solet, ad hoc essent concutiendi, effecit per quosdam internuntios ut iterum iterumque convenirentur. Egit denique per quendam laicum, Poncium Ademari nomine, cui pro mercede mulam unam promisit si praedictos viros ad hoc impellere posset ut acceptis
Vide Gregor. 7 lib. 7. epist. 19. à monachis Aureliacensibus cccc. solidis Ecclesiam sancti Eugenii de Viancio Aureliacensi Abbati & monachis venderent; à quibus ccc. solidos Bernardus Aimerici & Guillelmus Aimerici acceperunt, & pro c. solidis mulam unam. Poncius verò Ademari, qui eos ad hanc donationem provocaverat, pro mula sibi promissa xxx. solidos accepit. Amblardus quoque de Arifac & Ermengaudus frater ejus unum ab eis mulum acceperunt, & Petrus Bordenes unam mulam liaiam, quòd eidem causae consilium & assensum praestiterunt. quam viderunt Frotardus de Causac & Ademarus Raimundi de Viancio. Quod autem ccc. solidos Bernardus Aimerici & Guillelmus Aimerici acceperint, à monachis ipsis didicimus. His ita perpetratis, Artmannus consiliarios Frotardi, sicut praescriptum est, tunc excommunicati convenit, Rogerium scilicet de Cardonag & Bernardum Amalfredi, & promisit illius duas mulas si cum eo agere possent ut praedictam Ecclesiam Abbati Aureliacensi donaret. Echardo praeterea, qui, licèt laicus, archidiaconatum Albiensis Ecclesiae tenebat, unam mulam eodem pacto promisit. Quibus suffragantibus ad Frotardum veniens, Ecclesiam praedictam donari Aureliacensi Abbati promissis multis & beneficiis & donariis auri & argenti & jumentorum postulavit. Constituerunt itaque diem & locum ubi promissiones ipsae dari firmarentur. Frotardus interim Dominum non timens, nec personae suae modum considerans, sciens excommunicationem suam, chrisma consecravit, si talem consecrationem dici fas est consecrationem. Quo tempore Romanae Ecclesiae Legatus Amatus nomine missus ad partes Aquitanicas & Hispanicas, qui postea fuit Oleronensis Episcopus, vir religiosus & reverentia dignus, castello quod Avalatz vocatur hospitatus est. Quem cum quidam in eo castro deprecaretur ut filium suum baptizaret, afferri sibi chrisma postulavit. quod & factum est. Cumque à circumstantibus illud ab Episcopo Albiensi Frotardo audisset consecratum, dixit chrisma illud non consecratum, sed execrandum, asinorum magis unctioni convenire quàm Christianorum, & in circumstantium aspectu in terram everso vasculo distillando effudit. Hic itaque Frotardus veniens Viancium, Canonicos ejusdem Ecclesiae adunari praecepit; & sub occasione religionis eos eicere cupiens & Aureliacenses monachos introducere, dixit eis velle se eos aut religiosam vitam deinceps ducere aut Ecclesiam Viancensem suae dispositioni dimittere. Qui monachorum subreptionem & versutiam sentientes, ex parte Canonicorum Albiensis Ecclesiae illi contradixerunt Viancensem Ecclesiam cum universis pertinentiis suis, ut monachis eam nec donare nec vendere posset, se quoque die statuta regulares Canonicos fieri velle spoponderunt. Quod audiens Frotardus respondit, si hoc facerent, nolle se eos eicere; deditque eis diem quousque hoc fecissent. Ex ejus itaque consilio &, ut ipse fraudulenter promittebat, auxilio Tolosam ierunt ut ibi edocerentur de communi vita & consuetudine, & singula superpellicia & professionem suam testamentis inscriptam, sicut mos est illius religionis, inde secum attulere die constituta. Cumque regressi fuissent, Canonicos qui remanserant expulsos invenere & monachos immo simoniacos introductos; cunctique, & Frotardo & monachis illis praesentibus, Romanam sedem appellavere & Albiensem, & ingressi claustrum dixerunt se, nisi pellerentur, in Ecclesia sua, sicut promiserant, religiosè victuros, nec eam monachis dimissuros. Quod audiens Frotardus, furore repletus superpellicia scidit quibus erant induti, & ejecit eos. Dum haec agerentur, sentientes hoc Canonici Albienses, Pontius scilicet Praepositus Albiensis Ecclesiae, & Guillelmus Bego Decanus, & Guido Sacrista, & Gaugbertus Thesaurarius, & caeteri ejusdem Ecclesiae Canonici & clerici Arnaldum de sancto Quintino ejusdem Ecclesiae Choraulam & Petrum germanum ejus nobiles viros Viancium miserunt ut ex eorum parte Frotardo contradicerent. Quibus in Viancio cùm Frotardus obviasset & balbutienti lingua, sicut ei mos erat, dixisset, Bene venisti Arnalde, responderunt: Nos quidem bene venimus, sed tu, qui pro simonia excommunicatus haberis, malè venisti vendere Ecclesiam simoniacis; & nos ad hoc venimus ut ex parte Praepositi & Decani & Sacristae & Thesaurarii & caeterorum Canonicorum nostrae Ecclesiae & nostra huic donationi & magis venditioni contradicamus. Videns ad haec Arnaldus Choraula Albiensis Ecclesiae contradictionem suam Frotardo contemptui fore, ut posteri contradictionis Albiensis Ecclesiae testimonium haberent, cordas signorum Viancensis Ecclesiae secuit, & partes abscissas inde secum Albiam tulit. His ita peractis, Frotardus quae sibi promissa erant exigere cupiens, Echardo se comitante & mulam sibi promissam accipere cupiente Aureliacum perrexit. Cumque regrederentur, capti sunt & ducti ad castrum quod vocatur Peitola; & dedit pro se redemptionem Echardus solidos mille, nec mulam accepit; Frotardus verò pro se ducentos solidos dedit & unum equum. Bernardus quoque Amalfredi horum omnium, sicut praediximus, consiliarius & instigator, & ejusdem itineris socius, regrediens Conchis aegrotare coepit. Contigit illis diebus Pontium Stephani Ruthenensem Episcopum, qui Tolosae in eo Concilio quo Frotardus fuerat excommunicatus episcopalem susceperat consecrationem, praesentem fieri: qui cum audiret hunc aegrotare & communionem petere, didicissetque eum de grege esse Frotardi, quem ipse audierat Tolosae excommunicatum, interdixit ipsi poenitentiam & corpus & sanguinem Christi donec super quatuor evangelia juravit, si convalesceret, quòd Frotardi consiliis & negotiis nunquam amplius in vita sua communicaret; sicque viam universae carnis ingressus est. Non longo post tempore Frotardus veniens Albiam aegrotavit. Cui viaticum petenti, nec poenitentiae nec communionis ei suffragio participare ausi sunt clerici Albiensis Ecclesiae donec episcopatum reliquit & annulum virgamque reddidit. post quae miserabiliter mortuus est. Quo mortuo, monachi Ecclesiam Viancensem taliter adquisitam tenuerunt sub continua Albiensium Canonicorum querela. Succedente verò in episcopatum

tum Guillelmo Pictavinu, Albienses Canonici coram eo & super Ecclesia praedicta questi sunt: qui Aureliacensem Abbatem Albiam venire commonuit, ut ibi causa haec audiretur. Ad quod audiendum advocavit Carcassensem Episcopum Artallum & Abbatem Soricinensem & Priorem Ecclesiae sancti Saturnini Tolusani. In quorum praesentia Clerici Albiensis Ecclesiae causam suam in medium protulerunt. Monachi verò legerunt cartam in qua Pontius Albiensis Ecclesiae Praepositus & Guillelmus Bego Decanus & Guido Sacrista & Gauzbertus Thesaurarius testes ejus donationis legebantur, cùm potiùs reclamassent & contradixissent. Qui ibidem praesentes, cartamque lectam audientes, insurrexerunt contra eam, & eam falsam ex ea causa probaverunt. In quo placito cordarum partes quas Arnaldus de signis Viancensis Ecclesiae ruperat, & superpellicia quae Frotardus Canonicis ex ejusdem consilio factis regularibus violenter sciderat, argumenta haeresis exhibuere. Et hoc ita factum est tempore Kalendarum Januariarum. Adfuit autem quidam Choraula Viancensis Ecclesiae nepos nomine Rainaldus Amelius Adalberti vocatus, qui coram omnibus testificatus est se vidisse quando Frotardus Canonicorum superpellicia scidit. Data est ergo judicialis sententia à praedictis viris ut Artmannus ille in octavis Pentecostes eodem anno secuturis Albiam veniens super sancta quatuor evangelia septima juraret manu ut pro ejus Ecclesiae adquisitione ipse aut Abbas & monachi Aureliacenses nullam omnino pecuniam promisissent vel dedissent aut aliquis pro eis. Quod nisi die praedicta facerent, Albienses Canonici ab eo tempore Viancensem Ecclesiam possiderent, & monachi ad propria monasteria repedarent. Hujus rei testes sunt, Bernardus Stephani Praepositus, & Benedictus Prior, & Amatus Canonicus, & Isarnus de Donazag, & Isarnus Capellanus de Causac, & Raimundus Archidiaconus, & Durantus Choraula, & Durantus Hugo. Cui sententiae monachi illi immo simoniaci parere noluerunt, nec Canonicis Ecclesiam suam dimittere. Et ab eo tempore violenter & simoniacè, secundùm quod suprà scriptum est, Abbates & monachi Aureliacenses Ecclesiam sancti Eugenii de Vianciu oullo titulo adquisitam nisi haeresis simoniacae damno sub continua Albiensis Ecclesiae querela possederunt usque ad tempora Domni Episcopi Albiensis Bertrandi magnae honestatis & bonae memoriae viri & Antifossi Tolosae nobilissimi Consulis; qui ambo, cognita injuria quam monachi diu fecerant sanctae Caeciliae Canonicis reddiderunt sub illorum manu & religione. unde illis Deus propitietur & nobis. Amen.

De adventu Urbani Papae II. ad monasterium Cluniacense.

An. 1095. ANno ab incarnatione Domini millesimo XCV. domnus ac venerabilis sanctae Romanae Ecclesiae Papa Urbanus terminos Italiae excedens, Gallias causa utilitatis sanctae universalis Ecclesiae venit. Et cùm pro erigendis Christianae legis negotiis quasdam Ecclesias primùm visitasset, tandem ad locum optabilem ac prae ceteris sibi valde dilectum, ad Cluniacense videlicet devenit coenobium, ubi quondam relicto canonicalis ordinis officio habitum sacrae religionis susceperat. Ubi cùm, ut tali conveniebat personae, cum magno honore & gaudio receptus fuisset, privilegia quae dudum eidem loco fecerat apostolica auctoritate roboravit & confirmavit. Insuper etiam terminos quosdam ac limites longinsculè porrectos in circuitu ejusdem monasterii praefixit, & apostolicae auctoritatis censura interdixit ut nullus omnino mortalium cujuslibet dignitatis seu conditionis infra eosdem terminos homicidium, praedam, rapinam, incendium, hominum captionem aliquo modo perpetrare auderet: Infractores verò hujus interdicti excommunicationis vinculo astrinxit quousque digna satisfactione poenituissent. Et ut plenius vim dilectionis quam erga eundem locum possidebat ostenderet, in Concilio centum & eo amplius Episcoporum quod in Arvernensi Ecclesia ipso praesidente gestum est locum eum suis habitatoribus magnis extulit laudibus, & , utpote domum Dei, à cunctis reverendum ac veluti pupillam oculi sui, non solùm Episcopis qui aderant, sed etiam omnibus qui eidem interesse poterant conventui, custodiendum ac venerandum publicè ore proprio allegavit. Praeterea rogatus à domno Hugone ipsius monasterii venerabili Abbate altare majus novae basilicae, astantibus plurimis Episcopis, monachis, clericis quoque, ac plebe innumerabili, in honore resurrectionis Domini nostri Jesu Christi & beatae semper virginis Mariae sanctorumque Apostolorum Petri & Pauli ac protomartyris Stephani devotissimè consecravit VIII. Kal. Novembris, Indictione IIII. & praecepit ut in ipsa die eadem basilica oportuno tempore dedicaretur. Pro his itaque omnibus, necnon etiam & pro anteriori dilectionis familiaritate, postmodum multiplicibus beneficiorum exhibitionibus erga nos luce clarius propalata, decretum est à supradicto patre nostro ut ejus memoria quandiu vixerit ad generalem Missam specialiter agatur, post obitum verò, exceptis his quae illi pro communi nostrae fraternitatis professione debentur, tricenario scilicet, officiis, Missis, psalmis, atque elemosinis, anniversaria dies depositionis ipsius quotannis celebriter sicut pro Abbate hujus coenobii recolatur resonantibus signis cum officio pleno & Missa ac XII. pauperum refectione.

Hugonis Abbatis concessio beneficiorum ordinis facta Alfonso Regi Hispaniarum.

OMnibus fratribus ac filiis nostris in Cluniacensi coenobio Deo in fide recta servientibus tam praesentibus quàm futuris frater Hugo Abbas caelestis regni praemia & aeternae felicitatis gaudia. Circa an. 1080. Convenit, dilectrissimi, ut sicut nos patrum nostrorum praecedentium instituta, etsi non ad plenum, tamen prout possumus fideliter observamus; ita etiam & vos ea quae pro communi utilitate fieri decernimus & devotè suscipiatis & salubriter conservetis; quatinus & vobis meritum obedientiae, & illis pro quibus talia praecipiuntur praemium sempiternae salutis aderescat: Notum itaque sit fraternitati vestrae praecepisse nos de domno Alfonso Hispaniarum Rege nostro fideli amico, qui tanta ac talia bona nobis fecit & adhuc indesinenter facit ut neminem Regum vel Principum sive priscis seu modernis temporibus ei comparare possimus, quo scilicet in omnibus bonis quae Deo largiente in nostro loco vel in aliis nostro juri subditis acta fuerint specialem habeat participationem tam in vita quàm post mortem. Praeterea dedimus ei in vita sua unum psalmum, id est, *Exaudiat te Dominus*, ad horam tertiam sine intermissione canendum, & ad majorem Missam unam collectam, id est, *Quaesumus omnipotens Deus*, simili modo quandiu vixerit. Decrevimus quoque ut in die coenae Domini triginta pauperes pro eo mittantur ad mandatum, & in die sancto Paschae centum nihilominus pauperes à Camerario pro eo reficiantur. Et super haec omnia statuimus ut praebendam cotidianam habeat in refectorio ad majorem mensam, quasi si nobiscum epulaturus sederet, quae uni pauperum Christi semper tribuatur pro salute animae ejus tam in vita quàm in morte. Huic quoque mensurae bonae confertae simul & coagitatae superaffluentiam addere cupientes, dedimus ei in Ecclesia beatorum Apostolorum Petri & Pauli nova, quam ipse de propriis facultatibus construxisse videtur, unum altare de praecipuis, quo scilicet divina mysteria ibidem celebrata saluti ejus valeant suffragari. Cùm verò hujus temporalis vitae cursum debito fine compleverit, exceptis officiis, Missis, atque

que elemosinis quae pro illo agenda sunt, uno anno in supradicto altari Missa specialiter pro illo canatur. Anniversaria verò dies ipsius ita per omnia agatur sicut pro domno Heynrico Imperatore augusto. Ad vesperas scilicet, ad officium, & ad Missam omnia signa tangantur, tractum in cappis canatur, eadem Missa ad ejus altare decantetur, duodecim pauperes reficiantur, septem diebus justitia detur, excepta cotidiana praebenda quae in majori mensa semper ponitur, abundans refectio à custode Ecclesiae fratribus praeparetur. In his autem omnibus quae de illo vel pro illo agi decrevimus, in his inquam omnibus & Reginam ejus conjugem devotissimam fieri volumus participem, & insuper duodecim pauperes ei in coena Domini concessimus, & anniversarium ejus sicut Imperatricis Agnetis agi censuimus.

Narratio de Concilio Nemausensi sub Urbano II.

Vide Notas ad Capitularia pag. 1143.

ANno dominicae incarnationis MXCVI. aera millesima CXXXIV. venit Dominus Papa Urbanus ad celebrandum Concilium apud civitatem Nemausum cum multitudine Episcoporum atque Abbatum & caeterorum fidelium diversi ordinis ex multis provinciis atque regionibus illuc confluentium; ubi de statu Ecclesiae Dei multa fuerunt à jam dicto Papa & reliquo conventu Deo opitulante disposita. Inter quos adfuit Domnus Bertrandus sanctae Dei genitricis Mariae scilicet Rivipollentis Abbas conquerens super Domno Berengario Tarraconensi Archiepiscopo & sedis Ausonae clero, qui Ecclesias praedicti coenobii, scilicet Rivipullentis, contra privilegia apostolica eidem loco à Pontificibus Romanae Ecclesiae concessa à divino officio interdixerant. Unde causa concordiae egressi sunt in partem Gualterius Albanensis Episcopus & Domnus Ricardus Romanae Ecclesiae Cardinalis & Abbas Massiliensis, & Gothafredus Magalonensis & Bernardus Gerundensis & Artallus Elenensis Pontifices, & Petrus Cuxanensis & Benedictus Balneolensis Abbates, & VVillelmus Raymundi palatii Barchinonensis Dapifer, & alii quamplurimi bonorum hominum tam clericorum quam laicorum, qui interfuerunt illo colloquio. Ante hos vero omnes praefatus Tarraconensis Archiepiscopus testatus est quod eo nesciente & absque sua omnino jussione facta fuisset interdictio Ecclesiarum praelibatae sanctae Mariae Rivipollentis coenobii. In quorum etiam praesentia dixit quod competentem faceret justitiam praenominato Abbati & monachis praefixi coenobii de clericis qui praefatam interdictionem fecerant & auctores hujus malae operationis extiterant. Et ne aliqua altercatio vel inimicitia seu discordia inter se & Abbatem praenominatum & monachos ejus de violandis Pontificum Romanorum privilegiis amodo oriretur, coram omnibus superiùs memoratis his verbis injunxit. *Ego Berengarius gratia Dei Tarraconensis Archiepiscopus laudo atque confirmo seu corroboro privilegia quae à Romana Ecclesia jam dicto loco sanctae Mariae Rivipollentis coenobii olim fuerunt concessa, & ea in perpetuum fideliter observabo sicut mei antecessores ea melius noscuntur observasse. Berengarius gratia Dei Tarraconensis Archiepiscopus.* Actum est hoc apud praefatum Concilium v. idus Julii anno XXXVIII. regni Philippi Regis Francorum.

CHRONICON VVIRZIBVRGENSE.

DCLXXXVII. Sanctus Kilianus martyrizatur.

DCXCIV. VVilibrordus à Sergio Papa Episcopus ordinatus Fresonum gentem convertit.

DCXCV. Iustinianus Imperator ob haeresim regno privatus exul in Pontum secessit.

DCXCVI. Sergius Papa capsam cum portione dominicae crucis invenit.

DCCV. Iohannes Papa Sergio successit. Cui item alius Iohannes successit, Iustinianus Imperator Leonem & Tyberium cum alijs qui eum expulerant occidit. Quem videlicet Iustinianum Leo, in expulsione illius, naribus detruncarat. Qui post iterum assumpto imperio, quotiens defluentem guttam reumatis manu detersit, totiens penè aliquem de suis contrarijs jugulare praecepit.

DCCX. Iostinianus Imperator de peccatis suis poenitentiam agens, Constantinum Papam cum summo honore habuit.

DCCXI. Iohanni Papae successit Sisinnius, cui Constantinus. Hiltibertus Rex justus obijt. Pro quo Dagobertus filius ejus regnavit

DCCXIV. Pippinus senior Major domus regiae obijt. Pro quo Karolus. Dagobertus Rex obijt. Constantino Papae successit Gregorius secundus.

DCCXV. Karolus à Blitrude noverca sua in custodiam missus, Dei auxilio liberatus est.

DCCXVI. Sanctus Bonifacius, qui & VVinfridus, à Gregorio Papa in Franciam ad praedicandum verbum Dei missus est.

DCCXIX. Sanctus Bonifacius Mogontiacensis civitatis à Gregorio Papa Archiepiscopus ordinatur.

DCCXX. Mortuo Elberico, Theodericus frater ejus in regnum successit.

DCCXXI. Karolus Suevos & Bajuarios armis subegit.

DCCXXII. Luidbrandus Rex Longobardorum ossa sancti Augustini transtulit in Ticinum.

DCCXXVI. Karolus Pippini filius, cum jam principatum Majoris Domus XII. annos teneret, post haec eundem principatum tenet XV. annis; Regibus tamen in Francia, sed parva dignitate, regnantibus.

DCCXXIX. Karolus Fresiam subegit.

DCCXXX. Beda venerabilis Presbyter Anglorum obijt.

DCCXXXIX. Karolus Provinciam subegit.

DCCXLI. Gregorio tertio successit Zacharias Papa. Karolus Rex obijt.

DCCXLII. Pippinus filius Karoli cum fratre Karlomanno Major domus annos XI.

DCCXLV. Initium Fuldensis monasterij.

DCCL. Karlomannus divino amore succensus Romam pergens, monasterium sancti Silvestri in monte soracti construens, se monachum fecit, & post aliquantum temporis ad monasterium sancti Benedicti profectus est.

DCCLI. Sanctus Burchardus accepit pontificatum, in quo sedit annos XL.

DCCLII. Translatio sancti Kyliani.

DCCLIII. Pippinus per auctoritatem Stephani Papae Rex Francorum est appellatus, & unctus manu sancti Bonifacij.

DCCLIV. Sanctus Bonifacius Archiepiscopus martyrio coronatur.

DCCLXVII. Pippinus Rex moritur.

DCCLXVIII. Karolus magnus Pippini filius cum fratre Karlomanno annos IV. postea solus XLIII.

DCCLXXI. Karlomannus frater Karoli magni obijt.

DCCLXXXII. Karolus secundo Romam perrexit; ibique baptizatus est filius ejus Karlus, quem Adrianus Papa mutato nomine vocavit Pippinum.

DCCLXXXIII. Hiltigart Regina obijt. Pro qua Karolus Fastradam sibi sociavit in conjugium.

DCCLXXXVI. Lul Mogontiacensis Archiepiscopus obijt. Cui Richolfus successit. Sanguis è caelo & de terra profluxit.

DCCXCI. Sanctus Burkardus migravit ad caelum IV. Nonas Februarij.

DCCXCII. Conjuratio Pippini contra Karolum patrem suum. Qui, hoc detecto consilio, tonsoratur. Sociorum verò alij decollantur, alij suspenduntur.

DCCXCIV. Megingaudus Episcopus obijt VI. Kal. Octobr. VVirziburc. Sedit annos tres, menses decem, dies XXV.

Fa-

Fastrada Regina obijt, & apud sanctum Albanum sepelitur.

DCCXCVIII. Richolfus consecratur in Episcopum IV. Non. Martij apud Frideslar.

DCCXCIX. Geroldus pijssimus signifer Karoli in pugna occiditur.

DCCC. Berenvelfus Episcopus obijt VI. Kal. Octobris. Sedit annos VI.

Romani Papam in Letania majore excaecant, & linguam ejus amputant.

DCCCI. Karolus à Romanis est Augustus appellatus.

DCCCII. Liudericus Episcopus obijt III. Kal. Martij VVirziburc. Sedit annos tres, menses V.

Karolus imperiali benedictione sublimatus, Augustus & Caesar Romano more appellatur.

DCCCIII. Karolus pontem quinquaginta passuum construxit Mogontiae. Tanta est enim ibi fluminis latitudo.

DCCCV. Hoc anno dedicatum est monasterium sancti Albani Kalendis Decembris, Indictione XIII.

DCCCXIII. Richolfus Mogontiacensis Archiepiscopus obijt. Cui Haistolfus successit. Pons apud Mogontiam, quem Karolus construxit per X. annos, combustus est, quia latrones noctu, hominibus in Rhenum projectis rapiebant praedam.

DCCCXIV. Karolus Imperator febre pleuresi pulsatus obijt V. Kal. Februarij, anno aetatis LXXI. Regnavitque filius ejus Ludeuvicus cognomento Pius annos XXVII.

DCCCXVI. Leo Papa obijt. Pro quo Stephanus ordinatur. Qui mox Ludeuvicum imperiali benedictione sublimavit.

DCCCXVII. Pascualis Papa efficitur.

DCCCXXIV. Haistolfus Archiepiscopus obijt. Cui Otgarius successit.

DCCCXXVII. VVetthi Augiensis monachus in spiritu raptus admirabilem vidit visionem.

DCCCXXIX. Pascualis Papa obijt.

DCCCXXXII. VVolfgerus Episcopus VVirzibur. obijt II. Id. Novembris. Sedit annos XXII. menses VI. dies XI.

DCCCXLI. Ludeuvicus Imperator obijt XII. Kal. Iulij. Regnavitque pro eo filius ejus Ludeuvicus cum fratribus suis Lothario, Karolo, & Pippino annos XXXVI.

DCCCXLII. Humbertus Episcopus VVirzibur. obijt VII. Idus Martij. Sedit annos X. menses III. dies VIII.

Bellum inter fratres de partitione regni excanduit.

DCCCXLVI. Otgarius Mogontiacensis Archiepiscopus obijt. Cui Rabanus successit.

DCCCXLIX. Ludeuvicus Germaniam, Lotharius cum Imperatoris nomine Italiam, Karolus Gallias, regnum dividentes, accipiunt.

DCCCLV. Gozbaldus VVirziburc. Episcopus obijt XII. Kal. Octobris. Sedit annos XIII.

Rabanus Mogontiacensis obijt. Cui Karolus successit.

DCCCLVI. Ecclesia sancti Kyliani in VVirziburc. exusta est.

Lotharius Rex tonsuram & monachicum habitum suscepit moriturus.

DCCCLVIII. Leo Papa, Truogo, & Rabanus Episcopi, Benedictus Papa, obierunt.

DCCCLXIII. Karolus Mogontiacensis Episcopus obijt. Luibbertus successit.

DCCCLXVIII. Nicolao Papae Adrianus successit. Visa est cometa manifestè.

DCCCLXXIII. Adrianus Papa obijt.

VVormacium fulminis ictu crematur.

DCCCLXXVII. Ludeuvicus Rex Germaniae obijt V. Kal. Septembris. Pro quo filius ejus Karolus junior cum fratribus Karlomanno & Ludeuvico regnavit annos XI.

DCCCLXXIX. Luibertus Mogontiacensis obijt. Cui Sinderoldus successit.

DCCCLXXXI. Karolus junior cum uxore sua Ribgartha imperiali benedictione sublimatur.

DCCCLXXXII. Karolus Imperator vivus dimisit regnum.

DCCCLXXXVIII. Arnolfus filius Karlomanni regnavit annos XII.

DCCCLXXXIX. Karolus, junior Imperator obijt.

DCCCXCI. Arn. VVirziburc. Episcopus in Saxonia occisus est inter Missarum sollemnia.

Sunderoldus Moguntiacensis Episcopus VVormatiae à Normannis occisus est. Cui Hatto successit.

DCCCXCVII. Arnolfus Rex Romam veniens Imperator efficitur.

DCCCC. Arnolfus Imperator obijt. Pro quo filius ejus Ludeuvicus admodum puer regnavit annos XII.

DCCCCVI Berenger, Reginold, & Gebehart fratres occiduntur.

DCCCCVII. Pugna inter Adelbertum fratrem eorum & Cuonradum fratrem Ludeuvici Imperatoris committitur, in qua Cuonradus occiditur.

DCCCCVIII. Ruodolfus VVirziburc. Episcopus obijt III. Non. Augusti. Sedit annos XVII. dies II.

Adelbertus perfidia Hattonis Archiepiscopi Mogontiacensis & cujusdam Luitpaldi deceptus, Ludeuvico Imperatore jubente decollatur.

DCCCCXI. Bellum Francorum cum Vngarijs.

DCCCCXII. Ludeuvicus Rex moritur. Pro quo filius Cuonradi illius quem Adelbertus Babenbergensis interfecit, in regnum elevatus, regnavit annos VII.

Hatto obijt Mogontiacensis Episcopus. Cui Herigerus successit.

DCCCCXIV. Cometae videntur.

DCCCCXVIII. Basilea ab Vngarijs destruitur XII. Kal. Februarij.

DCCCCXIX. Cuonradus Rex moritur.

Heinricus Comes Rex effectus regnavit annos XVIII.

DCCCCXXVII. Herigerus Mogontiacensis Episcopus obijt. Cui Hilnbertus successit.

DCCCCXXVIII. Hungarij totam Franciam, Galliam, Alsatiam, atque Alamanniam gladio & igne devastant.

DCCCCXXXII. Thiedo VVirziburc. Episcopus obijt XVII. Kal. Decembris. Sedit annos XXIV. menses II. dies XIV.

DCCCCXXXVI. Hiltibertus Mogontiacensis Episcopus obijt. Cui Fredericus successit.

DCCCCXXXVII. Heinricus Rex obijt. Ottho magnus Heinrici filius anno XXXVIII.

DCCCCXXXVIII. Vngarij Franciam, Alamanniam, Galliam usque oceanum & Burgundiam devastantes, per Italiam redierunt. Monasteria sancti Galli & sancti Bonifacij cremantur.

DCCCCXLI. Iunior Burchardus VVirziburc. Episcopus obijt VIII. Kal. Aprilis. Sedit annos IX. menses III. dies XXIII.

DCCCCLI. Ottho Rex Italiam petit, eamque sibi subjecit, Berengerum Regem expulit.

DCCCCLII. Berenger apud Augustam in conventu Otthoni ad deditionem venit. Inde cum Regina conjuge ejus VVilla nomine ad castellum Babenberg deductus extremam clausit horam.

Ignitus lapis, quasi massa candentis ferri, ab occidente volitans venit. Et Draco visus est.

DCCCCLIII. Obijt Fridericus Mogontiacensis Archiepiscopus. Pro quo VVillehelmus constituitur, filius Imperatoris Otthonis.

DCCCCLIV. Luidolfus Dux Otthoni Regi patri suo rebellat.

DCCCCLV. Vngarij Noricam, Franciam, Italiamque petunt.

DCCCCLVI. Vngarij totam Bajoariam depopulantes, juxta Augustam Alamanniae urbem ab Otthone Rege pugna victi, immensa caede necantur.

Luidolfus Adelbertum bello vicit. Et ipse eodem anno moritur.

DCCCCLX. Cruces in vestibus apparuerunt.

DCCCCLXI. Bobbo VVirziburc. Episcopus obijt XV. Kal. Martij. Sedit annos XX. menses X. dies XIV.

DCCCC-

DCCCCLXIII. Ottho Rex Romam veniens Imperator efficitur.

Signum in sole.

DCCCCLXVIII. VVillehelmus Mogontiacensis Episcopus obijt. Cui Hatto successit.

DCCCCLXX. Hatto Mogontiacensis Episcopus obijt. Ruobbertus successit.

DCCCCLXXII. Signum quoddam ignei coloris in cœlo apparuit.

DCCCCLXXV. Ottho Imperator obijt Nonis Mai.

Sanctus Vdalricus migravit ad Dominum IV. Nonas Iulij, anno episcopatus sui L.

Ottho II. Otthonis magni magni filius annos IX.

DCCCCLXXVII. Ruobbertus Archiepiscopus Mogontiacensis annos IV. X. menses obijt. Pro quo constituitur VVilligisus, qui in primis cœpit aedificare monasterium sancti Martini.

DCCCCLXXXIII. Ottho Imperator apud Calabriam occiso à Graecis exercitu de navi exiliens natando aufugit.

DCCCCLXXXIV. Iunior Poppo VVirziburc. Episcopus obijt XI. Kalend. Augusti. Sedit annos XXIII. menses IV. dies XXI.

Ottho Imperator Romae VI. Idus Decembris moritur & sepelitur.

Ottho tertius, Otthonis secundi filius, admodum puer, annos XVIII.

DCCCCXC. Huc Episcopus VVirziburc. obijt IV. Kal. Septembris. Sedit annos VI. menses VII. dies XXVIII.

DCCCCXCV. Sanctus Adelbertus Episcopus de Praga civitate à Prucis martyrio coronatur.

Brunuvardus VVirziburc. Episcopus obijt XII. Kal. Octobris. Sedit annos V. menses VIII. dies XIX. In insula Euboea, & sepelitur in monasterio quod dicitur Politica.

MI. Ottho Imperator in Italia obijt absque filijs V. Kal. Februarij. Cujus intestina Augustae, reliquum corpus Aquisgrani sepelitur.

Heinricus Dux Bajoariae Babenberg. apud Mogontiacum Rex effectus regnavit annos XXIII. menses V.

MIV. Heinricus Rex italiam, Boëmiam, & Bolizlaum Ducem cum omni gente Sclavorum subjugavit.

MVII. Episcopium Babenberg à Rege Heinrico constituitur, & Eberhardus ibi Episcopus ordinatur.

MIX. Brun Episcopus & monachus à Prucis multis supplicijs affectus, & manibus pedibusque abscisis, postremò capite plexus, caelos petijt.

MXI. Hoc anno Babenbergensis Ecclesiae dedicatio facta est, XLVI. Episcopis in id operis destinatis.

Obijt VVilligisus Mogontiacensis Archiepiscopus. Cui Erkenbaldus successit Abbas.

MXIV. Heinricus Romae imperiali benedictione coronatur à Benedicto Papa.

MXV. Ernolt Duc in venatu occiditur.

MXVIII. Heinricus VVirziburc. Episcopus obijt. XVIII. Kal. Decembris. Sedit annos XXIII. menses V. dies XXII.

MXIX. Benedictus Papa Babenberg veniens, Ecclesiam sancti Stephani dedicavit.

MXX. Terrae motus magnus factus est IV. Idus Mai, feria VI.

Sanctus Heribertus Coloniensis Archiepiscopus obijt. Pro quo Piligrimus constituitur.

Obijt Erkenbaldus Mogontiacensis Archiepiscopus. Pro quo Aribo constituitur.

MXXI. Heinricus Imperator novam Trojam deditione cepit. Et mortalitas magna facta est in exercitu.

MXXIV. Heinricus Imperator III. Idus Iulij obijt, & in Babenberc episcopio à se facto in monasterio sancti Petri Apostoli sepelitur.

Benedictus Papa obijt.

Cuonradus annos ferè XV. regnavit.

MXXVI. Cuonradus filium suum Heinricum Regem fecit. Et ipse Romam pergens, Imperator efficitur.

MXXX. Cuonradus Imperator Stephanum Panoniae Regem cum exercitu petit. Interea in Alamannia Ernest Dux & VVernheri Comes cum alijs multis occiduntur.

XVI. Kal. Septembris Aribo Mogontiacensis Archiepiscopus obijt. Pro quo sanctus Bardo constituitur.

MXXXI. Stephanus Rex missis legatis cum Imperatore Cuonrado pacificatur.

MXXXII. Ruodolfus Rex Burgundiae moriens, diadema suum Cnonrado Imperatori misit.

Monasterium sanctorum Petri & Pauli & sancti Stephani dedicatum est.

MXXXIV. Meginhardus VVirziburc. Episcopus obijt XI. Kal. Aprilis. Sedit annos XV. menses II. dies XXI.

Cuonradus Imperator hieme Burgundiam petit.

Eclypsis solis facta est III. Kal. Iul. hora VI.

MXXXV. Piligrimus Coloniensis Episcopus obijt. Pro quo Herimannus constituitur.

MXXXVI. Otho Princeps Karlingorum à Gozzelone Duce pugna victus, fugiensque, à quodam milite occiditur.

MXXXVII. Cuonigunt Imperatrix V. Non. Martij obijt.

Herimannus Dux obijt.

Stephanus Christianus Vngariorum Rex obijt, qui cum omni gente sua ad fidem Christi convertitur.

MXXXIX. Cuonradus Imperator II. Non. Iunij obijt, & Spirae sepelitur.

Eberhardus Babenbergensis Episcopus obijt.

MXL. Henricus Rex pius, filius Cuonradi, incipit regnare.

MXLI. Heinricus Rex Ducem Boëmiae Fratislaum bello petit. Sed multis proceribus & militibus in praestructione silvae citra & ultra occisis vel captis, nil dignum efficere potuit. Petrus quoque Vngariorum Rex eidem Duci contra Heinricum Regem auxilia misit.

MXLII. Vngarij quendam Ovonem Regem sibi eligentes, Petrum Regem suum expellunt. Qui profugus & exul, Heinrici Regis, cui priori anno rebellaverat, gratiam, quaerit & invenit.

Heinricus Rex Boemiam ingressus, igne praedaque cuncta devastat, & rebellem Ducem obsides dare & ipsum post se Radisponam ad deditionem humiliter venire, sibique jurejurando fidelitatem servitiumque confirmare coartat.

Ovo Rex Vngariorum, ob susceptum à Heinrico Rege Petrum à se expulsum, fines Bajoariae praedis & incendijs depopulatur. Sed magna pars exercitus ejus ab Adelberone Marchione deleta est.

MXLIII. Heinricus Rex Pannoniam ingressus, duas populosissimas civitates evertit, plures deditione subjecit. Sed cùm Petrum Regem, quem secum ducebat, provinciales recipere nollent, alium, quem petebant, Ducem eis constituit, quem Ovo post discessum ejus in Boemiam repulit.

Gisela Imperatrix, mater Heinrici Regis, obijt XVI. Kal. Martij, & apud Spiram sepelitur.

MXLIV. Heinricus Rex iterum Pannonias invadens, satisfactionem, obsides, munera, pacis per jusjurandum confirmationem accipiens discessit. Inde reversus, Constantiensi synodo affuit, ubi cunctis debita dimisit, destructisque omnibus inimicitijs, pacem hactenus inauditam tam in tota Suevia quam in alijs sui regni provincijs regia censura per edictum confirmavit. Dein Agneten VVillehalmi Pictavensis Principis filiam Reginam apud Mogontiam ungui faciens, regalibus sibi nuptijs in Hingelenheim copulavit. Vnde infinitam histrionum & joculatorum multitudinem sine cibo & muneribus vacuam & mœrentem abire permisit.

Luitboldus Marchio, Adalberti filius, maxima Vngariorum clades, immaturè obijt.

Pestis pecudum maxima.

Hiemps

u

Hiemps dura & nivosa.

MXLV. Brun VVirzburc. Episcopus obijt VI. Kal. Iunij. Sedit annos XI. mensem I. dies XIV.

Heinricus Rex tertio Pannonias iratus ingrediens, Dei favente clementia, & beato Vdalrico Episcopo impetrante, victor factus, Ovonem cum uxore & filijs cognatisque, quibus locus evadendi erat, effugabat. Petrum in regnum restituit; subditoque sibi Vngariorum regno, summo cum honore revertitur.

MXLVI. Heinricus Rex Italiam ingressus, pacificè à Romanis suscipitur. Papas tres non dignos constitutos synodaliter deposuit, & Suiggerum Babenbergensem Episcopum Papam constituit. Ipseque & conjux ejus Agnes Regina eadem die imperiali benedictione sublimantur.

MXLVII. Petrus Rex Vngariorum à quodam tyranno Pannonico captus & coecatus, ille qui eum expulerat regnare coepit.

Suiggerus Papa obijt eodem quo constituitur anno. Pro quo Bobbo ordinatur.

Ottho Dux Suevorum obijt. Pro quo Otho de Suvinwirt surrexit.

MXLVIII. Bobbo Papa obijt anno quo constituitur. Pro quo Bruno, qui & Leo, Tullensium antistes, Papa ordinatur.

Heinricus Imperator nascitur.

ML. Bartho Mogontiacensis Episcopus obijt. Pro quo Luitpoldus ordinatur.

MLIII. Leo Papa exercitum ducens per Apuliam contra Nortmannos, infinita utrobique caede peracta, absque victoria regreditur XIV. Kal. Iulij, & eodem anno obijt.

MLIV. Leoni Papae Gebehardus, qui & Victor, successit.

Adelbertus Marchio obijt.

Fames magna fuit.

VVelf Dux Carinthiorum obijt.

Cuonradus Dux antea Noricus ab Imperatore expulsus, in Pannonia exul malè moritur.

Hezil Comes de Oberellenuelt obijt VI. Kal. Februarij.

MLV. Herimannus Coloniensis Episcopus obijt. Pro quo Domnus Anno ordinatur.

MLVI. Magna caedes à barbaris qui Liutici dicuntur in Christianos facta est; quorum quidam gladio, quidam fugientes in aqua perierunt. inter quos VVilham Marchio occiditur.

Hisdem temporibus multi diversarum provinciarum Principes perierunt.

Fames multas provincias afflixit. Egestas & penuria undique praevaluit.

Multa mala tunc temporis facta sunt.

Heinricus Imperator his doloribus corde tenus compunctus infirmari coepit; & perductus usque ad mortem, sapienti tamen usus consilio, ab omnibus quibus potuit veniam petens, quibusdam praedia quae abstulit restituens, cunctis qui contra eum culpas damnabiles fecerunt relaxans, filium suum Heinricum Romani Pontificis caeterorumque Pontificum & Principum electione Regem constituit. His & alijs, prout vitae possibilitas admisit, bene dispositis, III. Non. Octobris hanc vitam praesentem in Deo finivit.

Anno Domini MLVII. Heinricus filius Heinrici Imperatoris admodum puer coepit regnare.

Agnes Imperatrix, mater ipsius Heinrici, Ducatum suscepit Bajoariae.

Victor Papa, multis in Germania bene dispositis, Romam redijt, & eodem anno vitam finivit. Pro quo Fridericus, qui & Stephanus frater Godefridi Ducis, jam monachus in monte Cassino factus, à Romanis Pontifex constituitur. Hic etiam eodem anno obijt.

Item obierunt Adelbero Babenbergensis Episcopus & Ottho Dux de Suinwirt.

MLIX. Luipoldus Mogontiacensis Archiepiscopus obijt. Pro quo Sigefridus constituitur.

Sanctus Cuono Trevirorum Episcopus martyrizatur. In deserto loco à scopuloso monte ter praecipitatus est à Theoderico Comite, eo quod absque electione constitutus est. Et sepultus est Dolcia, ubi per illum Dominus multa signa tunc temporis fecit. Ipse Comes poenitentiam agebat, Hierosolyma pergens, vitam finivit. Omnes consentanei mala morte perierunt. Pro quo Vdo constituitur.

MLXV. Guntherus Babenbergensis Episcopus obijt. Pro quo Herimannus constituitur.

Gozuvinus Comes, ob exercitam in Episcopio VVirziburgensi injuriam, à militibus Adelberonis Episcopi occiditur.

MLXVI. Cometa videtur, & Anglia à Nortmannis subicitur.

MLXX. Deti Marchio Regi Heinrico rebellat.

MLXXI. Ottho Dux Regi Heinrico rebellat.

MLXXII. Conjurant Principes regni contra Regem Heinricum.

MLXXIII. Saxones Hartesburg destruunt; ubi Regis filij sepulcrum violant, ossaque dispergunt.

MLXXIV. Alexandro Papae Hiltibrandus successit.

Arnoldus Abbas sancti Albani obijt. Pro quo Godescalcus constituitur.

MLXXV. Bellum juxta Vnstruoht committitur VI. Idus Iunij contra Heinricum Regem, ubi multi potentes ex utraque parte ceciderunt, & Saxones fugam inierunt.

MLXXVI. Concilium VVormatiae congregatur, ubi Hiltibrandus Papa abdicatur.

MLXXVII. Domnus Anno Coloniensis Archiepiscopus obijt II. Nonas Decembris. Qui ex fundamento V. congreg. fecit, II. in Colonia; I. in honore sanctae Mariae, aliud in honore sancti Georgij martyris, & extra, I. in loco qui vocatur Grafscaft, & in alio loco qui vocatur Salevelt, & unum in monte qui vocatur Sigeberg, in quo feliciter requiescit. Pro quo Hildolfus Episcopus ordinatur.

Agnes Imperatrix obijt.

Ruodolfus Rex constitutus est in loco qui dicitur Vorhheim, & in media quadragesima apud Magontiam unctus est in Regem à Sigefrido Archiepiscopo.

VVirziburg. obsidetur.

Hiemps magna & nivosa.

MLXXVIII. Bellum juxta Strowi commissum est VII. Idus Augusti.

Hildolfus Episcopus Coloniensis obijt. Pro quo Sigewinus ordinatur.

MLXXIX. Bellum juxta Fladecheim commissum est V. Kal. Februarij.

MLXXX. Apud Brixinam Noricam XXX. Episcoporum magnaeque partis optimatum regni conventus contra Hiltibrandum habetur.

Bellum juxta Elstret committitur Idibus Octobris; in quo Ruodolfus Rex, qui & Dux, occiditur.

MLXXXI. Heinricus Rex Romam obsedit.

Monasterium Babenbergense in vigilia Paschae combustum est.

Bellum inter Luipoldum Marchionem & Cuonradum fratrem Ducis Boemiae IV. Idus Mai.

Item bellum inter suevos & Bajoarios juxta Danubium, loco qui vocatur Hohstein, IV. Idus Augusti.

Monasterium sancti Martini Mogontiacensis exustum est, & tria monasteria propè posita, & penè omnis civitas exusta est.

Heinricus Rex natus est junior filius.

MLXXXII. Herimannus regnum invadit.

MLXXXIII. Roma capta est à Heinrico Rege, & pestilentia magna facta est.

Herimannus, qui regnum invaserat, orientalem Franciam hostiliter ingreditur.

MLXXXIV. Heinricus Imperator de Italia revertitur, & Augusta ab eo obsidetur & capitur.

Herimannus Babenbergensis Episcopus obijt, qui ab episcopio expulsus est.

Obijt Sigefridus Archiepiscopus Mogontiacensis in

Thu-

Thuringia & apud Hasungun sepelitur. Pro quo VVezelinus constituitur.

MLXXXV. Synodus Mogontiacensis apud sanctum Albanum habetur.

Meginhardus VVirziburgensis Episcopus constituitur.

Obierunt Gregorius Papa, qui & Hiltibrandus, Dietmarus VVormaciae Episcopus, Herimannus Palatinus Comes.

Heinricus Rex Saxoniam vastat.

Godescalcus Abbas deponitur. Cui Adelmannus successit.

MLXXXVI. Bellum juxta Bleihfelt committitur III. Idus Augusti.

Hermannus nomen regium deponit, & ipse mox perit.

VVirziburg à Saxonibus capta est, & mox ab Imperatore acquisita est.

MLXXXVII. Bertha Imperatrix obijt.

MLXXXVIII. Meginhardus junior VVirziburgensis Episcopus obijt XII. Kal. Iulij. Sedit annos tres, dies XXVI.

VVezil Mogontiacensis Archiepiscopus obijt.

Buggo Halberstatensis Episcopus Goslariae occiditur.

MLXXXIX. Bellum juxta Glicho castellum in Thuringia juxta Erphesfurt situm inter imperatorem & Eggibertum Marchionem in vigilia Domini, die dominica, in quo Burchardus Losannae Episcopus occisus est.

Obierunt Episcopi, Sigewinus Coloniensis, Ottho Radisponensis.

Constituuntur Episcopi, Ruothardus Mogontiacensis, Herimannus Coloniensis, Emehardus VVirziburgensis VIII. Kal. Augusti.

MXC. Huozmannus Spirensis Episcopus obijt. Pro quo Iohannes constituitur.

Imperator Italiam petijt.

Hermannus Metensis Episcopus, Luidolfus Dux, & Bertholfus Dux filius Ruodolfi, obierunt.

Eggibertus Marchio occisus est.

Domnus Adelbero XX. post beatum Burchardum sacro sanctae VVirziburg. Ecclesiae Episcopus III. Kal. Iulij constitutus vixit in episcopatu annos XLV. menses III. dies VII. Obijt II. Nonas Octobris.

MXCI. Mahthilt de Longobardia Heinrico Regi rebellat.

MXCII. Pestilentia magna hominum & pecorum facta est.

MXCIII. Domnus Emehardus ordinatur VI. Kal. April. Indictione I.

Eclypsis solis facta est III. hora diei, & Draco visus est.

Eratislaus Dux Boëmiae in venatu repentè de equo cadens subitanea morte discedit.

MXCIV. Pestilentia magna facta est.

MXCV. Ladizlaus Rex Pannoniae, vir piae memoriae, item Luipoldus Marchio, & Heinricus Palatinus Comes, obierunt.

MXCVI. Hoc anno populus innumerabilis ex diversarum gentium partibus armatus Hierosolymam tendens Iudaeos baptizari compulit, renuentes immensa caede profligavit.

Apud Mogontiam Iudaei numero virorum ac mulierum & infantum mille & XIV. interfecti sunt. & maxima pars civitatis exusta est. Iudaei per diversas provincias Christiani facti sunt, & iterum à Christianitate recesserunt.

Adalmannus Abbas sancti Albani obijt.

MXCVII. Imperator de Italia redijt.

Cuonradus patri suo Heinrico rebellat, & ob hanc injuriam juniori filio suo regnum injungit.

Theodericus Abbas sancti Albani constituitur.

MXCVIII. Cuonradus Comes Hohenburg Regi rebellat. idcirco expulsus est. Ruothardus Archiepiscopus Mogontiacensis gratiam Regis perdidit, & in Thuringiam secessit.

MXCIX. Imperator Pascha Radisponae celebravit; ubi isdem diebus magna mortalitas facta est, in qua Rabbodo Palatinus Comes cum alijs innumerabilibus moritur.

Cuonradus Trajectensis Episcopus IV. feria Paschae à negociatore Fresico crudeliter occiditur. Pro quo constituitur Burchardus.

Obierunt Episcopi, Vdalricus Eihestatensis, Herimannus Coloniensis Archiepiscopus. pro quo Fridericus constituitur.

Vrbanus Papa, qui & Ottho, obijt.

Hierosolyma à Christianis capitur, Godefrido Duce exercitum regente.

MC. Hiemps dura, & fames magna.

Hottho Argentinae sedis Episcopus obijt. Pro quo Baldeuvinus constituitur, qui vixit menses II. & moritur.

Vdo Marchio & alij plures Saxonum barbaros, qui & Liuttici vocantur, invasit, & honorificè triumphavit.

Clemens Papa, qui & VVigbertus, obijt.

Adela Marchia Romam pergens mortua est.

Godefridus Dux obijt apud Hierosolymam, qui exercitum Christianorum regebat. Pro quo frater ejus constituitur.

MCI. Imperator Natale Domini apud Mogontiam celebravit, ubi multi Principes venerunt, & consilium Imperatori fecerunt ut Romam mitteret nuncios propter unitatem Ecclesiae, & Papam constituere secundum electionem Romanorum & omnium Ecclesiarum.

Comes Hiericus gratiam Imperatoris acquisivit, & ipse Imperator marchiam Fresonum sibi tradidit. Qui statim illuc pergens cum uxore sua, ipse interfectus est, & illa vix evasit.

VITA BEATI GERALDI
Archiepiscopi Bracarensis, auctore ejus discipulo Bernaldo Archidiacono Bracarensi.

CVpientes minùs eruditos ad fidei incrementa provehere, beati Geraldi Bracarensis Archiepiscopi vitam & miracula quae Deus omnipotens in ejus honore mundo hominibus exhibuit describere dignum duximus, quatinus ipsi tanti viri virtutibus auditis, ad eum imitandum zelo vitae similis accendantur. Ad hoc autem explendum sancti spiritus opitulationem flagitamus, ut in hoc opere auctor sermonis dignetur adesse.

I. Beatus igitur Geraldus nobili prosapia ortus, Cadurcensis regionis oriundus fuit. Parentes vero ejus & nobilitate & seculari potestate non mediocriter pollebant; à quibus nimirum parentibus in coenobio quod dicitur Moysiacum Deo & sancto Petro puer parvulus oblatus est, ubi & regularem disciplinam didicit, & ordinem monasticum perfectè observavit. Beatus itaque Geraldus in ordine monastico constitutus, tanta virtute coepit pollere quod majores natu praeclarae sanctitatis ejus exemplum imitari cupiebant. Castitas enim, quae Angelis est socia, in eo praecipuè viguit. In gradu etiam humilitatis persistens, superbiae fastus & cetera vitia quae homines infestare solent, à se omnino extirpavit. Quia vero divinae scripturae pabulo refici magnopere exoptabat, armarii in quo libri divini reponebantur custos factus est. in cujus officii obedientia annis multis perduravit. Tali quippe refectione imbutus, fratribus in Capitulo fluenta praedicationum effundebat, & eos spiritali cibo jugiter reficiebat. Musicae quoque, nec non etiam artis grammaticae scientia eruditus, in monasterio quorum, utpote bonus primicerius, doctissimè regebat; & monachos minus eruditos tam in musica quàm etiam litterali disciplina diligenter edocebat. Et quia scientiae donum & docendi gratiam omnipotens illi concesserat, Abbati & fratribus utile visum est ut beatus Geraldus monasterii cellas visitaret, & fratres ibi commoran-

tes in sancta doctrina & in ordine sancto reformaret. Hac de causa in urbe Tolosa ad quandam coenobii Moysiaci obedientiam quae sancta Maria deaurata nuncupatur, quae est sita in ripa Garonae, delegatus est: ubi religiosè vivendo, & monachis exemplum sanctitatis ostendendo, prolixi temporis moras contraxit.

II. Illo autem temporis discursu, dum tantus vir ibidem moraretur, Archiepiscopus venerabilis memoriae Toletanus domnus scilicet Bernardus, curiam Domini Papae Vrbani adivit, & in reditu, cognita sanctitatis ejus opinione, & quia ipse Archiepiscopus ejusdem ordinis erat, ut tantum virum in consortio suo habere posset, Abbatem, Moysiacensem & totum conventum precibus & supplicationibus multis attentius obsecravit. Postquam vero Archiepiscopus petitionis suae compos extitit, eum gaudio non mediocri thesaurum pretiosum secum ducens, Toletum remeavit, & beato Geraldo chorum Ecclesiae Toletanae regendum & Clericos edocendos commendavit. Qui nimirum in Ecclesia illa quasi lucerna lucens extitit, filios sibi commendatos edocendo enutrivit, scientia & religione eos instruxit, de virtute in virtutem eos instruendo ad altiora provexit. Licèt ipse sub alia constellatione maneret, & aliorum hominum conversatione uteretur, in religionis tamen reverentia jugiter perseveravit, & à proposito regulari nullo modo potuit dimoveri.

III. Eo itaque tempore, dum beatus Geraldus Toletani Archiepiscopi & sanctae Romanae Ecclesiae Legati consortio fungeretur, Bracara metropolis quasi desolata absque Metropolitano existebat, & clerus Bracarensis omni consilio destitutus pastorem habere modis omnibus cupiebat; sed persona quae tali cathedra digna existeret, in Episcopatu Bracarensi reperiri non poterat. Coacti verò Pontificis necessitate Bracarenses, plures personas Domino Legato praesentarunt. Sed quia idoneae minimè videbantur, repulsam passi sunt. Hoc autem divina dispensatione factum est ut ad electionem beati Geraldi hoc modo perveniretur. At verò beatus Geraldus hujus rei inscius, circa ordinis religionem operam dabat, Missarum solemnia frequentabat, orationi vacabat, obedientiam sibi injunctam pro viribus adimplere satagebat, de tali honore adipiscendo nullatenus cogitabat.

IV. Postquam igitur beati Geraldi sanctitas ad aures Bracarensium pervenit, tam clerus quàm populus uno consensu, una intentione, uno eodemque animo, eum in Pontificem elegerunt. Sed antequam voti sui compotes extitissent, in conspectu Domini Legati infinitas preces proculdubio effunderunt. Indissolubili namque vinculo dilectionis Dominus Legatus eum amplectebatur, & tantum lumen à se nolebat removeri. Tandem vero Archiepiscopus Toletanus & sanctae Romanae Ecclesiae Legatus, tot & tantis precibus convictus, petitioni eorum adquievit, & beatum Geraldum in Episcopum apud sanctum Facundum consecravit, & eum cum Clericis & Abbatibus, qui ejus ordinationi interfuerant, ad sedem Bracarensem cum gaudio remisit. Cumque urbem Bracarensem ingrederetur, & situm loci barbarum & depopulatum ruinaeque subjacentem videret, ingenti stupore attonitus, Deo gratias egit, qui ei locum in quo desudaret concesserat.

V. Bracarensis namque Ecclesia absque pastoris procuratione diutino tempore permanserat, & ideo per manus vicarii non bene pertractata, de amissis nihil acquisierat, de possessis vero multa per incuriam amiserat. Populus etiam totius pontificatus, qui à procuratore sedis Bracarensis fuerat corrigendus & docendus, in crimina multa sine aliquo cultu correctionis lapsus fuerat, in incestum scilicet, in rapinam, in fornicationem, in furtum, in homicidia, in odium, & cetera criminum genera quae homines ducunt ad mortem. Sicut enim agricola deserta loca fructifera reddere gestiens, primùm extirpat quae infructuosa sunt, deinde terram excolit, postea seminat, tandem fructum metit, eodem modo beatus Geraldus facere sollicitus facinora hominum arguendo resecare non cessavit, vomere correctionis corda eorum attentiùs excoluit, verba praedicationis in populo jugiter seminavit, ut de grege sibi commisso Deo fructum reddere posset. Circa Ecclesiae quoque ordinationem sollicitus, Clericos quos ibi reperit de ordine ecclesiastico perfectè edocuit, bonis ditavit, alios, quos dignos & idoneos, cognovit, illis aggregavit, & ita pulchrum & optimum conventum in Ecclesia instituit. Insignia pontificalia multa ibi composuit, ornamenta alia plurima, scilicet calices argenteos, capas sericas, libros divinos, thuribula argentea, & cetera quae minus erant ibidem adquisivit.

VI. Postquam autem sanctificationis doctrinam in clero & in populo sibi commisso aliquamdiu propagavit, ad Ecclesiae suae dignitatem recuperandam operam dedit. Bracara enim per multa temporum curricula in ruina & destructione jacuerat, à tempore scilicet beati Fructuosi usque ad tempus venerabilis Petri Episcopi: qui quidem quia palleum & privilegium à Papa Clemente accepit, ab Archiepiscopo Toletano & sanctae Romanae Ecclesiae Legato depositus est: cui post annos multos beatus Geraldus successit. Qua de re Bracara, quae antiquitus fuerat metropolis, modernis temporibus propria fuit dignitate privata. Vt autem beatus Geraldus sedi Bracarensi propriam dignitatem restitueret, Romam petiit; & à Domino Papa Paschali honorificè susceptus, palleum & privilegium & auctoritatem Ecclesiae suae inde apportavit. In Concilio enim Palentino, quod venerabilis Ricardus Cardinalis Romae celebravit, Episcopis & Abbatibus & optimis Clericis Hispaniae circumsedentibus, Romanum privilegium in auribus omnium recitatum est, & juxta tenorem ipsius privilegii Bracare metropolis suffraganei Pontifices venerabili Geraldo Bracarensi Metropolitano justitia dictante & Cardinali praecipiente obedientiam & reverentiam promiserunt, & eum per Bracarensem provinciam incedentem tamquam proprium Metropolitanum in propriis sedibus honorificè susceperunt, & ei deinceps reverentiam exhibuerunt.

VII. Beatus enim Geraldus, Ecclesia Bracarensi in pristina dignitate reformata, ad tempus Bracarensem provinciam visitabat, Episcopos de sanctitate admonebat, conventus monachorum in sancto ordine monastico attentius informabat, Presbyteros per parochias constitutos de doctrina canonica diligenter instruebat, principes regionum ad pacem tenendam, ad justitiam exercendam vigilantiùs incitabat, verbum praedicationis plebibus effundere non cessabat. At vero in episcopatu proprio synodos frequentius celebrabat, plebis sibi commissae vitia, Clericorum offensas, precibus humilitatis obsecrando, & zelo disciplinae arguendo, viriliter rescindebat. Humiles diligebat, superbis resistebat, egenos & epulis & indumentis assiduè confovebat; hominibus in scelere perseverantibus & ad Deum converti nolentibus nunquam consentaneus, immo acerrimus existebat. Totus quippe divino servitio deditus, à bono opere numquam otiosus esse voluit. Dedicationes enim Ecclesiarum, ordinationes Clericorum, multiplices confirmationes populorum jugiter frequentabat, boni pastoris officium adimplere proculdubio satagebat. Media verò nocte ad matutinos semper surgere consueverat. Quibus nimirum recitatis, solus in Ecclesia remanebat, ubi non mediocres lacrymarum fluctus ante sanctum altare prostratus effundebat, incomprehensibiles quoque gemitus de sacratissimo suo pectore profundius anhelando emittebat, nec non etiam supernae * pacis visionem toto mentis effectu desi- * patria.
derans attingere, alta cordis suspiria trahebat; & ita sacris orationibus vacans, flexis genibus & cubitis usque ad solis ortum in oratorio perdurabat. Sanè circa curam accipitrum, aut circa venationem canum, sive circa ludos alearum nunquam operam dedit.

dit. In die enim divinae lectioni, nocte vero orationi inſiſtebat. In celebrationibus Miſſarum frequens ſemper ſtudium adhibuit. Nam mundus corpore & ſpiritu ad corpus dominicum conſecrandum cum ingenti devotione & cum magna lacrymarum effuſione ſemper accedere conſuevit, & tantum ſacramentum, negligentia omni remota, ſpatiosè & religiosè ſemper curabat conſummare. Certè & turpiloquium & ſcurrilitas & cetera ſtultiloquia, quae ad vanitatem pertinent, ab ejus ore procul exſtiterunt. Imitationis autem ſanctae & bonitatis, non exemplum nequitiae, ſibi ſubditis ubique demonſtravit. Operum namque merita à praedicatione minimè diſcrepabant. Virtutum autem ſanctarum clypeo munitus, recto tramite ſemper incedere nitebatur, & per devia vitiorum digreſſionem facere modis omnibus devitabat. Erat quippe ei praecipua humilitas, amplifica miſericordia, manſuetudo pacifica, moderata abſtinentia, ſplendida pudicitia, longanimis patientia, caritas in Deum & proximum flagrantiſſima, & ceterae virtutes quae ex his oriuntur ſemper ei aſſiſtebant.

VIII. Crimina verò quae in clero aut in populo pullulare videbat, ſtatim reſecare feſtinabat. Verum crimen illud quod inceſtus nuncupatur, qui in gente ſibi commiſſa jam radices affixerat, ſummo niſu divellere anhelabat. Unde beatus Geraldus inter ceteros quendam Militem, qui Egeas Pelagii vocabatur, qui quidem in inceſtu per multos annos permanſerat, ſemel & bis ac tertio, utpote filium, diligenter admonuit, obſecravit, ut tantum ſcelus dimitteret, & poenitentiam duceret. Miles verò incorrigibilis & durae cervicis diabolo inſtigante exiſtens, verba ſancti viri attendere noluit; ſed ſanctae correctionis contemptor, in propoſito nefando perſiſtere praeſumpſit. Quocirca ſicut putre membrum, quod aliquo medicamento ſanari non poteſt, de corpore amputatur, ita Miles praefixus poenitentiae medicamentum ſuſcipere nolens, gladio anathematis de corpore Eccleſiae abſciſſus eſt. Accidit autem eo tempore ut ex praecepto Comitis Henrici, qui tunc Portugalenſi terrae dominabatur, omnes proceres Portugalenſes, & ille cum eis qui pro inceſtu excommunicatus fuerat, Vimaranas convenirent. Ad quod nimirum conventiculum, cauſa neceſſaria exigente, vir vitae venerabilis acceſſit. Dum autem in Eccleſia Vimaranenſi vir Dei Miſſam celebraret, Comite Henrico & uxore ejus venuſta Regina ſcilicet Tharaſia praeſentibus, & cum eo maxima procerum multitudine aſſiſtente, praetaxatum excommunicatum in Eccleſia adeſſe cum ceteris recognovit, ſtatim ſe ab officio divino ſuſpendens, in conſpectu aſtantium proclamavit virum inceſtuoſum, divinae admonitionis contemptorem, à conſortio fidelium jam ſequeſtratum, Eccleſiae uniri vel incorporari non debere. At verò ille diabolico inſtinctu afflatus, praeſumptuosè agens, obſtinatius coepit inſiſtere, & de Eccleſia egredi recuſavit. Tandem tamen Comite praecipiente, & aliis eum impellentibus, extra Eccleſiam egreſſus eſt; ubi continuò à ſpiritu maligno, populo aſpiciente, arreptus eſt. Deus autem, qui ſuperbis reſiſtit & humiles perfectè diligit, illius ſuperbiam voluit conterere, & ob reverentiam ſancti viri hujuſmodi miraculum in oculis aſtantium dignatus eſt exhibere, ut criminoſus ille non periret, & alii tali ultione perterriti tantum ſcelus committere non auderent. Completo itaque Miſſae officio daemoniacus Miles ſupra memoratus miſericordiam & poenitentiam expoſtulans ad pedes beati Geraldi proſtratus cecidit, ſe à via veritatis erraſſe & diabolum magiſtrum habuiſſe recognoſcens. Quem nimirum ſanctae matri Eccleſiae homo Dei reconciliavit, & ei poenitentiam de commiſſis diſcretè & ſapienter injunxit, & erga eum valde miſericorditer egit.

IX. Beatus igitur Geraldus, providus & prudens paſtor, in agri ſui cultura proficere geſtiens, imbrem praedicationis plebibus irrigabat, zizaniam de cordibus hominum eradicare ſatagebat. Dum vero in tali miniſterio ſtudium exhiberet, & homines in criminibus detentos ad emendationem revocaret, duos regionum magnates contagio inceſtus ſimiliter inhaerentes, Pelagium ſcilicet Petri & Adefonſum Petri nominibus nuncupatos, in epiſcopatu reperit, quos quidem diligenti admonitione de converſione ſaepiſſime hortatus eſt. Cui cum obedientes & condigni pro correctionis beneficio eſſe deberent, convitia plurima nonnullaſque inhoneſtationes è contrario rependerunt. Venerabilis tamen Geraldus contumelias & opprobria ſibi illata ſub ſilentio praeteriens, quatenus ipſi reſipiſcerent, & in facinore non perſiſterent, eos ſaepius flagitavit. At verò illi magis magiſque in dies obdurati, non ſolum ſancti viri monita, contempſerunt, verum etiam aditum terrae ſuae beato viro temerariè interdicendo clauſerunt, & Clericos vel Abbates ſub jure ſuo commorantes venerabili viro obtemperare vel obſequium impendere prohibuerunt. Ad cumulum etiam iniquitatis ſuae alter eorum, Pelagius videlicet Petri, in virum Dei impudenter exarſit, multiplices blaſphemias ei irreverenter objecit, falſum monachum, hypocritam, ſimoniacum eum appellans, & ſanctitatem ejus unum gallum affirmans non valere. Vir equidem ſanctus patientiae innixus, in bono malum vincere volens, eos ad emendationem ſine intermiſſione invitabat. Sed quia pertinaces in pravitate diſciplinam recipere reſpuerunt, ab Eccleſia ſequeſtrati, quaſi ethnici & publicani reputati ſunt. Omnipotens itaque, cujus judicia abyſſus multa, qui iniquitates hominum in virga & in verberibus peccata viſitat, horum contumaciae arrogantiam ob beati viri reverentiam penitus voluit confundere. Divina enim diſpenſatione factum eſt quia illi iram domini ſui, Comitis ſcilicet Henrici, & uxoris ejus venuſtae Reginae Tharaſiae incurrerunt, & univerſa quae poſſederunt oppida, munitiones, hereditates, cunctaſque gazas omnino amiſerunt, atque ad tantam inopiam devenerunt quòd Pelagius Petri ſolus pedes cum filio ſuo parvulo & cum cane ſuo gallico Maurorum terram laborioſè appetierit. Alter vero, ſcilicet Adefonſus frater ejus, idem refugium denique requiſivit. Iſte nimirum in Chriſtianos ulciſci cupiens, ingentem Sarracenorum exercitum ſuper eos adduxit; & bellum cum Chriſtianis Sarraceni inierunt. in quo bello interfectus eſt. cujus corpus vultures & corvi in eremo comederunt. Pelagius autem Maurorum converſatione utens, exul & quaſi captivus apud eos obiit. Certè hujuſmodi ultiones à Deo fuiſſe factas pro ſancti viri reverentia proculdubio reputamus.

X. Reverendiſſimus igitur Geraldus de virtute in virtutem aſcendens, animabus hominum alimenta doctrinae inceſſanter miniſtrabat, & quanto eum omnipotens apud homines per miraculorum oſtentionem exaltabat, tanto magis ſe in conſpectu divinae majeſtatis humiliabat, & nec ſibi nec viribus ſuis ſed Deo omnipotenti magnalia quae fiebant attribuebat. Dum itaque quodam in tempore pro conſuetudine ad ſedem Bracarenſem veniret, & ad flumen quod Cadanum nuncupatur accederet, vadum in flumine non comparuit. Ergo exiguus lembus ad fluvium tranſeundum quaeſitus, repertus eſt. Clientes vero prius cum ſupellectile ſua lembum ingreſſi ſunt. Flumine autem vento & fluctibus inſurgentibus tumeſcente, lembus coepit vehementer titubare; & quia uno ſolo digito ab aqua diſtabat, intra ſe non modicos fluctus coepit admittere. Rector autem lembi periculum ſibi imminere cognoſcens, in flumen proſiliit, & natando exivit. Pueris ſiquidem ſine remige remanentibus & jam periclitari incipientibus, nec non etiam virum Dei orationis adminiculum una voce depoſcentibus, ipſe vir Dei in ripa fluminis reſidens, rivulos lacrymarum fundendo, obnixè Deum deprecatus eſt ut miſericordiam exhiberet & clientulos à periculo liberaret. Completa autem oratione, lembus quietè & ſuaviter ſponte ad tutum locum pervenit, & ita precibus ſancti viri naufragium imminens pueri evaſerunt.

XI.

XI. Sanè virtutum insignia, non solùm in praesentia sancti viri, Christo pro eo operante clarescebant, sed etiam eo absente multis in orationibus ejus fiduciam habentibus plurimae virtutes ad eorum petitionem succurrebant. Contigit autem eo tempore ut Archidiaconus quidam nomine Mido cum quodam monacho de introitu cujusdam Ecclesiae, quam à laica manu acceperat, altercationem haberet. Unde monachus ille valde indignatus, more seculari in eum ulcisci cupiens, insidias ei molitus est. At verò Archidiaconus hujusmodi insidiarum inscius, dum quadam die juxta affinitatem ipsius monachi equitando super mulam parvulam pigrè incedentem transiret, duo ex parte monachi insidiatores in equis cursoribus equitantes post Archidiaconum armati veloci cursu tendere coeperunt. Archidiaconus nimirum illos post se cursitare prospiciens, incertus quid agere deberet, beato viro & orationibus ejus se commendavit, & mulam calcaribus urgere coepit; cui nimirum tanta cursus valitudo continuò Deo volente adfuit quod ipsa currendo veloces hostium equos superavit, quae quidem nec antè nec deinceps in tanto cursu, quamvis stimulata, unquam potuit comprobari. Absentis igitur venerabilis viri confisus reverentia Archidiaconus ab insidiis hoc modo liberatus est.

XII. In eadem etiam regione quaedam fuisse matrona nomine Tota perhibetur, quae generoso sanguine orta, hereditatum copia & infinito censu affluenter abundabat; cujus nempe opulentiae quidam magnatum Portugalensium valde invidentes, dedecus & detrimentum ejus moliebantur, ut facultates ejus aliquo modo adipisci valerent. Cum quodam igitur egregii Comitis Henrici villico de servili genere orto, Ordonio vocitato, aemuli illi consilium inierunt ut ipse eam raperet & cum ea matrimonium contraheret, quatinus ipsa tali connubio defoedata honoris dignitatem amitteret. Praedictus itaque villicus pro consilio aemulorum matronam rapuit, magnum convivium celebravit, thalamum adaptavit, paratus nefas committere. At vero mulier nobilissima magis mori quàm degere cupiens, nimia anxietate oppressa, quid faceret incerta, Deo & beato Geraldo integritatem corporis & animae commendavit. In crepusculo autem noctis cobicularis suae indumenta assumpsit, & ipsam pedisequam suis propriis ornamentis indutam in thoro maritali vice sui recubare praecepit. Ipsa vero vili habitu pedisequae sumpto, in humero suo urnam deferens, & quasi ad fontem haurire aquam tendens, extra palatium egressa est. Deinde Christi & beati Geraldi subsidium obnixè deposcens, communem callem fugiendo devitavit, & in frutice cujusdam silvae diutius latitavit. Ille quippe qui illicitas nuptias celebrare affectaverat, ad Thalamum accedens, domina non reperta, spe gaudii sui frustratus est. Unde villicus valde ad bilem commotus, circa exitus viarum, per devia moutium, per frutices silvarum, plures cum canibus vigiles ad nobilem feminam investigandam undique adhibuit. Sed Deo miserante, & fiducia viri Dei ei succurrente, nulla potuit indagatione matrona reperiri. Tertia siquidem die hujusmodi quaestionis causa sedata, proba femina de silva pedetentim egrediens, per quendam Clericum propter silvam in quadam Ecclesia commorantem venerabili viro & captionem & evasionem suam significavit, supplicans vehementer ut de ea ducenda deinceps sollicitus esset. At vero vir Dei humanitatis & misericordiae non oblitus, optimis Archidiaconibus ad latibulum delegatis, eam ad sedem Bracarensem salvam & incolumen ducere prudenter molitus est. In praesencia igitur viri Dei matrona persillens, ei immensas gratias egit, & quia in sanctitate ejus confisa periculum evaserat, in auribus omnium enarravit. Deinde beato viro & sedi Bracarensi optimam hereditatem, quae Nogariola vocitatur, contulit. Insuper etiam alia donaria, quae altari beatae Mariae deserviunt, ei concessit, caritati & orationibus ejus se in perpetuum commendans.

XIII. Iste etiam villicus, villicationis suae potentiam supra modum excedens, Ecclesias violare, Clericorum & Ecclesiarum res per violentiam auferre praesumebat. Unde vir Dei valde molestus, eum ad emendationem saepius advocavit. Ille verò tyrannidem & rapinam ubique exercere non desistens, cum viro Dei colloquium habere contempsit. Beatus autem Geraldus plenus humilitate & mansuetudine, sacrilegum illum à nequitia sua volens revocare, ad castellum quod Lagenosa dicitur, ubi ipse erat, accessit, & per ardua loca incedens, penè usque ad supremam munitionem ascendit, cupiens nequissimum illum Deo reconciliare. At verò ille veteris serpentis veneno imbutus, in arce castelli arroganter residens, non solùm ad virum Dei descendere neglexit, sed etiam contumeliosa in sanctum Dei verba proferens, quod malè egerat emendare recusavit. Deus autem, qui unicuique secundum opera sua retribuit, patentem in illum ultionem voluit exhibere. Nam nimici ejus in proximo tempore eum aggredientes in loco illo quo sanctus Dei ad locutionem ejus constiterat, & ad quem ille sacrilegus descendere neglexerat, ipsum turpiter interfecerunt.

XIV. Non solum itaque venerabili viro absente virtutum insignia in ejus invocationem declarabantur, verum etiam eo praesente plura signorum marnalia in conspectu hominum ad ejus petitionem essulgebant. Illo etenim tempore dum vir Dei à sede Auriensi rediret & Bracaram tenderet, in rure quod Rivus calidus nuncupatur hospitatus est. Illi nimirum luce secutura per locum difficilem qui Portella hominis vocitatur transituro, hyemalis tempestas & infinitae pluviae inundatio exorta est: quae quidem toto noctis spatio pluere non cessavit, & die sequenti integra magis augmentata perduravit. De capella verò sua, ne tanta imbrium inundatione madefieret, homo Dei sollicitus, Domino suo profundos gemitus pro hac causa effudit, & Clericis eum comitantibus septem psalmos in orationem pro eodem negotio recitare praecepit. Cumque autem ad hospitium altera die pervenirent, Clerici qui duplici aut triplici indumento tegebantur, nimborum impetu omnia transfundente, usque ad interulas & usque ad femoralia penitus madefacti reperti sunt. Capella verò sola juxta votum viri Dei ab omni prorsus humefactione immunis proculdubio inventa est.

XV. Inter cetera verò vir Dei circa Ecclesiarum libertatem praecipuè invigilans, quorundam relatu didicit unum regionis magnatem, Suarium scilicet Menendi nuncupatum, quendam in quadam Ecclesia Clericum absque Bracarensis vicarii licentia intrusisse. Quo audito vir Dei principem illum ad satisfactionem invitavit, eumque diligenter edocuit ecclesiastica jura nec laica manu pertractari nec sanctuarium Dei à laicis hereditario jure debere possideri. At verò ille cùm reatum suum recognoscere & Praelato suo satisfacere debuisset, ad rixam devenit, & verba veritatis non attendens, cum justo viro causari & secularibus argumentis ratiocinari diùtius praesumpsit. Denique ipse tyrannus nimia bile commotus, quasi causae finem imponere cupiens, sententiam protulit in hunc modum dicens. Uterque ego & vos Domino nostro Iesu Christo & gloriosae virgini Mariae preces fundamus quòd alter nostrum qui alii in hac causa injuriosus existit, ad finem praesentis anni vivus non pertingat. Quia verò frater, beatus vir inquit, evangelicae doctrinae disciplinam non attendis, & canonica sequi jussa contemnis, in providentia & in dispositione illius cujus in oratione tua mentionem fecisti, istud negotium pertractandum & judicandum committimus. His dictis, princeps suprà memoratus recessit, & usque ad dimidium annum non pertingens, non in proprio, sed in alieno solo quasi vilis occubuit.

XVI. Sanè praeter ista miraculorum dona beatum virum spiritum prophetiae in quibusdam habuisse cognovimus. Dum enim in cathedra pontificali vir Dei quadam die resideret, & causa necessaria exigente Co-

lim-

limbriensis Episcopus, ejusdem metropolis suffraganeus, venerabilis scilicet Mauricius, Bracaram adveniret, Bracarensis Ecclesiae Praecentor, dominus videlicet Mido, viri Dei conspectui se praesentans, qualiter praedictum Pontificem suscipi juberet, ab eo requisivit. Cui pater venerandus, Istum, inquit, Episcopum Colimbriensem honorificè & cum venerabili processione suscipere debetis, quia eum in Dominum & Metropolitanum in Ecclesia Bracarensi post decessum meum proculdubio habebitis. Hoc autem quemadmodum a sancto viro praedictum est, ut effectu rei constitit evenisse.

XVII. Omnia igitur virtutum insignia quae Dominus noster Iesus Christus in vita beati Geraldi pro ejus reverentia & honore manifestè exhibuit, enarrare per singula non valemus, taedium auditoribus generare veremur. Per eum enim infinita populi multitudo ad Deum conversa est. Nonnulli in sanctitate & orationibus ejus confidentes, à periculis imminentibus liberati sunt. Insuper plurimi praedicationem & doctrinam ejus deridentes, & in eum contumeliosè agentes, divina ultione percussi sunt. Clerici quoque castimoniae & ejus munditiae vestigia sequentes, virginem castam se Christo exhibuerunt.

XVIII. Beatus itaque Geraldus terminum depositionis suae jam appropinquare in spiritu praevidens, gentem incultam in montanis demorantem dignum duxit visitare, ut populus ille rudis, qui Pontificis praedicationem nequaquam audire consueverat, sanctificationis doctrinam & sacrae confirmationis unctionem ab eo susciperet. Cupiebat enim omnes tam nobiles quàm ignobiles salvos fieri, & neminem per negligentiam sui volebat perire. Et ideo, licet aegritudinem in suo corpore jam esse sentiret, devoto tamen animo, remota omni desidia, rudes illos educebat, ad cognitionem veritatis eos convertebat, Ecclesias inter abrupta montium constitutas dedicabat, confirmationes incultae gentis tota die jejunus celebrabat, circa hujusmodi officium incessanter desudabat, in populo Dei ante obitum suum concupiscens fructificare. Viro autem Dei in grege sibi commisso hoc modo fructificante, aegritudo vehementer convalescens corpus ejus coepit non mediocriter aggravare. Et licèt ingenti onere infirmitatis beati viri caro premeretur, supra vires tamen enitens, Ecclesiam in loco qui Bornos dicitur constitutam, ad quam consecrandam ipse & infinitus populus convenerat, celebriter dedicavit, & congregatae gentis inopinatam multitudinem, quamvis nimium fatigatus, expergiscens, sancti chrismatis inunctione confirmavit.

XIX. Peracto autem utriusque sanctificationis officio, aegritudinis valetudo coepit supra modum augmentari; & jam exitus sui diem propè imminere cognoscens, thorum in quo ipse jacebat ad Ecclesiae ostium praecepit collocari, unde Missam & horas quae in Ecclesia dicebantur liberè posset audire. Videns denique quia jam hora sui transitus instaret, Missam cum reverentia & humili devotione audivit, eucharistiam accepit, crucem argenteam cum crucifixo argenteo sibi jussit praesentari, & illi quem illa effigies repraesentabat cum ingenti cordis compunctione, cum magno gemitu, cum nimio fletu, se de multis accusando, transgressiones ordinis sui, si aliquando contigerint, coram astantibus confessus est. Deinde in cinere & cilicio corpus suum mandavit reponi, & Clericos jussit esse paratos, ut quando exhalaret, cum psalmis & hymnis animam ejus Deo commendarent.

XX. Dum verò ista agerentur, quidam Diaconus ejus febre acuta arreptus, gravissimè in illa ubi sanctus Dei jacebat mansione aegrotaverat: cujus spiritus quasi in extasi raptus, angelos Dei intuitus est diadema pretiosum inaestimabili gemmarum ornatu decoratum manibus suis deferentes, & in haec verba eidem Diacono colloquentes. Ista corona quam, frater, intueris, manibus summi artificis est fabricata, & à Domino Iesu Christo ad beati Geraldi animam coronandam nobis ministrantibus huc est destinata. Cujus equidem animam tali diademate coronatam sequenti die cum summo tripudio portantes divinae majestati praesentabimus, & cum illo cui in vita tua fideliter ministravit per infinita seculorum secula regnabit. Anima verò sua corpori suo ad vitam ducendam relinquetur. Sed ideo hujusmodi visio tibi revelatur ut tanti gaudii testimonium illis quibus patronus extitit sine dubio patefacias.

XXI. Diacono nempe visionem hujusmodi intuente, Clerici qui ei assistebant transitum ejus praestolantes, eum inconsideratè spiritum exhalare putaverunt, & statim corpus ejus terrae nudae posuerunt. At verò ipse in cinere positus, quasi expergefactus, oculos aperuit, & eis in haec verba locutus est. Quod putatis, nondum est factum. His dictis, in strato suo iterum positus à Clericis circumstantibus, oculos suos avertit, & conversus ad parietem, vidit malignum angelum in conspectu suo astare. Cui, cunctis qui circumstabant audientibus, sic inquit. Insidiator pessime, & seductor maligne, ut quid huc venisti? Vade, & procul hinc recede, quia in me partem non habebis. Statim ad haec verba Sathan maledictus evanuit.

XXII. Postremò verò Diacono revelationem angelorum Dei quam viderat Clericis enarrante, ipsi de tanta visione plurimum gavisi, secundùm dicta ipsius Diaconi transmigrationem viri Dei expectabant. Beatus autem Geraldus die ab angelis praedicta discipulos suos in unum convocavit, eis benedictionem adtribuit, Missam audivit, rursus communicavit, & sic migravit ad Christum. cujus spiritus cum beatis confessoribus in caelestibus regnat.

XXIII. Tanto igitur patrono orbati Clerici, monachi, sanctimoniales, necnon laici senes, juvenes, virgines, pueri, & matronae omnes aequanimiter ad exequias ejus confluentes, planctum magnum super eum fecerunt, orbitatis suae desolationem lacrymando deplangentes. Discipuli verò ejus ad sedem Bracarensem corpus sanctum efferre cupientes, feretrum quo dignè & convenienter posset deferri composuerunt. Et quia maxima tam montium quàm vallium inaequalitas difficultatem itineris ad corpus deferendum faciebat, quaedam nobilis matrona Olenda nuncupata magnum suffragium hominum eis ministrans, usque ad flumen quod dicitur Tamica cum sanctissimo corpore pervenit. Flumine quippe extra alveum decurrente, magna in eis orta est sollicitudo quomodo feretrum cum glorioso corpore ultra flumen transducere possent. Erat ibi quidam molendinus cujus de causa sepes quaedam de sudibus & lapidibus composita per medium fluminis extendebatur, per quam scilicet unus homo solus & pedes vix securè poterat transmeare. Qua videlicet reperta, matrona praefixa in auribus omnium proclamavit hoc modo dicens. Carissimi fratres, omnes communi orationis consensu Dominum nostrum Iesum Christum deprecemur quod si patronus noster, venerabilis scilicet Geraldus, sanctus Dei est, ut credimus, per illud sepis articulum meatus hodie sine laesione pervius nobis & feretro pateat. Oratione peracta, homines qui sanctum corpus deferebant, sine aliqua offensione illud arctum iter transierunt. Aliud etiam mirabile quod eis in ripa fluminis persistentibus accidit non silentio praeterire judicavimus. In exiguo namque liburno duo pueri fluvium illum transmeabant, sed gurgite ipsius fluvii tumescente & liburnum subvertente, pueri in flumen ceciderunt, qui eum impetu fluvii euntes procul inde produxerunt. Hoc audito, omnes quicunque adfuerunt beati Geraldi pietatem deprecantes, incolumitatem puerorum summa devotione deposcebant. At verò sancti confessoris misericordia statim suffragante adolescentuli sani & incolumes periculum evaserunt. Inde verò procedentes, ad sedem metropolitanam cum thesauro pretiosissimo pervenerunt, ubi planctus non minimus à clero & à confluente populo iterum renovatus est. Sepulcrum autem idoneum ad corpus sanctum sepeliendum in urbe Bracarensi reperiri non potuit. Unde Bracarensibus opor-

por-

portunum visum est ut ipsi sepulcrum marmoreum, quod alio in tempore de colina Tibiatis translatum fuerat, requirere deberent. Tempore enim praeterito mortuo quodam magnate Portugalensi, Tibianenses monumentum in quo sepeliretur prae manibus non habentes, in colina ubi cimiterium Regum antiquitus fuerat fodientes, illud ad monasterium attulerunt; in quo videlicet magnas praedictus sepultus est. Sed quia in somnis in illo sepulcro ardere videbatur, de eodem ejectus, in alio humatus est, & ita usque ad obitum beati Geraldi sepulchrum illud vacuum permanserat. ad quod nimirum tunc temporis transferendum plurima juga boum plurimùm desudarunt, & plura plaustra fracta fuerunt. Ad illud verò modò reducendum unum solum jugum & plaustrum minùs validum proculdubio suffecerunt. Certe translatio sepulcri de Bracara ad Tibianas tunc difficilis & laboriosa fuisse perhibetur, quia ad virum criminosum & peccatorum sepeliendum deferebatur. Reportatio verò ipsius de Tibiatis ad Bracaram sine aliqua vexatione levis & suavis profectò extitit, quia ad virum sanctum & justum inhumandum reducebatur. In quo scilicet monumento insignibus pontificalibus egregiè indutus, positus est in Ecclesia beati Nicolai, quam ipse construxit, & quam festivè & celebriter dedicavit, requiescit.

XXIV. Ad cujus equidem sepulturam quidam Clericus, cujus nomen Sesgudus, dinoscitur venisse, qui quendam morbum quem medici fistulam vocant in crure suo multo tempore passus fuerat, & diversis herbarum medicaminibus adhibitis sanari non valebat. Morbus enim in crure jam plura fecerat foramina, & humores superflui ex eis jugiter emanabant, & homo assidua morbi comestione afflictus dolorem intolerabilem patiebatur. Unde suffragium beati Geraldi obnixè deposcens, medelam salutis ab eo devotius requirebat. Æger denique misericordia à sancto viro impetrata post temporis exiguum sanus factus est.

XXV. In territorio Bracarensi erat quaedam nobilis matrona quae habebat filium qui à daemonio vexabatur, quae quidem ad sepulcrum ejus cum humili devotione accedens, beati viri misericordiam pro filio suo attentius exoravit, ibi diutiùs lacrymata est, filium glorioso confessori repraesentans. Beatissimus verò confessor pro consuetudine sinum pietatis aperiens, puerum sanitati restituit.

XXVI. In Pannoniis autem quidam Clericus demorabatur, qui difficillimam aegritudinem, quam medici cephaleam vocant, in capite suo patiebatur. Qua nimirum aegritudine anno integro molestatus, nullo medicamine remedium inde habere valebat. Tandem ad beati confessoris sepulcrum confugium faciens, ibi tota nocte psalmos cum lacrymis & cum precibus recitavit. Media verò nocte, dum ipse orationi insisteret, medelam salutis ei sanctus Geraldus attribuit. Deinde Clericus Dei nostri & beati Geraldi laudem ubique glorificans, ad locum suum sanus & incolumis reversus est.

XXVII. In urbe etiam Bracarensi quaedam dicitur mulier habitasse cujus filius parvulus dum pisces quadam die comederet, arista piscis gutturi ejus adhaesit, & ita puerulus intolerabili dolore fatigatus nullo potuit medicinae remedio mitigari. Mater verò ejus causam doloris ignorans, tempora fletus agebat. Quapropter ad sepulturam sancti Geraldi miserabilis & gemebunda parvulum in ulnis deferens cucurrit; & plorans ibi tota nocte, tanto dolori remedium fieri postulabat. Ad lacrymas miserabilis genitricis sanctus Geraldus respiciens, quod puerulo in gutture adhaeserat dimovit, & dolorem penitus mitigavit. Nocte verò sequenti genitrici pueruli in visione vir sanctus & gloriosus apparuit hoc modo dicens. Passio quae filium tuum molestabat, te ignorante intolerabilis erat. Spina enim piscis guttur illius inhaerendo occupaverat, quam quidem carnibus infixam virtute Domini nostri Iesu Christi opitulante divulsi. Mulier expergefacta, gloriam omnipotentis magnificans, sancti Geraldi magnalia ubique celebravit.

XXVIII. In eadem quoque civitate erat quaedam muliercula domum hospitalem inhabitans, quae inopinata aegritudine superveniente omnibus membris contracta facta est. cujus etiam corpus tanta leprae valitudo occupavit quòd carnes de corpore ejus frustatim cadebant. Ipsa verò ad beati Geraldi sepulcrum quodam vehiculo translata, vigilias & obsecrationes infinitas ibi diutius est executa. Ad ultimum sanctus Geraldus mulierculae suspiria & compunctiones attendens, membrorum contractione distenta, ei gressum restituit, & eam lepra penitùs emundavit. Quae verò ad beatum confessorem pedibus alienis misericordiam requirere venerat, virtutis miraculum repraesentans, propriis vestigiis ad domicilium suum proculdubio est reversa.

XXIX. In villa autem quae Concieria nominatur, quidam perhibetur homo fuisse cui in oculo apostema validum inolevit. Cum tanto enim tumore impetus apostematis jam ei insurrexerat quòd oculus de capite penè egredi videbatur. Valde in arta dolore positus, sancti Geraldi adminiculum sine intermissione deposcebat. Cui beatus confessor solita pietate sanitatis medelam exhibuit. In pristina demum salute restitutus, ad locum gloriosi confessoris cum magna devotione accedens, quae facultas suppeditavit sepulcro ejus obtulit, & immensas gratias agens, Dominum nostrum Iesum Christum & sanctum Geraldum, qui misericordiam ei exhibuerat, propensius glorificavit.

XXX. Inter duo verò flumina, scilicet inter Hominem & Cadavum, quaedam mulier morabatur quae per quatuor annos infirmitatem quam medici asma vocitant sustinuerat; quam nimirum asmatis effocatio jam ad tantum malum perduxerat quòd anhelandi officium vix implere valebat. Nullo igitur medicaminis suffragio remedium adipiscens, ad beatum confessorem accessit, tantae passioni mitigationem fieri nocte dieque expostulans. cujus quippe virtus eam in oratione assidua constitutam dignata est visitare. Namque ipsa prorsùs ab aegritudine liberata & sanitati reddita beato Geraldo & se & virum suum & filios suos deinceps obsecuturos contradidit.

XXXI. In Episcopatu quoque Bracarensi quaedam dicitur femina fuisse quae per unius anni spatium languerat, ab officio membrorum suorum destituta: quae quidem in praesentia corporis sancti constituta, lacrymas innumeras effundendo, clementiam sancti Geraldi assiduè deprecata est. cujus lacrymae non frustra sunt proculdubio effusae. Nam incolumitate corporis sui consecuta, hilaris & gaudens ad proprium locum est reversa.

XXXII. Quaedam etiam puella maniaca ad sepulcrum ejusdem confessoris perducta fuisse memoratur, quae anno integro per devia montium furibunda vagando incesserat. cui beatus Geraldus visibile exhibuit miraculum. Namque furore praetermisso, ipsa sancti Geraldi suffragio ad sanam redire mentem concessa est.

XXXIII. Clericus autem quidam Bracarensis, cujus nomen Honoricus, dum Hierosolyma navigio rediret, tempestas valida in mari exorta est. unde navigantes naufragium incurrere ilico metuerunt. Quapropter ipse Clericus valde pavefactus patronum suum, beatum scilicet Geraldum, attentius deposcere coepit. cujus quidem sanctitatem circumsedentibus enarravit, eos ad eum in tanto periculo invocandum sic inflammando exhortans. Omnes itaque, jam maris naufragio incumbente, beati Geraldi opitulationem unanimiter petierunt. quorum quidem petitio à Deo exaudita est. Nam pro beati Geraldi reverentia magna repentè tranquillitas eis à Christo facta est. Ad portum namque salutis sine detrimento pervenerunt.

XXXIV. Sanè quidam monachus, Pelagius nuncupatus, qui beato Geraldo viventi sedulus comes extitit, dum quadam die de actione obedientiali rediret, ad flumen Cadavum accessit, sed transmeare nequivit. In altera nimirum partae ripae, nullo homine existente, lembus exiguus consistebat. Pelagius

ve-

vero monachus undique circumspiciens, & quaerens qui sibi ministraret & lembum adduceret, nullum transeundi consilium potuit reperire. Quia verò festivae diei, qui in sede metropolitana erat celebrandus, interesse satagebat, animum ejus angustia transeundi vehementius momordit. Ad ultimum valde gemens, & suspirans, domini sui, beati videlicet Geraldi, consuetae misericordiae consolationem, ne solemnitatis officio careret, medullitus postulavit. Ad haec verba, quod est mirabile dictu, lembus per se solus sine aliquo ductore à ripa dilapsus medium fluminis alveum sulcando usque ad Pelagium monachum in altera ripa existentem proculdubio pervenit. Nec mirum; quia qui daemoniacos curabat & aegros sanabat, ad lignum per aquam transducendum profectò compos potuit esse. Pelagius itaque monachus cum tanto virtutis miraculo flumen transmeavit, & quid & qualiter sibi contigerat socialibus Bracarensibus enarravit.

XXXV. Quidam autem homo morabatur in villa quae Siccaria nuncupatur, qui habebat filium ab aurium, oculorum, manuum, & pedum officio destitutum. Hic nimirum ad pedes beati confessoris praesentatus, immobilis quasi truncus ibi permansit, assuetae clementiae praestolans auxilium. Nec mora, libertas membris reddita est; & membrorum usus officio, virtutis manifestae testimonium ostendens, ad propria absque vehiculo reversus est.

XXXVI. Ego vero Bernaldus natione Gallicus ad partes Bracarensium à Beato Geraldo ductus, & ab eodem ad archidiaconatus apicem in Ecclesia Bracarensi promotus, quod mihi mirè accidit in commune volo deducere. Artificio namque medicaminis humorum superfluitates opportunitate temporis exigente detrahere consueveram; sed obsequio egregiae Reginae Tharasiae, cui ad tempus serviebam, occupatus usum medicinae pro consuetudine implere nequivi. Vnde humores extra cursum naturae defluentes, in gutture modo apostematis collectionem adunarunt. Quod nimirum apostema usque adeo crevit quòd mihi anhelitus penè interclusus est. Esca enim & potus prae nimia angustia per hisophagum transglutiri nequibant. Tanta suffocatione coarctatus loquelam amiseram. Multis & diversis medicaminibus adhibitis tantum apostematis malum dimovere tentavi. Duritia tandem tantae collectionis invalescente, me colla neci dare penitus existimavi. Pecuniarum facultates Clericis, monachis, pauperibus distribui, jam de vita corporali desperatus. Ad ultimum verò patrocinii quod sanctus Geraldus oppressis & infirmis facere consueverat reminiscens, ad sepulcrum ejus, quamvis corpore debilitatus, cucurri, & diutius ibi lacrymatus sum. Inter quas lacrymas verba in hunc modum protuli dicens. O beate & sanctissime confessor Geralde, ad memoriam quaeso reducas quia ad hujus regionis climata me quondam perduxisti, & me in Clericum sublimasti, atque Ecclesiae Bracarensi me mancipare praecepisti. Pro tua igitur jussione Ecclesiae Bracarensis qualiscunque coadjutor procurationem ejus pro scire & pro viribus meis utcumque sustentavi. Locum tuae sepulturae relinquere non praesumpsi, opitulationis tuae confidentiae vehementer innixus. Nunc autem gravissima aegritudine molestatus, quasi exul & advena in alieno cespite mori compellor. Tuam igitur clementiam suppliciter deposco quatinus apud Dominum tuum Iesum Christum, cui fidele & legitimum exhibuisti servitium, medelam salutis mihi impetres, ut restituta sanitate deinceps dignam sine labe vitam valeam ducere, ipso eodem juvante sine cujus gratia nemo veram salutem adipiscitur. Saepe hanc orationem replicando, in Ecclesia beati Nicolai ante sepulcrum ejus vigilias tota nocte perduxi. Mane autem facto domum repetens, ad stratum meum reversus sum, beati confessoris virtute me comitantes. Nam tussicula me repentè invasit, & ex insperato gutturis apostema crepuit, & ita Dei omnipotentis & beati Geraldi gratia imminentis mortis periculum evasi.

XXXVII. Copia ergo signorum quae à beato confessore facta sunt me minùs sufficientem ad proferendum per singula reddidit, cum etiam prae multitudine scire, necdum illa scribere, nequiverim. Cuicunque enim in Bracarensi episcopio demoranti aegritudinis molestia in corpore imminet, si ad sepulcrum ejus properat, statim doloris remedium proculdubio sentit. Alii verò longè distantes, & pro magno objectu terrarum gloriosi corpori praesentiam adire non valentes, si aliqua corporis passione fuerint molestati, pro sola sancti Geraldi invocatione sanitatis medelam consequuntur. Plures etiam in mari navigantes, si quando eis tempestas oritur, sanctitatis ejus nomen unanimiter invocantes, tranquillitatem securi sine mora suscipiunt. In Ecclesia autem beati Nicolai, in qua sanctissimum corpus ejus requiescit, plurimae cereae effigies ante sepulchrum ejus dependentes, quas scilicet qui infirmantur illuc transmittunt, argumentum tanti patroni sanctitatis visibile profectò ostendunt. Quicunque enim capitis aut caeterorum membrorum molestiam patitur, ad instar membri dolentis imaginem de cera compositam illud dirigit, & statim sanitatem sine dilatione consequitur. Omnes itaque qui diversorum criminum vulneribus sauciati jacemus, hujus beati confessoris propitiationem medullitus deposcamus, quatinus ipso mediante & intercedente perfectam nanciscí salutem valeamus à Domino nostro Iesu Christo, qui cum patre & spiritu sancto vivit & regnat per omnia secula seculorum.

VITA

MAVRITII BVRDINI

ARCHIEPISCOPI BRACARENSIS.

Scriptore Stephano Balusio Tutelensi.

SCripturus vitam Mauritii Burdini Archiepiscopi Bracarensis, quem virtus & fortuna per totum vitae cursum ita ad gloriam laudemque erexerant ut plane constaret magnum excellentemque virum esse, sed qui postea tristem adeo ac miserandum habuit exitum ut magnifico ac glorioso Callisti secundi triumpho, omnium quos Romanus orbis post fundatam religionem Christianam vidit amplissimo, depressus sit ad maximam calamitatem, historicorum praeterea qui post eum vixere, ac praecipuè Roderici Archiepiscopi Toletani, à quo ceteri ferme acceperunt, contumeliosissimis scriptis exagitatus ac dilaceratus, necessariò incurram in multorum reprehensionem, qui rem ex eventu aestimantes, neque rationem in consilium adhibentes, indignissimè ferent hominem scelestum, impudentem, ambitiosum, flagitioque nobilem, uti vulgò describitur, à me nunc post tot secula vindicari tamquam virum egregium & probum. Contra, qui veritatis amore potiùs ducuntur quàm praejudicio temporum, ac sepositis odiis, quorum causas procul habent, sincerè de dictis factisque veterum judicare amant, me non illibenter, ut spero, audient disserentem de re multis difficultatibus atque obscuritatibus involuta, scientes veritatem exagitatam magis splendescere in luce fructumque divinum esse justitiam saepius recenseri, ut monet Innocentius Papa primus in epistola ad Episcopos Macedoniae.

I. Primum igitur omnium facilè assentior illustrissimo ac doctissimo Archiepiscopo Bracarensi Roderico à Cunha, qui in historia ecclesiastica Archiepiscoporum Bracarensium ait existimare se Burdinum, ut mos Francorum est, fuisse binominem, adeoque non Burdinum simpliciter vocatum, sed Mauritium Burdinum. Atque ita ego illum à Vvillelmo Malmesburiensi, ab Antonio Augustino Archiepiscopo Tarraconensi, & à Cardinale Baronio nominatum lego.

Roder. Tolet. lib. 6. Rer. Hisp. c. 28.

Rodericus tamen Archiepiscopus Toletanus scribit eum, cum esset astutus & versipellis, Mauritium se pro Burdino nominasse inter Hispanos. Quod ita interpretor, ut quia solenne tum quoque Episcopis erat nullam familiae mentionem facere in suis titulis ac solum nomen in baptismo datum retinere, non statim quidem ille abdicaverit nomen Burdini, sed illo primùm tempore quo factus est Episcopus Conimbricensis, ut ait Rodericus. Quod etiam placuisse video Ioanni Marianae viro doctissimo. Neque enim audiendus est Arnoldus Vvion, qui illam nominis mutationem, ut ipse vocat, factam scribit quando Burdinus transiit ad cathedram Bracarensem. Multò minus audiendi recentinres quidam scriptores Hispani, qui Burdini nomen impositum Mauritio volunt à Romanis in contumeliam ejus & irrisionem, ita persuasi, ut arbitror, quia quod Latini veteres jocum ludumque dixissent, sequior aetas burdam vocavit. Burdinus ergo nomen familiae ac gentis fuit, Mauritius praenomen.

Mariana lib 10. Rer. Hisp. c. 11. Vvion. lib. 2. c. 6.

II. Patria Lemovicem in Aquitania prima fuisse Burdinum tradit idem Rodericus, qui in eam sententiam traxit omnes scriptores qui post illum vixere. Anselmus tamen Abbas Gemblacensis Hispanum fuisse Burdinum scribit. Verum illud ita intelligendum est, non quidem Hispanum fuisse natione, sed habitatione, seu, ut ait Falco Beneventanus, Hispanum Archiepiscopum, vel Hispanum Episcopum, ut Otto Frisingensis. Vbinam verò ortus sit, adhuc in occulto est. Attamen suspicari licet eum Vsercae modico provinciae oppido aut in vicinia natum esse, atque adeo sancti Benedicti institutum illic arripuisse in monasterio quod ibi vetustissimum habetur. Duo quaedam sunt quae ita suadere videntur. Primum, quod in ipsis suae ordinationis in sede Romana initiis, quum nondum ea fama pervenire potuisset ad Lemovices, proprio motu confirmavit privilegia ejusdem monasterii. Alterum, quòd postea quàm à Callisto secundo captus est apud Sutrium, inde in Cavense monasterium ad agendam poenitentiam projectus, monasticum habitum coactus est suscipere, id est, ad eum statum redire in quo fuerat antequam in Hispaniam proficisceretur. Nam cur ita visum foret Callisto nisi speciosam ac probabilem ita statuendi rationem habuisset? Quippe satis illi erat hominem vicisse ac triomphatum inclusisse in monasterio; neque ulla necessitate adigebatur eum monachum facere nisi prius fuisset. Nec illud levis momenti in rem nostram argumentum est quod quum Mauritius Episcopus Conimbricensis esset, post reditum ab Hierosolymis, quo religionis ergo profectus erat, ut postea dicemus, pretiosissimam quandam thecam misit ad Cluniacense monasterium, memor videlicet, ut res ipsa clamat, veteris conversationis suae. Quippe monasterium sancti Martialis Lemovicensis pertinebat ad congregationem Cluniacensem. Vsercense porro ab illo tum pependisse, adeoque Cluniacensis familiae partem fuisse, hinc gravis sumi conjectura potest quod plerique eorum qui per illas tempestates functi fuerunt Abbatis officio in monasterio Vsercensi, fuerant antea monachi sancti Martialis Lemovicensis. Adde quod Prudentius Sandovallius, vir, ut omnes norunt, doctus & eruditus, disertè scribit eum fuisse monachum ordinis sancti Benedicti, non dicturus si non alicubi invenisset. E monasterio igitur Vsercensi eductus à Bernardo Archiepiscopo Toletano, in Hispaniam cum eo profectus est. Quod qua ratione acciderit, paucis exponam.

Otto Frising. lib. 7. c. 16.

Sandoval. in Hist. Ecclesiae Tuden. fol. 110.

III. Anno Christi MXCV. Vrbanus Papa II. cùm accessisset in Gallias, habita generali synodo apud Arvernorum civitatem, classicum belli sacri cecinit; propositaque amplissima peccatorum indulgentia iis qui Hierosolyma pergerent pugnaturi adversum Christiani nominis inimicos, immensum congregavit exercitum ex orbe nostro. Aderat huic synodo Bernardus Archiepiscopus Trletanus ac sedis apostolicae per Hispaniam Legatus. Incessit itaque & istum ambitio pellendi barbaros ab iis terris in quibus fixa ad memoriam omnium sempiternam erant vestigia Christi servatoris. Verum inquieta semper Toletanorum ingenia, qui gravem paulo antè Bernardo exhibuerant molestiam, tum etiam initia Toletanae Ecclesiae renascentis, nondum firmae, effecerunt ut Bernardum Vrbanus redire juberet ad Ecclesiam suam, interposito sacrae peregrinationis voto. Paruit ille mandatis Vrbani; & in Hispaniam tendens per Aquitaniam, quà recta via est, aliquot illinc viros graves & sunetos secum duxit solatio inter barbaras nationes futuros, & quo pluribus munimentis insisteret. Duxit ergo è provincia Lemovicensi Burdinum, literatum, curialem, & eloquentem virum, ut eum vocat auctor chronici Maurigniacensis, virum quem multùm quislibet revereri & penè adorare pro viva & magna industriae specie debuisset, uti de eo scribit Vuillelmus Malmesburiensis in libro quinto de gestis Regum Anglorum. Acta haec anno MXCVI. post synodum nempe Claromontanam.

IV. Constitutus in Hispania Burdinus, primùm Toletanus Archidiaconus factus est à Bernardo, dein Episcopus Conimbricensis, non ambitu atque largitione, ut quidam recentiores absque ullo veteris scriptoris testimonio tradidere, seu contemplatione insignium ejus virtutum ac meritorum. Non vident enim qui ita sentiunt quantam quàmque atrocem injuriam faciant Bernardo Archiepiscopo Toletano, quantam Paschali secundo Papae, quos volunt muneribus à Burdino corruptos, pro pecuniis in eum contulisse episcopatum Conimbricensem ac ipsum etiam Bracarensem archiepiscopatum. Praeterea quis credat hominem tantopere laudatum ab antiquis, qui etiam anno Christi MCXXXI. dictus est vir vitae venerabilis, de quo, dum Episcopus Conimbricensis esset, cum laude loquebatur sanctus Geraldus Archiepiscopus Bracarensis, cujus vitam ac mores, quos temperatissimos ac moderatissimos fuisse animadverto, nullus mortalium accusavit ante supremum ac fatalem Papae Paschalis annum, quis inquam credat hunc hominem adeo malum ac sceleratum fuisse ut illi nobis persuadere conantur? Factus est ergo Burdinus Episcopus Conimbricensis secundum regulas, approbante Bernardo sedis apostolicae Legato.

Vita S. Geraldi Bracar. c. 16.

V. Qua tempestate incensus desiderio videndi Hierosolyma, illuc profectus est anno, ut videtur, millesimo centesimo octavo, habuitque comitem itineris Tellonem Archidiaconum Conimbricensem, ut legitur in veteri narratione Ecclesiae Conimbricensis quam edidit Antonius Brandanus in tomo tertio Monarchiae Lusitanae. Constantinopolim quoque profectum, illicque per medium annum fuisse commoratum scriptum est in eadem narratione & in altera monasterii Cluniacensis quam vir clarissimus Franciscus Duschesnius edidit in tomo secundo historiae Cardinalium Francorum, in qua additur hunc nostrum Mauritium, cùm Constantinopoli degeret, majoribus urbis & palatii atque ipsi quoque Imperatori Alexio notum & carum fuisse. Cum triennium in ea peregrinatione exegisset, rediens in Lusitaniam, è Constantinopoli retulit thecam quandam in modum textus evangelii factam, quam volunt fuisse olim sancti Basilii Caesareae Cappadociae Archiepiscopi, in qua continebatur magna ligni dominici portio. Eam thecam Mauritius destinaverat collocare in quadam Ecclesia suae dioeceseos. Verùm cum post reditum suum Lusitaniam gravi dissensione laborare comperisset, tum quia Alfonsus Rex nuper obierat, tum quia Henricus Comes ad regnum aspirabat, eam post longam deliberationem misit in Galliam ad monasterium Cluniacense, ubi suscepta est à Pontio Abbate anno MCXII. v. Kalendas Augusti.

VI. Interim vero dum Mauritius reverteretur, defuncto, inquit auctor narrationis Conimbricensis, sanctissimo Bracarae Archiepiscopo Gerardo, quem ex monasterio Moyssiacensi in eadem Aquitania prima Bernardus in Hispaniam adduxerat, Mauritius ei, juxta quod vir sanctus olim praedixerat, suffectus est communibus cleri suffragiis anno millesimo centesimo

Vita S. Geraldi Bracar. c. 16.

mo

mo decimo, ut tradit Rodericus à Cunha in libro paullò antè laudato. Necessaria tamen visa est interventio auctoritatis Romani Pontificis, eò quòd jam tum persuasum esset orbis nostri hominibus sola illius auctoritate fieri posse translationes Episcoporum ab una sede ad aliam. Ob eam itaque caussam, tum etiam propter necessitatem obtinendi Pallij, sine quo vix constat Metropolitanorum dignitas, accedens Mauritius ad sedem apostolicam, primum quidem à Papa Pascnali *in hoc assensum praebente non parvi muneris gratia ab eo sibi collati*, ut scribit Romualdus Archiepiscopus Salernitanus, obtinuit ut postulata cleri Bracarensis valerent, postea verò Pallium accepit per manus Ioannis Caietani Diaconi Cardinalis & Cancellarii, Paschalique secundo tum sedenti & catholicis successoribus ejus fidelitatis & obedientiae juramentum secundum formulam à Gregorio VII. institutam praestitit; ut testatur ipse Ioannes Caietanus in epistolis quas post mortem Paschalis, quum in ejus sede locatus fuisset & Gelasius II. vocatus, scripsit ad Gallos & ad clerum populumque Romanum. Deinde verò reversus Bracaram, sine dubio munus suum sanctè ac diligenter executus est, consecrationes etiam suffraganeorum suorum peragens, & ab eis professiones subjectionis & obedientiae accipiens. Earum unam refert Sandovallius in loco suprà laudato, quae sic habet.

PROFESSIO ADEFONSI
Tudensis Episcopi Bracarensi Ecclesiae sub Mauritio Archiepiscopo.

E*Go Adefonsus sanctae Ecclesiae Tudensis nunc ordinandus Episcopus subjectionem & reverentiam & obedientiam à sanctis patribus constitutam secundùm praecepta canonum Ecclesiae Bracarensi rectoribusque ejus perpetuò me exhibiturum promitto & supra sanctum altare propria manu firmo.*

VII. Tenacior autem fuisse videtur Mauritius in retinenda dignitate sua vindicandoque antiquo sedis suae gradu & honore quàm ut patrono ac magistro suo placere posset. Nam Bernardus (ut humanum est ambitione labi) in id tota mente omnique impetu incumbebat ut quia ipsi Toletanaeque Ecclesiae collatus recenter fuerat primatus per universam Hispaniam, vim nomenque imperii retineret, ac serio cogitaret de subjiciendis Toleto universis Hispaniarum Ecclesiis, adeoque Bracarensi, quae una erat ex Hispanicis. Et incidisse videbatur in tempus opportunum. Discipulus enim in ea sede institutus ob virtutes quidem proprias & ingentia merita, sed tamen favore Bernardi adjutus, non videbatur intercessurus. Subsidio esse poterat legatio sedis apostolicae per universam Hispaniam qua Bernardus erat ornatus. Praesto quoque erat auctoritas & potentia Alphonsi Regis Aragonum, Castellae, & Legionis; cujus ea erat ambitio ut quia tria intra Hispaniam regna possidebat, Imperatorem se exemplo soceri nuncuparet. Magnificum porro videri poterat, eique qui se Imperatorem diceret valde honorificum, si Princeps externus Archiepiscopi Toletani jurisdictioni subjiceretur in caussis ecclesiasticis, finitimusque populus sacra peteret à Castellanis. Igitur Bernardus turbare primum jura Bracarensis Archiepiscopi, dein palam infringere, provinciamque rapere sub umbra legationis, ut olim Illyricum Anastasius Episcopus Thessalonicensis. Intercessit Burdinus, ne dignitati auctoritatique suae injuriam inferri sineret, neu successoribus exitiosa inciperentur. Appellavit Paschalem Romanum Pontificem. Is vero saepe monuit Bernardum ut abstineret ab inferendis injuriis Mauritio Archiepiscopo Bracarensi. Sed ille tamen à continuis bellis nunquam conquievit, ac semper affectavit turbare jus metropoliticum Ecclesiae Bracarensis. Unicum tantis malis remedium erat appellatio ad Pontificem Romanum, ut adversus Legatum sedis apostolicae. Magna quippe tum erat Legatorum illiusmodi reverentia magnaque auctoritas apud omnes ubique gentes, tum metus ex potestate eorum, ut alibi dictum est à nobis. Quod itaque unum erat afflictis rebus remedium, pergit in Italiam Burdinus anno millesimo centesimo decimo quinto. Hanc enim ejus in Italiam profectionem eo anno contigisse hinc colligitur quod Petrus Bibliothecarius loquens de coronatione Imperatoris, quae medio anno MCXVII. Romae peracta est à Burdino, scribit eum biennio non introisse provinciam Bracarensem. Quod evenit, ut dixi, eum de provincia decessisse anno millesimo centesimo decimo quinto.

VIII. Agebat per ea tempora Paschalis Papa in partibus Apuliae; unde Romam reversus est VII. Kalendas Octobris, ut ait idem Petrus. Secedens dein Anagniam, auditis illic quae adversus Bernardum proponebantur, non perstrinxit quidem illum asperioribus verbis, tametsi exemplum haberet sancti Leonis, qui Anastasium Thessalonicensem inconcessa praesumentem graviter increpaverat; sed ratus infra dignitatem Romani Pontificis esse si Legatus apertè damnaretur, aliam viam invenit sistendae hominis audaciae nimis pervicaci, terminos nimirum ponendo legationi ejus, Mauritiumque Bracarensem Archiepiscopum universamque provinciam ab illius jurisdictione liberando simulque Conimbricensem dioecesim, quam Bernardus subtrahere conabatur metropoli Bracarensi, ad eam pertinere debere pronuntiavit. Horum Papae Paschalis decretorum mentionem facit Innocentius III. lib. II. epist. CXXVI. occasione controversiae quae pontificatu ejus fuit de dioecesi Conimbricensi inter Bracarensem Compostellanumque Archiepiscopos. Nam Conimbricam uterque contendebat ad metropolim suam pertinere. Bracarensis ergo, ut jus suum tueretur, allegavit decreta Papae Paschalis, quae Conimbricensem dioecesim adjudicant Archiepiscopo Bracarensi. Haec sunt verba Innocentij. *In tantum enim Paschali Papae, qui privilegia super redintegratione praedictorum episcopatuum Ecclesiae Bracarensi concessit, constitisse videtur hos episcopatus ad eandem Bracarensem Ecclesiam pertinere quod ipse in literis quas direxit Gonsalvo Colimbriensi Episcopo manifestè testatur quod constat Colimbriensem Ecclesiam in Bracarensis provinciae catalogo contineri. Unde quia Toletanus Archiepiscopus ad mandatum ipsius Colimbriensem Episcopum non restituerat Ecclesiae Bracarensi, privavit ipsum legationis officio, ut Bracarensis Archiepiscopus liberius in provincia sua justitiam exerceret.* Extant porro epistolae illae quas heic commemorat Innocentius, prior quidem edita ab Antonio Brandano in tomo tertio Monarchiae Lusitanae, posterior à Roderico à Cunha in tractatu de primatu Bracarensis Ecclesiae in universa Hispania. Sic autem habent.

Paschalis Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Gonsalvo Colimbriensi Episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Quanti criminis habeatur ecclesiasticae auctoritatis contemptus ex propheticis verbis agnoscitur, ubi scriptum est: Quasi scelus idololatriae nolle acquiescere. *Fraternitatem tuam missis & remissis literis admonuimus ut confratri nostro Mauritio Bracarensi Archiepiscopo tamquam Metropolitano tuo reverentiam obsequiumque impenderes. Tu verò & literas contempsisti, & privilegia quae Bracarensi Ecclesiae apostolicae sedis auctoritate indulsimus sub contemptu ejusmodi conculcasti. Adhuc tamen penes te patientiam exhibentes praecipimus ut eidem Archiepiscopo tamquam Metropolitano tuo deinceps debeas obedire. Porro nisi infra dies quadraginta postquam has literas acceperis debitam ei obedientiam praestiteris, ex tunc ab episcopali officio te suspendimus. Datum Anagniae* III. *Nonas Novembris.*

Paschalis Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Bernardo Toletano Archiepiscopo apostolicae sedis Legato salutem & apostolicam benedictionem. Pro injuriis confratris nostri Mauritii Bracarensis Archiepiscopi fraternitatem tuam saepe mo-

animas; sed adhuc se vehementer à te gravari conqueritur. Colimbriensis enim Episcopi obedientiam et contra Romanæ auctoritatis privilegia subtraxisti. Item in Lucensi Ecclesia, ad ejus metropolim pertinente, Episcopo præter judicium ejecto superordinari alium proposuisti. Idipsum in monasterio beati Petri de Monte factum conqueritur. Bracarensis Ecclesiæ bona & ab aliis distrahi consensisti, & ipse cum familiaribus tuis mora diutina consumpsisti. Per totam etiam provinciam, invito & ignorante eo, potestatem tuæ voluntatis exerces. Asturicensis Ecclesiæ parrochiam, ut Salmantinam augeres, invito eo imminuisti. Nos autem in his vehementer regni turbationem & ætatis tuæ gravedinem infirmitatisque pensamus. Idcirco te ab injuncta super Archiepiscopum & provinciam Bracarensem cura legationis absolvimus, ut liberiùs ipse valeat in provincia sua justitiam exercere. Datum Anagniæ III. Nonas Novembris.

IX. Visus est sanè Bernardus, ut est varia vitae humanae commutabilisque ratio, fortuna partim prospera, partim adversa; planèque expertus est id quod M. Tullius alicubi observavit, magnam esse vim in fortuna in utramque partem, vel ad secundas res, vel adversas. Inter adversa quidem numeraverim infelicem hunc sacrosanctae pontificiae legationis exitum, eo graviorem quòd illa pati coactus est in extrema senectute & post tam diuturnam auctoritatem. Annus porro millesimus centesimus sextus initium ei fuit longi exilii, & Hispaniae seminarium itidem magnorum motuum ac bellorum. Alfonsus enim Castellæ Rex maritum Vrracae filiae quaesiturus, adeoque Regem post se Hispaniae daturus, Bernardum ac reliquos Episcopos & Abbates regni sui Toletum ad se vocans, cum eis consultavit de matrimonio Vrracae cum Alfonso Rege Aragonum, universorumque consensu nuptiae illae celebratae sunt, invita licèt ac repugnante nobilitate, quae Vrracam alicui è regni proceribus nubere malebat. Tum statim nova nupta in Aragoniam abducta est. Mortuo deinde patre Alfonso anno centesimo nono supra millesimum, Reginam mitti conjugii haud obscurè pœnitere cœpit; an quia rerum omnium satietas est, omnibusque in rebus voluptatibus maximis fastidium finitimum; seu quia in fœmina ad omne dedecus projecta conjugii dignitas impedimento erat ne suos sensus voluptarios omnes incitaret libidinesque expleret. Igitur in Castellam marito jubente profecta, primùm usurpare jura regia, deque Castellanorum vita ac fortunis decernere inconsulto marito, multaque probrosa agere quæ silentio transmitti non possent. Ea de causa Alfonsus illam ad arcem Castellare in custodiam tradidit, ex qua tamen ipsa re cum suis communicata in Castellam evadit. Verùm à regni proceribus ad virum remissa, carceri denuo mancipatur. Eo tumultu excitati Castellani proceres, utendum tempore rati, inventamque occasionem dissolvendi conjugii quod inauspicato coierat invita nobilitate, societas inter se ineunt adversùs Aragonios conatus. Ex ea re in animis hominum religiones excitatae ei obtemperare fas esse negantium qui legitimus Rex non esset. Odio quaesitus color, incestae nuptiae. Alfonsus enim Vrracae conjunctus erat proxima consanguinitatis linea, quam enarrat Rodericus Toletanus in initio libri septimi. Porro auctoritas Romani Pontificis implorata non fuerat quo justae legitimaeque essent nuptiae. Nondum enim moribus receptum erat ut pontificum Romanorum veniis lege cognationis soluta, conjugia inter cognatos coirent, ut heic observavit Mariana. Paschalem nihilominus Papam in partes trahi debere visum. Itaque ad eum missa legatio, causa omnis exposita, nuptias fuisse celebratas contra sanctorum canonum reverentiam, sola regnantium auctoritate; decretum ederet quo incestum matrimonium dissolveretur. Et patet ita factum in gratiam Vrracae, quae certa odii adversùs Alfonsum signa dederat, & tum impendio eum odisse credebatur. Visum ergo ut adversùs eam scriberetur, quo consilia occultiora forent, Reginaque, si fortè custodia evaderet, probabiles justasque causas habere videretur repudiandi Alfonsum enubendique in familiam alicujus è proceribus Castellanis. Scribens igitur Paschalis ad Didacum Episcopum Compostellanum, quem ego virum summae tum dignitatis auctoritatisque fuisse reperio, jussit ut Vrracam excommunicationis pondere perculsam regnoque privandam denuntiaret si in incesto perseveraret. Ego existimo facilè lubenterque pontificiis illam literis obsequuturam fuisse si sui juris ac libera fuisset. Verum semper in custodia retinebatur jussu mariti. Ille vero insuperhabuit decretum Pontificis, seu quia legitimum conjugium esse putabat quod auctoritate Praesulum Hispanorum ipsiusque Toletani Primatis coierat, sive tatum quod iram & odium concepisset adversùs hominem qui per illam matrimonii dissolutionem sibi adimere meditaretur regna Legionis & Castellae, ut Castellanis proceribus gratificaretur. Quin & addita contumelia. Nam quia Episcopi Hispani, quò reverentiam & obsequium erga sedem apostolicam suum publicè testarentur, seu quia illos quoque forsitan taedebat Aragoniae dominationis, Alfonsi imperium detrectabant ac forte an illum diris devovebant in consequentiam literarum pontificiarum, ipse, ut solent irati Principes, & qui dignitatem auctoritatemque suam modis omnibus fartam tectamque tueri volunt, Episcopos affligens, etiam Bernardum Archiepiscopum Toletanum ejecit in exilium, quod is biennio toleravit, nihil prohibente legationis pontificiae sacrosancta majestate, ut ait Mariana. Addit Baronius Burdinum Bracarensem Episcopum hac occasione captata Romam venisse, Paschalem Pontificem adiisse, atque oblata pecunia in Bernardi locum petiisse se substitui, sed repulsum fuisse; itaque cum execratione rejectum à Paschali, se contulisse ad Henricum Germaniae Regem, quem eidem Paschali jam cœpisse adversari intellexerat, eumque calcaribus impulisse per abrupta, neque quievisse quousque nisibus ejusdem Henrici apostolicum thronum invasit.

X. Profectò narrationem illam eleganter & ingeniosè concinnavit Baronius: neque ulla, fatendum enim est, commodior aut probabilior occasio reperiri potuit ad adstruendam fidem huic fabulae quam calamitas illa Ecclesiae Toletanae. Bene ergo se res haberet si vera proderentur. Sed tantum abest ut vera sint, ut etiam à nullo alio scriptore ante hoc seculum tradita sint quam à Baronio. Quod autem à recentiore auctore de rebus adeo antiquis sine alicujus vetustioris auctoritate profertur, contemnitur, ut docuit idem Baronius. Scio Romualdum Archiepiscopum Salernitanum & Rodericum Toletanum, acerrimum ac vehementissimum Toletani primatus defensorem, commemorare nundinationem illam, sed non in illo tamen tempore quo Baronius illa pronuntiat evenisse. Ac sanè tot contradictionibus implicata est tota illa narratio apud Rodericum ut valde probabile sit inventam esse ut Burdini memoria, qui conatibus Archiepiscopi Toletani fortiter olim resistere ausus erat, obscuraretur obrueretурque multitudine atrocitateque flagitiorum. Nam scriptum est apud Rodericum id evenisse statim post mortem Vrbani secundi. Quo tempore Burdinus nondum erat Archiepiscopus, nullaque hactenus controversia fuerat inter Paschalem & Henricum, nulla Bernardum inter ac Burdinum. Profectò vanitas illius Rodericianae scriptionis ex eo deprehenditur quòd illic scriptum sit Burdinum in sedem apostolicam evectum ab Imperatore eo ipso tempore quo Paschalis Papa in custodia regia erat, & quod Paschalem ait diem suum obiisse apud Caietam. Nam haec omnia sunt falsissima. Æquè falsum est quod ait Romualdus, Burdinum, defuncto Toletano Archiepiscopo, largita Paschali Papae thesauri copia petiisse ab eo Toletanum archiepiscopatum, sed obtinere non potuisse, licèt Paschalis pecuniam accepisset. Quippe Bernardus superstes fuit Papae Paschali.

Roder. Tolet. lib. 6. rer. Hisp. c. 34.

Roder. Tolet. lib. 7. rer. Hisp. c. 1. Mariana lib. 10. c. 8.

Cu-

Crimen enimvero magnum Burdini fuit, & quo Roderici odium promeritus est, excussisse auctoritatem primatus Toletani, quam in provincia Bracarensi obtinere deberet acriter, irrito quamvis conatu, contendit postea Rodericus in Concilio quod Romae in Ecclesia Lateranensi celebravit Innocentius Papa tertius. Ex eo fonte & ex incertis ac maledicis vulgi rumoribus ortam puto narrationem illam. Nam si rejectus cum execratione Burdinus, ut Baronij verba repetamus, addita etiam ea contumelia quam enarrant Romualdus & Rodericus, nimirum acceptam quidem à Paschale pecuniam quae à Burdino offerebatur, sed frustratum nihilominus petitione sua; si inquam haec vera sunt, quae vel immanissima sunt, cur Burdino postea gratificatus est Paschalis, cur eum tutus est adversus vim Bernardi? Cur non eum opprimi à Bernardo sivit, virum ambitiosum, versipellem, flexibilem, ingratum, & qui res Dei pretio constare putaret? Cur ejus opera uti postea voluit ut concordiam revocari procuraret inter sacerdotium & regnum? Constat enim ex literis Gelasij secundi ad clerum populumque Romanum scriptis Mauritium Bracarensem Archiepiscopum à Paschale Papa missum fuisse Legatum ad Henricum pro pace tractanda. Absit autem ut existimemus sanctum Pontificem, cujusmodi fuit Paschalis, uti in negotio gravissimo voluisse opera viri quem sciret esse perditae ac profligatae conscientiae, quemque ipse ob eam causam ignominia insigni notasset.

XI. Perseverabat enim adhuc schisma inter Paschalem & Henricum post abrogatum in Romana synodo privilegium investiturarum. Nondum discordiarum finis; & tentata saepe pax, nunquam coalescere poterat. Nam facta cum Henrico pax, non pax fuit, sed pactio servitutis. Tamen quia is pacem se quàm bellum malle praedicabat, Pontifex pacis amantissimus officii sui esse putavit ut gravem aliquem virum ad eum mitteret, qui pacem inter ipsos procuraret. Delectus est ad id munus exequendum Mauritius Bracarensis, vir magna prudentia, usu, & exercitatione præditus, ad eamque destinatus cum dignitate Legati sedis apostolicæ. Contigit id anno Christi MCXVII. ut ego quidem arbitror. Nam & eo anno Mauritius erat in comitatu Augusti, & non ita multò post à Paschali excommunicatus est in Concilio Beneventano, ceu mox sumus dicturi.

XII. Certum prorsùs habeo non defuisse suo Legatum, pacique bonis Henrico propositis flexisse ferocem animum ad reintegrandam cum Pontifice concordiam. Consiliis enim Burdini tribuendum puto quod eodem anno MCXVII. Henricus Romam venit ut diadema imperatorium reciperet de manu Paschalis, qui futurus erat omnium controversiarum laudabilis exitus. Verum quia Henricus, ut solent Principes satellitio muniri, Romam venerat armatus, Pontifex, qui bene meminisset carceris ac vinculorum suorum, fugae tutam viam quaerens, liberam Augusto urbem reliquit. Ægrè profectò absentiam ejus tulit Augustus; ut ipsemet testis est in oratione quam habuit ad populum Romanum, quae extat apud Petrum Bibliothecarium. *Ecce*, inquit, *à Patre Romanæ Ecclesiæ Domino Paschali è Gallis coronandus adveni in urbem. Eum abesse infortunii mei deputo*. Ne tamen non acciperet coronam imperiatem, cujus accipiendae causa Romam venerat, usus est opera Mauritij, utpote Legati apostolici, ad peragendam consecrationem suam. Ita enim docet idem Petrus Bibliothecarius. *Rex accito Mauritio Bracarensi Archiepiscopo, qui ob superbiam levitatem ac curialis affectus per biennium extra parochiam propriam opulentissimè cultu regio hac & illac molliter dissolutèque vagaverat, ante corpus beati Gregorij coronari se fecit*. Et manifestum est, ni fallor, non alia de causa delectum ad id facinus Mauritium quàm quia Romani Pontificis vices obtinebat apud Augustum, pacis ac concordiae interpres. Alioqui enim cur non potius Germani cujuspiam ministerio uteretur Henricus? Et fortassis rebatur non aegrè laturum Paschalem si, absente se, Imperator à vicario suo coronaretur in urbe, atque hac ratione redintegrari posse concordiam; contrà quàm evenit.

XIII. Nam Paschalis, qui tum agebat in partibus Apuliae, audito Henricum Romae coronatum fuisse à Burdino sedis apostolicae Legato, statim sibi persuasit illum in partes Henrici transgressum esse, incanduitque ut adversus proditorem ac perfugam. Ea de causa (qui mos erat illorum temporum, in gravioribus causis nihil agere ac statuere inconsultis collegis) synodum congregavit apud Beneventum, in qua Burdinum publicè ob eam causam excommunicavit, ut docet Gelasij secundi epistola ad Gallos. At ex epistolis ejusdem Gelasij ad Bernardum Toletanum & ceteros Hispaniarum Episcopos discimus, non solùm excommunicatum in ea synodo fuisse Burdinum, sed praeterea depositum ab honore episcopatus (quod etiam tradunt Sugerius in vita Ludovici Grossi, Romualdus Salernitanus, itemque Petrus Diaconus Casinensis) injunctumque Bernardo fuisse uti ad electionem Episcopi in Bracarensi Ecclesia faciendam operam & opem praeberet cum effectu. Causa autem excommunicationis fuit, quòd contra jussionem Paschalis, ut Romualdus ait, in Ecclesia beati Petri Missam celebrasset, sive quòd adhaereret Regi excommunicato, id est, Henrico Imperatori, quem in Ecclesia sancti Petri ante corpus beati Gregorij coronavit, quem verò Paschalis propterea vocat Regem excommunicatum quia jamdiu à Paschali Papa & ab universa Ecclesia fuerat excommunicatus. Episcopus enim qui deprehensus fuerit communicare cum excommunicatis, & ipse communione privandus est, juxta canonem secundum Antiochenum. Juraverat praeterea Burdinus in acceptione Pallij non communicaturum se scienter his quos Romani Pontifices nominatim excommunicassent. Hinc sequebatur etiam perjurij crimen. Episcopus porro in perjurio deprehensus deponi jubetur in canone XXV. apostolico. Itaque ex excommunicatione secuta est sententia depositionis adversus Burdinum, quamvis absentem, juxta legem Gregorij septimi. Nam novi istius juris repertor Gregorius pronuntiavit effatum illud: *Quod absentes Papa possit deponere*. Quanquam, si rem seposito omni affectu humano consideramus, poterat Burdinus optimo jure conqueri de iniquitate judicij. Neque enim sponte sua communicaverat cum Henrico, sed jussu Papae Paschalis, cujus Legatus erat apud Henricum.

XIV. Accidit interim post mortem Paschalis, dum Princeps Romam pergeret ut electionem futuri antistitis praesente se fieri procuraret, festinatam eam fuisse ac peractam ante adventum ejus. Quod an tentatum fuerit studio conservandae libertatis ecclesiasticae, an verò propter odium Henrici, seu quia in animis amicorum Paschalis inhaerebat adhuc memoria injuriarum ei ab Augusto illatarum, non est illius temporis investigare. At parte ex alia Henricus, dum se contemptum videt, majestatemque imperatoriam & jus regnantis pulsari ac temerari aegrè patitur, ordinationi Ioannis Caietani, qui tum electus fuerat, & Gelasius secundus postea dictus est, assentiri noluit.

XV. Hoc nimirum fuit initium schismatis quod per illa tempora distraxit Ecclesiam, regnumque & sacerdotium, ut sanctus Bernardus ait, divisit plaga penè incurabili & castigatione crudeli. (S. Bernar. epist. 219.) Et poterat istius mali causa tolli si vel expectatus fuisset Henricus, vel Romam rediisset Gelasius ab Augusto vocatus. Miserat enim Henricus ad eum legatos oratum ut in urbem rediret, illic peragendam consecrationem Romani Pontificis in sede Petri, huic porro & interesse se valde cupere, & assensu suo corroboraturum, posse ea ratione redintegrari concordiam si inter se colloquerentur. (Falcon. Benev. chron.) Verum Gelasius, qui mallet nimis timidus quàm parum prudens videri, dum re-

repetit memoriam Paschalis in carcerem conjecti, fidem adhibere noluit promissis Henrici; sed Caietae remanens, facta legatis potestate discedendi, haec Imperatori dicenda mandavit, accepturum se statim consecrationem, ac postea cùm Augusto collocuturum ubicumque lubitum illi foret. *Ego verò*, inquit, *Deo annuente consecrationis accipiam firmitatem. Debinc me, ubicunque voluerit, paratum ad propositum negotiationis inveniet*. Profecto, si verum fateri volumus, dura illa & inimica responsio, tum ordinatio Gelasij statim peracta velut in contemptum Augusti, animum satis jam exulceratum facilè excitare potuerunt ad audendum magnum aliquod facinus; praesertim si diligenter attendimus existimasse illum eligi non potuisse Pontificem Romanum inconsulto se, multo minus contempto. Praetendebat enim haud-dubiè Henricus eam electionem esse nullam quae insciente se celebrata fuerat. Quo enim evasurum antiquum Augustorum jus, nuperrimè a Nicolao II. confirmatum in Concilio Romano? Non ferendam eam audaciam, ac validè reprimendam. Timendum enim ne si ista silentio transmitterentur, jus imperatorium paulatim aboleretur, nihilque posthac auctoritatis reliquum Augustis foret in electione Pontificum Romanorum.

XVI. Sed ut istae Henrici querelae speciem ostendantur habere justitiae, necessarium est nonnulla dicere de jure quod Romani Imperatores habebant antiquitus in electione Pontificum Romanorum; ut qui Burdinum ab eo in sedem apostolicam evectum lecturi sunt, non statim eum de vi damnent, sed jure regio, ut tum quidem putabant, factum interpretentur. Nam ex libro diurno Pontificum Romanorum, quem nuper eruditissimi viri Ioannis Garnerij diligentia produxit dias in luminis oras, discimus hunc olim in Romana Ecclesia morem fuisse ut quum summus ejus antistes obiisset, statim ij qui servabant locum sanctae sedis apostolicae ad Exarchum Ravennae commorantem scriberent de ea re, & quum postea electio facta esset, ab Imperatore peterent confirmationem electionis, absque qua ordinationem peragi non potuisse patet ex vita Gregorii Magni & ex gestis Vitaliani & Agathonis Pontificum Romanorum. Scribebant etiam ad Exarchum, ut propè positum, vicemque Imperatoris in Italia tenentem, ut ejus consensum elicerent, ut patet ex eodem libro diurno. Extincta deinde Exarchi dignitate anno DCCLV. Ravennaque tradita Romanae Ecclesiae à Pippino Rege Francorum, cùm in occidente viluisset auctoritas Imperatorum, surgensque Carlovingicae familiae gloria tutelam Italiae suscepisset & apostolicae sedis, quum Longobardos Italia expulisset Karolus Magnus, libertatem Romanis reddidisset, sedem apostolicam variis donis ac muneribus ornasset ac locupletasset, invenit Hadrianus Papa illius nominis primus rationem exsolvendi aliquatenus beneficia ejus, translato videlicet in eum in plena synodo jure eligendi Pontificem Romanum & ordinandi apostolicam sedem. Erat Karolus natura generosus, beneficentissimus, & ad bene merendum quàm respondendum propensior. Itaque gratus iste Hadriani animus ei stimulus haud dubiè fuit ad ornandam adhuc muneribus urbem Romam; planèque affirmare licet ita Karolum sibi deinceps maximis suis & immortalibus beneficiis devinxisse Pontifices ac populum Romanum ut utrorumque valde interfuerit ut si minus tantam ei gratiam referre possent quanta debebatur, haberent tamen quantam maximam animi eorum capere poterant. Mortuo igitur Hadriano succedens Leo III. anno DCCXCVI. *mox per legatos suos* (verba sunt Eginhardi in annalibus) *claves confessionis sancti Petri ac vexillum Romanae urbis cum aliis muneribus Regi misit; rogavitque ut aliquem de suis optimatibus Romam mitteret qui populum Romanum ad suam fidem atque subjectionem per sacramenta firmaret. Missus est ad hoc Engilbertus Abbas monasterii sancti Richarij*. Tum ergo confirmatum est Karolo summum jus summumque Imperium in Romanam urbem; ut etiam colligi potest ex chronico Moyssiacensi, in quo scriptum est eum tenuisse Romam matrem imperii antè quàm fieret Imperator. Aucta deinde Karoli dignitas ex nomine Imperatoris & Augusti, quod anno octingentesimo in eum collatum est in Concilio Romano. Hinc ergo, si non comprobata, saltem accepta potestas cognoscendi de electione Romani Pontificis, an legitimè facta foret, tum propter jus imperatorium de quo suprà diximus, tum quia multum interest Regum ac Principum ut civitatibus imperio eorum subjectis tales instituantur Episcopi quorum fidei & virtutibus ipsi Reges ac Principes confidant, & qui populus verbo & exemplo doceant jura majestatis non esse violanda. Itaque sequentes post Karolum Imperatores non antè Pontificum Romanorum ordinationes peragi sinebant quàm ex inquisitione prudentium Missorum constitisset electionem rite ac legitime factam fuisse, electumque Pontificem Principi futurum fidelem: uti pluribus olim dictum à nobis est ad Agobardum. Sed vetera haec. Transeamus ad posteriora tempora, ut aevo Burdini proximiora.

Fragment. hist. Aquit. ed. tum à Pithoeo.

XVII. Nam Gerbertum Ravennatium Archiepiscopum, Silvestrum secundum deinde dictum, quis ad fastigium Romanae sedis evexit, quis elegit, quis alius creavit quàm Otto Imperator illius nominis tertius? Gregorium sextum rite canonicèque electum & consentiunt veteres & contendit illustrissimus Cardinalis Baronius. Sed hunc tamen in Sutrina synodo deposuit Henricus Germaniae Rex anno MXLVI. & Suidgerum Bambergensem Episcopum *summum Romanae Ecclesiae elegit Pontificem*, ut ait Hermannus contractus. Quid non & Damasus secundus, Poppo antea vocatus Episcopus Brixinensis; ab eodem Imperatore missus est Romam *Pontifex consecrandus*? Et successor Damasi Leo IX. Leucorum tum Episcopus, vir catholicae Ecclesiae consensu consecratus in sanctorumque numerum relatus, nonne ad Romanam cathedram pervenit praecepto Imperatoris, ab eo electus? Atque hoc jus imperatorium adeo constans erat per illa tempora ut quoties Romani cujuspiam Pontificis obitus eveniebat, mitterent Romani legatos ad Imperatorem, oratum ut successorem daret. Denique & ipse Gregorius septimus, nondum sanè Pontifex, sed Subdiaconus Hildebrandus, à Romanis missus est ad Imperatorem anno MLIV. ut successorem Leoni peteret. Missus est autem ab Augusto Gebehardus Eystettensis Episcopus, Victor secundus postea nominatus. Vnde porro ortum est schisma inter Alexandrum secundum & Cadaloum quam ex injuria quam sibi à Romanis illatam contendebat Imperator Henricus IV. *quod ipso nesciente Pontifex Romanus electus esset*? Nam Henricus olim acceperat principatum super ordinatione Romani Pontificis. Quod privilegium Henrico, illius filio, confirmatum est à Nicolao II. in plena synodo Romana, ut fidem facit etiam Advocatus regius apud Baronium. Non alia profecto causa Gelasium II. & Henricum V. dissociavit quam contemptus Augusti in electione Gelasij, ut diximus.

Baron. ann. 1044 § 6.

Baron. ann. 1047 § 4. Herman. Contr. ad an. 1047. Herman. Contr. ad an. 1049. Vita S. Henrici edita à Gretsero c. 17. Anonymus Hasenretanus.

Baron. an. 1054 § 11. ex Leone Ost. lib. 2. c. 90.

Baron. an. 1061. § 9.

Baron. an. 1119 § 24.

XVIII. His ergo quas suprà diximus cogitationibus, ut ego quidem arbitror, incitatus Henricus, tum exasperatus animo ob liberam Gelasij contumaciam, *quo imperij jura tueretur*, ut ait Alphonsus Ciaconius, Mauritium Bracarensem Archiepiscopum eligens ut esset Pontifex Romanus, eum in sede apostolica collocavit adhibitis veteri consuetudine, ut Ioannes Aventinus ait, suffragijs nobilium Romanorum eorumque è clero qui discedente Gelasio remanserant in urbe, proque Mauritio Gregorium nominavit, illius videlicet nuncupationis octavum.

XIX. Anselmus Abbas Gemblacensis, tum vivens, hoc schismatis exordium, hunc progressum fuisse docet in suo chronico: *Paschalis Papa moritur. Succedit Iohannes Caietanus, qui & Gelasium se nominat. Cùm verò Henricus Imperator, tunc*

tem-

temporis agens in Italia, Romam tenderet ad eligendum Papam, Iohannes praesentiam ejus veritus, jam electus & ordinatus, secessit Capuam. At Imperator, quia electioni non interfuerat, nec ordinationi consensit; sed aliquibus Romanorum adnitentibus Hispanum quendam Burdinum nomine satis Clericum et superordinari fecit. Eandem discordiae caussam praefert vetus epitaphium Gelasij.

Praesule Paschali meritis ad sidera rapto,
Promeruit tandem sacram conscendere sedem,
Dignus post primum Gelasius esse secundus.
Sed quia Rege fuit non praecipiente levatus,
Horrendum fremuit Princeps.

Item Eadmerus monachus Cantuariensis in libro quinto historiae novorum: *Rex vero Teutonicus, qui & Romanus Imperator, audito Papam hujc vitae decessisse, Romam advolat; & Bracarensem Episcopum, jam anno praeterito ab eodem Papa Beneventi excommunicatum, cedente ab urbe Gelasio, suum Papam instituit, & ex Burdino Gregorium nominat.* Romualdus Archiepiscopus Salernitanus in suo chronico: *Paschalis Papa Romae defunctus est. Et Iohannes natione Gaietanus, qui Romanae Ecclesiae Diaconus & Cancellarius fuerat, statim à clero & populo Romano in pontificatus honorem electus & Gelasius est Papa nuncupatus. Qui priùs quàm ordinaretur, propter Henrici Alamannorum Regis adventum, qui tunc Romam festinus advenerat, ipse Gelasius in civitatem Gaietam secessit, ibique à Cardinalibus qui eum secuti sunt ordinatus est & consecratus. Spreverat enim praedicti Imperatoris assensum ejusque communionem. Imperator autem hoc videns, convocato populo Romeno cum quibusdam Clericis, jussit eligi in ordinari summi Pontificis quendam Burdinum nomine, cui nomen impositum est Gregorius Papa.* Ordericus Vitalis lib. XII. historiae ecclesiasticae: *Defuncto Paschali Papa, Ioannes Baietanus Romanorum Pontificum antiquus Cancellarius & magister in Gelasium Papam electus est, & contradicente Imperatore à Romano clero canonicè consecratus est. Tunc etiam Burdinus Bragaeum Archiepiscopus, qui fuit à fautoribus Gregorius VIII. vocitatus est, Imperatore connivente, in Ecclesiam Dei intrusus est.*

XX. Contigisse ista septimo Idus Martias anni MCXVIII. docet nos epistola Gelasij ad Gallos, in qua scriptum est Burdinum in sedem apostolicam evectum ab Henrico fuisse quadragesimo quarto die post electionem Gelasij. Cum enim is electus fuerit VIII. Kalendas Februarii ut constat ex Pandulpho Pisano & aliis scriptoribus, consequens est Burdini electionem septimo Idus Martias fuisse celebratam.

XXI. Hanc Gregorij electionem & ordinationem ut primùm audivit Gelasius è Caieta, quo post fugam suam se receperat, has ad Gallos literas dedit quas heic describimus ex editione quae extat apud Eadmerum & apud Simonem Dunelmensem, utpote quae emendatior esse videtur.

Gelasius Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Clericis, Principibus, & ceteris per Galliam fidelibus salutem & apostolicam benedictionem. Quia vos Romanae Ecclesiae membra estis, quae in ea nuper acta sunt dilectioni vestrae significare curavimus. Siquidem post electionem nostram Dominus Imperator furtivè & inopinata velocitate Romam veniens, nos egredi compulit. Pacem postea minis & terroribus postulavit, dicens se facturum quae posset nisi nos ei juramento pacis certitudinem faceremus. Ad quae nos ista respondimus. De controversia quae inter Ecclesiam & regnum est, vel conventioni vel justitiae libenter adquiescimus & loco & tempore competenti, videlicet vel Mediolani, vel Cremonae, in proxima beati Lucae festivitate, fratrum nostrorum judicio vel consilio, qui a Deo sunt judices in Ecclesia constituti, & sine quibus causa haec tractari non potest. Et quoniam Dominus Imperator à nobis securitatem quaerit, nos verbo & scripto ista promittimus, nisi interim ipse impediat. Alias enim securitates promittere nec honestas Ecclesiae nec consuetudo est. Ille statim, die videlicet post electionem nostram quadragesimo quarto, Bracarensem Episcopum, anno praeterito à Domino praedecessore nostro Paschale Papa in Concilio Beneventi excommunicatum, in matris Ecclesiae invasionem ingessit; qui etiam dum per manus nostras olim Pallium accepisset, eidem Domino nostro & catholicis successoribus ejus, quorum primus ego sum, fidelitatem juravit. In hoc tanto facinore nullum de Romano clero, Deo gratias, Imperator socium habuit; sed Guibertini soli, Romanus de sancto Marcello, Cencius qui dicebatur sancti Grisogoni, & Teuzo, qui multo per Daciam tempore debacchatus est, tam infamem gloriam celebrarunt. Vestrae igitur experientiae literarum praesentium praecepto mandamus ut super his communi per Dei gratiam deliberatione tractantes, ad matris Ecclesiae ultionem communibus praestante Deo auxiliis, sicut oportere cognoscitis, accingamini. Data Caietae XVII. *Kal. Februarij.*

XXII. Siste heic paululùm, quaeso te lector, ut nonnulla mecum observes in hac Gelasiana epistola quae non videntur esse leviter praetereunda. Primum ex ea docemur, praeter ea quae de legatione Henrici ad Gelasium referuntur à Falcone Beneventano, petiisse Augustum pacem à Pontifice, & quidem his artibus usum quibus plerunque uti solent qui eam maximè cupiunt, minis videlicet ac terroribus, ut facilius animum Gelasij flecteret ad concordiam ineundam. Minae autem hae fuere, facturum se quae posset. Probabile est suspensum illud & ambiguum scribendi genus non fuisse obscurum Gelasio. Ea enim mens erat Augusto; habere se maximam auctoritatem in electione Romani Pontificis, quae firma ac valida esse non posset nisi accederet assensus principalis, non comprobaturum se illam, immo cuncta acturum quibus futuram ordinationem infringi ac labefactari posse arbitraretur, ni Gelasius secum rediret in gratiam; id se valde cupere & optare; sin aliter eveniret, declaraturum se nullam fuisse electionem Gelasij, aliamque celebraturum, adeoque aemulum levaturum adversus Gelasium; quod si Gelasius pacem mallet, certitudinem pacis faceret. Tangit illud caput controversiam investiturarum, quae per tot annos turbavit Ecclesiam. Molestè ferebat Henricus abrogatum in Romana synodo privilegium domui Augustae concessum à Paschali, & renovari cupiebat. Petebat ergo ut donec magnus dies imponi posset huic controversiae, Gelasius sponsionem faceret ac promitteret non turbaturum se, neque caussam offensionis Henrico praebiturum ob investituras. Et aequissima videbatur Henrici postulatio, neque praejudicabat quicquam adversus ecclesiasticas regulas. Verùm Gelasius semper timidus, adeoque procrastinandum ratus, negotium illud remisit ad proximam synodum Mediolani vel Cremonae celebrandam in festivitate beati Lucae, id est, post septem mensium spatium. Potuit existimare Henricus ludificationem id esse, & valde probabile est ita existimasse. Tum statim secuta electio Burdini, quadragesimo quarto die post Gelasianam.

XXIII. Ait deinde Gelasius nullum de Romano clero consensisse huic secundae electioni. Heic duo quaedam observanda sunt. Primum, aliter se habere hunc locum apud Eadmerum & apud Simonem Dunelmensem, aliter apud Vvillelmum Malmesburiensem & Rogerium de Hoveden. Nam apud illos ita omnino legitur hic locus: *In hoc autem facinore nullum de Romanis Dominus Imperator, Deo gratias, socium habuit.* Falsa est ac mendosa haec editio. Mentiretur enim Gelasius si ea non esset falsa. Constat enim nobiles quosdam Romanos, & in his Frangepanem, transgressos fuisse in partes Augusti & à Gelasio secessisse. Neque mihi placet Baronij interpretatio, qui ut locum illum à mendacio libe-

liberet, ait Gelasium heic per Romanos intelligere catholicos, eos nimirum qui partis erant Gelasij, ac si factionis adversae homines ne civium quidem Romanorum vocabulo dignos esse putaret. Vana admodum interpretatio, quod salva tanti viri pace dictum sit. Vtrique enim, & Gelasiani, & Gregoriani, ejusdem urbis cives erant, licèt partibus ac studiis diversi; ut etiam ipsi Gelasiani profitentur apud Pandulfum Pisanum in vita Gelasij, ubi Frangepanes, id est, eos qui Gregorij partes sequebantur, sic alloquuntur: *Nunquid & nos perdere cupitis? Et quidem Romani sumus, similes vobis, & si dici liceat, consanguinei vestri*. Melius igitur editio quam nos sequimur, ubi legitur *nullum de Romano clero*. Omnes enim Episcopi & Cardinales Gelasium elegerant, ac sequuti fuerant fugientem, ut patet ex Pandulpho Pisano.

Alterum igitur quod heic observandum est, ita se habet. Affirmat Gelasius Augustum neminem de Romano clero habuisse qui Burdini electioni assentiretur. Prima fronte istud videtur falsum. Nam dubitari non potest quin tres illi quos statim nominat fuerint è clero Romano. Verum illos ea de causa non connumerat Gelasius in clero Romano quia cum essent Guibertaci, id est, schismatici, praecisi jam olim erant per excommunicationem à corpore universalis Ecclesiae, adeoque extra clerum projecti.

In fine haec Gelasij epistola data dicitur Caietae XVII. Kalendas Februarij. Quo tempore Paschalis nondum mortuus erat, neque Gelasius electus; neque tum iste Caietae morabatur, sed in monasterio Casinensi. Itaque necesse est mendum heic esse. Quod tamen mendum vetus est, cum reperiatur in omnibus exemplaribus. Sensit vitium Baronius, proque Februario Aprilem rectè reposuit.

XXIV. Scripsit etiam Gelasius ad Bernardum Archiepiscopum Toletanum, olim quidem abalienatum à Burdino, sed nunc ei infensum hauddubiè ac inimicum quod vim primatus & apostolicae legationis petitione ejus infractam in Bracarensi provincia constaret. Itaque facile Gelasio fuit accensum contumelia animum trahere in partes suas. Haec ergo ad eum scripsit.

Gelasius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Bernardo Archiepiscopo Toletano & Hispaniarum Primati salutem & apostolicam benedictionem. Non latere credimus fraternitatem tuam qualiter frater quondam Mauritius Bracarensis Episcopus se jamdiu habuerit, qualiter Ecclesiam suam dimiserit, & quomodo Regi excommunicato adhaeserit, & contra statuta canonica in cubile sanctae Ecclesiae se ingesserit. Nec enim miramur debitam tibi obedientiam & antiquum primatus honorem Ecclesiae tuae penitùs denegasse, qui Romanam Ecclesiam, quae omnium Ecclesiarum mater est & magistra, non solum denegare, sed destruere quodammodo conatur &c. Monemus itaque atque praecipimus ut juxta mandatum praedecessoris nostri ad electionem in Bracarensi Ecclesia faciendam sollicitudine caritatis debitae operam & opem praebeas cum effectu. Ipsum verò Mauritium excommunicatum, perjurum, & matris Ecclesiae constupratorem publicum ceteris Hispaniarum Praelatis &c. Data Caietae VIII. *Kalendas Aprilis*.

XXV. Eadem die literas sequentes dedit ad universos Hispaniarum Episcopos, quas ex Gelasij regesto se descripsisse ait Rodericus Toletanus.

Gelasius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Bernardo Toletano Primati & ceteris Hispaniarum Episcopis. Non latere credimus fraternitatem vestram qualiter frater noster Mauritius Bracarensis Episcopus se jamdiu habuerit, & quomodo Ecclesiam suam dimiserit & quomodo Regi excommunicato adhaeserit. Illud etiam, ut opinamur, nostis, quod à praedecessore nostro sanctae memoriae Paschali Papa in Concilio excommunicatus sit, & quod Bracarensi Ecclesiae sit mandatum ut pastorem sibi alium provideret. Nunc tandem per Regis tyrannidem, post longum electionis mete spatium, in cubile sanctae matris Ecclesiae se ingessit. Ideoque fraternitati vestrae mandamus ut ad electionem in Bracarensi Ecclesia faciendam sollicitudine caritatis debita operam praebeatis. Ipsum verò Mauritium excommunicatum, perjurum, & matris Ecclesiae constupratorem ceteris Ecclesiae filiis publicetis. Datis Caietae VIII. *Kal. Aprilis*.

XXVI. Siste heic, quaeso, rursum, lector, & mecum aliquantisque expende epistolas illas ad Hispanos Episcopos scriptas. Omnino quinque res velut flagitia Burdino objicit Gelasius, societatem cum Imperatore, dimissionem Ecclesiae Bracarensis, rebellionem adversus Primatem, perjurium, & quae ex perjurio sequebatur, sedis apostolicae invasionem. De societate cum Augusto satis jam suprà dictum est, neque ea repeti nunc est opus. Dimissam ab eo fuisse Ecclesiam objectat, nimirum per biennium. Verum id quidem. Sed non ideo culpandus Burdinus. Quippe certis indiciis deprehenditur non alia illum de causa Ecclesiam suam deseruisse quàm ut jura sedis suae tueretur adversus Bernardum pervicaciter, ut apparet, incubantem Ecclesiae Bracarensi eamque Toletanae subjicere conanti. Quòd si non statim post confectum negotium rediit Bracaram, accusetur Pontifex Paschalis, qui operam ejus sibi Ecclesiaeque utilem ac necessariam putavit, adeoque eum apud se detinuit ut eo uteretur in tractatione gravium negotiorum. Itaque dum illi Gelasius absentiam hanc exprobrat, dat locum defensioni. Nam si crimen istud fuit, cur non eum statim Paschalis ad Ecclesiam suam redire jussit? Cur ejus opera uti voluit ad pacem inter sacerdotium & regnum conciliandam? Agit ergo Gelasius ut adversus hostem; Paschalisque insuper decreta violat, ut Burdinum fortius ac vehementius opprimat. Paschalis etenim existimaverat Burdinum habere justam causam, atque adeo nihil deinceps Bernardo licere voluerat in provincia Bracarensi. Gelasius autem insurgit adversus aemulum, primatumque Toletanae Ecclesiae adjudicat super Bracarensem, parte utraque inaudita, nullo judiciorum ordine servato, & adversus instituta majorum, id est, impetu, non ratione. Qui modus agendi adeo destitutus erat omni ratione ut Callistus II. insuperhabito Gelasij decreto privilegia Bracarensis Ecclesiae postea confirmaverit literis datis ad Pelagium Archiepiscopum Bracarensem, quas Mariana recitat. Mariana lib. 10 Rer. Hisp. c. 13.

XXVII. Burdinum praeterea perjurum vocat Gelasius, ob eam nimirum rationem quod cum fidelitatis & obedientiae juramentum Romano Pontifici Paschali successoribusque ejus, quorum primus erat Gelatius, olim fecisset in acceptione Pallij, nunc papatum Gelasio tollere conabatur contra manifesta jurisjurandi verba. Nam haec sunt omnino verba juramenti: *Non ero neque in consilio neque in facto ut vitam aut membra aut papatum perdant, aut capti sint mala captione*. Et infrà: *Papatum Romanum & regalia sancti Petri adjutor ero ad retinendum & defendendum, salvo meo ordine*. Istam criminationem fortiter repulisse Burdinum & in adversarium rejecisse dubitari non potest. Ipse enim se legitimum Paschalis successorem ferebat, Gelasium vero putabat summum pontificatum non ritè adeptum fuisse, quia ejus ordinatio destituebatur consensu Imperatoris. Si extarent acta & epistolae Burdini, quas probabile est Callisti II. jussu combustas fuisse, cùm nulla deinceps earum memoria reperiatur, videremus illic eum diluisse ea maledicta, rectène, an perperam, non est hujus loci judicare. Itaque ad institutum nostrum revertamur.

XXVIII. Vrebat profectò malèque habebat Gelasium tam potens ac tantae dignitatis adversarius, praesertim quum videret eum sedere in cathedra Petri interim dum ipse alienas terras habitare cogebatur. Itaque cum per id temporis intellexisset plerosque Romanorum non consensisse electioni Gregorii & consecrationi ejus nullatenus consilii & auxilij manus de-

dis-

ottie, quemadmodum illos ad Gelasium scripsisse memorat Falco Beneventanus, optimum factu putavit si literas grati animi significationem continentes ad eos scriberet, hortareturque porro ut perseverarent in ea constantia. Hanc ergo epistolam ad eos mittit.

Gelasius Episcopus servus servorum Dei dilectis in Christo filiis clero & populo Romano salutem & apostolicam benedictionem. Dilectionis vestræ Domino gratias agimus quod unanimiter persistentes, communicare tenebrarum operibus noluistis. Audivimus * *etiam quondam ille amicus noster Dominus Imperator familiarem nostrum Mauritium Bracarensem Archiepiscopum, antea sibi super tractanda pace Legatum, in nostram Ecclesiam ingesserit. De quo sciatis quod dicitur olim secundùm consuetudinem confirmatione consecratione Pallium accepisset à nobis, & nos ab ipso secundùm statuta canonicum juramentum fidelitatis & obedientiæ recepimus &c. Rogamus ergo dilectionem vestram atque præcipiendo mandamus ut ab eo vos tamquam excommunicato, perjuro, invasore, & sanctæ matris Ecclesiæ ac fidei catholicæ constupratore abstineatis &c. Datum Caietæ &c.*

* Etenim quoniam.

XXIX. Habuit autem Henricus Imperator sectatores ac fautores in ea Gregorij electione & ordinatione nobiles Romanos, itemque quosdam è clero, sed quos, cùm Guibertini forent, diu ante excommunicatos fuisse contendebat Gelasius, adeoque nullius in Ecclesia Dei auctoritatis. Sic ergo ordinatus Gregorius Romae cathedram tenuit interim dum Gelasius vagus & exul per Italiam errabat; adeo ut, cùm idem Gelasius ab amicis suis persuasus urbem aliquanto post repeteret, necesse habuerit, ut Pandulphus ait, in Ecclesia sanctae Mariae quae de secundo cereo dicitur latebris se occultare, ac postea rursum fugam inire.

XXX. Conflato igitur schismate ac consummato, *gravis*, (ut Ordericus Vitalis ait) *inde dissensio inolevit, sæva persecutio inhorruit, & catholicam plebem vehementer perturbavit.* Divisa ex eo regna Europae, dum nonnullae regiones Gregorium sequebantur, aliae Gelasium. Ac sanè oportet aliquod robur, rursum aliquod vitium habuisse utramque electionem, quandoquidem Eadmerus Cantuariensis, illorum omnino temporum scriptor, ait usque adeo diversas ac divisas fuisse Christianorum sententias in hoc schismate ut nonnulli Callistum, qui Gelasio successerat, Ecclesiae Dei jure praelatum assererent, alii Gregorium, plerique neutrum. Inde enim oriuntur schismata & discidia cùm jura contendentium sunt ambigua. Certè tametsi fortassis Rex Anglorum Gelasio adhaereret, non tamen omnes Angli eum susceperunt. Nam Matthaeus Parisius, tum in historia majori, tum etiam in chronico, Gelasium disertis verbis vocat antipapam. *Anno*, inquit, MCXVIII. *defuncto Papa Paschali, Gelasius Antipapa anno uno succedit. Cui successit orthodoxè Calixtus.*

XXXI. In Germania Herimannus Episcopus Augustensis, ut legimus in epistola Egnonis Abbatis sancti Vdalrici, rejecto Gelasio, Burdinum suscepit, nomenque ejus in cerei Paschalis benedictione recitari praecepit, ac plebem sibi subjectam Burdini literarum salutatione convenit, monachos etiam sancti Vdalrici compulit ad suscipiendum nomen Gregorij. Sanè Rodericus Toletanus apud Innocentium III. in synodo Lateranensi differens adversùs memoriam Burdini, quam denigrare modis omnibus conabatur, ait eum sumpto Gregorij octavi nomine commentitiis & falsis bullis per universum orbem apostolicas immo apostaticas literas direxisse. Earum epistolarum unam, cujus suprà meminimus, nos reperimus in archivo monasterij Vsercensis insertam bullae Pauli II. qua confirmat antiqua ejusdem monasterij privilegia à Romanis Pontificibus praedecessoribus suis, inter quos nominat hunc Gregorium octavum concessa. Ea sic habet.

Extat apud Baron. ad an. 1120.

Concilia Hisp. Loaysæ pag. 290

Gregorius Episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo filio Aldeberto Abbati sancti Petri Vsercensis monasterij omnibusque fratribus ibidem Deo famulantibus & successoribus ejus in eodem monasterio substituendis in perpetuum salutem & apostolicam benedictionem. Cùm per Dei omnipotentis misericordiam in summi pontificatus arce constituti, universarum Ecclesiarum curam suscepisse videamur, illarum tamen maximè necessitatibus condescendere debemus quas religiosè conversari ac in Dei servitio semper permanere cognoscimus. Ideoque, fili carissime, auctoritate sedis apostolicæ, cui Deo dispensante præsidemus, confirmamus tibi & Ecclesiæ tuæ libertatem quam à principio habuisse dinoscitur, videlicet ut nullus Episcopus, nullus Archiepiscopus monasterium istud sine nostra jussione audeat excommunicare, & post obitum tuum vel cujuscumque Abbatis habeant monachi ipsius monasterij licentiam & facultatem secundùm regulam sancti Benedicti sibi eligendi Abbatem aut de illo monasterio, si ibi repertus fuerit, aut de alio quo voluerint. Insuper concedimus tibi monasterium Agdunense cum omnibus Ecclesiis sive terris ad idem pertinentibus, monasterium quoque Masmacense cum omnibus possessionibus suis, necnon Tusturiaci & sancti Raphaelis & Exidolij cum omnibus possessionibus ad hæc in integrum pertinentibus, alias quoque Ecclesias quas nunc habere videmini aut inantea Deo auxiliante justè acquirere poteritis. Recepimus quoque te & monasterium sub tutela & defensione beati Petri, cujus Ecclesiæ omni anno debes persolvere bizantium auri. Ita ut nullus Archiepiscopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, nec aliqua parva magnaque persona de rebus ad Ecclesiam pertinentibus aliquid deprædare, subtrahere, aut quolibet ingenio defraudare audeat. Si quis verò, quod non credimus, contra hanc nostræ ordinationis paginam ausu temerario obviare tentaverit, sciat se anathematis vinculo colligandum. Datum Laterani per manum Petri sacrosanctae Romanae Ecclesiae Cancellarij secundo Idus Aprilis, Indictione undecima, anno dominicae incarnationis millesimo centesimo octavo decimo, pontificatus autem Domini Gregorij Papae VIII. anno primo.

Vide Gaufred. Vos. chron. cap. 15.

XXXII. Haud ita multò post, nempè postridie Kalendas Iunias, ipso Pentecostes die, Gregorius Henricum Imperatorem ut papa coronavit, quem prius coronaverat ut Legatus Paschalis Pontificis. Ita enim factum fuisse docet Leo Ostiensis in Chronico Casinensi lib. IV. cap. LXIV. *Imperator interea cum oppidanis* (Turriculae) *fœdus iniens, Romam redit, ibique diebus Pentecostes ab eodem haeresiarcha coronatus Liguriam redit.*

XXXIII. Sedente itaque Gregorio in sede Petri, in Gallias accedens Gelasius, moritur apud Cluniacum anno MCXIX. mense Ianuario. Successit ei statim Guido Viennensis Archiepiscopus, magnae nobilitatis vir, magnaeque tum in Ecclesia auctoritatis, dictus Callistus istius nominis secundus. Refricatum ex eo vulnus, novisque viribus instaurata Ecclesiae scissio, dum alij Gregorium sequuntur longo jam tempore tenentem Romanam sedem, alij Callistum optimo jure electum contendunt. *Dum haec ecclesiastica ita in Burgundia disponuntur*, inquit Eadmerus, *apostolatus Romanae Ecclesiae praefato Gregorio sede beati Petri praesidente administratur. Super his ergo multis rumoribus Anglia concussa est, aliis hunc, aliis illum, aliis neutrum Ecclesiae Dei jure praelatum asserentibus. Galli tamen & Rex Anglorum cum Pontifice Cantuariensium in Callistum se transtulerunt, & eum spreto Gregorio, pro Apostolico susceperunt.* Chronicon Mauriniacense: *Vvidonem Viennensem Archiepiscopum strenuum & incomparabiliter genere virum eligunt & pontificalibus induunt insignibus; quibusdam tamen ob rei novitatem, aliis, ut ferebatur, ob invidiam murmurantibus & aliter sentientibus.* Non caruit ergo contradictione electio Callisti.

XXXIV. Sequenti dein mense Octobri Callistus synodum habuit, generalem in civitate Remensi, in

qua *Karolum Henricum Imperatorem Theomachum*, ut Ordericus Vitalis ait, *& Burdinum Pseudopapam & fautores eorum moerens excommunicavit*. Boni enim Episcopi est optare primùm ut mali corrigantur ac sanentur, postremò cum dolore abscindere quod sanari non potest. Tentaverat autem Callistus Henricum, ut consanguineum & affinem, reducere ad bonam mentem, irrito conatu. Sed non eadem erga Burdinum caritas. Invocatus & inauditus damnatur.

XXXV. Incommodum sanè ingens ac detrimentum Gregorio attulit illa Callisti electio. Vir è regali stirpe oriundus, Regum & Augustorum consanguineus, Ducum frater, praeterea magnae tum auctoritatis, & audax, magna in causam praesidia induxit adversùs Gregorium. Ob eas nimirum causas electum eum tradit Vvillelmus Malmesburiensis in libro quinto de rebus gestis Regum Anglorum. *Cardinales qui cum Gelasio venerant*, inquit, *simulque omnis Ecclesia cisalpina Guidonem Archiepiscopum Viennensem in Papam grandi paratu levantes, Calixtum vocarunt, religionis & efficaciae ipsius intuitu sperantes se per illius potentiam, quod esset in auxiliando facultatis maximae, Imperatoris viribus obniti posse. Nec ille credulos spei effectu exinaniens, mox Concilio Remis celebrato investitos vel investiendos à laicis ab Ecclesiis removit, pariter & Imperatorem, nisi resipisceret, involvens. Ita tempore in inferioribus plagis moratus* VT PARTES SUAS AVGERET, *Romam compositis in Gallia rebus venit, libenterque à civibus (nam jam Imperator discesserat) receptus est. Tum Burdinus in medio relictus Sutrium effugit, multis peregrinorum calamitatibus papatum suum fovere meditans.*

XXXVI. Pervenimus ergo tandem ad ultimam periodum calamitatum hominis infelicissimi, qui post multas res praeclarè gestas, post plurima doctrinae ac pietatis exempla edita, post gestos honores amplissimos, demum fatali quadam sorte gratiam Henrici Imperatoris adeptus, ab eo in altum sublatus est ut rueret lapsu graviore. Triennium integrum tenuit apostolicam sedem in summa pace ac tranquillitate, donec Callistus collecto in Gallia exercitu in Italiam pergens, Imperatorem Roma decedere compulit, quam ipse victor ingressus est. Henrici discessus peperit casum Burdini, qui Sutrium se contulit. Sed quid illic faceret miser absque exercitu, absque Imperatore, à quo derelictus ac desertus erat? Igitur Callistus illuc properat, Burdinum superat, capit, indignissimè tractat, in custodiam tradit, triumphat, carceri perpetuo mancipat.

XXXVII. Itaque ut a Sutrino Gregorij secessu initium faciamus, ei vitio versum est quod peregrinos ad Apostolorum limina transeuntes sibi genu flectere cogeret; eamque potiorem causam suscepti adversùs eum belli fuisse testatur Callistus in epistola mox recitanda, quod ipse peregrinorum & pauperum clamores ferre penitùs non posset. Ergo Callistus, cui
Baron. an. 1121. §. 11. ut Baronius ait, superandi Burdini munitione se continentis ingens adhuc supererat labor, quod exercitu opus esset ad Sutrium expugnandum, eo relicto, & ad aliud tempus opportunius reservata expugnatione, Beneventum profectus est, ubi Normannos ad expugnationem Sutrinae munitionis adhortaretur. Conflatis igitur pactionibus cum Normannis, *factus abundè jam ab omni parte securus*, ut scribit Pandulphus, *parat is magnum exercitum, & cum eo Ioannem Cremensem Cardinalem sancti Chrysogoni Sutrium contra Burdinum praemisit. Ipse eum è vestigio sequitur. Demum Sutrij convenerunt. Pugnatur utcumque. Vincitur capiturque Burdinus*. Captus est au-
Codice Vatic. MS. apud Baron. ann. 1121. §. 1. tem per timiditatem & ignaviam Sutrinorum: qui obsidionem ferre non valentes, cum eorum moenia quaterentur, eum dedidere militibus. Hi vero hominem ejusmodi exposuere ludibrio. Primùm omnium eum incessere blasphemiis, altis vocibus conclamantes: Maledicte, maledicte, per te tam grave scandalum venit. Addebant alij: Tu es qui Christi tunicam attentasti dividere, & dilacerare catholicam unitatem praesumpsisti. Periisset autem miser inter manus furentium militum, qui multas ei contumelias, ut ait Vrspergensis, irrogarunt, nisi Callistus illum à manibus eorum eripuisset, eum servaturus ad pompam triumphi. Fuit enim tum tanta Callisti laetitia ut epistolam confestim de ea re generalem scripserit in universum orbem Romana sacra colentem, quam heic describere visum est operae pretium.

Callistus Episcopus servus servorum Dei dilectis fratribus & filiis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, & ceteris tam Clericis quam laicis beati Petri fidelibus per Gallias constitutis salutem & apostolicam benedictionem. Quia dereliquit populus legem Domini, & in judiciis ejus non ambulat, visitavit Dominus in virga iniquitates eorum & in verberibus peccata eorum. Paternae tamen conservans viscera pietatis, de sua confidentes misericordia non relinquit. Diù siquidem, peccatis exigentibus, per illud Theutonicorum Regis idolum, Burdinum videlicet, fideles Ecclesiae conturbati sunt; & alij quidem capti sunt, alij usque ad mortem carceris maceratione afflicti sunt. Nuper autem festis Paschalibus celebratis, cùm peregrinorum & pauperum clamores ferre penitùs non possemus, cum Ecclesiae fidelibus ab urbe digressi sumus, & tamdiu Sutrium obsedimus donec divina potentia & supradictum Ecclesiae inimicum Burdinum, qui diabolo nidum ibidem fecerat, & locum ipsum omnino in nostram tradidit potestatem. Rogamus itaque caritatem vestram ut pro tantis beneficiis unà nobiscum Regi Regum gratias referatis, & in catholicae Ecclesiae obedientia & servitio constantissimè maneatis, retributionem debitam in praesenti & in futuro ab omnipotenti Domino per gratiam ejus recepturi. Rogamus etiam ut has literas alter alteri praesentari omni remota negligentia fucatis. Datum Sutrij quinto Kalendas Maij.

Perstringit autem illic Callistum Vvillelmus Malmesburiensis his verbis: *Vrbana omnino & excogitata facetia, ut eum quem oderat, Regis Theutonici vocaret idolum, quod ille Mauritij peritiam tum in literis tum in civilibus negotiis magni pensaret.* Idolum tamen simpliciter, ut ego quidem arbitror, dixit Callistus pro eo quod antiqui dicebant imaginarium ac suppositium, ut ipso verbo ostenderet Burdinum non fuisse verum Papam, sed imaginem & idolum Papae; sicut sanctus Bernardus ad Eugenium
Papam scribens adversùs Vvillelmum electum Eboracensem Archiepiscopum, cujus electionem vitio factam fuisse contendebat, *idolum Eboracense* vocat. S. Bernard. ep. 239.
Eodem sensu Alexander III. ad Gerardum Episcopum & ad clerum populumque Bononiensem scribens de sua electione, ait Ioannem & Guidonem Cardinales Octavianum, *quem sibi in statuam erexerunt*, obstinata perfidia venerari, *& eum, relicta unitate Ecclesiae usque adhuc tamquam idolum aut simulacrum adorare*. Ceterùm heic observandum est Burdinum nullius alius flagitij aut accusatum à Callisto aut compertum quàm quòd apostolicam sedem quum occupasset, eam summa ope retinere conatus est, adeoque peregrinos per Sutrium transeuntes genua coram se flectere cogeret. Quod ideo adnotare placuit ut hinc quivis colligere possit quanta fides habenda sit Abbati Vrspergensi, qui ex incertis vulgi rumoribus ait eundem Burdinum in talibus deprehensum flagitiis *quae nostris*, inquit, *indignum duximus tradere scriptis*. Nam si istius modi scriptorum testimoniis integra fides habenda esset, multum periclitaretur bona quorundam Pontificum fama, praecipuè verò Ioannis XXIII. quem Onuphrius Panvinius scribit nullam fidem novisse neque religionem, ac rebus prophanis magis quàm divino cultui accommodatum fuisse. Longum esset ire per singulos. Itaque revertamur ad institutum nostrum.

XXXVIII. Post captum Sutrium dejectumque Burdinum nihil supererat quàm ut Romam duceretur

tur

tur triumphandus. Ergo turpissimè ultrà quàm credi potest amictus, ut ait Falco Beneventanus, ligatus, & indutus pilosa pelle vervecis pro chlamyde rubea, ut est in veteri codice Vaticano apud Baronium, immo sanguinolentis pellibus caprinis amictus, ut legitur apud Sugerium, vel cute indutus ursina, ut apud Vuillelmum Tyrium, positus ex adverso super camelum versa facie ad tergum, ita ut caudam cameli pro fraeno haberet, Callistum Papam ad urbem antecessit ea more veterum triumphorum, per medium civitatis via regia, ut magis publicaretur, deductus ix. Kalendas Maias. *Pontifex igitur Callistus*, inquit Falco Beneventanus, *Deo & Petro Apostolo gratias agens, magno gaudio repletus, urbem triumphans ingressus est*. Ne quis vero miretur hunc ingressum Pontificis in urbem Romam conjungi cum triumpho, legenda est epistola Eginonis Abbatis sancti Vdalrici Augustensis: in qua scriptum est Callistum Romam redeuntem secum duxisse hunc Eginonem, relaturum terrae suae *triumphum*, ut Callistus ait, *Ecclesiae*. Certè ita haec conveniunt cum historia ut de hac ipsa re agens Baronius, eamque ex Sugerio describens, idcirco dicat ita se tacere *ne quid desit ad triumphum bestiae per Imperatorem exaltatae*. Et Constantinus Caietanus Abbas sancti Baronti ait Burdinum à Callisto captum per Romanas plateas triumphi specie camelo traductum esse. Neque carebat exemplo ridiculus ille Burdini evectus quem suprà descripsimus. Narrat enim Anastasius in historia ecclesiastica, ex Theophane, ut apparet, Constantinum falsum Patriarcham Constantinopolitanum à Constantino Copronymo Imperatore dejectum, & dehonestatum publicè, fuisse impositum obliquè super asinum sagma tenentem, & ipsius tenere caudam jussum esse. Mitius etiam & honestius cum Burdino actum quàm postea actum sit Constantinopoli anno MCLXXXV. erga Andronicum Comnenum Imperatorem; qui post multas contumelias, post plurima probra, demum scabioso camelo impositus, per forum triumphi specie traductus est, ut in ejus vita narrat Nicetas Choniata. Porrò ne quid ad triumphi decus & ornamentum desiderari posset & ad memoriam tanti facinoris sempiternam, Callistus ad exemplum veterum Romanorum, qui devictorum Regum ac populorum nomina titulosque marmoribus inscribi curabant, eam historiam in antiqua camera palatij Lateranensis depingi curavit cum hac inscriptione, quam sua quoque aetate superfuisse docet Onuphrius Panvinius.

Vuil. Tyr. lib. 12. c. 8
Chron Io. Bromton
Suger. in vita Lodov Grossi.

Apud Bar. ad an. 1120

Caiet. in Notis ad vitam Gelasii pag. 68.

Ecce Callextus honor patriae, decus imperiale,
Burdinum nequam damnat, pacemque reformat.

Fidem autem huic narrationi adstruit etiam Sugerius his verbis: *Et ad tantae ultionis memoriae conservationem in camera palatij sub pedibus Domini Papae conculcatum depinxerunt*. Plenius verò Rodericus Archiepiscopus Toletanus in Concilio Lateranensi. *Hoc non solùm authentica historia testatur*, inquit, *verùm etiam lateorum pictura hoc asserit & protestatur. Si quis astantium hac de re dubitat, tollat oculos ad praesentes loci hujus parietes; & videbit hujusmodi historiam picturatam. Erigentes autem oculos omnia ut dixerat viderunt*. Videndus etiam Otto Frisingensis lib. VII. cap. XVI. suorum chronicorum, ubi referuntur versus à nobis suprà descripti.

XXXIX. Ad eandem historiam, licèt tacito nomine respicit Arnulphus Episcopus Lexoviensis in epistola XIX. ad Alexandrum III. Papam scribens: *Porro schismata haec in Ecclesia Romana frequentius accidisse etiam Lateranensis palatij picturae demonstrant, ubi catholicorum patrum pedibus pro scabello schismatici praesumptores adscripti sunt*. Item Ioannes Saresberiensis epist. LIX. *Sic ad gloriam patrum teste Lateranensi palatio, ubi hoc in visibilibus picturis & laici legunt, ad gloriam patrum, schismatici, quos secularis potestas intrusit, dantur Pontificibus pro scabello, & eorum memoriam reculcat pro triumpho*. Sed in primis historiam hanc idem Ioannes enarrasse videtur in Policratico, sic illam describens ut incertum relinquat cui veram victoriam tribuat, victori, an victo, & ejus qui vicit causam meliorem fuisse colligat ex eventu. Afferam autem ipsa ejus verba. *Gaudeat planè mundus cùm alter solus vicerit; sed propensiori laetetur gaudio si vicerit uterque vel neuter. Conveniant ergo, si placet, in insula Lycaonia aut alia, (si quis tamen locus bellis sive duellis est aptior) & sine orbis & urbis periculo teneat alteruter duellorum quem Deus scilicet approbaverit aut victorem esse permiserit. Victus quoque, si id victori placeat, demergatur in Tyberim; aut si cum eo mitiùs agendum videtur, retrudatur in Caveam. Cui cùm Abbas loci claustrum immo carcerem aperuerit, protestetur se non illud ei qui damnatur praeparasse, sed victo. Qui vero vicerit, id est, qui violentior fuerit, in Liparem aliamve insulam exul perpetuus deportetur ad marmora secanda*. Confirmat suam illam quam diximus sententiam idem Ioannes in epistola XLIV. quae est scripta nomine sancti Thomae Archiepiscopi Cantuariensis ad Regem Anglorum, in qua loquens de schismate Alexandri & Victoris ait: *Erit autem nobis periculosum si apud eum qui victurus est, quem nondum novimus, alii qui minus humoris ab Ecclesia Romana acceperunt devotionem nostram praevenerint*.

Ioan Saresb. lib. 8. Policr. c. 23.

XL. Ergo dejectus eo modo ac triumphatus Burdinus, ne post hac impedimento esse posset, missus est cum multa ignominia, ut Vuillelmus Tyrius ait, ad Cavense monasterium, quod juxta Salernum situm esse dinoscitur, sive retrusus in Caveam, ut verbis utamur Ioannis Saresberiensis; ibique habitu monachali indutus, ut idem Tyrius, Radulfus de Diceto, & auctor chronici Maurigniacensis referunt, vitam compulsus est lege loci ducere coenobiticam, id est, redire ad illud vitae institutum quod olim susceperat in monasterio Vsercensi, ut supra monuimus. Nicolaus enim secundus constituerat ut si quis *per seditionem vel praesumptionem aut quolibet ingenio electus aut etiam ordinatus seu inthronizatus fuerit, ab omni ecclesiastico gradu, in quocunque fuerat prius, sine retractatione deponatur*, id est, ad illud vitae institutum reducatur in quo existebat antequam gradus ecclesiasticos assequeretur. Anno sequenti, qui fuit vigesimus secundus à nativitate Christi supra centesimum & millesimum, idem Callistus Burdinum de Cava extractum in Ianula, quae arx est in rupe imminente civitatis sancti Germani, custodiendum tradidit, auctore anonymo Casinensi quem edidit Antonius Caracciolus. Denique hinc eductus ad Honorio II. anno MCXXIV. in arcem Fumonis non longè ab Alatro civitate in Hernicis translatus est, in eam nimirum arcem in quam postea Bonifacius VIII. conjecit sanctum Petrum Murrhonem, dictum antea Caelestinum quintum. Illic ad supremum usque senium vixit Burdinus, ibique mortuus est, non verò in monasterio Cavensi, unde recesserat. Sunt qui scribant eum pervenisse usque ad tempora Eugenij tertij. Verùm cum illi nullo veterum testimonio, quod quidem appareat, nitantur, in arbitrio lectoris erit quid existimare ac credere debeat.

XLI. Hic finis fuit infelicis Burdini, hic terminus. Scio illum, si tum regulae ecclesiasticae sacrique canones valuissent, vitio electum, adeoque ejus ordinatione fuisse irritam. Sed cum illorum nulla tum in hoc ratio haberetur, electionesque Romanorum Pontificum fierent secundùm privilegium Augustis concessum ab ipsis Pontificibus, quod, ut vidimus, multis exemplis per aliquot secula confirmatum, novissimè à Nicolao II. fortiùs fuerat stabilitum in Concilio universali, difficile tum erat existimare quis ex duobus qui post Paschalem ordinati sunt esset verus ac legitimus illius successor, ut ostensum est ex historicis illorum temporum. Ecclesia tamen

Defensor Ecclesiae apud Baron. ann. 1059. §. 24. & 1061. §. 5.

men, quae post Burdini dejectionem excussit hoc jus imperatorium & pristinam libertatem recuperavit, Burdinum rejecit, Calixtum verò suscepit. Nos illam auctoritatem sequentes, nobis id tantum concedi postulamus, ut liceat deplorare miseram sortem magni excellentisque viri, *quem multum quislibet revereri*, ut Vuillelmus Malmesburiensis ait, *& penè adorare pro vita & magna industriae specie debuisset, nisi tam famoso facinore entescare maluisset.*

Malmesbur. lib. 5. Reg. Angliae.

HUGONIS DE CLEERIIS

Militis Andegavensis commentarius de majoratu & senescalcia Franciae Andegavorum olim Comitibus hereditaria.

Hoc scriptum fecit Fulco Comes Hierosolymitanus in Ecclesia Sepulchri de Lochis cum magna sepultus honorificentia de donis factis suis antecessoribus à Rege Franciae.

Vide t. x. Spicilegii pag. 441.

CUm Deus voluit sublimare Rotbertum filium Ducis in Regem, Goffridus Grisagonella cum tribus millibus armatorum serviebat Domino suo Regi Rotberto. Otho siquidem Rex Alemannorum cum universis copiis suis Saxonum & Danorum Montem Martiaci obsederat & urbi Parisius multos assultus ignominiosè faciebat. In hac necessitate praelii Rex Rotbertus & pater suus ducatum primae cohortis praedicto Comiti Goffrido Grisagonella tradidit, & ad persequendum exercitum Alemannorum ducem & consiliarium constituit. Persecutus itaque est Rex Rotbertus Regem Alemannicum, praeeunte Goffrido Grisagonella usque ad fluvium Eisnae. Comes vero Goffridus, gnarus pugnandi & assuetus, tantam stragem hostium super fluvium ediderat ante Regis Rotberti adventum quod stagnum putares, non fluvium. Alemannis itaque fugatis, Rex Rotbertus, congregato generali concilio, consilio patri sui & Episcoporum, Comitum, Baronum, dedit Goffrido Comiti quicquid Rex Lotharius in episcopatibus suis, Andegaviae scilicet & Cenomaniae, habuerat. Si quae vero alia ipse vel successores sui adquirere possent, eadem libertate qua ipse tenebat sibi commendavit. Nequitia Comitis Tricacensis non potuit sustinere prosperitatem Rotberti Regis. Sed ad ejus deprimendam perfidiam quàm majorem potuit exercitum Rex congregavit. Obsedit itaque Meludunum; & cum ibi diu sedisset, vidit quod nihil proficeret. Vocato itaque Goffrido Grisagonella, cum Andegavensibus suis sine mora ad consuetum properavit obsequium. Goffridus autem veniens praemisit contabularios suos, rogans ut ostenderetur ei qua parte sederet. Illi vero reversi nuntiaverunt domino suo quod tantus erat exercitus quod nullus erat eis ad obsidendum competens locus. Praedictum enim oppidum in insula Secanae situm erat, circumdatum undique muro calce & arena composito. Videntes itaque Andegavi quod nullum poterant habere hospitium, induunt arma, prorumpunt per medium exercitum, transeunt fluctus Secanae, dant assultum oppido virtute consueta, capiunt castrum. Quod exercitus non potuit per tres menses, illi dimidiae diei spatio adepti sunt. Franci vero hujus gentis inauditam admirantes audaciam, ubicunque locorum ipsos omni laude magnificabant. Videns autem Rex tantam Principis strenuitatem & ipsum praevalere in regno tam armis quàm consilio, & quia hic & alibi bene meruerat, sibi & successoribus suis jure hereditario majoratum regni & regiae domus dapiferatum, cunctis applaudentibus & laudantibus, exinde constituit. Haec verba dixit Fulco Comes Tescelino Capellano suo: Audi Presbyter cujusmodi obsequia praestitit Comes Gaufridus Grisagonella Domino Regi Rotberto. David Comes Cenomannorum & Gaufridus Comes Corbonensis dedignabantur recipere feodum suum à praedicto Rege, asserentes nullo modo se posse subici generi burgundionum. Audiens autem Rex eorum superbiam, & videns regni sui non parvam diminutionem, habito consilio cum Gaufrido Comite & cum primatibus regni, tempore constituto & die denominato decrevit obsidere castrum Mortoniae. Comes vero Gaufridus cognoscens adventum exercitus Regis, movens castra de Vindocino, dans assultum praedicto castro virtute consueta & probitate gentis suae, Gaufridum Comitem & oppidanos suos minùs timentes cepit & domino suo Regi tradidit. David vero Comes dedignans ad colloquium Regis venire, mandavit quod nullo modo se ei subiceret & quod nullo tempore Rex Rotbertus Cenomannicam suam videre praesumeret. Audiens autem Rex arrogantiam & indignationem praedicti Comitis, ipsum dedit & Cenomannicam suam Gaufrido Grisagonella & suis successoribus & dono regio tribuit jure possidendam.

Huc usque sunt scripta Fulconis Hierosolymitani.

VOs autem qui ista scripta audieritis, scitote quod ego Huo de Cleeriis vidi scripta Fulconis Comitis Hierosolymitani in Ecclesia sancti Sepulchri de Lochis de majoratu & senescalcia Franciae sibi & suis antecessoribus à Rege Rotberto collatis.

Inter Regem Lodovicum Philippi Regis filium & Fulconem Comitem, qui postea factus est Rex Hierusalem, magna erat dissensio. Fulco enim Comes nolebat ei servire. Rex enim Lodovicus dederat majoratum & senescalciam Franciae Anselmo de Garlanda, & postea Guillermo de Garlanda, de quibus Fulco Comes suas redibitiones & sua hominia habere non poterat. Contigit autem Regem Lodovicum maximam guerram habere cum Henrico Rege filio Guillermi acquisitoris Angliae. Ob hoc itaque Rex Lodovicus requisivit Fulconem Comitem ut de guerra ista eum juvaret. Comes vero respondit quod nullo modo ei servire debebat, cum namque de majoratu & senescalcia Franciae exheredabat. Tunc Rex Lodovicus per Amauricum de Monteforti avunculum Fulconis Comitis & per Gaufridum Abbatem Vindocinensem & Radulfum de Balgenciaco mandavit Comiti quod de omnibus illis & majoribus aliis istorum consilio se versus Comitem emendaturum. Comes igitur Fulco suos consulens homines, videlicet Rotbertum de Blo, Salmacium tunc Pincernam, Hugonem de Cleeriis, Gauditum de Vegia, & multos alios, respondit Regi Lodovico ut si hoc faceret quod mandaverat, quod hoc et alia adjutoria quae ab eo exigebat libenter faceret. Die autem illo quo consilium captum est cum Andegavia erat repleta bonae militiae & sapientissimae, Tunc Amauricus de Monteforti atque qui verba Regis attulerat, laudaverunt Comiti Fulconi ut per quendam, quem Rex cognosceret, Regi responderet ac super his, antequam nuncii Regis forent reversi, festinanter grates & mercedes redderet. Consiliatores autem Comitis audientes consilium quod Amauricus dederat, laudaverunt illud consilium. Quod cum Comitissa Aremburgis audiret consilium, laudavit quod nullus iret nisi Huo de Cleeriis. Ego itaque Huo de Cleeriis perrexi Parisius. Dehinc ad Guenoricum inveni Regem & Comitem Bellimontis. Eo itaque invento apud Guenore inter Pontesium & Bellummontem & Calvummontem, locutus sum cum Domino Rege. Primum illum salutans ex parte Comitis, reddidi ei grates & mercedes super suo mandato quod Comiti Fulconi mandaverat. Hinc ei dixi quod Fulco Comes ei suum offerebat servitium aut in praesentiarum aut prius, si vellet, colloquium. Rex inde laetatus, dixit se multum prius velle colloquium. Assignatus est ergo & dies & locus colloquii inter Marchenecium & Bicium in Beaussam. Inter haec mandavit Rex Comiti ut Gaufridum filium suum, qui nunc jacet in

Circa annum 1118.

Ec-

Ecclesia sancti Iuliani Cenomannensis, ad colloquium secum adduceret, illum namque multum optabat videre. Cùmque dies instaret colloquii, Dominus Rex Lodovicus & Fulco Comes ad locum constitutum venerunt cum suis consultoribus; ibique recognita sunt jura Comitis, videlicet majoratus & senescalcia Franciae. Guillermus de Garlanda tunc Franciae Senescallus recognovit in illo colloquio hominium se debere Comiti Fulconi de senescalcia Franciae, & inde fuit in voluntate Comitis. Post Guillermum fuit Senescallus Stephanus de Garlanda, qui fecit hominium Comiti. Post Stephanum Radulfus Comes Peronae, qui similiter fecit hominium & servitium. Ille enim qui Senescallus erit Franciae Comiti faciet hominium & talia servitia. Si Comes perrexerit ad curiam Domini Regis, Senescallus praecipit marescallis Domini Regis ut praeparent & liberent hospitia Comiti. Cum Comes venerit, Senescallus ibit ei obviam, & conducet ad suum hospitium. Tunc Senescallus ibit dicere Regi Comitem Andegaviae advenisse. Si Comes ad Regem ire voluerit, Senescallus ad curiam eum conducet, & de curia ad suum reducet hospitium. Si vero ad coronamenta Regis Comes ire voluerit, Senescallus praeparare & liberare faciet hospitia quae Comes habet propria & debita. Cum autem die suae coronae ad mensas Rex discubuerit, scamnum pulcherrimum fultro pallii aut tapeto coopertum Senescallus praeparabit, ibique (Comes) & sui comites quousque fercula veniant sedebit. Cùm vero primum venerit ferculum, Comes se desibulans è scamno surget; & de manu Senescalli ferculum accipiens, ante Regem & Reginam apponet, & Senescallo praecipiet ut exinde per mensas serviat. Et Comes retro sedebit donec alia veniant fercula; & quemadmodum de primo fecit, de aliis similiter faciet. Finita demum celebratione mensarum, Comes equum ascendet, & ad suum redibit hospitium, Senescallo comitante. Deinceps equus ille quem Comes adduxerit ad curiam, dextrarius videlicet, coquo Regis feodaliter dabitur, pallium quo in curia affibulatus erit dispensatori dabitur, sed post prandia. Tunc Panetarius mittet Comiti duos panes atque vini sextarium, & coquus frustum carnis & unum hastum. Haec est enim liberatio Senescalli in illo die. Haec fercula accipiet Senescallus Comitis, atque dabit leprosis. Insuper cum Comes in exercitu Regis perrexerit, Senescallus Franciae papilionem centum militum capacem ei praeparabit, & summarium ad illum portandum & cordas & paxillos, & hominem equitantem ad conducendum, & duos homines pedites. Finito exercitu, Comes, si voluerit, Senescallo reddet papilionem; sed nisi reddiderit, non ideo minùs in alio exercitu papilionem habebit. Comes cum in exercitu Regis fuerit vel ierit, post metelam faciet, & in reditu retutelam; & quicquid ei acciderit, sive bonum, sive malum, ore Domini Regis inde non vituperabitur. Ego Huo de Cleeriis vidi haec servitia reddere Comiti Fulconi Regi Hierusalem in duobus exercitibus Alverniae & in uno coronamento Bituri; & Comiti Gaufrido, qui est sepultus Cenomanni, vidi reddere in uno coronamento Bituri, & in alio Aureliani. Item Galterius de Silvanecti Pincerna recognovit ante Regem Lodovicum, me audiente, se tenere de Comite Andegavensi quidquid habebat in villa Silvanectis extra muros, & foragia totius Arbriae esse de feodo Comitis Andegavensis, & omnia casamenta. Radulfus de Martreio & Thomas frater suus solebant servire in Andegavia de feodo suo. Et ego Huo de Cleeriis, dum loquerer cum Rege Lodovico, audivi ab ipso haec verba: *Radulfe de Martreio, vide Huonem de Cleeriis militem Comitis Andegavensis domum tui. Vade servitum feodum tuum marescalciae, & hospitare Huonem, quia habes istum feodum à Comite.* Tunc Radulfus hospitatus est me sub nomine marescalciae. Et adjecit Rex: *Ego Dei gratia jam sum bene cum Comite Andegavensi.* De cetero Comes appellatur Major in Francia propter postutelam & retutelam quam facit in exercitu Regis. Item quando erit in Francia, quod (ipse) & curia sua judicaverit firmum erit & stabile. Si vero contentio aliqua nascetur de judicio facto in Francia, Rex mandabit quod Comes veniat illud emendare; & si pro eo mittere noluerit, scripta utriusque partis Comiti transmittet, & quod inde sua curia judicabit firmum erit & stabile. Ego Huo de Cleeriis vidi multociens judicia facta in Francia, in Andegavia emendari; sicut fuit de bello apud sanctum Audomarum facto, & de pluribus aliis placitis & judiciis. Hoc vidi, & multi alii mecum.

VITA BEATI STEPHANI

ABBATIS MONASTERII OBAZINENSIS

IN LEMOVICIBUS

Scripta ab auctore coaetaneo ejusdem monasterii monacho, & beati Stephani discipulo.

Incipit praefatio in vitam Domni Stephani Abbatis.

LIcèt sanctorum gesta scribendi modo consuetudo non sit, vel potius esse desierit, non tamen hoc aliqua alia ratione fieri manifestum est nisi aut inopia relatorum, aut ipsorum raritate sanctorum, qui in tantum jam defecerunt ut vel qui scribant, vel de quibus scribant, pauci vix aut ferè nulli inveniantur. Vnde est exclamatio illa Prophetae dicentis. *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus & quoniam diminutae sunt veritates à filiis hominum.* Sunt enim adhuc sive fuerunt aliqui sancti occulti, non tantummodo ante Dei oculos vita & actibus refulgentes, & qui in Ecclesia sancti habentur. Sed eorum vita in aliorum exemplum scribi non potuit, vel quia ipsi publicari timentes, maluerunt latere sub modio quam super candelabrum poni, vel quia non adeo miraculis claruerunt. quod maximè nunc exigitur ab his qui sanctorum vitas describere volunt. Illi similes videntur lunae obscurae seu vetustae; ex qua nihil apparet in ortu, sed tunc plena coruscat in cœlis. Nam qui in terris gloriosi apparent, & de cœlestibus cogitant, lunae plenae magis assimilantur, quae totam sui luminis claritatem exhibet mundo, obscuritatis nigredinem cœlo. Fuerunt tamen nostra aetate viri sancti utramque lunae imaginem praeferentes, qui & apud Deum occultè merito sanctitatis gloriosi fuerunt, & apud homines signis & prodigiis mirabiliter enituerunt. Horum vita dignè scribi promeruit, id est, sancti Bernardi Abbatis & sancti Malachiae Episcopi; prima tribus edita libris; sequens ab ipso sancto Bernardo, tanta elegantia sensuum atque dictorum ut nullius priorum vel illustrium dictatorum operibus inferior habeatur. Ego autem ut vitam Domni Stephani Obazinensium patris qualicunque stilo describerem, non à me ipso permotus sum, ut putatur, sed dominorum & patrum meorum jussionibus invitatus, immo compulsus; quibus etsi in tanta re periculosum fuit parere, periculosius foret non obedire. Egi autem hoc, non ut ipse per haec innotescar, sed ut sancti viri vita vel conversatio non lateret; quatinus praesentes & secuturi sciant quis vel qualis hic fuerit, qualiter vixerit, qualiterque mundum reliquerit, quantum denique non sibi soli sed aliis multis profuerit, quàm miranda & praeclara opera suo tempore perfecerit vel perficienda reliquerit, & ad postremum quàm glorioso ac mirifico obitu de hac vita exierit. Quod si hoc studium nostrum à multis fortè despiciatur vel etiam respuatur, mirandum non erit, praesertim propter operis novitatem & scribentis indignitatem. Habet hoc humanus animus ut opus ex aucto-

cto-

ctore consideret, & vetustati magis assentiat, nec facilè recipiendam putet scripturam quandiu vel qui scribunt vel de quibus scribunt vixerint super terram. Vnde Iohannes Chrysostomus ait: *Sicut viventium animalium carnes non comeduntur nisi fuerint priùs occisa, sic scripta maiorum in auctoritatem recepta non sunt nisi post mortem eorum*. Inde est quod Dominus invitatis ad coenam dici praecipiebat: *Tauri mei & altilia occisa sunt, venite ad nuptias*. id est, jam mortui vel occisi sunt per quos vobis scriptura confecta est, ut divini verbi epulas non quasi humanas, sed ut verè divinas, legendo percipiatis. Nec ista dicimus ut quia modo non possumus, saltim post mortem recipiendi simus; sed quia quosdam super his mussitasse comperimus, dicentes non debuisse à nobis ista describi, vel quia indigni vel imperiti sumus, vel quia is de quo loquimur nondum est inter sanctos canonizatus; cùm legamus plures sanctorum, quorum vitae magna ex parte descriptae fuerunt antequam ipsi obirent. His & aliis simili modo quaerentibus nihil aliud respondemus, nisi hoc tantùm, quia si Deus voluerit, hoc opus manebit, & si noluerit, non manebit. Credimus autem & indubitanter speramus quia manens manebit & proficiet, donante Deo, tam ad ejus de quo loquimur laudem quàm ad multorum aedificationem. *Explicit praefatio*.

INCIPIT VITA EIVSDEM.

I. Igitur Stephanus Aquitanica regione, territorio Lemovico, oriundus fuit, parentibus inter suos honestis & longa prosapia Christianis; cujus pater aequè Stephanus, mater Gauberta dicta est. Qui quidem parentes nec nimium locupletes, nec admodum pauperes, sufficientia vitae satis habebant, & per cetera quoque bona probabiles, hunc Deo dilectum non tam sibi quàm Ecclesiae Dei necessarium genuerunt. Fertur ejus genitrici visio per noctem ostensa, cùm eum praegnans utero tumescente gestaret, quòd quasi agnum in loco filii peperisset, cui adulto magnus ovium grex tradebatur. Quod dum cuidam viro Dei sancto narraret, audivit ab eo quòd talem ipsa filium generaret cui multus à Christo animarum populus crederetur coelesti magisterio informandus. Dicunt tamen alii à predicta femina, non agnum, sed catulum album visum fuisse, sicut legitur de sancto Bernardo. Vtrumque tamen in significatione verum apparuit; quia & agnus fuit innocentiae puritate, catulus, immo canis non mutus, in custodia gregum, id est, animarum jugi sollicitudine. Nam quantos pro Domino & grege sibi commisso latratus dederit non est nostrum evolvere, quia ad alia festinamus. Itaque natus & adultus, praeceptoribus traditur, ut in schola Ecclesiae litteris sacris imbueretur; quibus non mediocriter institutus, in brevi horum plenè scientiam attigit, earum scilicet scripturarum quae vel ad divinum cultum vel ad aedificationem pertinent animarum. Cum enim ad majorem pervenisset aetatem, patre jam defuncto, totius domus curam suscepit, matremque & fratres atque sorores seu omnem familiam strenuè gubernabat & cum disciplina regebat; sed plus studiosè agebat curam pauperum quàm parentum, quia melior illum causa urgebat. Nam ad illud humanitate, ad istud misericordia trahebatur & spe retributionis aeternae. Erat pater orphanorum, nutritor pauperum, susceptor peregrinorum, & pius consolator viduarum. Manus ejus plus ad dandum quàm ad suscipiendum erant porrectae, ut impleret illud Psalmistae: *Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in seculum seculi*. Castum, sobrium, ac benignum, omnibusque affabilem & munificum se exhibebat; ita ut cuncti circumquaque positi illius industriam ac nimiam prudentiam mirarentur. Attamen adhuc venerationibus & quibusdam secularibus nugis inserviebat; eratque cultus vestibus, cum tamen cultior moribus haberetur. Quod quidem prius pro cavenda inani gloria, ad occultandum cordis propositum ostentabat, & ne alii de illo plus quàm ipse de se existimarent.

II. Postquam autem largiente Deo sacerdotalis ordinis gratia sublimatus est, secularem vitam funditus deserit, & quam priùs mente despexerat, opere moribusque ei renuntiavit. Iam risus & illae quondam nugae convertuntur in luctum, & gaudium in moerorem; venationes ferarum in capturam transeunt animarum; jam pretiosarum vestium cultus deponitur, & dulcium escarum despicitur apparatus. Nam pro molli indumento cilicium intrinsecus ad carnem gestabat, & pro suavi cibo panem suum cum lachrymis & potum cum fletu percipiebat. Denique tanta corpus suum austeritate tractabat ut tam frigore quàm inedia penè illud necaret. Siquidem mediis hyeme, quando gelu & frigore cuncta constringebantur, secum glaciem effringebat, ibique usque ad cervicem demersus tamdiu perdurabat donec interiora ejus vis algoris altius penetraret, dicens quodam modo cum Psalmista: *Quia factus sum sicut uter in pruina, justificationes tuas non sum oblitus*. Erat in jejuniis praecipuus, in vigiliis assiduus, in orationibus promptus; quas non compositio verborum, sed lachrymarum devotio divinis auribus offerebat. Sermo ejus sale conditus & caritate erat ignitus, auditoribus divini amoris incendium & sapientiae condimentum infundens. Tanta docendi gratia ei à Domino data fuerat ut audiendi verbum ex ore ejus nulla unquam satietas sequeretur. Quòd si illo absente aliquis in Ecclesia loqueretur, velut rusticanus à populo spernebatur propter illius admirabilem & spiritu ferventem doctrinam. Nec immeritò. Nam quod ore docebat, operibus commendabat, & sermones rectissimos vita non inferior illustrabat. Divinis officiis multum pervigil & indefessus astabat, nullis curis, nullis occupationibus proprium intermittens cursum, nisi gravi infirmitate aut inevitabili causa detineretur. In his verò rebus quae ad altaris propriè ministerium pertinent, hoc est, vasis sacris vel vestibus seu quibuslibet ornamentis, in Ecclesiis in quibus ministrabat tantam diligentiam impendebat ut ex hoc in ceteris admirabilis & ubique irreprehensibilis appareret. Sicut in militia aut in aliqua arte ita nonnulli instructi ac periti habentur ut inde magistri meritò censeantur, sic iste in cultu altaris & totius honestatis ac munditiae magister & praevius habebatur. Erat assiduus in lectione divinarum scripturarum, maximè his qui evangelicas paginas exposuerunt; unde tam sibi legendo quàm aliis praedicando aeternam provideret salutem. Cumque ibi multa de contemptu mundi & gloria futuri seculi reperiret, valde accendebatur mens ejus ad despectum praesentium & desiderium futurorum, dicens quodammodo cum Propheta: *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* vel iterum: *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes: Quando consolaberis me*. Talibus desideriis inflammatus, quotidie abrenuntiare seculo disponebat; ut terrenis curis abjectis, pauperem Christum pauper ipse ac nudus expedito gressu continuò sequeretur. Sed ne hoc temerè & absque consilio facere videretur, quemdam adiit religiosum virum atque sanctissimum, Stephanum cognomento de Mercurio, qui fuerat discipulus sancti Roberti, utpote ab ipso nutritus, cujus fama sanctitatis in tota illa regione celebris habebatur. Ad hunc cùm venisset, eique suae mentis propositum indicasset, non de voto diffidens, sed consilium quaerens, ita venerabilis senior illi respondit. Oportet, carissime, ut desiderium tibi divinitus inspiratum diù non protrahas, neque differas de die in diem, sciens quia semper nocuit differre paratis; quin potiùs ut mente conceperas, abjectis mundi curis, Christi vestigia felici cursu insequere, ut tuo exemplo multi convertantur ad Deum. Hoc responso tamquam divino fretus oraculo, laetus ad propria remeavit. Habebat autem in hoc proposito socium & sodalem quendam Petrum nomine, mirae

sim-

simplicitatis virum, qui & ipse Presbyter nuper fuerat ordinatus. Huic soli sui cordis secreta commiserat, tali conditione, ut pariter seculo renuntiantes, religionis sanctae habitum incunctanter arriperent, & in eo usque ad finem vitae perseverarent. Exinde festinabant viri sancti quod Deo voverant adimplere; quò mundi hujus nexibus absoluti, libero & absoluto gressu viam salutis incederent, ut ad Christum pariter pervenirent.

III. Igitur paucis interpositis diebus, hebdomada prima quadragesimae, quando cineres dari solent, feria quinta, convocatis affinium turbis ultimum vale facturi, sollemne eis convivium praebuerunt, & quicquid de substantia superfuit pauperibus diviserunt. Sequentem verò noctem vigiliis & orationibus pervigilem ducunt, obsecrantes Dei clementiam ut vota sua, quae praeveniendo eorum cordibus aspirarat, etiam adjuvando prosequeretur. Deinde religiosa veste se induentes, mox antequam illucesceret, nativo solo relicto, nudis pedibus quasi ad exilium ire coeperunt. Erat quidam illis in partibus eremita Bertrannus nomine, instituendis animabus curam gerens, habens & ipse paucos discipulos illius magisterio adhaerentes. Quem cum expetissent, decem tantum menses cum eo fecerunt, non taedium passi, sed magis probati, quò non retro irent, sed fortiora appeterent & viciniora saluti. Siquidem tali ad eum conditione venerant, ut si cum eo tantillo hoc spatio non convenirent, liberi & absque querela ad alia demigrarent. Egressi inde lustrabant circumquaque religiosa loca, sic ubi perfectiori instituto, tantò perfectius quantò & fortius Deo pro voto famularentur. Necdum enim in his regionibus adeo religionis hujus ordo florebat. Sed Deus omnipotens noluit eos tunc alicujus magisterio subdi, ut quod de beato viro praedestinaverat adimpleret.

IV. Procedens ergo vir Dei unà cum venerabili socio, lustrata undique regione, tandem saltum Obazinensem expetiit, dictum ut credo, ab opacitate silvarum & veprium densitate quibus ex omni parte vestiebatur. Qui locus, praeter densitatem silvarum, praeruptis hinc inde scopulis cingebatur, quodam fluvio Correzia nuncupato interius decurrente, qui non parvam loco praestare videtur amoenitatem. Ad hunc locum pervenientes beati viri die parasceve quod est ante Pascha, nudis, ut erant, pedibus ejus interiora impavidi penetrarunt. Erat haud procul modica planities inter convalles depressa, sed dumorum ac veprium vastitate condensa, parvo rivulo per medium defluente; in quam post multos viarum anfractus & devexos circuitus, per concava vallium & montium praerupta ingressi, ipso & sequenti die absque cibo aut alicujus solatio ibi manserunt. Tertia die, quae est dominicae resurrectionis, ad vicinam Ecclesiam perrexerunt, & acceptis mutuò calciamentis, unus eorum Missam cantavit & socium communicavit. Quo peracto, redditis calciamentis, cum nullus eos ad prandium invitaret, non absque moestitia ad metatum redire coeperunt. Cumque montis juga paulatim conscenderent, & in summitate ejus labore inediaque vexati paulatim requiescerent, matrona quaedam ex vicino rure qui Pauliacus dicitur ad eos accessit, deferens eis dimidiam tortam panis & vas lactis; quae ipsi cum tanto gaudio susceperunt ut testaretur postmodum vir sanctus nihil se in vita sua, quantum ad cibum, desiderabilius percepisse. Ad metatum ergo reversi, & cibo illo refecti, cum à nullo adhuc vel qui essent vel ubi essent agnoscerentur, multos ibi dies absque humano cibo fecerunt, exceptis herbarum radicibus vel quicquid in eremo reperiri posset. Sed cum misericors Deus & eorum aerumnas solari vellet & exemplo illorum alios circumpositos informare, tali eos modo in notitiam hominum voluit devenire. Dum quadam die paterfamilias qui in vicino degebat ad Ecclesiam pergeret, venit ei in mentem, inspirante Deo, ut pauperibus ibi degentibus alimenta deferret. Cumque ibi se pergere existimaret, repente via perdita quasi errando ad eundem pervenit locum; nec tamen errore viam perdiderat, qui illo ductore agebatur qui quondam Presbyterum ad beatum Benedictum in paschali transmisit solemnitate. Videns itaque praedictus vir ignotas in religioso habitu personas sedere, primò quidem miratus est, ac deinde miseratus, alimonias quas ferebat eis porrexit, quibus ipsa & sequenti die sustentati sunt. Nec multò post à pastoribus reperti, dum ab eis per vicina loca divulgarentur, multi ad visitandum eos venire coeperunt; qui cùm eis alimenta deferrent corporis, ab eorum ore alimenta referebant vitae, quamvis timerent ex praecedentibus ne ibi diù perseverarent.

V. Quidam namque pseudochorita olim illuc advenerat; qui ibi manere velle se simulans, casulam ad modum oratorii aedificavit. Cumque ei multa populus offerret, libenter accipiebat, & quae absumere non poterat, in pecunias redigebat. Deinde venientibus ad se diem indixit, quo quasi ad Missarum nova sollemnia unanimiter convenirent. Nocte verò quae praedictam diem praecedebat, nescio quid opinatus, assumptis omnibus quae habebat, subitò nusquam comparuit. Ex cujus repentino discessu & qui convenerant & qui audierant irrisi pariter & offensi, duriores ad illos esse coeperant, aestimantes eos simili modo facturos. Vnde ab eis neglecti, tantam famis injuriam sustinebant ut etiam arborum teneritudines & quaeque virentis avidè carperent & pro suavi cibo sibi apponerent. Potus aqua erat permodica; quam fragmine testae haurientes, naturae satisfaciebant. Etenim ipsam testam multis diebus in usum habuerunt. Stratum dura humus excipiebat, in quam exhausta jejuniis membra collidenda potiùs quàm quietura jactabant. Ac ne pulvilli quoque deessent, duros lapides capiti supponebant, qui & somnum arcerent & mollitiem summoverent. Vestimenta carni tamdiu adhaerebant quandiu sordium aut pediculorum nimietas eas mutare compelleret. Tunc exuentes ea, super ignem excutiebant, aut in aquam mittebant. Quibus lotis & paramper expressis, ita eis denuo vestiebantur ut corpore madefacto & gelido vestimento, tam pondere quàm frigore penè consumerentur. Quod maximè hyemis tempore faciebant, quando nulla erat lavandi necessitas, sed sola cruciandi voluntas. Sed cum haec non sufficerent, loricam sibi pater Stephanus coaptavit, quam multis annis occultè ad carnem gestavit, donec vetustate consumpta, paulatim scissa est. Taliter se bonus athleta in carne pro Christo damnaverat, ut ejus spiritus in die Domini salvaretur.

Construxit autem juxta praedictam arborem parvum ex lignis tugurium vili tegmine coopertum, in quo die ac nocte unà cum venerabili socio continuis orationibus & psalmorum decantationibus insistebat; ubi cum post modicam quietem, qua fessos paululum recreabant artus, ad divinas laudes consurgerent, mox ut se viderent somno gravari, arreptis virgarum manipulis, nudatisque lateribus, vapulabant & vicissim se verberabant. Sic caro exhausta jejuniis, & vigiliarum ac laborum pondere fatigata diutino quoque verbere sulcabatur; ut per hoc in servitutem redacta, non carnales sed spirituales fructus proferret. Vnde & Apostolus de semetipso dicebat: *Castigo corpus meum & in servitutem redigo, ne cùm aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* Quod qualiter iste fecerit manifestum dabatur indicium cùm sancta illius facies exarata rugis & jejuniorum pallore confecta rarissimos ac tenues germinaret pilos. Sed & capilli capitis ejus in suo statu manentes, nec in senectute mutati sunt, ut aut calviciem contraherent aut candorem; ita ut juvenis putaretur, nisi rugae ipsius, ut scriptum est, testimonium illi darent.

VII. Post haec, superiùs memoratus socius ejus communi assensu Lemovicam perrexit ad urbem, adjuncto sibi Clerico Bernardo nomine, qui nuper ad eos convenerat, quique postmodum relictis omnibus in eodem loco conversus est, in quo usque ad

finem

finem vitae religiosè conversatus est, & felici obitu consummatus; cujus relatione de beati viri actibus multa addidici; quia & in seculo familiaris illi fuit, & in religione usque ad illius obitum inseparabiliter ei adhaesit. Pervenientes ad urbem, Episcopo tunc Eustorgio colloquuti sunt, diligenter ei causam suam & propositum beati viri aperientes. Qui benedicens eis, crucem quam ei detulerant consecravit, eisque eum aqua à se benedicta tradidit, dans potestatem Missam celebrandi & monasterium construendi; ita duntaxat ut morem à patribus traditum per omnia sequerentur. His auditis sive acceptis, ad patrem suum cum gaudio sunt reversi. Qui mox acceptis quae detulerant, habitationem suam in ulteriorem rivuli ipsius partem promovit. Vnde noxia & inutilia quaeque succidens, ad instar monasterii domos aedificavit, hoc est, oratorium, dormitorium, refectorium, coquinam, & in medio eorum claustrum, omnibus his vix unius haut magnae domus spatium occupantibus. Iam enim aliquanti ad Deum conversi illius discipulanti inhaerebant, & disciplinae jugo subjecti arduam nimis ac rigidam cum eo conversationem ducebant; ideoque pauci erant qui eos imitarentur, nisi hostes propriae carnis effecti de praesenti vita non cogitarent. Sanè quod Dei erat recipientes, & quod mundanum repudiantes, canonicam regulam in officiis & in proposito eremiticam vitam ducebant. Canonici etsi regulariter Deo canunt, est eis ex accuratis cibis lauta & copiosa refectio, ac diuturna quies, labor manuum aut nullus aut minimus. Quod vir sanctus multum abhorrens, ita statuerat, ut totius diei spatium in operibus manuum expenderetur, excepto quod aut lectio aut laus sibi vendicabat divina. Sicque ad vesperam modico cibo refecti, incumbente jam nocte paululùm quiescebant usquequo surgerent ad matutinorum officia persolvenda; quibus vigilias beatae Mariae & omnium sanctorum adjungentes, necnon etiam ordinem defunctorum cum familiaribus psalmis, non minimum noctis spatium insumebant. Sed & illud quod post vigilias intervallum restabat non quieti aut somno deputabatur, sed peculiaribus orationibus aut operibus manuum inserviebat. Nam quaecumque domui necessaria erant, & sedendo cum lumine fieri poterant, non in die sed in noctè fiebant, quia tunc majoribus laboribus occupati erant. Post primam dictis septem psalmis, cum letania prostratis, statim sequebatur Missa, nisi, quod saepe eveniebat, calciamenta deessent. Qua cantata, mox egrediebantur ad opera manuum, viro Dei nonnunquam intra monasterium residente. In quo spatio quis aestimare sufficiat quibus lachrymis quibusve gemitibus ac suspiriis ferventi desiderio satisfaciebat, cum solus existens nec testem nec arbitrum formidaret. Et quis eum aestimet tunc somno aut quieti vacasse, qui ipsius modicae quietis impatiens nocturna tempora orando & psallendo praeveniebat; Sed haec ideo ad plenum exponere recusamus; ne quia in occulto gesta sunt, opinata magis quàm cognita scripsisse inveniamur. Vnde his omissis, ad ea quae nota sunt potius veniamus.

VIII. Cùm absentibus fratribus domi remaneret, non solùm his quae diximus studiosè vacabat, sed & coquinae officium non segniter peragens, quae ad refectionem necessaria videbantur diligentius procurabat. Ipse pulmenta colligebat & praeparabat, ipse ligna deferebat & incidebat, & aquam propriis humeris bajulabat. Tunc demum accenso igne, olera sive legumina diligenter coquebat & fratribus apponebat, ac circa refectionem eorum ut Martha sollicitè satagebat. Refectione peracta, collectis ac mundatis vasis, si quid ex pulmentis supererat, pauperibus, si adessent, distribuebat, aut si fortè deessent, pulmentis iterum inferendum diligentiùs recondebat. quod sequaces ejus multo tempore tenuerunt, ut quoties pauperes deesse contingeret, quicquid de pulmentis vel panibus superesset fratribus denuo apponeretur, non avaritiae causa, sed humilitatis, ac ne quid de his, utpote sanctificatis, per negligentiam deperiret.

IX. Indisciplinationes & transgressiones suorum, maximè juvenum ac puerorum, tam districtè coercebat vel arguebat ut videntibus terror incuteretur. Tanta erat disciplinae censura ut vel paululùm oculos erexisse, vel modicum subrisisse, vel quippiam sine praecepto egisse, districta plecteretur animadversione. Statuti termini erant, quos praeteriri illicitum erat, nisi aut jussio aut indictus labor urgeret. Silentium ingens erat apud eos die ac nocte, non tantum in claustro, sed ubicunque aliquid studii ac laboris exerceretur. Quod prioribus annis tam rigidè observabant ut nec salutati resalutarent, nec interrogati aliquid responderent, sed tamquam muti & officio linguae privati nullam cum iter agentibus & se interrogantibus confabulationem haberent. Denique eum multi ad eos visitationis gratia convenirent, & redeuntes, à suis interrogarentur de his qui vel quales existerent, aut quod institutum vitae eorum, vel quis magister illorum, respondebant: Hominum illorum non facilè sciri conversatio potest, cum tanto silentio obtegantur ut non solùm verbo sed nec voce aliquatenus audiantur; sed tamen oribus silentibus, opera non tacent, quae auctore Deo ipsorum religiositati evidens testimonium reddunt. Est autem unus inter eos qui ceteris praeest, cujus magisterio edocti & informati exemplo ita refulgent. Sermo ejus quasi ignis ardens ita audientium mentes accendit & tanto amore inebriat ut manente personarum proprietate, alii quodammodo ex aliis efficiantur & vitae eorum morumque qualitas immutetur. Sed & habitus ejus & incessus vel cuncta quae agit quasi quidam sermo sunt, nihilque aliud indicant quàm vitae ordinem morumque & actuum disciplinam. Vnde mirum non est tales esse discipulos qui talem habent magistrum, qui eos & absque verbo sufficienter potest docere. Talia de talibus non quidem omnes dicere poterant, sed quos sapientia & bonitas inflammabat; quia bona nec de bonis quidem mali dicere possunt, quia aut nolunt aut nequeunt. Hujusmodi fama praecurrente, ad Christi militiam plurimi convertebantur, & depositis seculi pompis, arduam conversationem ac durum propositum subire non metuebant. Noverant angustam esse viam quae ducit ad vitam & paucos qui vadunt per eam, & rursum latam & spatiosam quae ducit ad perditionem & multos incedentes per eam; ideoque satius ducebant salvari cum paucis quàm cum pereuntium multitudine reprobari.

X. Cum autem locus ille & advenientium & ibi commanentium multitudine repleretur, cogitare coepit pater Stephanus quo in loco eos aptè constituere posset. Mordebatur tamen & vehementius angebatur mens ejus solitudinis cupiditate, curarum impatiens, quas se ex multorum gubernatione perpeti metuebat. Neque enim ad hoc praedictum locum expetierat ut multas hominum turbas inibi congregaret, sed ut solitariè degens, quo secretiùs, eo liberius Deo vacaret & licentiùs carnem excruciaret, cum nullius timeret laudem vel prohibitionem. Multas enim carnis afflictiones, quas sibi ipsi propriè ingerebat, accedente tempore, aliorum monitis vel precibus intermittere est compulsus; qui cum aliter hoc obtinere non possent, mox quae ab illo gerebantur & ipsi agebant; sicque illis non sibi parcendo, instituta gravia paulalùm remittebat. Propter quod frequenter socium alloquens suadere nitebatur ut ad Sarracenos pergerent, si fortè aliquos ex eis praedicando convertere aut ipsi ab eis non credentibus pro Christo occidi possent. Quod venerabilis ejus socius quantis poterat monitis dissuadebat, dicens melius esse eos qui jam crediderant à pravis suis actibus verbo & exemplo convertere quam in his qui nondum crediderant, & fortè ad vitam praedestinati non erant, infructuosè laborare. Deus enim omnipotens, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, praedestinato & suo tempore praesentato pastori incognitum praeparaverat gregem, ut & ipse diceret cum Propheta: *Populus quem non cognovi servivit mihi*,

in

in auditu auris obedivit mihi. Et iterum: *Ecce ego & pueri mei, quos mihi dedit Deus*. Sed & civitatem suam Christus non in imo sed in alto aedificare volens, (sicut ipse dicit: *Non potest civitas abscondi supra montem posita*) eum de inferioribus ad superiora scandere fecit, ut ascendens de virtute in virtutem, videret Deum deorum in Sion.

XI. Denique ipsius nemoris spatia perlustrans, cum ad superiora montis qui ad orientem prominebat ocius pervenisset, reperit promontorium quoddam ita positum ut ascendentibus ac descendentibus per ipsum montem pervium esset; in quo loco vocatis fratribus, ad instar priorum habitacula aedificavit & numero & spatio modicum ampliora. Cumque & ipsa rursum habitantium multitudine replerentur, interiores partes exterius ponebantur, & exteriores interius remanebant; & sic ampliata habitacula copiosiorem fratrum numerum capiebant. Hoc bis vel ter factum fuisse dinoscitur, donec tandem ad hunc qui nunc cernitur statum perducta sunt. in quibus tamen aedificiis motus diabolus multis ea machinationibus destruere nitebatur.

XII. Quadam die artificem quendam lignarium, quem ipse olim pauperem vidi, qui tectum oratorii quod aedificabat tabulis ligneis intrinsecus vestiebat, in similitudine nigrorum hominum est adgressus. Idem tunc vir vespertina hora ferramenta sua recolligens domum redire volebat, quem is qui ceteris eminentior & truculentior erat ita affatur: Quis tu, inquit, es? & quid hoc in loco agis? Respondit ille, religiosorum jussione, qui in hac silva manent, praedictum opus se exercere, cum esset lignorum artifex & mercede conductus. Cui diabolus, Non ut tu ais ita est; sed sunt irreligiosi atque perversi, simulatores & callidi, qui ideirco huc venerunt ut hominum captantes laudem, multis possessionibus ac divitiis accumulentur; quin potius acquiesce consiliis nostris, & cuncta quae hic constructa sunt igne succende, ne amplius humanam quaerentes laudem simplices quosque decipiant. Ad haec vir ille respondit: Nunc cognovi vos malignos & omni malitia plenos ac filios diaboli, qui vias sanctorum rectas tanta malignitate subvertere nitimini; propter quod non adquiescam diabolico vestro consilio, sed sanctorum jussis melius quàm coepi parebo, & in eorum obsequiis devotior permanebo. Haec dicens, ascensa scala tectum subire volebat. ferramenta sua ibi repositurus. Tunc maligni spiritus nimio furore succensi de scala eum praecipitaverunt, & tantis verberibus affecerunt ut totus lividus ac turgens jaceret, capite graviter colliso. Demum tandem paululùm recuperato flatu surrexit, & incumbente jam nocte ad hospitium cum multo labore pervenit clamans & dicens: Heu me, heu me miserum & infelicem! Cujus vocibus permoti fratres citiùs cum viro Dei accurrerunt, & invenientes eum à daemonibus tam crudeli caede mactatum & quasi amentem effectum, in stratum eum reponunt, ubi aqua benedicta aspersus, & dominica cruce signatus, orationibus quoque servorum Dei corroboratus, imposita sibi manu viri Dei, paucis diebus integram membrorum omnium adeptus est sospitatem. Quod ideo hic commemorandum existimavi ut agnoscatur quantae laudis iste vir fuerit, quem daemones, dum vituperare nituntur, amplius praedicabant.

XIII. Nam cum in hac eremo primùm habitare coepisset, tanta cum instantia diabolus persequebatur ut nec per noctem quiescere ei liceret. Unde & ejus clamoribus exciti fratres, stratis exiliebant, & orationibus ac vigiliis totam ferè noctem insomnem ducebant. Cùmque iterum maligni spiritus impetum adesse sentiret, arreptis spiritualibus armis, oculis etiam ac manibus in coelum porrectis, expugnantes se fortiter debellabat, cum fiducia clamans & dicens: *Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me; apprehende arma & scutum, & exurge in adjutorium mihi*. & cetera. Metuebat diabolus, quod postea evenit, ne ejus exemplo ipsa deserta monachorum stiparentur choris, & ipse, amissis quos ceperat, in solitudine remaneret, impleto quod per Isaiam olim praedictum est: *Laetabitur deserta & invia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium; germinans germinabit, & exultabit laetabunda & laudans; gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron; ipsi videbunt gloriam Domini & decorem Dei nostri*.

XIV. Reaedificatis igitur monasterii officinis, continuo vir Dei illuc cum fratribus ex priori loco migravit, & locum ipsum Obazinam vocari decrevit. Tunc orta est contentio inter domnum Stephanum & venerabilem ejus socium, quis eorum fratres susciperet ad regendum; nec tamen, ut multi modo faciunt, sibimet arrogando, sed honore invicem praeveniendo, & se ipsos alterutrum supponendo, humilitatis causa certabant. Nam cum illucusque patri Stephano omnes obtemperarent, tamen ipse reminiscens illius qui non suam, sed ejus à quo missus est, venit facere voluntatem, nolebat tantae humilitatis sublimitate fraudari, malens ipse alterius facere voluntatem quam suam aliis imperare. Ergo dum alter alterum sibi praeferri vellet, & neuter alio se praeponi aequanimiter ferret, orta inter eos dissensio sedari non potuit donec in praesentiam Legati Carnotensis Episcopi, qui illis in partibus tunc morabatur, uterque adductus est. Sed & ibi in unam non valebant venire sententiam, dum hic illum litteris doctiorem, ille hunc in omnibus sapientiorem, vita & moribus splendidiorem, regendis quoque aliis aptiorem pronuntiaret. Tunc venerabilis Legatus, utriusque qualitatibus diligentius perscrutatis, altercationi finem imposuit, & domno Stephano prioratus officium & subditorum curam animarum praecipiendo commisit.

XV. Exinde Prior effectus, eadem qua priùs vitae morumque qualitate & ipse vixit & alios vivere docuit. Eadem vigiliarum & orationum observantia, idem psalmorum diurnorum ac nocturnorum cursus, idem silentium ubique & in omnibus servabatur, jejuniorum consuetudo & refectionis mensura eadem permanebat, nisi quod tunc majori quàm prius harum rerum ubertate pollebant. Videntes namque vicini illorum veram probatamque religionem & firmam stabilitatem, tanta deferebant ut cuncta expendere non valentes, propè jam esset ut dicerent quia plus offert populus quam necessarium est; & tamen servi Dei, prioris paupertatis non immemores, nequaquam vetera novis supervenientibus projiciebant, sed mucida ac vetustiora prius sumebant, & hoc usque ad competentem mensuram. quod faciebant, non avaritiae consulentes, sed humilitati, gulae etiam in hoc appetitum fracturantes, ut palatus in his amaricatus ab immoderato escarum desiderio arceretur. Cuncta quae dabantur statera ponderabantur, aut tanta aequalitate inter eos partiebantur ut nemo amplius aut minus se habere gloriaretur vel etiam murmuraret. Nullus nisi in die dominico jejunium solvere tam aestate quàm hyeme praesumebat, nisi aut juvenili aetate aut gravi infirmitate detineretur. Is autem qui hoc statuerat, his non contentus diebus, etiam dominicis jejunabat, donec tandem majorum consilio tam ipsos quàm quinquaginta dies post Pascha ad prandia revocavit. Nam de dominicis quidem diebus facilè adquievit; de quinquaginta vinci non potuit, donec monachus est effectus. Tantus eum abstinentiae fervor accenderat & tanta austeritate se ipsum aliosque tractabat ut conversationis ejus asperitas vix posset ab aliquo tolerari, nisi Christi Domini adjutorio fulciretur. Sed in hoc crudelis nequaquam existens, quod subtrahebat carni, animae conferebat, & corporeum detrimentum spiritali commodo recompensabat. Labor manuum tam illi quàm fratribus assiduus erat & solito gravior, quibus nec totius diei spatium ad hoc sufficiebat; propter quod ipsam plerunque refectionem usque in vesperam differebant, ne ejus intuitu ex diurnis operibus aliquid minueretur. Finito completorio hyemis tem-

tempore, quando longiores erant noctes, omnes in unum congregati tamdiu statuto operi intendebant quousque psalterii medietatem persolverent; ubi tunc facta oratione, finem praefato operi imponentes, dormitum pergebant. Providebatur omnino ne aut lectio refectioni aut labori manuum psalmi deessent. Diurno tempore rurale opus non segniter exercebant, terram ligonibus exercentes, infructuosarum arborum & spinarum ac veprium densitatem penitùs succidentes ad locorum seu hortorum spatia dilatanda; sed & habitacula ipsi sibimet construebant, lapides ex monte praecisos malleis confringentes, & ad aedificationis locum propriis humeris deportantes. Eratque mirum videre lapides praegrandes, qui à multis hominibus ferri nequibant, à quatuor fratribus deportari, & tam agiliter incedere ut nullum onus ferre se existimarent. His & hujusmodi laboribus quamvis omnes pro posse insisterent, illi maximè qui alacritate & viribus corporis praeminebant. Nam imbecilliores corpore, & qui ejus artis erant, scribendis potiùs libris aut minoribus operibus occupati erant. Et cùm talibus ac tantis laboribus incessanter quidem fatigarentur, nec jejuniorum aliquid minuebatur, nec ciborum quippiam augebatur; sed sic caro exercebatur laboribus ut nec meliori nec largiori cibo aliquatenus foveretur. Sicut Pharao filios Israël affligere noverat, & adjuvare non noverat, sic eorum magister eodem modo, sed non eadem intentione, agebat, & modico cibo suos contentos esse volebat, & magnum imperabat laborem, ut carnem affligeret & animam roboraret. Nam Pharao carnem è diverso in feminis nutriebat, & in masculis spiritum enecabat.

XVI. Erat hic vir strenuus in disciplina, & in corrigendis delinquentium culpis multum severus. Vt enim superius diximus, si quis in Ecclesia paululùm oculos erexisset, vel modicum subrisisset, vel leviter dormitaret, vel librum tenens negligenter cadere sineret, aut sonum aliquem per negligentiam faceret, vel progressius aut inconcinnius psalleret, aut inordinatum motum aliquem exhiberet, continuo aut virgam accipiebat in capite aut palmam in facie, ita ut sonus percussionis omnium auribus resultaret. quod maximè pueris minori aetate impendebatur, ut & ipsi corrigerentur & ceteri terrerentur. Quidam ex honoratis novitius dum in Ecclesia librum teneret, & socium juxta se positum advocans, quaedam ei in ipso libro digito demonstraret, aspiciens hoc vir sanctus in personam noluit vindicare; sed arrepto libro de manu ejus, in conspectu omnium ad formam confregit, & ita redit in locum suum. Vnde tantus ceteris metus incussus est ut vix pro necessitate librum in choro aliquis aperire auderet. Haec autem disciplina tunc maximè viguit quando velut laeto principio florescebat, cùm essent & numero pauciores & vita perfectiores. Cumque nulla alicujus ordinis lex posita haberetur, instituta magistri pro lege erant; quae nihil aliud quam humilitatem, obedientiam, paupertatem, ac disciplinam, & super haec, caritatem continuam edocebant. Haec erat tunc beati viri vera sanaque doctrina, quae privatim & publicè sibi adhaerentibus ingerebat. Haec lex tunc promulgabatur, & Pharisaicae traditiones non curabantur. At nos licantes culicem & glutientes camelum, dum mentam, rutam, & omne olus decimare satagimus, justitiam fidemque contemnimus: quia dum minima quaeque praetendimus, majora negligimus; sed & diuturna temporis longinquitate lassati & cohabitantium multitudine praegravati, à pristino vigore defecimus, & remissiùs nos negligentiusque tractamus; dumque infirmis condescendere volumus, eorum potius negligentiam sectari quam eos ad perfectionem trahere festinamus. Quae necessitas eo tempore non extabat, cùm & hi qui tunc erant perfectiores essent, & qui eos perturbaret aut rarus aut nullus existeret.

XVII. Ad capitulum fratres quotidie post primam vel Missam conveniebant; in quo residente Priore, finita lectione, vel quaecunque ex more ibi dicuntur, mox de institutis, de disciplina, de ordine tractabatur; & quicquid erat sinistrum, opportunè corrigebatur. Tunc si quis in aliquo culpabilem se nosset, aut ipse per se satisfaciebat, aut clamatus ab alio, ad judicium veniebat; & jam quasi divino examini astans, pro modo culpae poenitentiam accipiebat, ut quantò ampliùs vel minus peccasset, tantò majus vel minus judicium sustineret. Is autem qui culpam suam defendendo exaggerasset, acrius castigabatur, etsi minus fortè peccasset. Nam qui devotè, nec invitus, sed sponte satisfaciebat, minus corrigebatur, quamquam graviùs deliquisset. Si quis verberandus esset, mox exuto eo, quinquagesimus incipiebatur psalmus, ut ad singulos versus singulos ictus acciperet: quòd si major esset culpa, ampliores psalmi apponebantur, ut ampliori verbere sulcaretur. In die verò coenae dominicae, quae misericordia plena est, generali supplicatione ab universis venia petebatur, ut quicquid per totius anni circulum deliquissent, hac sacra & sollemni indulgentia deleretur. Tunc venerabilis senior totus lachrymis perfusus, & peccata sua ante oculos sibi reducens, confisus de Dei misericordia, & sibi & aliis indulgentiam tribuebat, & peccatorum vincula in Dei verbo laxabat. O quanta ibi lachrymarum flumina profundebantur & quanti gemitus, quantaque suspiria cordis emittebantur, cùm nullus ibi tam ferreum pectus haberet qui non ad fletus compungeretur? Quis ibi tunc deesse crederet spiritum sanctum, in quo fit remissio peccatorum? Sanè cum aliquem, exigentibus culpis, gravius solito verberasset, mox se ad perferenda similia praeparabat, & ab uno vel ab omnibus se flagellari praecipiebat. quod faciebat, ne qui alios judicaret, ipse ab eorum afflictione exsors maneret, ac si quid immoderatae correctionis censura fortitan deliquisset, vindicta proprii corporis expiaret. Praeter hoc, vix aliquis praetermittebatur dies, maximè in quadragesima, quo non clam ab aliquo privatam acciperet disciplinam; sicque privatim & publicè virgis caesus, stigmata passionum Christi in suo corpore circumferebat, ut cum Apostolo dicere posset: *Castigo corpus meum & in servitutem redigo, ne cùm alios praedicaverim, ipse reprobus efficiar.*

XVIII. Post completorium fratribus ad dormiendum solitò collocatis, vir Dei in oratorio saepius remanebat, & tota nocte vigiliis & orationibus cum lachrymis sedulè insistebat. Erat ei lachrymarum gratia à coelo concessa, ita ut mox se ad orationem prosterneret, statim lachrymarum flumina sancti ejus oculi emanarent. Memini me aliquando in una Ecclesiarum ejus, eo ignorante, ingressum fuisse, non ad orationem quidem, sed ad opus quoddam privatim agendum. Ipse verò foris in atrio cum secularibus de quibusdam negotiis loquebatur. Tum subitò, relictis eis, Ecclesiam ingressus, nullumque ibi tunc esse sciens, sub formula quadam ad orationem prosternitur, tanta simplicitate & modestia ut à nullo prorsùs audiri posset, etiamsi praesens adesset. Mox ubi caput humi defixit, tanta lachrymarum inundantia ex ejus oculis coepit defluere ut non guttatim, sed, ut sic dicam, rivatim, ut ipse verè aspexi, per summitatem naris ad terram deflueret, cum nulla tussis, nulla excreatio, nullum suspirium penitus audiretur. Ego vero, tamquam fur, alligatus in parte stabam timens & tremens, non tamen ab illo visus, donec ipse sufficienter illachrymatus, eadem simplicitate qua venerat rediit, nullo penitus sentiente, ac si ad naturae necessaria perrexisset. Quod ideo diximus, ut agnoscatur quali affectu orationi semper astabat, simulque perpendatur quanta gratia pollebatur absolutus, qui tantum habebat ligatus etiam sub momento ut nec tantis curarum nexibus à spirituali studio arceretur.

XIX. Iam vero in Ecclesia nocturno tempore solus degens non facilè exprimi potest quibus lachrymis atque suspiriis divinas aures pulsaverit, & quadam importunitate vicerit, ita ut surgere compelleretur ipse paterfamilias & dare ei quicquid necessarium po-

postulasset. Verè pater Stephanus à bonis Dei nunquam indigus fuit, sive temporalibus, sive aeternis, sicut scriptum est: *Timentibus Deum nihil deest, nec his qui eum diligunt in veritate.* Et iterum: *Inquirentes Dominum non minuentur omni bono.* Petebat primùm regnum Dei & justitiam ejus, aeterna scilicet veraque bona, & cuncta de cetero commoda se à bono patre adepturum non dubitabat. Nunc autem dum pro terrenis & caducis rebus plusquam decet solliciti sumus, & de coelestibus non cogitamus, fit ut nec istis necessariis aliquatenus abundemus; quoniam coelestia bona primùm, id est, potissimum, petere jussi, ceterorum quae restant sollicitudinem divinae providentiae committere debuissemus. Vnde beatus Petrus admonet ut omnem sollicitudinem nostram in Deum proiciamus, quoniam ipsi cura est de nobis. Cum ergo diutius orans, nimio frigore urgeretur, illico surgens tamdiu genua flectere non cessabat quousque totum corpus ejus sudore perfunderetur; ubi tunc cappa exutus, eadem iterum repetebat, donec tandem labore confectus & vigiliarum pondere fatigatus deficeret vel etiam obdormiret. unde plerumque à fratribus ad vigilias venientibus reperiebatur ita ut ad orationem se composuerat obdormisse.

XX. Praeterea noctis tempore, si res forsitan exegisset, & occultè hoc facere posset, etiam domus necessaria, quod alius ne attentare quidem auderet, diligenter & opportunè mundabat; ubi adhibito cophino, sordida quaeque & ipso visu horrenda inibi congerebat, & propriis humeris imponens, longius asportabat. Cumque eum talia gerentem aliquis reperisset, & cum nimio stupore requireret cur tantus vir tantae se injuriae subjecisset, illico respondebat: Non est mirum, frater, à terra terram & stercus à stercore bajulari, cum in his sordibus & multo sordidioribus reversuri simus. Verè tamen in hoc illum imitabatur qui peccatorum nostrorum sordes non abhorrens, suis sacris humeris ferre non recusavit.

XXI. Diurnis horis saepe solus, saepe cum fratribus laborabat, ita tamen ut vix duo attentarent quod ipse solus agebat. quam fortitudinem non largiori aut meliori cibo consequebatur, sed interno animi vigore, qui tantus erat ut exteriora quoque membra non minimum roboraret, & cum plus ceteris vigiliis ac jejuniis macerata fuissent, majore prae illis vigore constabant & majorem ferebant laborem, ita ut ipse cum Apostolo dicere posset: *Amplius omnibus laboravi, non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Insuper & coquinae officium frequenter adimplens, reficientibus fratribus sollicitè ministrabat, eisque refectis, non aliunde quàm ex eorum reliquiis cibum sibimet praeparabat. In quo non solum abstinentiae, sed humilitatis ac vilitatis exemplum dare volebat, sicut in sexto humilitatis gradu praecipitur ut omni vilitate vel extremitate monachus sit contentus. Nam quantum ad humanos visus, quid vilius quidve abjectius esse potest quàm subjectorum ex cibis reliquias manducare & necessaria quaeque mundare? Nimirum hoc est quod Apostolus de se suisque similibus ait: *Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.*

XXII. Diebus dominicis tam ipse quàm fratres lectionibus & Missarum celebrationibus insistebant, agentes processionem per claustrum, & singulas officinas singulis benedictionibus perlustrantes. Sabbato quoque sollemnizabant ob honorem beatae Mariae Dominae nostrae cum novem lectionibus ac duabus Missis, quibusdam eas festivis decantationibus illustrantes ob honorem & reverentiam illius almae Dei genitricis. Non tamen ipso die ab opere quiescebant, ne cum Iudaeis agere viderentur. Sed & ceteris festis diebus tanta modulatione divinis laudibus insistebant ut magnorum monasteriorum morem imitari viderentur. Erat autem ipsum monasterium magnum, non quantitate, sed merito, nec spatiis, sed sanctitate dilatatum, & virtutibus, non praediis copiosum. Rector ipsius corpore modicus, sed spiritu magnus erat; statura pusillus, sed animo grandis; specie despectus, sed morum honestate praeclarus; habitu vilis, sed operum praerogativa insignis; progenie humilis, sed virtutum generositate sublimis; & quamquam beatae paupertatis merito & divinae sapientiae magisterio omnibus imitabilis, immo expetendus haberetur, tamen velut dives opum & inops gratiarum diversa religiosorum loca cum xeniis visitabat, ut & illis subsidia ministraret & orationum eorum patrocinium sibi adquireret.

XXIII. Ad monasterium Dalonense, quod novem ferè millibus aberat, frequenter ibat, & ex his quae sibi offerebantur eulogias fratribus illis, prout poterat, exhibebat. Accidit aliquando, dum illuc pergeret, ut juxta fluvium Viserae navigium aperiens resideret, habens in comitatu puerum cum asino panibus onerato; & ecce dum psalleret Deo suo intempestae noctis silentio, (noctibus enim tunc temporis pergere soliti erant, quod postea immutatum est) conspicatur eminus turmam latronum capta praeda cum grandi strepitu illo accelerare. Denique circumdantes eum, dum ab eo quis vel unde esset, vel quid ibi ageret, petulanter inquirerent, vir sanctus nocturni silentii gravitate detentus, & divinis excubiis occupatus, nullum eis responsum dedit. Vnde illi magis exacerbati, & truculentiori ira permoti, evaginatis gladiis, mortem ei, nisi citius loqueretur, minari coeperunt. Sed cum eum aut loqui aut mori necessitas perurgeret, ipse vero protensa cervice mortem magis eligeret, repentè quaedam vis divina tantum latronibus metum incussit ut fugam ilico, ac si ab hostibus insequerentur, omnes arriperent, cùm nullus qui eos persequeretur inventus fuisset. Nec tantum eum laedere, sed nec panes quos ferebat attingere potuerunt, quos non manus humana, sed virtus servavit divina. Impletum est in eo quod dicit Psalmista: *Immittet angelum Dominus in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Et item scriptura: *Justus quasi confidens absque terrore erit.* Quod cum mane Abbati, ad quem pergebat, simpliciter indicasset, multum ipse miratus, monuit tamen ne in tali necessitate, praesertim interrogatus, tacendum putaret, ne stultos homines magis exasperaret. Quod idcirco retulimus ut cognoscant posteri ejus quanto studio indictum silentium in toto servare debeant, cum eorum magister, ne illud frangeret, mori potius elegisset. Erat ei consuetudo diversa circumquaque monasteria perlustrare, & quaeque ibi honestatis vel disciplinae exempla conspiceret, fratribus suis servanda proponere; & in hoc prudentissimae apis operam imitabatur, diversos flores legens, & suavissima inde mella conficiens.

XXIV. Audiens autem famam Cartusiensium monachorum, quos tunc prae ceteris religionis fama nobilitabat, ad videndum eos gratam quidem sed laboriosam sibi peregrinationem assumpsit; in quo itinere multas famis ac frigoris injurias est perpessus, eò quod loca per quae transiturus erat, cùm semper frigida sint natura, tum maximè hyemis tempore nivibus etiam repleta; ipse vero pedestri itinere & interdum nudis pedibus incedens, nihil ad victum pertinens secum ferebat. Erant itineris ejus comites duo Clerici fratres, cum quibus psalmos jugiter decantabat, habentes unum ex famulis qui eis in necessariis ministrabat. Gestabat etiam tunc loricam superiùs memoratam, quae ei gravamen non minimum inferebat: quae, dum quadam die solus & ultimus pergeret, repentè per medium est abrupta, ac si ab aliquo esset in rotundum praecisa, inferiori parte ad terram protinus decidente. Vnde moestus effectus, quendam è sociis sibi conscium clam vocavit, ejusque auxilio quibusdam ligaminibus loricam ut potuit univit, & sibi denuo coaptavit. Cumque paululùm processissent, iterum dirupta cecidit. Itaque eo quo prius modo, sed fortius, est resarcita ac reinduta. Sed cum jam tertiò rumperetur, intellexit vir sanctus, admonente etiam fratre, non esse voluntatis Dei ut eam ulteriùs ferret. Quapropter in proximum vicum distracta est & in necessarios usus redacta. Ita hoc

onere, quamquam invitus, tamen nutu Dei relevatus est. Nam antequam hanc loricam haberet, circulos ferreos ad carnem gestasse perhibetur: qui cùm brevi tempore jam tertiò essent confracti, hanc sibi loricam aptavit; quae tamen praeter pondus ita aspera erat ut carnem non solum oneraret, sed plurimum laceraret.

XXV. Cùm jam Lugdunum itineris eos necessitas perduxisset, ingressi quoddam monasterium ex Canonicis regularibus, mansionem petebant; à quibus non solum suscepti non sunt, sed non absque injuriatione repulsi. Dumque per plateas civitatis incederent, quidam ex honoratis Clericis Ecclesiae Lugdunensis eos hospitio recepit & benignè exhibuit. Cumque de nocte surgentes matutinorum officia decantarent, repentè tumultus in civitate exortus est. Porrò dominus domus ad fenestram sese excutiens, praetereuntes interrogat quid hoc esset. Dictum est ei à quodam quòd praedictum monasterium undique ignis vastaret, nullusque ei subvenire posset. Quod audiens supradictus viri Dei famulus exultare coepit & quaedam contra eos maledica verba jactare, memor injuriae quae eis hesterno die illata fuisset. unde postmodum graviter in illo est animadversum, quòd tam tristi illorum casu exultare praesumpserit vel potius insultare. Meritò tamen eis ita evenit; ut qui in servis suis Christum expulerant, & ipsi ab igne propriis mansionibus pellerentur.

XXVI. Pervenientes ad Cartusiam, satis humanè à fratribus illis excepti sunt. Erat enim festivitas dedicationis Ecclesiae ipsorum, quae eos in unum omnes convexerat. Nam ceteris diebus privatis singuli in suis cellulis singulariter manent. Diebus verò festis sive dominicis in unum omnes conveniunt tam in Ecclesia quàm in refectorio vel ceteris conventibus qui fiunt ex more. Peracta verò solemnitate, ad proprias cellulas revertuntur. Habitatio eorum montaneis hyemalibus cingitur; cellulae ipsorum quinque cubitis à se invicem disterminantur. Contigerat illis ferè diebus ut immensae nivium congeries resolutae concervatim ad inferiora laberentur, occupatisque cellulis fratrum, plures ex eis longius asportarent, habitatoribus extinctis. Cumque post decem dies hoc audientes vicini ad eruendum eos undique convenissent, inter ceteros qui oppressi fuerant, unum adhuc spirantem invenerunt; de quo praeter spem laeti effecti, quod ceteris in tanto discrimine superesset, ad focum eum mox detulerunt, ubi paululum recuperato flatu, mox ut loqui potuit, Priorem ad se venire fecit, confessionem dedit, poenitentiam accepit, & ita sumpto viatico laetus animam exhalavit. Quis dubitet alios aeterna requie esse susceptos, & illum ad poenitentiam reservatum, sicque defunctum? Vir itaque Dei cum Priore loci familiariter collocutus, (erat enim discretus & religione fundatus) consilium quaerebat quam sibi viam religionis decerneret eligendam. Erat enim in hoc tam ipse quàm fratres ejus ut alicujus ordinis instituta susciperent; quia & ob hoc ibi convenerat ut illorum ordinem ad consilium & voluntatem eorum suscipere debuisset. Ad quod ille respondens dixit Cistercienses nuper exortos regiam viam tenere, eorum statuta ad omnem perfectionem posse sufficere. Nobis enim, ait, & in personis est numerus & in possessionibus terminus est praefixus. Tu vero, qui plures ad Dei servitium congregasti, & adhuc ampliores suscipere decrevisti, coenobialem magis expetere debes professionem, quae & multis aequè patet ut paucis; quia non numero, sed religione, pensatur, & virtutibus, non possessionibus, aestimatur. Haec ille audiens, gratanter accepit, & consilium Prioris illius ac si divinitus datum sumens, ad propria remeavit.

XXVII. Reversus à Cartusia vir Dei ampliatis fratribus, habitacula quoque monasterii, quae parva erant, ampliare disposuit. Ac primum à sanctuario incipiens, Ecclesiam in honore sanctae Dei genitricis Mariae ad instar Cartusiensis Ecclesiae construere coepit. Quam dum fratres aedificarent, unus ex principibus terrae illius, timens ne haec constructio & inimicis ejus esset in refugium & sibi in exitium, venit cum magna vi prohibere eos; cujus minis perterriti fratres per biduum ferè opus ipsum minimus quam coeperant & absque legitimo caemento peregerunt. Erat enim absens vir Dei. Qui reversus, cùm videret parietes non caemento sed luto compaginari, nec solum deturpari, sed infirmari, increpatis fratribus, mox ad pristinum statum aedificationis materiam modumque correxit. Cumque potens ille, hoc audito, iterum ut eis adversaretur rediret, ita eum vir sanctus aggreditur. O inique & omni malignitate replete, quid persequeris servos Dei? Quid opus sanctum dissipare conaris? An quia non poterat diabolus alium invenire per quem nobis impedimenta inferret? Non enim hic diabolo aedificatur, sed Deo, nec contra inimicos carnales, sed contra nequitias spirituales. Propter quod recede à servis Dei, & ultrà eis non audeas malignari. Nullam enim tibi injuriam faciunt, sed, si volueris, magnum apud Deum patrocinium conferunt. Nam si persistas, videbis quid possit contra te Deus, & orationes servorum ejus erunt tibi in perniciem, quae fuerant ad salutem. His increpationibus potens ille primùm motus, deinde victus, ad ultimum devotus & supplex veniam deprecatur; qua impetrata, & coeptam malignitatem deposuit, & deinceps auxilia ministravit. Cumque structura ipsa altius consurgeret, & fratres per machinas incedentes, lapidem praegrandem in gestatorio deferrent, coeperunt machinae pondere cedere crepitantes, ac sese inclinantes ad terram deici. Quod vir sanctus à longè prospiciens, citius accurrit, & signo crucis praemisso, ac se oneri supponens, tantam repentè virtutem contulit ut & machinae dicto citiùs firmarentur, & fratres corroborati velut absque onere graderentur. Ita vir virtutum pro pondere levamen adhibuit, & inde exonerati sunt unde onerari amplius debuerunt.

XXVIII. Aliam quoque è latere construxit Ecclesiam in honore sancti Petri Apostoli propter hospites & quosque advenientes, ut & Missarum celebrationibus deserviret, & Ecclesiam fratrum ab extraneorum importunitate defenderet. Aedificavit etiam claustrum & regulares in circuitu mansiones; inter quas & piscinam aquae eleganti opere fabricatus est, ad quam immensi ponderis lapidem, quem sexginta paria boum movere vix possent, cum maxima tabula altaris ab uno & amplius miliario per devia quaeque & ardua loca non minus miro quàm magno labore convexit, habens tamen in supplementum & boum & rusticorum non minimam quantitatem. Sed ut ostenderet Deus humanas vires absque ipsius auxilio nihil valere, praedictos lapides per plana quidem, ubi facile videbatur, difficillimè & cum maximo trahebant labore; ubi vero montium ardua scandere itineris necessitate coepissent, tanta facilitate pergebant ut nisi montes aspiceres, magis deorsum quàm sursum eos trahere existimares. Tunc enim vir sanctus accurrens, praemisso crucis signaculo, ut superiùs diximus, cum invocatione nominis Christi statim se è latere supponebat, & ex Dei adjutorio vires maximas ministrabat. Delati igitur tandem praedicti lapides, & convenienter dolati seu cavati, propriis locis convenienter aptari, multamque loco usque hodie amoenitatem praestant & utilitatem.

XXIX. Tunc coeperunt ad monasterium de seculo nobiles & ignobiles, viri pariter ac mulieres, undecunque concurrere & suavi jugo Christi sua colla submittere. In quibus praeterire silentio non decernimus quendam juxta seculi hujus ordines non ignobilem virum ad Dei servitium cum omni domo sua conversum: qui cùm adhuc seculo militaret, tanta morum honestate pollebat ut multis in religioso habitu imitabilis haberetur, justitia insignis, nullius in judicio personam accipiens, cùm in forensibus causis saepius cognitor, nonnunquam judex eligeretur. unde à suis frequenter arguebatur eò quod amicis in negotio nihil deferret, sed totum justitiae condonaret.

ret. Hoſpitalitatem cunctis quidem peregrinis largiter exhibebat, praecipuè tamen religioſis & pauperibus clericis, quos etiam apud ſe diſcendi ſtudio detinebat, & quaeque neceſſaria miniſtrabat. Et ne praetereuntes vel ad portam clamantes vacui pertranſirent aut diù clamarent, ita ſtatutum erat, ut quicunque primus de domo ejus pauperem clamantem audiret, ſtatim paratam ſemper eleemoſynam abſque alicujus juſſione illi deferret. In divinis officiis ſic ſtudioſus erat atque devotus ut non ei ſufficeret parrochianales Miſſas audiſſe in Eccleſiis clericorum niſi inde ad monaſterium, quod duobus milibus aberat, mox perrexiſſet, & audita majore Miſſa dominicis & feſtis diebus jejunus ſemper ad propria remearet. His & talibus bonis cum eſſet intentus, accidit ut venerabilis pater Stephanus illis in partibus iter arriperet; cùmque eum hoſpitio gratantiſſimè ſuſcepiſſet, in tantum converſatione & ſermonibus ejus delectatus eſt ut omiſſa intentione qua ad aliud monaſterium ire decreverat, ſtatim ſe ei cum ſuis omnibus daret. Itaque ſtatuto die, fratribus ad ſe miſſis, parvulos vehiculis impoſitos cum uxore & familia utriuſque ſexus omnique ſupellectili, cum animalibus & jumentis ſive pecudibus, vel quicquid ad victum pertinebat, ad monaſterium praemiſit. Fratres vero qui convenerant, illo praeſente muniones & quaeque editiora deponentes, ex ſeculari habitatione religioſa & ſervis Dei opportuna habitacula conſtruxerunt, quae permanent uſque in praeſentem diem. Quicquid telorum ſeu armorum fuit, quibus locus ipſe inſtructiſſimus habebatur, aut minutatim conciſum eſt aut igne crematum, exceptis his quae in meliores uſus redigi potuerunt. Ita vir praedictus cum multis aliis, exceptis jam dictis, monaſterium eſt ingreſſus, & religioſo habitu mox indutus; tantumque doctrina moribuſque profecit ut cum jam in ſenectutem vergeret, per ſingulos gradus uſque ad presbyteratus ordinem perveniret, in quo gradu per multos annos feliciter militavit, ſicque optimo fine concluſus ad Dominum emigravit; cujus hic vitam breviter attingendam putavi propter novum & noſtris diebus inauditum converſionis exemplum, & ut poſteri diſcant ut qui perfectè converti deſiderat, quantum in ipſo eſt, nullum poſt ſe affectum relinquat qui ejus animum ad ſeculares curas reducat. Sed jam ad propoſitum redeamus.

XXX. Feminarum de ſeculo ad converſionem venientium numerus non parvus excreverat; in quibus admirabilem dexterae excelſi mutationem nemo dignè poterit enarrare. Plures enim ex his illuſtriſſimae erant & multorum nobilium dominae; quae cum longè aliter victitaſſent, ſponte ſe ad hanc paupertatem humilitatemque converterant, & quae prius ſericis auroque textis veſtibus ornabantur, nunc ſparto aut vili panno veſtitae viliſſimarum ſpeciem vel habitum praeferebant; quaeque olim facies colorare atque in ſpeculis jugiter ſe inſpicere & in thalamis aſſiduè commorari ſolitae erant, nunc coquinalibus officiis ardentius inſiſtebant, ut quae nigrior &, ut ita dixerim, cacabatior eſſet, haec ſe pulcriorem exiſtimaret. Pro muſco aliiſque odoramentis fumeos odores delectabiliter hauriebant, proque ſumptuoſis & exquiſitis dapibus viles cibos & plerumque reſiduos cum menſura percipiebant. Cumque fratres fortioribus occuparentur laboribus, iſtae vilia & quaeque indigna opera ad ſe pertinere credebant; ut eſt olea atque legumina praeparare, & coquinae utenſilia mundare, & veſtes abluere, domos ſcopare, & ceteras munditias ſollicitè exercere. Haec omnia apud ſe exercebant. Nam in habitaculis fratrum nunquam intrabant, nec ad eas aliquis abſque Prioris praeſentia vel licentia accedebat; & hoc tantùm aedificationis gratia, vel ad opera injungenda. Habitabant autem non longè à fratribus, manſionibus ſeparatae, ſed religione conjunctae. Conſiderans autem vir totius religionis diu eas inter viros honeſtè habitare non poſſe, cogitare coepit quonam eas aptè locare poſſet. Cùmque in hoc valde ſollicitus eſſet, egreſſus die quadam à monaſterio duobus aut tribus ſtadiis, reperit in remotiori parte ipſius ſilvae locum ſaxoſum, praeruptis ſcopulis obſitum, altiſſimis montibus hinc inde circumdatum, ut ibi degentes praeter coelum & circa poſitos montes nihil poſſint videre. Ambitur autem fluvio, parvo quidem, ſed ſtrepitu grandi, à cujus vocabulo locus ipſe nomen accepit. Hunc ergo locum idem vir ſanctus eò credidit ſancto propoſito aptiorem quo ab hominibus remotiorem eſſe perſpexit. Siquidem praeter ſolitudinis opportuna, materiis quoque lignorum lapidumque multipliciter affluebat, ut nihil praeter calcem aedificationis cauſa deferri aliunde opus eſſet. Vocati igitur fratres, ſtatim locum mundare, rupes excidere, ſpatia coeoccupare coeperunt, ſecundum quod eis ſpiritualis magiſter & ſapiens architectus ſpiritu ſancto dictante monſtrabat. Aquaeductus ad neceſſarios uſus plures fecerunt quibus aqua ſponte manans per omnes monaſterii officinas ſufficienter adminiſtratur. Sed quid amplius immoramur? Tanto ſtudio laboratum eſt tantaque inſtantia decertatum ut infra duos nec multo plus annos totius monaſterii cum omnibus pertinentiis ſuis fabrica ſit conſummata. Sed jam monaſterio utroque perfecto, etiam ab hujus narrationis ordine aliquantulum eſt quieſcendum, ut deinceps quae ſequuntur, alio incipiantur exordio. Simul & legentibus conſulendum videtur, ut tam ſcribendi quàm legendi ſtudiis per ſilentium recreatis, ipſius interpolatio operis levamen quodammodo ſit laboris. *Explicit liber primus.*

Incipit praefatio in libro ſecundo.

VItam ſancti ac beatiſſimi viri & verè patroni noſtri domni Stephani Obazmenſis aliqua dudum ex parte deſcripſimus, quorundam religioſorum fratrum precibus, & praecipuè domni Geraldi ſucceſſoris ipſius juſſionibus, invitati, immo compulſi. Quo migrante, veluti magno patrocinio deſtituti, tam felicis materiae opus per quatuordecim ferè annos omiſimus. Verebamur enim detrahentium linguas, qui novis operibus ſemper inſidiantur, ne aut tamquam falſa aut malè deſcripta ſeu verborum atque geſtorum ſuperfluitate reſperſa calumniarentur, qui & ipſum modicum quod exinde feceramus & tunc livido ore carpebant & adhuc lacerare non deſinunt. Quòd ſi ea vitae meae pravitate hoc faciunt, non culpo, nec reprehendo, ſed me inde magis accuſo. Dignum eſt enim ut qui vitam juſti deſcribere parat, etiam ipſe injuſtus eſſe deſiſtat, aut ſi hoc facere non potuerit, erubeſcat. Si autem hoc opus de imperitia reprehendunt, audiant quendam prudentem cuidam in talibus dubitanti ita dixiſſe. *Tu vero, inquit, aut vulgariter aut ruſticè, aut ſi mavis Gallicè loquere, tantùm ut Martinum loquaris.* Et ego ſimiliter Martinum hunc noſtrum quamquam imperito ſermone loqui non dubito; quia & ipſe, quandiu vixit, nihil ſapientiae ſecularis in ſuis ſermonibus demonſtravit; ſed in ſpiritu Dei vivi loquens, omnem mundanae ſapientiae faſtum prorſus eluſit. Martinum eum dixi, virtute, non nomine, ſpiritu, non corpore, ea utique ratione qua & Johannes, cùm in perſona non eſſet, Helias erat in ſpiritu. Verè, in quantum ego addiſcere potui, nemo ita Martinum viſus eſt imitaſſe vita, moribus, converſatione, fideique virtute, & quod his praecipuum eſt, beatae defunctionis admirabili fine. Quòd ſi mortuos ille ſuſcitavit in corpore, certum eſt hunc multos utriuſque ſexus in profundum perditionis demerſos ad vitam revocaſſe perpetuam; quorum erant tam ſcelerati actus & tam perdita vita ut, ſicut de aegris deſperatis dici ſolet, nullum in eis ſalutis indicium, appareret. Quid enim de publicis meretricibus loquar, cum ex matronis nobilibus quaedam publicè ſint profeſſae quòd tot viros exceperint quot vix quiſquam potens in hoſtem ducere homines poſſit. Penſet unuſquiſque, ſi poteſt, quoties iſtae peccaverunt quando peccantium cum eis numerus explicari non poſſit. Qui ergo

Sculp. Sever. dialog. c. 20.

go de talibus penitentiae remedio & praevenientis gratiae dono castas atque mundissimas Christo sponsas exhibuit, non dubito majoris hoc fuisse virtutis quàm si eas corpore mortuas suscitasset. Restat jam tertia de falsitate calumnia: quam si quis objecerit, sciat me nihil hic posuisse nisi quod aut ipse propriis oculis vidi, aut probabilibus ac veracibus referentibus viris audivi. Quòd si in verbis quicquam vel mutatur vel minuitur vel augetur, licentia scribentis est, non falsitas narrationis, cum egregii translatoris sit, non verbum è verbo, sed sensum ex sensu transferre. Nam & qui evangelia scripserunt, non eisdem vel totidem verbis usi sunt, dum unus his, alius aliis, & iste quidem paucis, ille verò pluribus sermonibus suam propositionem explevit. Sed haec referendi pulcra varietas nullam sacrosanctis evangeliis inducere potuit falsitatem, quorum venerabilis textus totius veritatis est fundamentum; quia quod in verbis dissimile est, in sensu ac rei gestae veritate concordissimum invenitur. Cur autem hoc opus, tamdiu intermissum, modò repetimus, haec causa est. Venerabilis Rotbertus quondam Abbas, & qui ei successit domnus Geraldus, cum almificum patrem nostrum semper magnificare studuerint, inter cetera hoc jusserunt, ut quod olim de vita ejus exceperamus ad finem usque scribendo perduceremus, praesertim cum hoc ipsum piae memoriae Alexander quondam Cistercicnsium pater instanter olim fieri praecepisset. Junguntur & fratrum preces id ipsum modis omnibus flagitantium, asserendo quòd nisi hoc modò fecerimus dum adhuc vivunt qui eum in corpore praesentem viderunt, post mortem eorum nullus erit qui huic narrationi astipulari possit. Sed jam ipsius narrationis ordinem prosequamur. *Explicit praefatio.*

Incipit liber secundus.

I. Superiori libro ea continentur de beato viro quae antequam Abbatis nomen vel ordinem sumeret gessisse dinoscitur, donec crescente fratrum & sororum numero, duo sunt eis monasteria constituta tantum inter se distantia ut ligno pulsato in uno monasterio, sonus ejus, quamquam tenuiter, & hoc non semper, ex alio monasterio audiatur. Interea fratres Obazinae nullis adhuc scriptis legibus tenebantur, sed instituta magistri venerabilis pro lege habebant; quae tam districta & ardua erant ut cujuslibet regulae asperitas eis in disciplinae rigore addere nihil posset. Quia verò breves dies hominis sunt, & tamdiu humana magisteria vigent quamdiu praeceptor vixerit aut praesens fuerit, placuit ut alicujus ordinis eorum qui in Ecclesia auctorizati sunt professionem assumerent; ut deficientibus magistris, scriptae legis auctoritas eis indeficiens permaneret. Cumque diu de his haesitatum fuisset, dum quidam monachorum, quidam Canonicorum regulam magis amplecterentur, tandem inspirante Deo, & sapientum interveniente consilio, praecipuè domni Aimerici Arvernorum Episcopi, qui illis familiarissimus erat, omnes in monachorum regulam assensum dederunt. Nullum regulare monasterium in illa regione tunc habebatur praeter Dalonem superiùs memoratum. Missum est igitur illuc, atque inde magistri ad docendum ordinem assumpti sunt; & exinde sperabatur dies quo & ipsi monachorum habitum sumerent, & sanctimoniales feminas in praeparatum monasterium collocarent.

II. Igitur anno ab incarnatione Domini MCXLII. Dominica ante Pascha quam palmas vocamus, praesente domno Geraldo Lemovicensi Episcopo, multisque religiosis viris, venerabilis pater Stephanus à quodam Abbate, qui cum Episcopo venerat, monachus est effectus; statimque in Abbatem promotus, & ab Episcopo consecratus, omnes quos habebat Clericos fratres in monachos benedixit, ceteros in pristino habitu manere constituit. His ita peractis, praecedente Episcopo cum Clericis, Abbate novo cum monachis novis & fratribus laicis, subsequente sanctimonialium religiosa caterva, comitantibus etiam multis populorum agminibus, qui ad tam gloriosum spectaculum eo die convenerant, processionem palmarum à monasterio virorum usque ad monasterium feminarum cum magno psallentio peregerunt. O quantae exultationis ac venerationis fuit dies illa, in qua praeter generalem Ecclesiae celebritatem, duo tam perfecta tamque Deo dilecta tabernacula sunt collocata! Denique his ita gestis, & cunctis ad propria remeantibus, communis pater Stephanus cum quibusdam senioribus ibi remansit, & cum ancillis Dei in refectorio ipsâ die comedit, eisque qualiter conversarentur omni deinceps tempore & verbo docuit & exemplo monstravit, ac vivae vocis sententia promulgavit. Inde egressus ante solis occasum, perpetua eas clausura munivit, firmissimo sanciens mox edicto ut nulla earum cunctis diebus vitae suae quacunque occasione vel necessitate seu quolibet modo, monasterii claustrum egrediatur. Sed quia multis incredibile videtur quomodo tot feminae potuerint uno in loco simul includi, (post non multum enim tempus usque centum quinquaginta numerum pervenerunt) breviter de statu vitae earum & positione loci aliqua referenda sunt.

III. Est Ecclesia earum in longum satis porrecta; cujus orientalem partem à cetero corpore murus à summo usque deorsum positus ita disterminat ut duas intrinsecus integras & perfectas domos exhibeat, cum nonnisi una foris appareat. In superiori Ecclesia, quae & minor habetur, & est ad orientem porrecta, ostium est ab aquilone, per quod fratres & qui ad hoc deputati sunt ad vigilias nocturnas & Missarum sollemnia celebranda semper ingrediuntur. In ipso autem muro, qui utramque Ecclesiam dividit, fenestra habetur deorsum quadrata, & ferro undique texta, & velo interius à parte feminarum obducta. Ab inferiori verò parte tantum vacuitatis relictum est ut manus sacerdotis cum sacra eucharistia perinde porrigi possit. Quando enim communicandae sunt, vel generaliter omnes, vel specialiter infirmantes, peracta communione ad altare, corpus dominicum à sacerdote cum honore ibi defertur, & ita remoto velo, omnes ad manum sacerdotis accedentes communicant cum reverentia & timore. Si qua verò ita infirmatur ut per se ambulare non possit, ab aliis ibi deducitur, vel à pluribus inter manus aut in gestatorio tamquam funus defertur, fenestrae quae applicatur, ita ut pleraeque, sumpto viatico, inter manus deferentium inibi vitae sint expirasse. Quomodo autem vel qualiter à monachis in divinis officiis, in capitulis tenendis, in confessionibus audiendis, & poenitentiis injungendis, in mortuis efferendis ac sepeliendis, vel ceteris spiritualibus exhibendis, praecipiente Abbate quotidie ministrentur, ita ut illis foris astantibus, illis intus manentibus, nullus eorum accessus ad invicem habeatur, hic describere superfluum judicavimus; quia & omnibus patet, & nos ad alia festinamus. Habent tamen ad haec omnia sacerdotem eruditum Deumque timentem, qui earum curam, quantum ad animas pertinet, post Abbatem loci specialiter habet commissam. Ipsae verò intus manentes sub regimine Prioritsae, in diurnis horis, in silentio, in disciplina, in labore, vel ceteris conventibus qui fiunt in Ecclesia, in capitulo, in claustro, in refectorio, ita se habent pro modulo suo ut monachi; excepto quòd foras nunquam egrediuntur, & quia summissè cantant, immo nec cantant, sed quasi legendo cum summa devotione horas diei concelebrant. Quomodo autem in corporeis necessitatibus ministrentur, ita ut nec ipsae foras exeant, nec alii intus accedant, breviter intimandum est. In extra claustri duo sunt ostia, unum contra alium; inter quae brevis & modica porticus continetur. Et interioris quidem ostii clavem Priorissa custodit, exterioris verò frater maturus atque probatus, qui ipsius loci procurator est constitutus. Nam ille quem superius diximus, animarum propriè sollicitudinem gerit;

rit; ad quem specialiter pertinet cum supplemento monachorum divina eis quotidie officia decantare, & sacrificia ministrare, confessiones accipere, & poenitentiam dare, capitulum quoque diebus certis praemisso sermone tenere. Porrò hic frater quem procuratorem vel portarium dicimus, utpote laicus, exteriorum curam habet commissam, cuncta necessaria à monasterio deferens, nihil à secularibus petens nisi quod ipsi sponte dederint sive transmiserint. Cumque diversas rerum species inter utrumque ostium collocaverit, hoc est, panem, vinum, olera, ligna, leguinina, ceteraque talia tam sanis quàm infirmantibus opportuna, mox ostium exterius exhibita clave munit; bacilloque illud repercutiens, janitricem interiorem sonitu commonet quatinus & ipsa suum ostium aperiat, & quae ibi posita sunt intus deferat. Nullus horum suum unquam ostium aperire audeat, nisi aliud agnoverit esse firmatum.

IV. Quis tantam & tam cautam providentiam femineo sexui impendere potuit nisi Christo donante? Quis tantae multitudini feminarum uno loco semper manentium simul & spiritualia & corporalia sine clausurae irruptione, sine taedio ac murmure fratrum, sine periculo animarum, & penè absque dispendio rerum, ministrare potuit nisi spiritu sancto monstrante? Quis quatuor aut quinque feminas ita claudere potuit sicut hic ferè centum quinquaginta habentur inclusae? Quis garrula ora mulierum ita claudere potuit, cum una vix parietibus contineatur & ferris, sicut hic tot & tam diversae feminae non solum claustris arcentur, sed perpetuo silentio constringuntur? Quis eis non concederet saltim in hortum exire, olera colligere, aquam sive ligna deferre, praesertim in tam remotissimo ab hominibus loco ut nisi devotionis causâ à nullo penitus frequentetur. Sed nimirum pastor bonus, nec mercenarius, sed verè custos, non eis concessit exire ad temporalia commoda, ne spiritualia incurrerent detrimenta; maluitque eis cuncta ipse subministrare quàm animarum dispendium in aliquo sustinere. Noverat satis quid vagantibus feminis, praecipuèque virginibus sacris, evenire contingat; sicut Dinae filiae Iacob, cùm ad mulieres visendas egreditur, noscitur contigisse. Quod utinam mille exemplis probari non posset quàm multae feminae Deo dicatae & ab ipsis cunabulis in monasteriis enutritae, dum aut propria lascivia aut magistrarum incuria ad quaelibet emolumenta à parentibus vel extraneis consequenda foras egrediuntur, virginitatem perdiderunt, & dum corporalia lucra mercantur, simul & animarum & corporum nunquam reparabilis damna pertulerunt. Cujus periculi malum vir sanctus à longè prospiciens, sibi creditis feminis ita prospexit ut non solùm inexibiles sed etiam inadibiles exhiberet; quatinus & illis peccandi & aliis detrahendi occasionem omnem auferret. Nullus, quamvis iniquus & domui nostrae inimicissimus, sanctitatem earum, etsi voluit, unquam valuit diffamare. Quomodo enim peccandi locus relinquitur ubi & ipse visus arcetur! Nam cum ad eas locuturus accesseris, audire quidem eas poteris, non autem videre; ut noveris illis concessum verbo prodesse, non visu nocere. Sed & ipsae non minùs cavent ne homines ipsos aspiciant quàm ne ab hominibus videantur. Cùmque in claustro sedentes aliquos fortè in cacumine montis, ubi tantùm videre possunt, ambulantes aspexerint, ilico vultum in terram deprimunt, aut in partem aliam transeunt, ita manentes donec illi pertranseant.

V. Quid autem referam jocundam simplicitatem earum, dum quaedam earum ita simplices sint ut urbes & municipia, quae vel legendo vel audiendo didicerunt, circa montes suos aestiment collocata. Nimirum, ut filiabus Loth, visioni & cognitioni earum totus mundus deperiit. Plures enim ibi ab infantia vel ab ipsis cunabulis educatae, penitus quod in seculo agatur ignorant. Nam quicquid in claustro suo videre non solent, nec esse suspicantur. Ex quo fit ut quia peccata seculi penitùs nesciunt, quanto ab eis longè sunt, tanto se peccatrices altiùs ingemiscunt, & ita plangunt peccata minima sicut stulti homines plangere nesciunt peccata gravissima. Quod tamen de his sentiendum est quae totam ferè vitam suam ibi exercuerunt. Ceterum sunt in eis multae quae cunctum ferè seculum noverant, & omnes gurgites peccatorum transierant, nec quicquam scelerum eas latebat. Sed ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia; quantoque illis plura dimissa sunt, tanto & amplius amaverunt.

VI. Quis autem sine invidioso gemitu gloriosum exitum earum referre valeat, cum morientes altantum se orationibus commendent, & psalmorum orationumque eleemosynas postulent, moxque velut in extasi raptae, oculis ac manibus in cœlum erectis orantes, in ipso orationis fervore spiritum reddant? Quaedam etiam post mortem ad viventes redeunt, & quid sibi, quid aliis contigerit, quidque eis adhuc opus sit interrogatae studiosius pandunt, carissimas quoque sorores visitando salutant, & quid specialiter impendi sibi ab eis velint insinuant. Referunt etiam quarundam sodalium gloriam felicitatemque majorem, & quibus haec meritis specialiter promeruerunt, ad incitamentum aliarum non tacent. Nonnullas etiam, quibus apparent, de quibusdam excessibus commonent, & per eas quasdam alias corrigunt, occulta cordis earum in medium proferentes, ita ut pleraeque hac declaratione convictae inveterata & olim in corde sepulta peccata, quae quondam in seculo contraxerant & oblivioni tradiderant, per oris confessionem foras eiciant & mortuorum ministerio peccati mortem evadant. Dicunt etiam de quibusdam quae hic negligentes vixerunt, quòd sancti patris Stephani praesentiam illic positi prae confusione vitae suae sustinere non possint, eò quòd ipse, ut vivens consueverat, negligentibus terribilis quidem appareat, eos autem qui in bono profectu ex hac vita exierint amplectatur & diligat, & quasi patres in filiis complaceat sibi. Denique haec omnia, Deus scit, non dixissem nisi ab earum ore quae haec in visione viderunt, vel ab his quae viderant audierunt, certissimè didicissem. Sed quia diu immorati sumus cum feminis non feminis, (nam sexu quidem feminae sunt, sed virtutibus virorum vires transcendunt) deinceps ad cetera veniamus.

VII. Interea fratres Obazinae monachi ex eremitis effecti, novis legibus novisque institutionibus quotidie informabantur; & quamquam essent in cœlesti militia veterani, monasticis tamen studiis adhuc videbantur indocti; erantque rudes monachi qui jam fuerant in religione perfecti. Instituebantur autem ad arbitrium Dalonensium magistrorum, qui eos vitam & conversationem monachorum docebant & regularibus praeceptis erudiebant; & quia erant moribus asperi minusque discreti; simplicitatem fratrum repentinis novitatibus ac duris reprehensionibus fatigabant, eorumque animos ad amaritudinem perducebant. Non enim didicerant eos dulciter attrahere atque à solitis ad insolita paulatim deducere; sed tamquam in his semper fuissent nutriti, omnem monasticae disciplinae observantiam ab eis indiscretè exigebant, eosque tam in Ecclesia quam in ceteris locis repentè turbabant, mutabant, reprehendebant. Ipsi autem non ita consueverant sub piissimo atque doctissimo constituti magistro. Vnde ad eum tamquam ad consuetum portum confugientes, de magistrorum duritia coram eo saepius murmurabant. Porro vir sanctus, ut pius pater & sapiens medicus, turbatos fratres & consolabatur & arguebat, dicens non debuisse eos graviter ferre eruditionem disciplinae, quae magistra & paedagoga est sanctitatis, & magistrorum duritiam disciplinae censuram nominans religionisque vigorem, quem sicut remissus tepor extinguit, sic fervor intensius accendit. Et si, inquit, hactenus multas asperitates & duros corporis labores pro Deo sustinuistis, non est magnum si pro ordine noviter suscepto quaslibet reprehensionum molestias perferatis,

prae-

praesertim cum salubria instituta ab amaritudine incipiant, sed in dulcedine finiantur. Nulla quippe ars vel absque difficultate apprehenditur, vel absque labore retinetur. Et vos igitur salutaribus studiis innutriti, quicquid pro his asperum occurrerit, forti animo tolerate, ut possitis de amaro semine dulces aliquando fructus referre. Haec dicens, vacillantes roborabat simul & instruebat, ipsosque magistros ut corporis persisterent & nullum timerent amplius commonebat.

VIII. Tunc duo monasteria aedificare cœpit, unum in Lemovicensi, aliud in Arvernensi territorio constitutum; quibus decenter instructis, statim illuc monachorum agmina dirigis, optimis eis patribus institutis; quorum unus, praeter elegantiam personae, scientia litterarum, eloquentia, urbanitate, ac facundia praeminebat, omnique religione pollebat; ut si illum videres, doctrina Episcopum crederes, affectu patrem, religione, ut verè erat, monachum deputares. Alter cum esset in seculo nobilissimus & equestris militiae dignitate conspicuus, conversus ad religionem, ex milite quidem monachus, atque ex monacho Abbas est vitae merito constitutus. Cujus monasterium cum situs asperitate rerumque inopia premeretur, suggestu ac praecepto domni Geraldi Lemovicensis Episcopi, in ipsius diocesis finibus à domno Stephano post aliquot annos fuit translatum; qui omnibus à se fundatis monasteriis, quandiu vixit, ac si de proprio, curam sollicitus adhibebat.

IX. Quotiens aliquem locum aedificaturus esset, assumpta cruce & aqua benedicta, cum paucis fratribus ibi pergebat; perlustrataque tellure, juxta quod futuri aedificii qualitas vel quantitas exegisset, ubi altare fundandum esset, ibi crucem figebat, arreptaque securi vel quolibet instrumento, tugurium sicut mos est pastoribus extruebat; multisque diebus in magna egestate & penuria ibi degebat, laborans & aedificans, donec ampliatis aedificiis, aliquem ibi strenuum fratrem praeficeret. Cùmque locus ipse & domorum supplemento & possessionum adminiculo sufficienter esset instructus, statim illum abbatiae titulo decorabat; aut si nimis esset vicinus, grangiae ministerio deputabat; ut & fratrum usibus deserviret, & religionis ei opportunitas non deesset.

X. Adhuc autem in carne degebat Petrus ille venerabilis socius ejus, qui illum de seculo exeuntem & primus & solus fuerat comitatus. Erat autem Prior monasterii Obazinensis eo tempore constitutus quo locus ipse in abbatiam surrexit. Qui cum esset religiosus & sanctus, in tantum simplex dicitur extitisse ut ei persuaderetur à quibusdam pravae mentis quod cum vellet domnus Abbas in quodam ex his qui aedificabantur loco Abbatem constituere; unde oporteret ex his quae sibi credita erant necessaria praeparare. Quod ille timendo credens, non cupiendo, aliquot ex sibi commissa pecunia solidos occultavis, loco illi ad quem se mittendum existimabat aliquantulum profuturos. Hoc cum Abbati compertum esset, in tantum commotus est ut eum ab officio suo deponeret, & in quadam cella remotiore habitare praeciperet; ubi per aliquot annos in multa afflictione degens, tandem vocante Domino à terrenis ad cœlestia, à labore ad requiem, à peregrinatione ad patriam feliciter emigravit. Quod totum vir sanctus contra eum, non malivolentiae studio, cùm sciret eum simplicem & innocentem, sed verae religionis zelo stimulatus egit; ut posteris daretur exemplum quo ab hujusmodi factis caverent, scientes quod si tanto viro tamque sibi caro vir sanctus non pepercerit, multo magis nec sibi parcendum existimarent. Ad hujus tamen sepulcrum multae sanitates fiunt; ut agnoscatur ipse, quicquid per negligentiam sanctitatis amiserat, totum per pœnitentiam cumulatius recepisse.

XI. Per idem tempus in Romana urbe defuncto summo Pontifice, reverendus vir & cunctis virtutibus adornatus Eugenius in sede apostolica subrogatur. Fuerat autem monachus Claraevallis, & à sancto Bernardo in Romaniae partibus Abbas directus; unde postmodum assumptus, Papa urbis effectus est. Hic secundo anno pontificatus sui in Galliam venit, & Concilium Remis celebravit. Tunc memorabilis pater Stephanus, sicut olim desideraverat, Cistercium cum quibusdam fratribus venit, ibique praedictum Apostolicum reperit. Erat enim ex multo tempore cupiens sancti illius ordinis societatem adquirere, & cuncta quae ad se pertinebant ejus submittere ditioni. Eo tempore Cisterciensibus praeerat Abbas nomine Rainardus, vir, in quantum ego intelligere potui & multis aliis claruit, nullis facilè comparandus. Siquidem elegantia personae, generis nobilitate, humilitatis decore, religionis fervore cunctis quibus praeerat Abbatibus praeminebat, qui trecenti & eo amplius erant. Porro divini amoris & sanctae religionis vigore ita flagrabat ut ignis superaret ardorem, & exterius tanta dulcedine praeminebat ut mellis vinceret suavitatem. Ab hoc ego hujus sanctae religionis habitum, quamvis indignus, accepi. Nam cum puer in quodam monasterio Casae-Dei traditus essem, post aliquot annos quorundam factionibus indè avulsus, atque ad seculum sum devolutus; cumque ibi multis calamitatibus detinerer, à benignissimo patre Stephano susceptus sum pro amore Dei & parentum meorum gratia, quos omnes penè ipse habebat sicut longè superius memoratum est. Inde me ad Cistercium ire praecepit; ubi sumpto habitu monachi, post duos annos à praedicto domno Stephano Obazinae sum revocatus, atque ab ipso regulariter in monachum benedictus; & ex tunc usque in hodiernum diem cum ipso vel ejus successoribus conversatus quicquid memoratu dignum de eo vidi vel ab aliis audivi hic inserere non neglexi; ut studiosus lector quod voluerit eligat, & quod noluerit aliis legendum relinquat. Malui siquidem videri prolixior propter devotos quàm nimis succinctus propter fastidiosos vel, ut sic dicam, indigniosos; praesertim cum facilius sit ex multis pauca eligere quàm ex paucis multa retinere. Nimius quippe breviator, praeter dispendium lectionis, nonnunquam superbiae supercilio denotatur, dum vult cavere plus justo rusticitatem & affectat nimis urbanitatem, in omnibus quaerens suam, non aliorum, utilitatem.

XII. Igitur, ut dicere cœperamus, cum ad Cistercium beatus iste venisset, memoratum Papam humiliter adiit, & quid animo gereret, apostolicis auribus intimavit, subnixè deposcens ut suum desiderium ipsius auctoritate ad effectum perduceretur. Tunc ille domnum Rainardum ad se venire mandavit, eique sanctum virum ut patri filium ipse pater omnium commendavit, atque ut eum in conventu Abbatem duceret & sancto ordini sociaret praecepit. Quem ille gratanter de manu Papae suscipiens, in capitulum introduxit, & jocundo ore coram cunctis Abbatibus dixis: En cernitis, Domini fratres, Abbatem hunc corpore modicum, statura brevem, habitu despicabilem, vultu deformem; sed quicquid in eo videtis, totum spiritu sancto & fide plenum sciatis. Nec mirum si spiritu sancto repletus eum quem in se gestabat in viro Dei recognoscere & aliis potuit demonstrare. Talis enim erat vir iste beatus ut quisquis illum vel simpliciter aspiceret, ex solo habitu vel aspectu verè Dei servum indubitanter assereret. Nec mora, prolatis Domini Papae mandatis, ejusque petitionibus declaratis, ipso etiam in praesenti humiliter postulante, ab universis concorditer Abbatibus in societatem ordinis est receptus, & domui Cisterciensi specialiter assignatus, cum utique non minus in hoc deferrent ejus religioni quàm apostolicae jussioni; ubi, quamquam essent aliqua in domo ejus unde talis susceptio impediri posset, quae non religioni quidem sed eorum consuetudini viderentur adversa, illud certè majorem invidiam seu molestiam ingerebat quod vir sanctus ut viros ita & feminas à Domino gubernandas acceperat. quod eorum ordo omnino vetabat. Attamen pro ejus amore cuncta admissa sunt, spondente domno Rainardo, qui eum ut

quàm

suam animam diligebat, quod cuncta ordini adversantia paulatim abolerentur, ne repentinam mutationem novella adhuc domus ferre non posset, ita duntaxat ut sanctae illae feminae semper in ordine permanerent.

XIII. Talibus auspiciis sumpto ordine, negotiator noster laetus ad propria remeavit, ducens secum magistros egregios quos illi pater Cisterciensis ad docendum ordinem speciale munus concessit: quorum duo monachi erant atque Presbyteri, viri sancti, duo vero laici non minus religiosi & in sua quique arte decenter instructi; quintus, qui aliis transacto magisterii sui tempore ad propria redeuntibus usque ad obitum hic permansit, praeter alia bona, in nutriendis animalibus solers ac peritissimus fuit, cujus labore & industria domus nostra in temporalibus multum excrevit. Isti quidem magistri, non ut priores, inculti & asperi erant, sed blandi, suaves, atque domestici, & ad docendum ordinem idonei atque discreti. Ubi enim per eorum magisterium plura, quae etiam monachi consueverant, mutari praeciperentur, illud certè molestissimum videbatur, quod libros, quos secundum ordinem monachorum nuper multo labore confecerant, deponere cogebantur & ad formam Cisterciensium revocare. Itaque alios ex ipsis à fundamentis incipiebant, alios radebant & denuo rescribebant, alios ex integro dimittebant, alios paucis immutatis sibi iterum retinebant. Sed cum & ipsi primitus per Dalonenses à Cisterico fuissent delati, mirum videtur quod tam discordes inter se tamque dissimiles esse potuerint. Sed sciendum quod libri quibus primo Cistercienses in divinis officiis usi sunt, valde corrupti ac vitiosi fuerunt, & usque ad tempora sancti Bernardi sic permanserunt. Tunc enim Abbatum communi decreto ab eodem sancto Abbate ejusque cantoribus sunt correcti & emendati, & sicut modo habentur dispositi. Unde constat eos ante hanc emendationem à Dalonensibus expetitos; qui etsi de ordine tunc non erant, secundum ordinem tamen vivere gestiebant, & consuetudines ordinis scriptas sibimet deferebant.

XIV. Inter ceteras mutationes etiam usus carnium infirmis secundum regulam est allatus, qui hactenus manserat fratribus nostris incognitus. quod gravissimè vir sanctus ferebat, in tantum ut diceret ipse commotus quod carnificinam introduxissent in domum Dei, cum videret propter infirmos aliquod ex animalibus jugulari. Cumque ei capitulum regulae pro infirmis opponeretur, ille tacebat; quia nec istud ei placere, nec regulae auctoritas poterat displicere. Nam cum Ecclesia nostra aedificaretur antequam monachi extitissent, retulit mihi qui haec audivit & praesens vidit quod artifices conducti tam diuturnam carnis abstinentiam non ferentes, porcum sibi emerunt, & carnes ejus paratas in silva comederunt, & residua ad hospitium deferentes absconderunt, ut futuro mane clam ea comederent. Quod cum Abbati nuntiatum esset, valde nimisque commotus est; & assumptis quibusdam ex fratribus, officinas circuire coepit; veniensque ad hospitium, carnes, sicut dictum fuerat, inter duo vascula absconditas reperit; quas accipiens, & ad socios respiciens, interrogat quid de his fieri oporteret. Cumque alii pauperibus tribuendas, alii artificibus reddendas dicerent, ne contristati discederent, ille respondit: Nequaquam, fratres, ita fiet, sed praevenire eas faciamus viam quam paulo post venturae erant. Et haec dicens, in latrinam eas projici jussit, viaque qua venerat rediit. Quod cum artifices jam in opere positi comperissent, nimio furore commoti instrumenta projiciunt, & dimisso opere bacchantes contra virum Dei murmurare & furiosa verba jactare coeperunt. Ipse vero ad mitigandos eos accedens, cum eorum iracundiam lenibus verbis mulcere coepisset, conviciis eum & contumeliis aggrediuntur, minantes insuper quod nec ipsi nec alii deinceps in ejus opere laborarent, qui tantam eis injuriam intulisset. Porro ipse minas eorum parvipendens, coepit eas exprobrare infirmitatem eorum prandiaque furtiva, dicens quod si illi propter gulae illecebram opus Dei relinquerent, non deessent domui ejus necessarii structores, qui absque carnali commercio melius quam ipsi eam edificarent. Quod si reperiri nequirent, satius esse ut domus Dei non aedificetur quàm ut habitacula servorum ejus immundis obsoniis polluantur. His dictis, conversus abire coepit. Illi autem mox compuncti, secuti sunt eum; prostratique ad pedes ejus, veniam pro stultiloquio postulabant. Qua impetrata, statim ad opera sua reversi sunt & salubriter correcti & utiliter emendati.

XV. Post haec duo alia monasteria in locis antè aedificatis facere disposuit, unum in Caturcensi diocesi, aliud in territorio Sanctonensi. Quibus decenter instructis, idoneos satis ministros, id est, pastores cum supplemento fratrum ibi direxit, qui loca sibi credita abbatiae titulo gubernarent. Quorum prior fuit Gerardus nomine, vir virtutum & totius religionis exemplar, qui vita & verbo clarus Obazinensem domum post eum feliciter rexit, cum quo multa loca aedificaverat, & nunc cum eo tanquam individuus comes feliciter pausat. Sequens vero & ipse vita & actibus honorandus Rotbertus nomine, qui & nunc superest nostrum monasterium post illum regens, sicut de utroque postmodum suo loco dicemus. Hic sortitus est abbatiam quae in Sanctonensi dioecesi sita erat, quam etiam prius absque Abbatis titulo multo tempore procuraverat. Erat autem ei possessionis ager foecundus, olim domno Stephano legitimè traditus, & à fratribus illius longo tempore jam possessus. Interea surrexit quidam* potens in illa regione, qui diceret agrum illum ad suum jus pertinere, olimque à suis progenitoribus possessum fuisse. Unde caeca cupiditate pellectus, eundem agrum in suam jam redegerat ditionem. Quod cum viro Dei nuntiatum esset, cui specialiter fuerat delegatus, statim ad locum pergit, & praedictum virum aggressus rogare coepit ut ab hac tam injusta pervasione desisteret, & quod servis Dei donatum a fidelibus fuerat, ad suam ipsius perniciem non auferret. Ille verbis ejus nequaquam acquiescens, possessionem reddere noluit, dicens se nunquam eam penitus dimissurum nisi, publico judicio causa ventilata, suam esse vir sanctus donatione legitima demonstraret. Quapropter amicis utrinque suggerentibus, dies ad definiendum constituta est, & sic ab utrisque in sua discessum. Non negligens vir ille, multos sapientes, legistas, & causidicos mercede conduxit, insuper & quosdam ad defensionem suae partis Episcopos invitavit. Porro vir Dei, tamquam negotii nihil habens, & causam suam Deo soli committens, orationibus servorum & pauperum Dei se muniebat, & tamquam plures habens propugnatores, ad placitum securus pergebat. Cumque dies constituta venisset, essentque in unum congregati Episcopi, principes, magnates, & populi, ut sic dicam, adversus Dominum & adversus Christum ejus, ecce vir Dei è diverso venit, quasi alter David pugnaturus adversus Goliam, non gladio, non hasta, sed fide, cum duobus solummodo sociis, & his non satis peritis. Quo viso, cum omnes stupor & admiratio detineret, alii quidem ridebant, alii verò dicebant: Estne hic adversus quem tot proceres & potentes totque populi sunt congregati? Ad quod unus satis congruè & eleganter nec minus veraciter dixisse fertur: Iste quem videtis pauper & modicus, ac penè solus, hos omnes hodie superabit. Nam actor noster vix centum solidis placitores atque fautores suos hodie convivabit, exceptis muneribus donisque promissis. Porro hic simplex & vilis tribus fere denariis advocatus suos absque donationis alicujus dispendio procurabit, & quod his majus est, solus ex hoc placito victoriam reportabit. Nec tamen, quamvis in incertum vaticinans, dictis suis ex toto frustratus est. Interea causae ex adversa parte prosequuntur quibus injusta pervasio tamquam nulla possessio & tergiversatoribus quasi ex legum auctoritate

tate decernitur, & quod ille quidem legitimè possideret, hic injustè repeteret, nec haberet justam querelam, sed injustam calumniam. Porro vir sanctus, ne sibi de Deo nimis applaudere aut humana consilia videretur sprevisse, Sanctonensem Episcopum humiliter postulavit quatenus ad agendam causam suam idoneum aliquem à latere suo praestaret executorem. Quod ille justum perpendens, quamvis ejus esset adversario obligatus, Archidiaconum suum, virum industrium, & in talibus copiosè instructum, direxit; qui sciens versutiam adversariorum, & quomodo simplicem virum illaqueare disponerent, dedit ei consilium quatenus non de fundo terrae quam expetebat in praesenti ageret, sed de possessione. Ad hoc enim cum ipsi velut in praeparatam foveam ducere nitebantur ut cum eis simpliciter illud concederet, nescio quibus argumentis repentè simul totum amitteret. Quod cum ipse palam proclamaret, dicens, Nos non agimus de fundo terrae, sed de possessione, mox omnes causidici furore accensi violenter agere coeperunt, & calumniosis litibus innitentes virum Dei non rectè proposuisse clamabant, eique vehementer instabant. Resistebat tamen eis praedictus Archidiaconus, & causam quam tuendam susceperat non ignobiliter defensabat. Episcopi vero in parte consistentes, quamquam beatum virum justam habere causam non dubitarent, nullum ei juvamen ferebant, quia ab illo tyranno pervasore inducti erant. Quod cum ille perpenderet, seque in illo examine gravari conspiceret, surgit in medium, & coram omnibus dixit: Ego quidem, Domini fratres, propter causam pauperum recuperandam huc veni, in Dei misericordia fiduciam habens & in praesentium Episcoporum defensione atque justitia. Sperabam enim quod non permitterent dominari virgam peccatorum super sortem justorum, nec possessionem ovium Christi lupis ingerendam exponerent. Sed quia non sunt pastores, sed mercenarii, qui vident lupum venientem & fugiunt, & ovibus vim patientibus, ipsi se sub silentio abscondunt, & nullam eis defensionem opponunt, necessitate constrictus Romanam curiam appello, ut ibi quod justum fuerit vel accipiam vel persolvam. Ad hanc vocem tumultus levatus est omnium ferè vociferantium, quorundam indignantium & dicentium: Quis est hic qui in hac tanta curia contra tot potentes & nobiles appellavit, insuper & Episcopos non pastores sed mercenarios nominavit? Alii quidam dicebant: Iste, etsi appellavit, appellationem suam non segniter consummabit, plusque proficiet uno nuntio quatuor pitaciis pedibus insignito quàm dominus noster egregiis nuntiis multis pecuniis oneratis. Cùmque in hunc modum contenderent, Episcopus Sanctonensis facto silentio ita omnes allocutus est: Scitis, fratres, quod ego hanc litem in manu mea terminandam susceperam, & quia pro pace & concordia utriusque partis quantum poteram laborabam. Sed quoniam Abbas iste gravari metuens, majus judicium appellavit, jam non est meum de his ulterius judicare, sed nec vestrum appellationem ejus temerè reprendere. Unde commonitos esse volumus utrosque, & eum scilicet qui appellavit, & illum contra quem appellavit, quatenus die debita vel per se vel per idoneos executores apostolico se conspectui repraesentent. His dictis, curia solvitur, & cunctis in sua remeantibus, vir Dei cum suis illis paucis comitibus ad propriam regreditur mansionem. Evenit tamen satis juxta quod jocundus ille vates praedixerat, ut cum ejus adversarius in suis fautoribus multa nimis expenderit, ipse penè nihil mitteret & victoriam obtineret. Nam cum ad capitulum quod tunc imminebat ex more venisset, & quosdam ibi Abbates & Episcopos reperisset Romam ire paratos, monachum suum strenuum & in talibus eruditum illis specialiter assignavit, quorum stipendiis in eundo & redeundo sustultus, & auxiliis atque consiliis in Romana curia plurimum est roboratus; qui prosperè rediens talem detulit auctoritatem quod praedictus invasor omnes fruges quas ex agro illo assumpserat per manus servorum suorum judicio Archiepiscopi Bituricensis, in cujus curia praecepto Papae causa ipsa denuo ventilata est, in cellariis fratrum coactus intulit, eisque terram ipsam liberam & absolutam in pace reliquit. Nam si illam fratres tunc amisissent, certum est quod abbatia ibi nunquam fuisset, sicut permanet usque in praesentem diem. Hoc autem retulimus, non ad miraculum, sed ad exemplum probitatis ejus ac fidei, qui possessionem suam immo & Dei contra tot nobiles & potentes de manu tyranni penè ipse solus obtinuit, & in hominibus spem suam non posuit, sed causam suam soli Deo commisit.

XVI. Alio quoque tempore miles quidam paupertate constrictus, & cupiditate distentus, ex quadam grangia nostra oves & quaedam alia pecora rapuit, occasione sumpta quod terra quam fratres tunc incolebant ad proavos ejus aliquando pertinuisset. Ex ipsa autem praeda quaedam statim cum suis comedit, reliqua petentibus fratribus eo pacto concessit, quatenus ad diem determinatam Abbas ipse veniret, & sibi de hac terra plenius responderet, qui nequaquam negligens, ad diem constitutam cum multis aliis venit. Porro vir ille, ut majorem illis metum incuteret, in placitum venire noluit nisi manifestius sciret quid ex eodem placito reportaret. Sperabat enim se multas pecunias accepturum, si hanc eis calumniam in pace dimitteret. Attamen ab amicis coactus via tandem venire adquievit, sed non ut sperabat, terrorem detulit, sed accepit. Videns autem eum vir Dei à longè venientem, ut erat semper urbanus atque jocundus, cum res poposcisset, dixit sociis ut se detinerent & velut ab impetu revocarent dum ipse contra eum insurgeret. Cumque jam propè & in auditu vocis positus esset, ita cum impetu facto, cum tamen à sociis detineretur, vir sanctus aggreditur: Estne hic qui oves nostras luporum more rapuit ac devoravit? Estne hic qui possessionem dominicam sibimet usurpavit? O inique & tyranne, quid tibi cum servis Dei? Quid eorum substantiam iniquo jure pervadis? Certè, nisi me isti prohiberent, ita te excommunicarem & diabolo manciparem ut esses in exemplum omnibus habitantibus in hac terra. His invectionibus vir ille concussus diriguit; vultumque viri Dei ferre non sustinens, ultra accedere ausus non fuit. Reprehendebat tamen, primum quidem se quia venisset; dehinc culpabat amicos, qui eum ad talia perduxissent. Tandem instinctu divino commonitus, & cunctis qui aderant pro eo intercedentibus ad pedes viri Dei procumbit, & se peccasse, se impiè gessisse proclamans, veniam deprecatur. Qua impetrata, omnem iniquae exactionis querelam deposuit; & qui inimicus & reus venerat, amicus & sanatus abscessit. Aliquotiens cum ad placitum veniret, videretque omnes suae parti favere, adversarium vero undique & ab omnibus destitutum, pietate ductus aliquos è suis placitoribus clam dirigebat qui ejus partes defenderent & pro eo contra se dimicarent; gaudebatque se vinci ab eis tamquam si ipse vicisset. Si quis pauper ac rusticus, & totius artis exceptis communibus expers, illum oraret ut susciperetur, mox illum ad cellerarium dirigebat, dicens: Vade, & deprecare eum ut me roget pro te. Quod si te cum indignatione repulerit, dic ei illam & illam artem te optimè scire; & tunc videbis quid tibi respondeat. Quod cum pauper faceret, & primo quidem repulsus, postea pro scientia artis libentissimè audiretur, mox ad Abbatem cellerarius ipse accedens, rogabat ut eum valde necessarium susciperet non recusaret, & pietatis arte seductus rogabat quod prius prohibuisset & unde postmodum poeniteret.

XVII. Inter haec fratres Obazinae cum augerentur de die in diem, nec possent eos capere pristinae habitationis modicae mansiones, consilium fuit quatenus non ut prius habitacula ampliarentur, sed alibi ex integro mutarentur. Nec jam in ambiguo erat utrum aedificarent, sed de loco adhuc consilia volvebantur. Erant ad radices montis amoena satis loca, ubi quorum-

fundam animi erant defixi, quatenus ibi aedificarent. Alii saniori consilio non longè à priori loco aedificari volebant; ut pristina habitacula novis aedificiis deservirent, & veteres fratrum sepulturae novis adjungi possent. Accedebat autem his & salubritas aëris, utilitas nemoris, hortus, vinearum & diversi generis arborum foecunda satis & longo tempore exculta possessio; quae nec relinqui sine dispendio, nec sine molestia poterant à longè positis exerceri. In illis autem optatis locis plurimi rusticorum cum suis familiis morabantur; qui si relinquerentur, magnum generarent animarum periculum; si autem repellerentur, nihilominus grande peccatum. Haec & multa alia vir sanctus altiori mente pertractans, quamquam aut nemus aut locum ubi primitus venerat relinquere nollet, tamen hoc magis aliorum consilio quàm suo arbitrio facere praeoptabat. Ita enim illa sententia animo ejus insederat quae dicit, *Omnia fac cum consilio, & post factum non poenitebis*, ut nihil, quamvis parum, sine alterius consilio facere unquam voluerit. Quod si res in promptu esset, nec dilationem admitteret, ipse vero non haberet in praesenti nisi aliquem ex simplicibus fratribus aut unum fortè ex familia, non tamen vel ab illo consilium quaerere dubitabat. Cumque ille tremens diceret, Tu me interrogas pater, mox ei capitulum regulae opponebat dicens: Saepe minori revelat Dominus quod melius est. Attendant hoc & confundantur qui magnas & arduas res sine consilio agere non verentur, unde non proficiunt, sed magis cadunt; qui si alterius praeveniantur bono consilio, etsi eis antè placuerat, jam id facere dedignantur quia non ab ipsis initiatum videtur. Inde senatus Romanus Christum suscipere recusavit, non ob aliam causam, nisi quia primitus ab ipso initiatus non fuit. Pudet aliquos hic referre, qui sibi magni videntur, qui consilium dant, non ad utilitatem, sed ad contrarietatem; qui cum audierint alios aliter laudavisse, illi contra faciunt, & omni studio decertant quatenus non quod melius est fiat, sed quod illos victos, se autem victores ostendat, qui sententiam suam ultimam proferunt in consilio, sed primam volunt esse in facto, ad hoc postremi loquentes ut priorum consilia destruant, ad hoc prius tacentes ut posterius vincant. Sed his omissis, quae amaritudinem ingerunt, ad propositum redeamus.

Euseb. lib. 2. hist. eccles. cap. 2

XVIII. Igitur post multas deliberationes in superiora monasterii nostri aedificare disponunt, ita ut prioris habitationis extremae domus novi monasterii extremis aedificiis jungerentur; jamque lapidum & calcis atque arenae copiosâ adunata congerie, feria sexta ante Passionem, basilicae fundamenta aperire coeperunt, priùs ab Episcopo domno Geraldo in circuitu loci cimiterio consecrato. Erat annus incarnationis Christi millesimus centesimus quinquagesimus sextus. Deinde sequente feria sexta quae est ante Palmas, omnes à monasterio usque ad locum aedificationis cum cruce & aqua benedicta devotè procedunt; dictisque letaniis & psalmis ad hoc pertinentibus, mox ab Episcopo & Abbate atque electo operis magistro cum invocatione trinae majestatis primus lapis in fundamentum deponitur; nec immerito cum tanta veneratione locatur qui illum praecipuè figurabat de quo Apostolus ait: *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus*. Aderat hujus tantae aedificationis initiis inaestimabilis hominum multitudo diversi generis atque aetatis cum multo coetu nobilium; quorum alii potentiores auxilium & protectionem, divites pecunias offerebant, pauperes quod rebus non poterant votis supplebant, protensis in coelum manibus supplicantes ut Deus omnipotens tam sanctum opus, quod eis videntibus coeperat, perduceret ad effectum. Tamen petendi & impetrandi ad tanti operis supplementum, sicut ferè cunctis aedificantibus mos est, per Ecclesias populos commonere ipsa die apud nos & initium & finis fuit. Ubi quamvis hoc Episcopus frequenter moneret, immo potiùs & juberet, datis litteris indulgentiarum largitate refertis, tamen ei vir sanctus nunquam adquiescere voluit dicens: Nos talem consuetudinem introducere nolumus ut populis scandalum & nobis ignominiam adquiramus circumeundo Ecclesias, ostendendo beneficia, indulgentias largiendo, quas dare non poterit nisi solus Deus. Audivi tamen referri ab his qui interfuerunt quòd cum in quodam episcopatu domum novam aedificaret, persuasus sit à quibusdam, immo compulsus, commonitorias literas ab Episcopo postularet ut domui illi, quandiu aedificaretur, beneficia populus impertiret. Episcopus petitioni ejus, quam quidem invitus nec per semetipsum fecerat, libentissimè annuit, statimque literas ipsas scribi praecepit. Cumque ventum esset ad indulgentiarum locum, mandat Abbati quantum indulgentiae his qui in hac fraternitate se mitterent vellet ascribi. Cui ille ita remandavit. Nos, inquit, Domine, nostra adhuc premunt peccata, nec possumus levare aliena. Quod audiens Episcopus, laetus erubuit, & virum Dei, ut verè erat, Dei servum & tali timore plenum non dubitavit.

XIX. Iam verò coepto monasterii aedificio, quis dignè referet qua austeritate corpus illud modicum fregerit multis antè afflictionibus maceratum? Tota die in opere erat, non virgam ferens, ut plerisque mos est, qui in altiori loco sedentes alios ad laborem provocant, verbo, non facto, digito, non opere, virga, non manu. Stabat autem laborans incurvus ad solem & imbres, sic tamen ut omnes laborantes sive non laborantes aspiceret, & quid singuli facere deberent plus operibus quàm verbis ostenderet. Cumque videret aliquos incongruè stantes, aut fortè sedentes & otiosa loquentes, non eos statim corripiebat; sed transiens coram eis, timendi & erubescendi primò copiam tribuebat, quòd si se non corrigerent, asperis eos sermonibus increpabat, ut cuncti audientes timerent. Si quos videret laboribus fatigatos, ad requiem invitabat, & moestos eorum animos blandis sermonibus recreabat; duros & laborare nolentes duriter increpabat; verecundos & laborare volentes, sed non valentes, consolabatur atque mulcebat, & ita cum eis agebat ac si majorem operis partem ipsi fecissent. Quosdam etiam adhuc carnales carnalibus promissionibus invitabat, dicens eos in refectorio non parum remunerandos qui sic strenuè laborassent. Nonnullos quoque laudis aemulos, & ob hoc laborare plus solitos, quamquam eos in hac parte plurimum reprehenderet, multum tamen illis praeferebat qui nullam aut Dei timoris aut humanae verecundiae curam habentes totos se desidiae ac negligentiae tradidissent. Haec & his similia vir discretissimus ad relevandum laborem exterius faciebat, & ita omnibus se conformabat ut infirmis infirmum, fortibus fortem, laetis quoque laetum & mollis moestum se exhiberet, sed & carnalibus carnalis quodammodo videretur, & gloriam captantibus tamquam & ipse eandem omni studio sequeretur, implens illud quod Apostolus de se ipso dicebat: *Omnibus omnia factus sum ut omnes facerem salvos*. Cum autem domi ventum esset, cuncta haec tamquam vestimenta secularia deponebat, & quam gestabat intrinsecus religionis formam verbo & opere demonstrabat. Intus timendum, foris se jocundum praestabat; ut attraheret lenitate quos corrigeret in caritate. Nunc enim animabus perfectius consulebat. Porrò tunc, id est, foris, corporibus immo laboribus dispensativè prospiciebat; qui ut liberius fierent, ex disciplinae rigore aliquantulum remittebat. Adest testis virtutis ejus & laboris fratrum basilica ipsa omni ex parte perfecta, cui in multis provinciis nulla facilè similis reperitur pulcritudine, elegantia, venustate, & quod his majus est, operis firmitate ac firmissima sanitate, sicut hi quoque testimonium perhibent qui ultra citraque mare multas provincias peragrati sunt.

XX. Per idem tempus tanta fames tantaque frugum penuria inerat quòd sicut modò frumenta veneunt amplius quàm in duplo carius venderentur, vix quisquam reperiebatur qui annonas haberet, &

qui habebant ita celabant ac si omnino nihil haberent. Expectabant enim tempus majoris venditionis, sicut ait Propheta, ut augerent siclum & imminuerent mensuram & exhaurirent marsupia pauperum & sacculos suos implerent de subsidiis egenorum. Porrò vir sanctus parvipendens famis invalionem, tot operarios rusticos qui onera ferrent undecunque conduxerat ut si illos videres, parochiam adventitiae existimares. Habebat eos pro solo pane. Et ideo tam multos collegerat ut & ipsos pasceret & opus aedificationis magis acceleraret. Ad portam monasterii tot undique pauperes confluebant ut dinumerari non possent; nec tamen frustra se venisse dolebant, nullus aliquando recedebat impastus. Siquidem ab hora diei nona omnes fratres, quicunque adesse poterant, in distribuendis alimoniis occupati erant, & vix tandem id serò complebant. Quae scilicet alimoniae, praeter ciborum reliquias, ex cellario & furno jugiter praebebantur, ita ut penè quotidie totius clibani coctura integra expenderetur, cum bis vel ter in die coquendis panibus pararetur. Haec autem consuetudo in pauperes semper omni tempore servabatur, maximè vero tempore famis; quòd si panis deesset, carnes expendebantur, pulmenta vero cum panibus semper dabantur, ubique à fratribus ad hoc deputatis discurrebatur, cunctorum cellaria & occulta repositoria scrutabantur, & veteres annonae è fossis abditisque terrae cuniculis proferebantur, nec aliud empturis injungebatur nisi ut quocunque modo vel pretio sic emerent ut nec forum publicum augerent, nec ipsi vacui remearent: quod si pretium non haberent, non tamen undecunque mutuò accipere dubitarent, fiduciam habentes in illo qui eos & ab iniquis usuris semper eripuit & turpiter egere nunquam permisit. Si autem copia nummorum supervenisset, non eam vir sanctus in thesauris condebat, sed vocatis emptoribus & dispensatoribus suis, absque pensa & numero eis tradebat. Nunquam panes ad numerum vel à furno referebantur vel per necessaria loca distribuebantur. Nullus computare sumptus diurnos vel expensas, maximè in praesentia viri Dei, audebat; sed horum omnium pondus, numerus, atque mensura Deo largitori reservabatur. Hac indulta libertate, cautiores & sollicitiores ministri fiebant, atque in rebus commissis non minus fraudem facere quàm incurrere metuebant. Nunc autem, dum nulli credimus & omnia numeramus, fit ut nec etiam ipsi credamur, ita ut ministros ex fidelibus infideles efficiamus, Deumque largitorem bonorum offendamus potius quàm placemus, cujus bona tamquam à nobis sint computamus.

XXI. Cum autem vir Dei monachorum fratrum atque sororum, hospitum quoque, & familiae, ac diverso modo laborantium sollicitudine urgeretur, quibus quotidiana stipendia cum ingenti studio parabantur, maxima tamen illi cura de pauperibus erat, sciens procul dubio, quandiu haberet quod eis impenderet, nihil ceteris defuturum. Vnde non solum in abbatia, sed in omnibus grangiis, praecipuè famis tempore, largiter dari praecipiebat, ut & ipsae benedictionem in pauperibus consequerentur. Aliquando venit ad eum frater illarum grangiarum quae ultra Dordoniam sunt procurator, dicens non habere se vel quod fratribus apponeret vel quod pauperibus erogaret. Cui vir sanctus de fratribus quidem nihil respondit, de pauperibus vero praecepit ei dicens: Vade, & si panes non habes, animalia occide & pauperibus tribue; exceptis bubus arantibus, quos ad ultimum, si aliud non habueris, incunctanter expende. Abiit ille facturus sicut ei fuerat imperatum. Sed quia modicum tritici habebat, quod vix ad tres dies sufficere poterat, statim illud impendi decrevit, ut postmodum alimenta fratribus emeret, & pauperibus carnes, sicut jussum fuerat, exhiberet; & ecce dum speratur quotidie vel magis timetur tritici illius defectio, in tantum Deo tribuente & fide sancti viri cooperante excrevit ut usque ad tempus messionis, quod longè aberat, tam fratres quam pauperes panes inde, prout ratio temporis permittebat, sufficienter haberent.

XXII. Eo tempore fame ingravescente, cùm audisset vir Dei apud vicum Martellum dictum duos viros, quorum unus sacerdos, alter laicus erat, promiscuae annonae quadraginta modios communiter habere, quorum singuli quatuor vel quinque animalia onerare solent, festinanter perrexit, & praedictas annonas, cum nihil haberet, pretio vel conditione qua valuit sibi retinuit & monasterio destinavit. Quae quamvis malè congestae, fide tamen boni emptoris multiplicatae totum monasterium in summa necessitate multo tempore refecerunt & sufficienter paverunt. Sed cum reddendi tempus adesset, ipse verò quod redderet nihil haberet, diù dubitans quid ageret, tandem ad vicum perrexit, ut saltem suam praesentiam exhiberet quibus praesentare aliud non valebat. Cumque ibi venisset, exactorum faciem pertimescens, maxime unius qui erat cupidus & avarus, durus, crudus & inhumanus, ad Ecclesiam perrexit & ut dicitur, Missam tunc celebravit. Qua peracta, egressus foras, cum ei omnes penè habitatores vici illius occurrerent, inter ceteros ille creditor venit quem praecipuè formidabat. Videns autem virum Dei humiliter stare &, ut sibi videbatur, pro debiti solutione sollicitum esse, dixit ei coram omnibus: Quid est, Domine Abbas? Attulisti pecuniam quam mihi & Presbytero te debere cognoscis? Scias enim quòd ex hac hora nihil à te nisi cum usuris recipiemus. Dixit ad eum vir Dei: Verè dico tibi quia nihil habeo quod vobis ad praesens reddere possim. Vnde rogo ut in nobis adhuc patientiam habeatis quousque Dominus largiri dignetur unde vos placare possimus. Tunc ille velut exasperatus, cum magis esset à Deo mollitus, respondit ei coram omnibus dicens: Ad illudendum nos, quantum audio, Domine, huc venisti. Frumentum nostrum tulisti & pretium non retulisti. Ego tamen placari non potero nisi sub hac conditione, quatenus monachi omnes qui fruges meas consumpserunt obsides mihi tradantur, ut ipsos interim pascam quousque debitum meum recipiam. Ad hoc dictum cum in risum omnes solverentur, vocato Presbytero venditionis socio, dixit ei, Placetne tibi, Marce, (sic enim vocabatur) pactum quod cum Abbate composui. Quale, inquit? Cui ille: Tale ut fratres suos nobis obsides reddat, quatenus eos tamdiu nos pascamus quousque debitum nostrum recipiamus. Presbyter vero respondit: Hoc pactum tu tene, qui proposuisti. Nam ego nunquam illud tenebo. Tum ille non jam exactor, sed patronus effectus, ait ad virum Dei: Perge securus jam quo volueris, Domine Abbas; ego tibi pro me & Presbytero satisfacio, ut nihil nobis ex debito illo nisi quod volueris & potueris facias. Tunc omnes qui aderant videntes in illo viro nimis avaro tantam dexterae excelsi mutationem, glorificaverunt Deum. Emenso modico tempore, vir ille moriens medietatem pretii quod ad se pertinebat, id est, quingentos solidos, monasterio dereliquit, reliquos quingentos filio suo reddendos instituit. Hic cum esset patre jocundior & ad dandum profusior, etiam illos quingentos qui sibi reddendi erant ex integro solvit, & plura alia de suis rebus multotiens dedit. Nam cum esset ad beati viri funera praesens, de suis rebus tanta donavit ut omni vitae suae tempore lumen ad beati viri tumulum non deesset. Presbyter vero cum haberet Clericum ad se pertinentem, monasterio illum tradens, mille solidos qui sibi ex praedicta debebantur venditione cum eo dimisit, addens insuper mixturae modios plures in rationem victus illius. Sic impletum est in viro Dei quod ait Apostolus: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

XXIII. Alio quodam tempore cum idem vir sanctus in infirmitorio resideret, venit ad eum cellerarius, & moesto vultu, ore etiam taciturno, ei astabat. Dixit ad eum vir Dei: Quid habes, frater, quod hic tam tristis assistis & nihil loqueris?

Cui

Cui ille respondit. Mœstus sum, inquit, Domine, quia nihil fratres hodie manducabunt; siquidem hora refectionis urget, & panes non habemus quos reficiendis fratribus apponamus. Tunc ille, ut ei solitum erat, oculis ac manibus in cœlum porrectis altius suspiravit, tandemque conversus dubitantem fratrem increpando monuit dicens: Ergo, frater, tibi soli revelatum est quia fratres hodie non manducabunt? Numquid invalida est manus Domini? aut quia tu panes non habes, idcirco ille quod tribuat non habebit? Perge ergo nil dubitans, & mensas ut solitum est praeparare festina. Spero & confido in Deo quòd tibi servientes absque cibo manere non patietur. Credidit ille & paruit, refectorium ocius praeparat, & mensas mantilibus ornat. Vbi ecce dum fratres horam quae est ante refectionem in Ecclesia canerent, subito adsunt animalia panibus onusta, quae fideles quidam viri à Deo, ut creditur, inspirati ad supplementum victus eis transmiserant; qui de Ecclesia egressi, cum se manducaturos tunc non sperarent, reperiunt mensas insolito pane refertas. Vnde satis abundèque refecti, largitori Deo gratias reddiderunt, & deinceps de abundantia dubitare nec in egestate potuerunt.

XXIV. Tale quid in monasterio de Grosso boscho, quod nostro juri ex multo tempore traditum est, olim accidisse ab his qui interfuerunt audivimus. Nam quadam die ad Abbatem loci illius, qui ex discipulis fuerat domni Stephani, cellerarius venit dicens in toto monasterio panes, exceptis tribus, omnimodis non haberi. Vnde quaerebat ab eo utrum signum ad refectionem, cum panes deessent, pulsari deberet, vel quid de illis tribus qui reperti fuerant fieri debuisset. Abbas autem altiori praeventus consilio, tres libras in praebendis defunctorum, ut solitum erat, reponi, signum quoque ad lavandum post horam pulsari praecepit, & pulmentum loco panis per mensas disponi. Cumque horam quae tunc vergebatur in Ecclesia canerent, princeps terrae & fundator loci illius ex insperato venit, claustrumque solito more ingressus, ceteras quoque officinas, ut consueverat, perlustrabat. nullus enim prohibere audebat. Ingressus refectorium, cum pulmenta sola absque pane vidisset apposita, festinanter egreditur, & tam suos quàm sociorum equos in proximum vicum dirigit, cunctumque panem venalem dato pretio rapi & ad monasterium facit deferri. Fratres post horam refectorium ingressi, cum se ad manducandum praeparant, subito inter manducandum insperatus panis plenis sportis ingreditur, qui eos ipsa & sequenti die sufficientes pavit.

XXV. Item in monasterio Bonae-aquae, ubi dudum vir sanctus de hoc mundo migravit, cum in die cœnae dominicae innumera pauperum multitudo plus solito confluxisset, expensis panibus quantumcunque poterant reperiri, cum adhuc pauperes superessent, necessitate constricti fratres cunctum panem qui reficiendis eis appositus erat distribuerunt. Vbi cum jam non haberent quod manducarent, Abbas prolatis solidis panes ad usum fratrum emi praeceperat, cum ecce area monasterii, in qua panes reponi solebant, plena reperta est usque ad summum, unde ipsa & sequenti die refecti sunt. Ita satis non fuit viro Dei in suo monasterio fidei suae signa monstrare, nisi & in aliis monasteriis ad se pertinentibus haec eadem signa post transitum suum per discipulos exhiberet.

XXVI. In nostro quoque monasterio tempore famis, praecipuè à Pascha usque ad tempus messionis, tanta quotidie pauperum multitudo conveniebat ut trium milium numerum plerunque excederet. Propter quod emptores, ut superius diximus, ubique cum animalibus discurrebant, & quantumcunque frugum reperire possent, dato vel condicto pretio ad monasterium pertrahebant. Inde panis tam fratribus quàm hospitibus quamque pauperibus parabatur, ita quod satis inde vivere possent, etiamsi aliud nihil haberent. Cumque finito tempore debita inde contracta computari cœpissent, & plusquam tria millia solidos superadditos aestimarent, ne unum quidem solidum superexcrevisse laetati sunt. Ille enim solvebat cui impendebantur.

XXVII. Sed & tempore barbaricae persecutionis, cum iidem barbari totam hanc regionem longè latèque vastabant, rustici cum uxoribus & filiis atque pecoribus nostrum monasterium expetebant barbaros fugientes, ita cuncta interius exteriusque complentes ut vix egredi vel intrare possemus. Vnde necessitate constricti, & ducti pietate, non solum eos non prohibebamus, sed etiam fovebamus, & quicquid alimentorum reperiri poterat, absque ulla parcitate eis impendebamus. Denique quodam sabbato, cum tot panes expendissemus ut penè nihil in crastinum superesset, consilium fuit ut die dominico contra morem solitum coqueremus. Mane autem facto tanta panum copia in repositoriis est reperta ut aut nobis, id est, toto conventui, aut exulibus & pauperibus consueta mensura sufficerent, si tamen totum acciperent. Sed cum jam inter nos & illos dividi proponerentur, altiori consilio visum fuit ut illi totum panem, quia tantumdem erat, acciperent, nos autem duobus pulmentis qui tunc parati erant, contenti essemus. Ita omnes panes ex integro ad portam delati sunt, ut non relinqueretur ex eis nec unus. Post tertiam iterum pistrinum ingressi, tantam panum copiam invenerunt ut totus conventus, qui tunc centum viginti & amplius erant, libram panis & dimidiam more solito singuli habuissent. Erant enim propter sacram communionem plurimi congregati, utpote octava die Pentecostes. Hoc etiam aliquoties accidisse propriis ipsi oculis vidimus, ut cum facta caritate vix aliquid superesset, facto mane ex hoc ipso omnes sufficienter haberent & plurimum superesset. Sed & pistores mihi saepius retulerunt quod tempore supradictae famis annonae ad unam vix hebdomadam aestimatae per duos menses nos protraxerunt & sufficienter paverunt, ita quod neque ipsae exterius augerentur nec comedentes minuerentur. In cellario quoque apud Martellum, in quo frumenta ex grangiis ultra positis condebantur, ac tempore aedificationis simul & famis inde ad monasterium cum animalibus deferebantur, post multos dies vel hebdomadas, cum jam nihil ex his superesse crederetur, immo omnes mirarentur quod tamdiu perdurassent, interrogatus frater qui haec deferebat, dixit quod nullam ex quo haec deferre cœpit diminutionem in his potuit invenire. Vnde postmodum praeceptus est idem frater eadem frumenta iterum mensurare. Quod cum factum fuisset, offenso largitore munera defecerunt & cito consumpta sunt. Haec autem diximus, non quod per nos qui nunc sumus, vel propter nos facta sint, sed illius merito ac virtute qui non solum apud nos, sed in multis aliis locis mirabiliter operatur.

XXVIII. Nuper à fratribus referri audivi quod in quibusdam grangiis supradictae vastationi vicinis, cum fratres panem, quem sibi paraverant, pauperibus captivis atque exulibus ad se confugientibus largiter ministrarent, coctura panis, quae ad quatuor vel quinque dies sufficere solita erat, tantumdem etiam tunc sufficiebat, cum in tot partes praeter solitum divideretur. Sed hanc largitionem pius ille retributor, non solum in futuro, sed in praesenti quoque remunerabat, cum nec census multipliciter expensus nec expendentes minuerentur, ipsique barbari, qui Ecclesias diripiebant, altaria nudabant, calices confractos in marsupiis abscondebant, & sanctuaria quaeque velut porci indignis & pollutis manibus contrectabant, ipsoique sacerdotes substantiis ac vestibus spoliatos lugentes trahebant & amarissimis pœnis ad redemptionem cogebant, ipsi inquam barbari qui talia faciebant, cum per nostras domos transirent & curtes plenas hominibus & jumentis sive pecoribus à facie eorum fugientibus cernerent, non solum quae nostra sunt non tollebant, sed nec ipsorum quicquam contingere prorsus audebant, non nostra territi sanctita-

te,

te, sed divino potius numine, & sancti illius merito ac virtute. Sed quia hæc post ejus transitum nobis vel nostris regionibus acciderunt, ad illa quæ ipso præsente & operante gesta sunt revertamur.

XXIX. Tempore illo portarius vir fidelis & religiosus abbatiam muro cingebat. In loco autem illo ingentis saxi moles excreverat quæ undique terræ affixa alicujus montis speciem præferebat; & quia murus perinde transiturus erat, ita ut ab ipso loco deviari non posset, multis diebus ut lapidem frangerent idem portarius & socii ejus casso labore defecerant. Non solum enim frangi non poterat, sed multos malleos sæpe confregerat. Contigit autem ut vir Dei ad placitum pergens, per hunc locum transiret. Portarius fide plenus mox equi illius frenum apprehendit, atque ut ad terram descenderet imperavit potius quàm rogavit. Tunc ille paululum subridens, concitus de equo ad terram descendit. Mirabatur tamen audaciam fidei ejus, interrogans, ac si captus, quid de se facere vellet. Ille sumpto malleo, manibus ejus tradidit, eumque saxi illius verticem scandere ipsumque lapidem malleo cædere jussit. Quod cum fecisset, & tribus ictibus lapidem percussisset, mox ille recepto malleo, dixit ei: Sufficit. Pergite jam nunc feliciter in viam vestram. Qui valedicens ei atque benedicens, iter quod cœperat explicavit. Post cujus discessum venerabilis ille portarius, convocatis operariis suis, eundem lapidem non jam cædere sed penitus excidere sunt aggressi; quem tanta facilitate usque ad ipsas, ut ita dixerim, radices comminuerunt ut nihil ex eo frangendum ad vesperam remaneret, & qui prius adamante durior erat, nunc ac si panis ordeacius ad frangendum facilis fuit; ex cujus fragmentis acervum grandem fecerunt, & magnam exinde muri partem ædificaverunt. quod sancti virtute & portarii fide factum non dubitatur.

XXX. Est quædam grangia secus Dordaniam fluvium posita, olim quidem ad abbatiam ædificata, sed post docendis pueris instituta. Hæc cum ædificaretur à latere dextro Ecclesiæ, rupes, ut de alia diximus, adinstar montis excreverat, & magnam partem loci illius occupatam tenebat, & quia claustrum perinde fieri oportebat, fratres in quantum poterant decertabant saxum illud malleis conterendo in planitiem deducere & solotenus adæquare. quod frustra nisi sunt. tanta erat vastitas ejus atque duritia. Itaque jam constructa Ecclesia, Prior loci ad Abbatem pergit sciscitans quid de ipsa rupe facerent, vel utrum claustrum ex altera parte, hoc est, sinistra ædificare deberent. Ille, quia hoc inconveniens erat, præcepit fieri foveam profundissimam è latere saxi, sicque illud cunctis impingentibus inibi sepeliri. Prior accepto mandato, quamvis ei impossibile videretur, quia tamen contradicere non audebat, reversus ad locum secundum præceptum Abbatis juxta lapidem foveam profundissimam fecit. Deinde congregatis omnibus, non solum de illo loco, sed ex villis quoque vicinis, cum rupem illam humeris & vectibus tota virtute impingerent, ita eis visum est ac si montem magnum impellerent, multis ridentibus & dicentibus quod delirarent qui non tam difficilia quàm impossibilia tentavissent. Ita relicto opere, omnes ad propria sunt reversi. Foveam tamen in testimonium reliquerunt, quo sanctus veniens eos de inobedientia culpare non posset. Qui cum post aliquot dies venisset, vidissetque foveam sic manere, post factam orationem, vocato Priore cum fratribus, interrogat eos commotus cur lapidem illum sic reliquissent & non eum terra, sicut eis præceperat, obruissent. At illi retulerunt ei omnia quæ facta sunt, & quomodo tot viris undique congregatis & impingentibus, moveri non potuit. Tunc ipse increpans eos, Vocate mihi, ait, homines tantum nostros & fratres hic commanentes, & videbitis quia non propter impossibilitatem, ut dicitis, sed propter incredulitatem vestram & fiduciam in hominibus, non in Deo, lapis moveri non potuit. Quod cum factum fuisset, vir Dei facto signo crucis & solito clamore usus, hoc est, *In nomine Domini*, ipso cum ceteris impingente, tanta celeritate rupes illa mota est ut sub momento & absque difficultate in profundum deiceretur. Quo facto tam claustrum quàm ceteræ mansiones pro voto viri Dei constructa sunt.

XXXI. Apud vicum Martellum superius memoratum domus extra muros habetur Obazinensium fratrum usibus deputata, ad emendas vel distrahendas res necessarias utiliter procurata. Ad hanc domnus Stephanus aliquando venerat, aliquid ibi ordinaturus. Tum frater qui ipsam domum regebat coram eo conqueri cœpit quod multa in pane & lignis vel etiam aqua expenderet, unde ad procurandas communes monasterii necessitates minus valeret. Porro vir sanctus, cum ei aliqua rationabiliter suggerebantur, non hæc, ut quidam faciunt, surda aure transibat, sed tacitus cogitabat qualiter cunctorum necessitatibus congruè subveniret; & de pane quidem & lignis in præsenti satisfecit, unam ex propinquioribus grangiis fratri designans ut hæc inde opportunè deferret; de aqua verò cum adhuc sollicitus esset, egressus pro foribus, è latere domus locum reperit habilem unde aqua convenienter ministrari posset. In illa quidem regione audiri fons poterat, non videri. Ita facta oratione, circumstantes ibi fodere præcepit, cum hoc ipse primitus inchoasset; cumque fodiendo altius penetrassent, repererunt aquam vivam. Unde non mediocriter læti, puteum ibi fabricati sunt, qui permanet usque in præsentem diem.

XXXII. Quodam iterum tempore memorabilis pater ad unam grangiarum suarum venit quæ sita est juxta castrum sancti Michaelis; & dum ibi cum fratribus loqueretur, prospiciens vidit procul à quibusdam viris non sine grandi labore aquam deferri. Mox conversus ad fratres, quærebat ab eis cur aquam de longinquo deferrent, cùm in promptu fontem haberent. Illi autem dixerunt ei: Aqua hujus fontis, Domine, ad omnes quidem usus habilis est, pulmenta verò aut aliud quid omnino coquere non potest, nec potuit, quantum audivimus, unquam. Tunc ille super hoc satis miratus, & velut aquae illi indignans, perrexit ad fontem, & facta ibi oratione, aquam suppositis manibus benedixit; deinde vocatis fratribus, statim aquam inde hauriri & cacabis jussit infundi, praecipiens ut aqua ipsa deinceps ad coquendi usum inefficax nunquam esset. Quod cum factum fuisset, ex tunc & deinceps aqua illa ita sancti praeceptum servat ut in illa terra usque in praesentem diem tam ad coquendum quàm etiam ad sorbendum nulla commodior habeatur.

XXXIII. In territorio Caturcensi, non longè à Tarno flumine, ad faciendam abbatiam cella aedificabatur, in qua pauci monachi cum aliquantis fratribus laicis commanebant; & quia locus ipse aridus & inaquosus exitit, puteum ad necessarios usus fratres competenti loco foderunt. Sed cùm fodiendo ad profundum venissent, jamque quadraginta & eò amplius pedes fecissent, quantò profundius penetrabant, tantò aridiorem & sicciorem terram eiciebant. unde victi taedio, laborem ipsum penitus dimiserunt, ipsosque operarios ad alios labores miserunt. Interea communis pater Stephanus locum ipsum visitare disponens, confecto trium dierum itinere, quarta die, Dominica, hora quarta, ibi pervenit. Fratres, audito ejus adventu, certatim obviam pergunt, eumque cum gaudio ad cellam deducunt. Ille, facta oratione in oratorio quod aedificatum erat, & egressus pro foribus, cùm fratres breviter allocutus fuisset, praecepit ut sibi ad celebrandam Missam necessaria praepararent. Interim dum manus lavat, aspiciens vidit non procul acervos terrae quam de puteo illo ejecerant circa marginem ejus per gyrum dispositos. Interrogabat ergo quid sibi haec vellent. Tunc illi puteum ostendentes quem foderant, narrabant ei quomodo per tanti temporis spatium in ipso casso labore sudassent. At ille increpans eos cur tam necessarium opus tam citò & absque effectu dimiserint, statim operarios vocari & in puteum mitti prae-

ce-

cepit, praecipiens ut tamdiu foderent quousque aquam reperirent. Quid plura? Accedens enim ad Missam, antequam eam consummasset, aquam ei de puteo verè tunc novam ad abluendas manus & calicem detulerunt. Deinde post horam refectorium ingressus, cunctis pro benedictione de ipsa aqua dari praecepit. Permanet puteus ille dulcibus & perennibus aquis repletus usque in hodiernum diem.

XXXIV. Cum ad Lemovicam pergeret aliquando civitatem, devenit ad quoddam municipium in ipso itinere constitutum, ubi quaedam nobilis matrona magnis febribus urebatur, habens filiam in civitate simili morbo detentam. Hanc invisere cupiens, cum ibi pergere vel propter aegritudinem vel propter incursantes barbaros non auderet, audiens virum Dei illuc properare, statim relicto grabato, fesso corpore & anhelo spiritu, ejus se itineri copulavit. Et quia fratres comitatum feminae ferre non poterant, à longe post ipsos cum sociis equitabat, sic tamen ut eos videret. Emenso verò aliquanto itineris spatio, non ferens pondus infirmitatis, de equo ad terram descendit, ac sese super militis gremium aliquandiu reclinavit. Porrò vir sanctus, cum eam respiciens non videret, poenitere coepit quod eam à suo consortio removisset, timens ne ei in via aliquod infortunium accidisset. Ipsa autem unum ex pueris currere post illum praecepit, orans ut aut se expectaret aut sibi aliquid ex his quae circum se erant pro benedictione transmitteret. Fratres verò videntes currentem puerum, aliquandiu substiterunt, aestimantes feminam aut mortuam aut morti vicinam. Sed cum rem manifestius cognovissent, praecipiente viro Dei opportuno in loco divertunt, ibique laxatis equis, mulierem expectant. Quae cùm brevi adesset, statim se ad terram dedit; tantusque eam defectus arripuit ut putaretur continuò moritura. Cumque eam vir sanctus visitans de suo statu requireret, ipsa autem respondere non posset, hoc solùm pressis labiis orat, ut sibi morituræ subveniat, aut si abire disponit, aliquid super se ex adhaerentibus sibi rebus projiciat. Tunc ille impositis capiti ejus manibus, cingulum laneum quo utebatur ei tradidit, ac sese pro ea cum fratribus in orationem dedit. Qua completa, cum horam quae tunc vergebatur more solito decantarent, vix eam consummant cum mulier illa ita est incolumis reddita ut ultro equum ascenderet, & gratias agens pro sanitate, iter suum laeta perficeret, & quae priùs vix sequebatur, nunc longè praecederet, cingulum viri Dei pignus pro adepta sanitate secum reportans.

XXXV. Alio quoque tempore, ut sermo fertur, cùm in eadem urbe synodus fieret, & ipse praesens esset, Tutelensis Abbas, qui tunc erat Ebolus nomine, litem contra eum injustè satis commovit, & coram cunctis qui aderant ei graviter imminere coepit. Cum vir sanctus mitia ei verba responderet, & iniquas objectiones prudenter & opportunè refelleret, tunc ille fastu secularis potentiae tumefactus, & irae furore succensus, tanta ei ac talia se facturum minatus est quòd rumor facti in cunctis Lemovicinii partibus resultaret. Porrò vir Dei nequaquam minis ejus perterritus, sed majori fiducia tunc armatus, sic ei respondisse fertur. O Domine potens, nolite tanta in posterum comminari, cum ignoretis quid superventura pariat dies. Taliter altercantes, amicis intervenientibus, utcunque sedati sunt, atque ab invicem discesserunt. Sequenti nocte clamor in civitate cum ululatu exortus est, in quo praedictus Abbas repentè mortuus signis undique concrepantibus ferebatur; & quamquam veneni haustu propria morte videretur extinctus, omnes tamen qui praedictae contentioni interfuerant mirabantur quod sermo viri Dei, quamvis illo multum dolente, tam velociter fuisset impletus, ipseque de illata injuria celeriter vindicatus.

Ebolus de Turenna Abbas Tutelensis.

XXXVI. In confabulationibus quoque secularium tam efficax erat atque urbanus quòd si quis ei injustè calumniaretur aut violenter insisteret, mox eum tali sermone retunderet quo & ipse confusus erubesceret & ceteri stupentes hoc ipsum verbum velut in proverbium retinerent. Denique Archambaldus Vicecomes, ad cujus dominium pertinet locus in quo sedemus, dum pro quibusdam causis durius cum eo contenderet & aspera contra eum & penè contumeliosa verba jactaret, ita illum confudit dicens non se debuisse ab eo ita tractari qui cunctis ejus colonis potior esset, tamque probum in tota terra sua rusticum non haberet. Ita vir sanctus unde quasi extolli videbatur, inde se verius humiliabat, conferendo se rusticis atque villanis, cui vix quisquam potentum atque magnorum pro incomparabilibus ejus meritis comparari auderet. Unde praedictus Vicecomes cum pro sua veneratione incomparabiliter eum diligeret atque timeret, ex hoc tamen non parum confusus magis magisque dilexit.

Archambaldus Vicecomes Combornensis.

XXXVII. Similiter cum in quodam placito pro suis negotiis resideret, quidam ex adverso consistens in ipso placito judex vel cognitor fuerat ordinatus potens in verbis & divitiarum jactantia tumidus, oculis tamen privatus. Cumque injustum contra virum Dei judicium protulisset, ille nihil moratus vulgare ei proverbium subintulit dicens: Amice, sic percutit qui non videt. Quo sermone confutatus & satis irrisus in tantum confusus est ut, de cetero nihil in eodem placito loqui praesumeret, cui ipsa caecitas improperata est cum injusti judicii falsitate; qui tamen postmodum, sive illo sermone permotus, seu potius Dei timore compunctus, in nostro monasterio conversus fuit, in quo usque in finem vitae non sine admiratione multorum laudabiliter perseveravit. Solet enim divina pietas quosdam malè agentes conviciis aliquando vel improperiis ad se reducere; ut qui sponte nolunt, saltim contumeliis provocati ad justitiae tramitem revertantur.

XXXVIII. Nam recolo me vidisse quendam ex equestri militia juvenem in nostro monasterio olim conversum, atque inde postmodum suadente diabolo ad pristinos actus seculi devolutum; qui dum quadam die equitaturus in multa militum frequentia equum suum cum armis non absque fastu superbiae sibi exhiberi praeciperet, mox puer suus coram cunctis qui aderant profundè inclinans, Benedicite illi respondit, ex obliquo ei rememorans quid olim fuerit & quòd nunc talia tractare nequaquam debuerit. Ad quod ille responsum ultrà quàm credi potest confusus atque turbatus, immo potiùs salubriter monitus, statim ab hominum conspectu sese removit, & de nocte consurgens ad pristinum locum unde superbus abscesserat, humilis & castigatus ilico remeavit.

XXXIX. Ceterum vir iste sanctus quanta cura & sollicitudine pro pace, non tantum domestica, sed & totius provinciae, invigilaverit, hoc exemplo luce clarius apparebit. Denique orta est aliquando lis inter Raimundum Vicecomitem Turennensem & alium quendam Vvillelmum nomine virum illustrem. Causa autem commotionis hæc fuit, quod emissum accipitrem Vicecomitis idem Vvillelmus occupaverat, eique superbus reddere denegabat. Nihil enim diabolum impedit utrum per viles an per magnas res magnas quoque calamitates accendat. Ergo praedictus Vicecomes ablatum accipitrem non tam pro damno quàm pro illata injuria graviter ferens, bellum indicit, ac nisi citius sibi reddatur, cuncta se depopulaturum quæ ad raptoris jus pertinent minando praedicit. Neque enim parva rura, sed tota penè provincia hoc exterminio devastanda erat, non tam pro his qui inter se confligebant quam pro eis qui ad auxiliandum undecunque conveniebant. Ipse autem Vvillelmus inde magis accipitrem detinebat, quia belli cupidus erat, ut hac occasione per terras Vicecomitis uberes se immergeret & cuncta repentè vastaret. Timens vero ne sibi aliquo modo subripi posset, & sic cupiti belli materiam perderet, cuidam potenti viro longiùs manenti eum studuit commendare, qui non minus bello flagrabat, & ad praedam ar-

ardentius inhiabat. Cernens autem vir sanctus quia multiplicata sunt mala, nam armatis militibus deprædationes agentibus omnia replebantur & de die in diem multiplicabantur, tot calamitatibus ire obvius non despexit; & primo quidem ipsum Vicecomitem adiit, increpans eum cur propter unam aviculam tantum populum vexaret ac perderet Christianum. Orat deinde ut facti venia tribuatur; aut si non ipsa injuria à raptore solummodo, & non ab innocenti populo, exigatur. Sed cum in hoc nihil proficeret, alia via, quæ sola patebat, eum vir venerandus aggreditur. Spondet se accipitrem redditurum, tantum ut congregati exercitus dimittantur & ad propria relaxentur. Quod cum Vicecomes annuisset, statim fide armatus, quasi leo confidens, tam sua quàm Vicecomitis auctoritate armatas acies invadit, confertas dividit, omnesque ad propria redire compellit. Deinde ad præfatum Vvillelmum tendens, cum didicisset pro certo apud eum accipitrem tunc non esse, confestim ad eum qui hunc commendatum habebat iter direxit, quamquam hyemis asperitas & itineris longinquitas prohiberent. Nihil enim sibi causa pacis durum aut difficile videbatur, cum paratus esset etiam mori ut patria non periret. Cumque ad castrum in quo morabatur jam tandem venisset, aspiciens eum vir ille, statim quid vellet, vel pro qua causa venisset, citius intellexit. Vnde nimis iratus, non solum pro eo nihil fecit, verum non absque injuria foribus arceri jussit. Quod ille patienter ferens, non longè ab ipso oppido ad cujusdam pauperis tugurium, incumbente jam nocte, cum fratribus qui secum erant jejunus divertit. Habebat pauper ille uxorem & liberos adhuc teneros ita nudos ut nihil penè in membris tectum haberent; quorum miseriae compassus, cum jam mane profecturus esset, tunicam sibi latenter subduxit, ibique eam, nescientibus aliis, quasi oblitus reliquit. Sed cum viderent eum fratres frigore affici & humeris commoveri, interrogant eum si omnes tunicas suas haberet. Ipse vero rem prodere nolens & mentiri cavens, Ego, inquit, & cum omnibus tunicis quas habeo frigus hoc tam validum vitare non possum. Cumque se jam domum reversuros sperarent, ipse ad praefatum oppidum iter convertit, cunctantibus sociis quid facturi essent, praesertim apud eum qui illos tam injuriosè à se repulisset. Quibus ipse prophetico ore respondit: Eamus modo in nomine Domini, quia non erit hodie sicut heri. Pervenientes iterum ad castrum, cuncta quae sibi pridem clausa fuerant, patentia invenerunt. Sentiens autem vir ille qui eos expulerat servum Dei iterum ad se venire, statim lecto prosiliens, nudis ut erat pedibus, & penè toto corpore ei in platea nivibus plena occurrit; prostratusque pedibus ejus pro illata injuria veniam deprecatur. Qua impetrata, mox allatum accipitrem manibus servi Dei tradidit, & aliquantum prosecutus, lætum abire dimisit. Ita vir sanctus receptum accipitrem cuidam fratri ferendum commisit, seque lætus remeare cœpit. Eratque mirum videre in una ave pendere totius pacem provinciæ. Delatus igitur accipiter ad Turennæ castrum, mox ut emissus in aula Vicecomitis evolavit, pacem quam ablatus abstulerat, redditus reformavit. Ita jam dudum pax inchoata perfecta est, omnisque terra illa exterminio & vastatione plenius absoluta.

XL. Quidam frater Aimiricus nomine valde religiosus & cum sancto pergere solitus pro quodam negotio in itinere est ab ipso directus; qui cùm aliquantam diei partem equitando fecisset, jumento parcere volens, ut ei consuetudo erat, ad terram se dedit, aliquandiu pedibus iter facturus. Porrò jumentum quo vehebatur, cum se liberum cerneret, ut est consuetudo mulorum, repentè aufugit & per plana perque invia currere cœpit. Puer vero ex transverso occurrere satagens, sed & frater quantum poterat per viam currens, cum uterque nihil proficeret, ipso longius abeunte, ille quidem puerum revocavit, timens ne cursu ejus concitatus mulus amplius fugeret & jam capi non posset. Desperans itaque de eo, præsertim cum nullus appareret, & ille cursum non dimitteret, conversus ad illum, Adjuro te, inquit, per obedientiæ virtutem & merita patris nostri ne longius eas, neque fatigatum valde expectes. Ad hanc vocem mulus, quamquam longissimè positus, substitit, & capite verso ad fratrem tamdiu permansit immobilis, caput non deflectens, quousque idem frater pervenit eumque per frænum tenuit. Tunc conversus ad puerum, Quàm bona est, inquit, obedientiæ virtus quam muta quoque animalia reverentur.

XLI. Alius frater, ut de quodam in vita sancti Columbani scriptum est, cum vinum trahere vellet, reserato dolio & vase illic apposito, mox in ipso vinum fluere sinit. Quod dum fieret, subito venit alius frater vocans eum ex parte Abbatis. Ille obedientia fervens, relicto vino, concitus ad patrem perrexit, ducillum quo vinum retinebatur manu gestans; qui cum ei quæ placuerant injunxisset, recordatus operis quod dimiserat, concitus ad dolium rediit, æstimans totum vinum inde fluxisse. Reversus tamen invenit vasculum ultra solitum plenum, immo accumulatum, cum adhuc in ipso vinum defflueret, ita quod ne una quidem gutta cecidisset in terram. Quod sancti virtute & fratris obedientia factum nemo poterit dubitare. Erat enim vini præpositus Gerardus vocatus, fidelis & prudens, cujus veraci narratione hoc ita gestum agnovimus.

XLII. Apud vicum de Pleus, ubi quondam vir sanctus sacerdotis officio ministrarat, duæ feminæ una domo pariter morabantur: quarum una leprosa, altera paralytica erat, per multos annos de lecto surgere aut se movere non valens. Has enim idem beatus, ut legitur de Martha & Maria, plurimum diligebat, ita quod nunquam ad vicum illum accederet nisi eas prius quam inde recederet visitaret. Nec immerito. Vna, ac si Maria, cum aliud agere non valeret, ad Iesu pedes assiduè discumbebat; altera, tamquam Martha, ubique discurrens, quicquid eleemosynae consequi poterat, tam sibi quàm sociæ, immo in ipsa Christo sedulè ministrabat. Contigit autem ut ad eundem vicum vir sanctus itineris necessitate veniret. Cumque ad celebrandam Missam se praepararet, nuntius venit ad sacerdotes dicens quod illa paralytica, quam dudum febris invaserat, viaticum peteret, posita jam in extremis. Hoc ille audiens dixit sacerdotibus eandem se feminam libenter post expletam Missam communicaturum. Quod cum devotè rogatu sacerdotum complesset, mox à vico illo egressus, cum aliquantulum processisset, praefata mulier non solum febre, sed etiam paralysis morbo, ita repentè sanata est ut ipsa die de lecto surgens ad Ecclesiam pergeret, atque in hac vita per multos annos incolumis permaneret. Credo quod ejus sanitatem vir sanctus differri voluerit quousque à vico discederet, ut laudantium plausus evaderet.

XLIII. Cum ad Cisterciense capitulum idem sanctus aliquando pergeret, oblati sunt ei duo pueri vario morbo obsessi; quorum unus dum in agro aperto ore dormiret, serpens ei in ventrem ingressus est, qui illum magnis & continuis doloribus cruciabat. Alter vero sic patiebatur quod nunquam praesente aliquo manducaret. Nam ut manducare posset, neque enim quaerere sciebat, parentes ejus in abditis locis eum mittebant, ut ibi solus tamquam aliqua fera cibum non expetitum sed necessarium sumeret. Sed & aspectu, habitu, sermone, incessu lunaticus apparebat; ut quisquis illum vel simpliciter aspiceret, ipso visu insanum non dubitaret. Isti duo, quamvis diverso tempore, viro Dei in una grangia sunt praesentati. Et illum quidem qui serpentem habebat cum diu suscipere recusaret, tandem compulsus à fratribus in partem stare praecepit. Deinde facta pro eo oratione, aquam exorcizatam & sale aspersam benedixit, eique bibere dedit; cujus haustu serpens interemptus in secessum emissus est, omnem secum dolorem ex corpore patientis exportans. Lunaticus vero, cum à parentibus esset oblatus, sola oratione & manus impositione ita sanatus est ut & tunc & de-

in-

inceps praeſentibus & videntibus aliis manducaret, nihilque inanem ulterius in cunctis ſuis actibus demonſtraret.

XLIV. Una ex ſacris virginibus, in puellari adhuc aetate poſita, nimia vi infirmitatis oculorum lumen amiſerat, ita quod ubi opus eſſet alienis manibus duceretur. Noviſſime vero ipſi oculi, qui caecati fuerant, ita repentè intumuerunt & foras prominere coeperunt ut à ſuis foraminibus viderentur avulſi. Tanto autem ex hoc dolore cruciabatur ut ceterae ſorores tam aetatis quàm paſſionis ejus reſpectu ad lacrymas moverentur. Contigit autem ut vir Dei ad viſitandas ſorores ex more ad feneſtram veniret: quae agnito ejus adventu, praefatam puellam ad ejus praeſentiam detulerunt & juxta feneſtram applicuerunt. Cumque eas interrogaret quid ſibi vellent de ipſa infante, illae ei omnem ipſius infirmitatis cauſam diligenter aperiunt. Rogant etiam ut ſuper ejus oculos manus imponat, credentes, ſi hoc fecerit, quod ei ſanitas à Domino conferatur. Tunc vir Dei puellam interrogat utrum credat quod per ejus manus impoſitionem viſum recipiat. Quae cum tertio interroganti, tertio reſponderet *Credo*, ſtatim manum per feneſtram mittens, facta oratione, puellae oculos totamque caput ſignavit, tetigit, ac benedixit, ſanamque abire praecepit. Mox illa per ſemetipſam ſurgens, quae aliarum fuerat manibus deportata, cum ad oſtium clauſtri perveniſſet, aperti ſunt oculi ejus, omniſque dolor cum ipſo tumore extemplò fugatus eſt. Sed & ſorores videntes eam clarè cernere, nullaque in ea praeteriti morbi veſtigia remanſiſſe, magis tunc prae gaudio flebant, Deumque non minùs pro ſancti virtute . . . .

XLV.

. *Deeſt heic una circiter pagina.*

induluit, ita ut uſque ad lacrymas perveniret. Diu tamen multumque pro eis Dominum deprecatus, tandem eos ad ſe in ſecreto adduci fecit, atque uniuſcujuſque collum, gulam, vel cetera infirmitatis loca orationum medicamine praecurrente palpabat, ſignabat, oculis in coelum porrectis cum invocatione nominis Chriſti & ſanctae crucis ſalutari impreſſione. Quid amplius immoremur? Ita cunctos perfectae reddidit ſanitati ut uſque ad tertium diem nulla in eis praeteriti morbi veſtigia remanſiſſent.

XLVI. Alter ex pueris in probatione jam poſitus ita circa collum quibuſdam ſtrumis & furunculis erat obſeſſus cum inflatione gutturis & faucium tumore ut non jacere, non dormire, non denique caput huc illucque convertere aut cibum capere poſſet, dolore quoque vehementi exagitatus, quid ageret ignorabat, cum nec ipſe quieſcere poſſet, nec alios quietem habere permitteret. Sed cum eum vel ejus ſocios ſanctus pater ſolito viſitaret, videns ejus dolorem & paſſionem acerbam, in partem eum tulit: & erectis in coelum oculis more ſolito orans, cuncta infirmitatis loca ſalubri tactu modificat, ut ſtatim ipſa die cibum ſumeret & ſequenti nocte vel deinceps ſufficienter dormiret.

XLVII. Et quia de infantibus ſermo eſt, non abſurdum videri debet ſi aliqua ſimplicitatis eorum exempla ponamus, ut ex hoc agnoſcatur quàm purè fuerint ipſi nutriti & ab omni mundanae peritiae calliditate extranei. In monaſterio feminarum quidam puer à matre ſua nutriebatur; cumque jam quinque annorum metas excederet, (ultra enim illam aetatem nullus ibi manere permittebatur) ejectus inde, ad ſtationem puerorum in ſupradictam cellam directus eſt. Sed cum adhuc in itinere eſſet, à fratre interrogatus, qui eum ducebat, quomodo ſe haberent feminae inter quas fuerat educatus, ille reſpondit feminas ſe nunquam vidiſſe. Nam illas de quibus interrogabatur non feminas arbitrabatur, ſed ſorores. Sic enim eas ſemper vocari ſciebat. Frater autem probare volens utrum hoc ſimpliciter an figuratè reſponderit, rurſus eum interrogat: Vis ergo feminas certè videre? Quo reſpondente *Volo*, proſpiciens eminùs vidit capras paſcentes, & dixit ei:

Ecce iſtae feminae ſunt. Quod ille audiens non aliter credidit quàm audivit: & ad coaevos perveniens, inter cetera jactabat ſe feminas in agro vidiſſe paſcentes, ſimplicioribus quidem mirantibus, aliis irridentibus, qui feminas quidem certius, ſed non felicius, agnoviſſent.

XLVIII. Ex alia quoque cella puer ad deferendum ex prato viride foenum à Priore ſuo miſſus eſt. Cumque miniſtri aſinum ejus oneraviſſent, & in revertendo aſinus per quoddam foſſatum in longum tranſiret, hinc inde ab adjacentibus ripis onere ſublevato, aſinus ſubterfugit, domumque neſciente puero reverſus eſt. Stabat tamen puer juxta foenum, crebro illud percutiens & quaſi minans; nec motus eſt loco donec fratres ad requirendum eum profecti, vix ei perſuadere potuerunt quod aſinus jam receſſiſſet, & foenum abſque vectore ambulare non poſſet.

XLIX. Haec erat tunc puerorum illorum ſancta ſimplicitas, haec puritas innocentiae, quibus & divinae cognitioni & angelicae puritati eo verius propinquabant, quo ex impura hujus mundi calliditate nihil habebant. Noſtri vero temporis pueri, mox ut loqui coeperint, nihil eſt penè de ſeculo quod ignorent; ut ſi eos loquentes audias, forenſes intelligas. Nec tamen credendum eſt eos ita divinarum rerum capaces exiſtere qui primordia vitae mundialibus ſtudiis dedicarunt, ſicut nec illi de quibus diximus ita erant hebetes in divinis ſicut apparebant fatui in humanis. Talibus enim dicebat Apoſtolus: *Malitia parvuli eſtote, ut ſenſibus perfecti ſitis*. & iterum: *Volo vos ſimplices eſſe in malo, prudentes autem in bono*. Nam quidam eorum prudens atque ſanctiſſimus puer cum moriturus jaceret, & adſtaret ei communis pater Stephanus cum venerabili Priore & quibuſdam aliis ſanctis fratribus, illo nondum adhuc penitus expirante, cumque de ſpiritualibus ſtudiis inter ſe colloquerentur, orta diſputatione de virtute pſalmorum, cum eam laudibus & praeconiis multis attollerent, unus inter ceteros hoc protulit, quod nulla in pſalmis maledictio contineretur, ſed omnes divinis benedictionibus redundarent; tum venerabilis puer recuperato ſtatu, cum penè exanimis putaretur, Non ita eſt, inquit, non ita eſt, Domini mei, ſed maledictio in pſalmis non minima continetur. Tunc omnibus ſimul ſtupore defixis, dixit ei pater ſanctus unà cum Priore: Et ubi eſt iſta maledictio, fili? Quibus ille reſpondit: *Maledicti qui declinant à mandatis tuis*. Et hoc itaque tam purum, tam congruum, tam certum, tamque paratum reſponſum ſtupentes admirabantur, victoſque ſe gratulabundo pudore erubeſcebant, praeſertim à puero innocente & penè exanimi, & quem ultra nihil advertere, nedum aliquid loqui exiſtimarent. Sed in his omnibus ille agnoſcendus, ille eſt poſt Deum glorificandus qui tales in Chriſto filios genuit & ſapientiae ſtudiis erudivit in quibus imago virtutis ejus velut in quodam ſpeculo refulgeret, ita ut cum Propheta dicere poſſet: *Ecce ego & pueri mei quos mihi dedit Deus*.

L. Fateor, nunquam vidi in alicujus facie tantam gratiam coruſcare, cum eſſet ipſa vilis, modica, rugis etiam exarata, rareſcentibus pilis prae abſtinentia, quemadmodum arida tellus exigua germinum ſata producit; & cum illi deeſſent omnia quibus humani vultus dignitas ſolet ornari, ſic tamen ab interiori lumen reſplendebat ut videndi faciem ejus nulla unquam ſatietas fieret. Propter quod eum multi curioſius obſervabant, univerſos geſtus corporis ejus & quid vel quomodo loqueretur diligentius attendentes, cum non ſolum loquendo, ſed & aliud quid vel tranſitoriè agendo, videntes aedificaret. Nam & quidam ſeculares nobiles & prudentes pertinaciter aſtruebant nunquam ſe vidiſſe hominem, praeter illa quae ad religioſitatem pertinent, tam urbanum, providum, prudentem, honeſtum, atque ad omnia praeparatum, ut nihil illi deeſſet quibus vel humanae habitudinis cultus ornatur, vel internae

conversationis decus augetur. Cumque, ut se res praeberet vel occasio permisisset, suppressis labiis modicum subrideret, mox ad instar columbarum sancti ejus humeri movebantur ut nihil unquam simplicius te vidisse existimares, nihil terribilius crederes, ita ut non minus tunc illum timeres quàm si iratum videres. Quod si illa hora oculorum in te radios emisisset, totum te penetrari putares, ut ipsa cordis secreta ei patere aliquatenus viderentur, nihilque esse quod ejus lateret obtutus. unde illi contradere vix ullus audebat, nec minus timebat eum ridentem quàm irascentem. Inde est quod beatus Iob de se ipso dicebat: *Si quando ridebam ad eos*, id est, domesticos, *non credebant mihi, & lux vultus mei non cadebat in terram*. Verè vultus illius lux in terram non cecidit, quia nunquam absque digna & rationabili causa laetitiae sibi fraena laxavit. Nec illud arrogantia erat, sed prudens simplicitas, quam Dominus in evangelio commendabat dicens: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbae*. Nempe ut prudens cuncta sapienter prospiciebat, & ut simplex omnia credebat; nihil spernebat, cuncta aut sperabat aut amabat aut sustinebat.

LI. Porro ipse cum à cunctis fratribus amabiliter timeretur & cum timore diligeretur, nequaquam se inde, ut multi faciunt, super eos insolentius efferebat, eisque non tam ex auctoritate quàm ex caritate imperabat, vel potius ministrabat, implens illud quod in evangelio, praecipiente Domino, scriptum est: *Qui major est vestrum, fiat sicut minor, & qui praecessor est, sicut ministrator*. Unde quidam sapiens praemonet dicens: *Principem te posuerunt. Noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis*. Nam & si quid praeter solitum pro amore Dei tribuere vellet absentibus, hoc procuratoribus quodammodo furabatur; non quod eos timebat, sed quia scandalizare nolebat, nec studebat ut hoc ipsi nescirent, sed ut non viderent; quia juxta vulgare proverbium, quod oculus non videt, cor non dolet. Sunt enim nonnulli qui aequanimiter videre non possunt quod de propriis rebus dari aequanimiter volunt. Inde sanctus ille & praesentibus & absentibus procuratoribus multa largiebatur, absentibus quidem modo supradicto, praesentibus rogando potius quàm jubendo. agebat hoc cauta & mirabili circumspectione ut nec illos contristaret, nec petentibus necessaria denegaret. Et quamquam ei nullus unquam in hoc contradicere ausus fuerit, immo persaepe reprehenderint cur sanctus quod suum erat alterius impetratu & non proprio magis arbitrio largiretur, respondebat nihil se ex rebus monasterii proprium vendicare, & idcirco de rebus communibus nihil praeter communem assensum dari debere. Hanc autem reverentiam, non solum praepositis vel procuratoribus, sed & ceteris ministris servabat, cum culpa deesset, cum justitiae sanctitas, vitae integritas eis suppeditarent, cum denique ipsi in cunctis obedientes atque in nullo rebelles existerent. Quod si culpabiles aut quadam insolentia tumidos reperisset, non eis parcebat, sed mox, ut rigidus magister & iratus dominus, eorum dorsis terribiliter imminebat. Nec illa tantum à minoribus exigebat; sed à majoribus primo incipiebat, ut nequaquam essent castigationis immunes qui fuerant magisterii dignitate sublimes. Eratque mirum videre eum qui heri velut magnus Consul omnia disponebat, cujus cuncta moderamini subjacebant, hodie exigentibus culpis ad terram deici, verberibus affici, increpationibus subdi, culpis gravioribus mancipari. Cumque eum, ut ita dixerim, funditus subvertisset & usque ad terram humiliasset, post paululum sedato dolore, in pristinam cum gratiam reducebat, cunctaque ut prius ejus dispositioni & arbitrio committebat, ita ut eum more solito veneraretur & quasi timeret, nihilque absque ejus consilio ageret vel ordinaret. Et in hoc quidem erga subjectos sapientis medici studium imitabatur, primo quidem perniciosos tumores asperè secans, deinde ipsa vulnera dulciter fovens ac recreans; quatinus eos nec arridens prosperitas malè erigeret, nec imminens adversitas ultra modum affligeret, dum scirent sibi nec propter ingestos honores aliquatenus parci nec propter illatas afflictiones ex priori gratia aliquid mutilari. Sed & minoribus in hac parte non minimum providebat, quibus utique verberum & tribulationum calicem non prius quàm ipsis majoribus propinabat, ut nequaquam sibi intolerandum existimarent quod cunctis aequaliter imminere viderent.

LII. Iam vero in itinere processurus, post generalem fratrum benedictionem, etiam infirmorum se orationibus commendabat: quos utique, si longius esset iturus, in luctu & lacrymis relinquebat. Nam sicut malis dominis abeuntibus laetitia est, redeuntibus moestitudo, & è contrà boni domini, cum abierint, luctum post se relinquunt, quod tandem reversi in gaudium vertunt, sic proficiscente illo omnia tristabantur, revertente vero cuncta interius & exterius laetabantur; ita ut, quemadmodum dici solet, ipsi parietes in adventu ejus gratulari quodammodo atque hilarescere viderentur. Ducebat autem secum honestas ipsoque visu reverendas personas, ut & consilium in promptu haberet, & persona ejus exilis & modica in eorum comparatione vilior appareret. Sed cum jam in itinere positi, pastores vel quoslibet pueros interrogarent quis eorum Abbas existeret, illico relictis ceteris quos vultus dignitas commendabat, ad ipsum omnes certatim currebant, illum Abbatem, illum omnium patrem & magistrum praesagis, ut sic dixerim, vocibus proclamabant, atque ab ipso eleemosynam nec frustra sperabant, nec in vacuum postulabant.

LIII. Ergo cum ad grangiam vel ad quemlibet locum sui juris venisset, quis referre valebit qualiter cuncta lustraret, omnia circuiret, nihil invisitatum relinqueret, utpote cui de omnibus cura esset. Vix equo descenderat, cum mox scapulari indutus cuncta circumquaque monasterii vel grangiae loca seu domicilia impigrè peragrabat; ac si quid in eis incongruum reperisset, vocatis fratribus & increpatis, repertas negligentias statim emendari praecipiebat. Ipse etiam sumpto bidente vel quolibet instrumento, si quid tunc agendum esset, vel incipiebat, vel jam coeptum perficiebat, & ad operandum alios invitabat. Quòd si tunc frumenta excuterentur, statim ad aream convolabat, & cum sociis qui cum eo venerant diu ibi longèque excutiebat. Quid dicam de eo vel sociis ejus, cum nec jumenta in quibus venerant feriari permitteret, ne vel ipsa pabulum otiosa & absque labore perciperent. Sed & fratres longius laborantes vel in pascuis commorantes visitare non pigritabat; & qualiter unusquisque in suo ordine vel opere se haberet sollicitè perquirens, in singulis eos, prout opus esset, vel adjuvabat vel instruebat. Nihil enim ruralis exercitii eum latebat, nullumque artis vel cujuslibet exercitii genus erat in quo ipse non docere aut emendare vel meliorare aliquid posset. Cumque ipsi fratres diversae valetudinis & qualitatis, diversis quoque laboribus intus & foris & tam longè quàm propè consisterent, ipse tamen omnibus competenter occurrens, negligentes quidem durius increpabat, dubios confirmabat, pusillanimes confortabat, moestos consolabatur, tristes mulcebat, fessos recreabat, & invitos ad requiem invitabat. Porrò studiosos & ad laborem promptissimos nunc à nimio impetu revocabat, nunc ad laborem jocundis sermonibus amplius provocabat. Nam cum sibi contraria sint vana gloria & negligentia, & utraeque sint vitia, malebat, quantum ad compendium mali, ex vana gloria aliquid vendicare quam se negligentiae committendo, propheticam illam maledictionem incurrere, id est: *Maledictus qui opus Dei facit negligenter*. Ita prorsus omnem negligentiam atque desidiam praecipuè in juvenibus persequebatur quòd, exceptis criminalibus, nihil in vitiis ceteris gravius vindicaret. Si verò per porticum ambulans, vel in quocunque loco olera sive legumina per incuriam elapsa terraeque sparsa conspiceret,

ret, mox ea incurvus grannatim, quantumcunque modica, colligebat; vocatisque quorum culpa deciderant, pro sua eos negligentia durius increpabat. Quòd si hospites secum duxisset, aut fortè eo praesente supervenissent, ingressus coquinam, tam in grangiis quàm in abbatia quid vel quantum eis apponi deberet, quidve pauperibus superesse posset, tanta sollicitudine procurabat ne aut rara aut nimia praepararent, & in utroque aut avari aut prodigi apparerent. Quod si tanta illi cura de exterioribus ac minimis erat ne quid negligenter aut superflue deperiret, quantam illum putas diligentiam impendere potuisse his quae ad morum honestatem & animarum pertinerent salutem? Quis enim eo praesente manum aut pedem indecenter attollere, oculos impudenter erigere, verba incondita proferre, aut nutus vanos exercere praesumeret, ne dicam turpia verba profundere aut cachinnis ora laxare?

LIV. Satis ergo cognoscibile est quanta severitate gravia quaeque mulctaret, cum minora ac levia tam districtè judicaret; quamvis quosdam excessus nulla praecedente vel subsequente vindicta plerunque solo terrore corrigeret. quod hoc manifestè liquebit exemplo. Dum quadam sabbati die post completorium officinas circuiret ex more, invenit pistores in pistrino completo septimanali labore solito laetiores, & arreptis quibusdam lignis in hastarum modum velut inter se decertantes. Quod ipse per foramen aspiciens, cùm eum penitus non viderent, facto sono gutturis, ne eos lateret, pertransiit, sed in tanto timore eos reliquit ut unus ex eis statim se ad fugam pararet, non ferens vim futurae examinationis; sed à fratre socio vix & cum magna difficultate retentus est. Vterque tamen crastina die ad capitulum venit: uterque sponte, non expectato clamore, veniam petiit. Sed cum in judicio muti starent, & à sancto interrogati quam causam haberent, hoc tantum responderent, Vos scitis, velut indignans sessum eos abire praecepit. Quid enim fuit quod eos amplius non judicavit, nisi quia sciebat quantum eis timorem praeterita nocte incussisset. Nolebat eis addere dolorem super dolorem; ut multi faciunt, qui subjectis tantò graviùs imminent quantò ampliùs pavent, non quia plus rei, sed quia minùs timendi.

LV. Alius frater ex praeminentibus graviter fuerat in capitulo verberatus. Cumque postmodum moestus & amaritudine plenus foras solus sederet, aspiciens eum vir sanctus, & sanare cupiens, ex industria coram eo transire coepit. Ille, quamquam invitus, assurgens & simul pergens, neque enim audebat illo coram se transeunte non subsequi, conversus ad eum sanctus dixit: Fortè me ideo sequeris ut faciamus pacem? Quo respondente, Nequaquam, absit, non cogitavi, mox apprehensa ejus cervice, strictimque eum amplectens atque deosculans, in tantam dulcedinem cor ejus convertit ut statim ad terram caderet, & amplectens ejus vestigia cum lacrymis veniam peteret pro eo quòd contra eum iratus fuisset.

LVI. Sed & quidam monachus cùm de monasterio non absque licentia egredi vellet, & sancto Dei pro ipsa licentia quotidie molestus esset, nec ullatenus impetraret, quadam die pro hoc in capitulo veniam petiit. Sed cùm vir sanctus nec ei consentire vellet, nec pravam ejus intentionem frangere posset, tandem quasi taedio victus dixit ei. Si ergo verè exire vultis, prius reddite quod debetis. Qui cum diceret, Quid est hoc? Aptate vos, inquit, ad disciplinam. Quod cùm fecisset, tam graviter eum verberari fecit ut nullus ibi esset qui non contremisceret. Cumque erectus esset, dixit ei: Iam nunc potestis abire, si placet. Ille verò cùm putaretur magis tunc fuisse commotus & ad discedendum amplius incitatus, ita respondit: Nequaquam, Domine, hinc recedam, aut vos dimittam cunctis diebus vitae meae. Ita est enim omnis tentatio illa à me funditus extirpata ut nihil unquam minùs quàm exire velim. Quis dubitet illa hora diabolum ab eo fuisse exclusum & exturbatum, ac si in illo verberatus fuisset? Ita vir sanctus noverat percutere & sanare, deducere ad inferos & reducere, occidere quodammodo & vivificare, & alios quidem blandimentis, alios increpationibus, alios alacritate, alios severitate, alios beneficiis, alios etiam verberibus corrigebat & ad vitae semitam reducebat.

LVII. Sed ut ad propositum redeamus, cunctorum quae in ejus praesentia gerebantur ipse judex & testis erat, & aut in praesenti, si differendum non esset, aut in posterum opportunè dijudicabat. Propter quod antequam à loco ad quem venerat discessisset, capitulum congregatis fratribus regulari more tenebat; in quo sedens tam districtè culpas examinabat ut nullus esset tam audax tamque de suis meritis vel ejus familiaritate praesumens qui non totus contremisceret cùm praedictum capitulum ingrederetur. Hanc autem administrationis diligentiam in omnibus à se fundatis locis aequali semper jure servabat ut dummodo aut praesens haberetur aut speraretur venturus, semper & ubique ab omnibus timeretur. Si quem vero per immoderatam correctionem aliquanto graviùs contristasset, non quiescebat donec eum blandis sermonibus aut fortè beneficiis vel etiam familiaribus osculis ejus animum mitigaret, ita ut sibi ipse gratularetur bono suo se contristatum fuisse qui tantam propter hoc sancti patris gratiam meruisset. Non tamen hanc gratiam aequè omnibus impendebat, sed quibus expedire cognosceret; quia sunt nonnulli qui instar durissimi silicis, qui frangi quidem malleis potest, sculpi non potest, verberibus coerceri possunt, verbis sive blanditiis suaderi non possunt. Scriptum est enim: *Durum baculo percute, quia stultus non corrigitur verbis.*

LVIII. Ita omnes fratres doctrina & exemplis instruxerat ut non solum ceteris hominibus seu quibuslibet religiosis, sed & his quos idem ordo & habitus decorabat, insignis conversationis merito dissimiles viderentur. Nam etsi per publicum equitando aut quolibet alio modo incederent, mox unde essent evidentius apparebat, cùm eos tam habitus quàm incessus evidentius prodidissent. Nullus aliquando imparatus vel absque digna & rationabili causa iter arripiebat, nullus in extraneis locis prandere sive manere, nullus per vicos & plateas incedere solitus erat; sed aut per mediam villam vel civitatem operto capite cum disciplina transibant, aut extra per ducentem semitam ad destinatum locum pergebant. Non enim villas tunc temporis ingredi consueverant, nisi eos injuncta aut inevitabilis necessitas compulisset. Si cui casu aliquid loquerentur, tanta sermones suos circumspectione librabant quod nullus eos in verbo capere vel reprehendere posset. Nam quod tanti magistri discipuli ferebantur, hoc ipsum velut argumentum certissimum tenebatur in cunctis eos irreprehensibiles inveniri. Denique matrona quaedam nobilis, cum ad fenestram domus suae cum multis aliis resideret, prospiciens vidit procul duos fratres in religioso habitu equitare. Cumque illi inter se haesitando quaererent ex qua domo vel ordine essent qui eis apparuerant, praedicta matrona incunctanter asseruit eos Obazinenses non esse, quamvis adhuc faciem non vidisset. quod in brevi probatum est. Nam protinus affuerunt, & veracem matronam suo testimonio firmaverunt. Viderat enim eos laxiùs equitare nec religioso more procedere, & ideo non putavit è tanti schola magistri tales discipulos potuisse prodire.

LIX. Quis enim eum aliquando loquentem, stantem, aut ambulantem, sive aliud quid agentem videret qui non inde aliquid instructionis hauriret? Vt enim de minimis aliqua memoremus, nullum saltim spuere indecenter aut in directum volebat, nullum nudatis dentibus loqui sive ridere, nullum cum strepitu incedere vel manducare, sed nec sedere quemquam nisi per obliquum reducta cuculla; ne aut pannus in loco sessionis citiùs rumperetur, aut si quid inconveniens subter sedentis dorsum occurreret, hoc

ipsum non à tergo sed ab alia parte minùs turpiter appareret. Nullus, eo praesente, vel in Ecclesia vel in quolibet loco, ubicumque conventus adesset, incongruè oscitare vel subridere aut loqui indisciplinatè aut aliquod negligentiae vel levitatis signum ostendere prorsùs audebat; nemo de penuria murmurare, vel magistris praecipientibus resistere vel contradicere praesumebat.

LX. Ministri quoque altaris ut honestè induerentur magnopere providebat, vestesque eorum per semetipsum diligentiùs componebat, ne incompositi atque deformes divinis rebus assisterent & scandalum videntibus, non aedificationem praeberent. Ipse vero sacris vestibus ita convenienter apparebat indutus quod tamquam ei innata ipsa vestimenta aliquatenus viderentur, ut nullus deprehenderet, nisi sciret, cuculla eum intrinsecus esse vestitum. Cùmque jam ad sacra agenda ventum esset, mox corde, ore, oculis ad Deum conversis, manibus quoque, non ut quidam faciunt, tamquam volaturi, in sublime porrectis, sed circa se paululùm in modum crucis expansis, tamdiu fixus in Deo manebat quousque ad sacra ligmuda mysteria se aptaret. Iterumque in id ipsum reversus, non tussim, non suspiria, non gemitus emittebat, sed purum cor & ardentem lacrymisque madentem spiritum divinis conspectibus offerebat. Sicut enim sol ardens oceano se immergit ut inde clarior surgat, sic ejus spiritus fervens lacrymarum imbre persusus ante Dei oculos purior emanabat. Deinde peracta Missa, mox sanctum altare linteaminibus aptissimè componebat, ut nihil ejus intectum maneret, nihil foras ex linteamine turpiter prominerct, sed cuncta desuper plana deorsum aequaliter pendentia undique bene parata & pulvere mundata relinqueret, nihilque circum circa eo discedente indecens vel incongruum remaneret. Vestimenta quibus exuebatur, quamquam ministri hinc inde parati assisterent, propriis manibus ipse plicabat; ut & minùs promptos hac sedulitate instrueret, & exemplum aliis daret ne quis, quantislibet occupationibus implicatus, hoc facere recusaret. Haec & his similia vir ille beatus factis magis quàm verbis docebat, quae & hic proferimus, non tantùm ad ejus laudem, quantum ad aliorum instructionem; ut qui haec legerint, discant in minimis quid in maximis debeant imitari. Multa sunt & alia honestatis ac probitatis insignia exemplo conversationis ejus velut quodam speculo designata, quae indocti minùsque devoti facilè spernunt, devoti & eruditi auro cariùs ambiunt, nec inter minima reputant quae non minimum in rebus etiam maximis decorem & utilitatem praestant. Praebent enim legentibus & audientibus ad incitamentum virtutum majorem instructionem quàm si centum aut eo amplius caecos illuminatos totidemque surdos aut mutos sanatos legerent vel audirent; non quòd illi sancto miracula defuerunt, sicut ex paucis quae retulimus, plura quae non memoravimus intelligi possunt. Quia verò de vita & actibus tanti patris multa jam dicta sunt, hic ponere finem placet; ut deinceps quae restant alio incipiantur exordio. Vrget enim tempus, & ratio postulat ut tandem ad ejus obitum stilum vertamus; ut qui vitam ejus imitari aut noluerunt aut nequiverunt, exemplo gloriosae mortis ejus provocentur ad meliora. *Explicit liber secundus.*

Incipit praefatio in tertio libro.

SAtis superque jam diximus de vita & actibus olim praedestinati & suo tempore praesentati domni Stephani primi Obazinensium patris, duobus praecedentibus libellis; non quòd omnia quae de illo dici vel scribi poterant hic censuerimus referenda, sed ut tanti viri conversatio non lateret posteros ad aedificationem, quae, quandiu vixit, multis profuit ad salutem. Diximus superiùs, in procemio libri secundi, quibus ex causis vel quibus praecipientibus hoc tantum opus aggressi fuerimus; quia si hoc nostra auctoritate compegissemus, irridendum esset potiùs quàm scribendum, dignumque meritò cui aures publicae non paterent. Nulla est enim auctoritas monachi absque praecipientis imperio; quod sicut temeritas est praevenire, sic praeterire contemptus; ubi licèt nos ab hoc opere multis modis excusare possemus, tamen hujus rei periculum in Dei ponentes judicio & sancti patris auxilio, ea fiducia qua duos jam libellos utcùmque peregimus, etiam hunc tertium, qualiscunque futurus sit, nos explicaturos speramus; nec tam timemus ejus offensam pro temeritate quàm in illius confidimus gratia pro devotione; ut sicut quondam sanctus Martinus suo Severo adhuc viventi apparens, libellum quem de ejus vita scripserat, dextera praeferebat; sic nobis post transitum in angustiis constitutis occurrat, & hujus scriptionis laborem in statera appendens, deprimentis pondera peccatorum sursum attollat, nosque per Dei misericordiam aeternis suppliciis ereptos perpetuae vitae restituat. Non immeritò tamen beatum Martinum huic praefatiunculae inserendum putavimus, cujus gloriosum transitum in hujus honorabili exitu magna ex parte demonstraturi sumus. Ille enim non in sua sede, sed in Ecclesia procul posita sui juris, pace inter Clericos constituta, ex hoc mundo transivit; hic non in propria, sed in alia sui juris abbatia, Abbate ibi, quo diù caruerat, ordinato, ad Dominum emigravit. Ille media nocte dominica, iste media nocte dominica. Illum monachi & discipuli, istum monachi & discipuli, utrumque innumerabiles populi clamoribus in caelum sublatis communi lamentatione planxerunt, & per longissimos viae circuitus deduxerunt, postque dignas exequias dignis, ut dignum erat, tumulis condiderunt. Vnde nulli, rogo, molestum sit si ipsum transitum latiùs & ut sic dicam minutius descripserimus: quia etsi fastidientibus erit fortassis indignum, devotis tamen & sanctum piè amantibus, quantumcunque prolixum sit, non erit, ut credo, ingratum. *Explicit praefatio.*

Incipit liber tertius.

I. Cùm igitur vir beatus de hoc mundo transiturus esset, una ex abbatiis superiùs memoratis proprio pastore longo jam tempore fuerat destituta; quam visitare cupiens, ut eam legitimè ordinaret, quamquam finem dierum suorum, ut de Martino legitur, imminere non ignoraret, instantibus sollemnibus jejuniis, quando cineres dari solent, cum quibusdam Abbatibus illò profectus est. Cùmque jam de re propter quam venerant tractaretur, & monachi inter se non convenirent ut ex his qui praesentes erant Abbatem assumerent, missum est retro ad monasterium ut inde Prior & alii quidam ad hoc idonei adducerentur. Interim domnus Stephanus ad visitandum Archipresbyterum regionis infirmum rogatus perrexerat; atque inde regressus, corporalem molestiam statim incurrit. Exhausta enim jejuniis membra febris invaserat, quam & labor corporis & frigoris algor intimis medullis paulatim infuderat. Cùmque in crastinum electio pararetur, jam enim advenerant pro quibus fuerat destinatum, porrò ipse tota nocte gravi incommodo teneretur, non tamen tam necessarium opus censuit differendum, ne fortè eo moriente aut penitùs frustraretur aut negligentiùs impleretur. Sed quia eorum capitulo interesse non poterat, Abbati cuidam, qui auctoritate ceteris praeminebat, hanc ordinationem commisit ut quem ipse jam cum consilio fratrum elegerat, ab eodem Abbate pastor ibi statueretur. quod statim absque mora vel contradictione aliqua feliciter est impletum.

II. Exinde vir sanctus morbo invalescente graviùs agere coepit. Propter quod ex communi domo in liberiorem cellam translatus est. Fama quoque aegritudinis ejus cum ubique nuntiis discurrentibus percrebuisset, postquam ad Obazinensium aures pervenit, vehementer omnes afflicti & ultrà quàm credi possit conturbati sunt. Quomodo enim quamvis tutis-

tissimus grex tanto moriente pastore non turbaretur, cum scriptum sit: *Percutiam pastorem, & dispergentur oves*. Multi enim jam non expetita licentia ad ipsum certatim pergebant vel potiùs confluebant, ultimam saltim benedictionem, & si aliud tunc non poterant, lucrantes. Quos ille, ut pius pater, tamquam devotos filios benignè suscipiebat, & singulos quosque benedicens, tactu blandissimo confovebat. Ceteri verò qui remanserant, planctibus & ululatibus perstrepebant, & tamquam finis mundi instaret, omnes penè sua opera reliquerant, & solis fletibus hinc inde vacabant. Et re vera quasi finis mundi quodam modo videbatur adesse eis qui tanto privabantur parente; quia cum quo familiariter ac dulciter vixerant, qualiter post ejus mortem viverent nesciebant. Videres omnes angulos gemitibus impleri, suspiria suspiriis jungi, & communi lamentatione totius loci desolationem ab omnibus deplorari. Velut enim in die parasceve, silentio cuncti vacabant, si quando à lacrymis temperarent. Nullus obviantium solitus erat occursus, nulla salutatio, nulla consolatio erat. Si quando seniores juniores fratres consolari voluissent, statim & ipsi lacrymis complebantur & cum eis pariter concidebant. Per omnes Missas pro ipsius vita generalis oratio percurrebat, & tam publicè quàm privatim nihil aliud petebatur nisi ut grex tutorem non perderet & oves desolatae pastorem, parvuli matrem, filii patrem, Abbatem monachi, discipuli doctorem, locus etiam protectorem, domusque rectorem, & navis jam penè confracta optimum gubernatorem. Haec enim omnia illis semper exstiterat, ut cum Apostolo dicere posset: *Omnibus omnia factus sum ut omnes facerem salvos*. Hoc autem eos duriùs affligebat, quòd cùm fortè nuntium de eo acciperent qui diceret eum desperabiliter aegrotare, facto mane alius veniebat dicens eum melius jam habere; & cùm se quasi ad gaudium praepararent, iterum serò desperationis nuntius veniebat, qui eis omnem spem quam de eo conceperant adimebat. Deus enim, qui omnia potest, qui scit omnia antequam fiant, & qui te diligentibus omnia cooperatur in bonum, sic procuravit ut & pastor optata quiete frueretur & oves non destituerentur nec locus desolaretur, sed potiùs merito boni pastoris ampliori quàm priùs rerum prosperitate & fratrum numerositate polleret. Nam & Dominus noster ante passionem suam discipulis suis dicebat: *Expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, paraclitus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos*. Et scimus quia post passionem ejus discipuli omnesque credentes magis multiplicati ac roborati sunt quàm fuerant toto tempore dominicae praedicationis. Ipse enim in eis operabatur qui antè promiserat dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*. Sic iste sanctus pater praesentior & potentior futurus eis erat post depositionem quos quasi orphanos tunc relinquebat.

III. Cùm ergo idem beatus vi febrium acriùs urgeretur, gaudebat quidem quòd ad desiderata bona transiret, sed dolebat quòd suos desolatos & quasi orbatos relinqueret. Propter quod protensis in caelum oculis ac manibus Dominum deprecabatur ut locum sibi creditum semper illustraret atque protegeret, & ovibus quas per illum hactenus aggregaverat, ipse benignus pastor existeret, & sua eas providentia gubernaret. Astabant ei omnes fratres, praecipuè qui de ejus monasterio venerant, flentes inconsolabiliter ac dicentes: Cur nos pater deseris, aut cui nos desolatos relinquis? Sufficiebat nobis paupertas nostra, ut divitias computaremus quòd te videremus pastorem & gubernatorem animarum nostrarum. Et nunc post te quid faciemus, vel ad quem in tribulatione nostra confugiemus? Porrò ipse in quantum poterat eos consolabatur & instruebat, praecipiens eis ut Deum semper timerent, & ipse eos liberaret ab omni malo. Nam & se ipsum eis dicebat praesentiorem futurum post mortem & cuncta necessaria diligentius provisurum, si tamen illi assiduis precibus obtinerent quatinus ipse aeterna requie frueretur. Cùmque illum rogarent ut fratribus Obazinae, quos orbatos utique relinquebat, ultima salutis mandata dirigeret, ipse nihil aliud eis praecipiebat nisi ut sancti ordinis quem susceperant statuta firmiter custodirent, & sanctae paupertatis atque humilitatis observantiam non desererent, obedientiae quoque ac disciplinae censuram omnibus modis servarent, & ut semper pro se Dominum exorarent. Hoc enim eis tunc promisit, quod nullum unquam legimus promisisse; quia scilicet si tantum pro se Deum rogarent ut salvus fieret, quod ipse omnibus, praecipuè intra monasterium morientibus, aeternam à Domino, confisus de ejus misericordia, obtineret salutem. Propter quod praecipiendo monebat ne à monasterii habitatione ullus unquam discederet, praecipuè sanctimoniales feminas, quae nuper commotionem assumpserant ut pars earum tamquam melius Domino servitura alibi commigraret. Audierant enim, sed falsò, quantum nunc evidenter apparet, omnes quidem quae in praesenti erant inibi permansuras, sed nullas deinceps admittendas. unde quasi perpetuandae, multis & magnis auctoritatibus fultae, alium locum sibimet elegerunt, quem eis ex communi possessione Abbas tunc Geraldus cum consilio fratrum jam delegaverat omnibus tunc bonis repletum, sed post non ita. Qualiter autem vel quibus auctoribus à monasterio recesserint, qualiterque in loco sibi placito conversatae fuerint, vel qualiter post multas egestatis angustias ad monasterium proprium remeaverint, quàmque misericorditer & benignè receptae fuerint, sicut filius ille prodigus qui dissipavit substantiam suam non rectè, hic referendum non est, sed magis quod coepimus explicandum.

IV. Visitantium servum Dei in infirmitate positum finis non erat, cum tamen nonnisi religiosi vel quos devotio traxerat admitterentur. Nonnulli immo quamplurimi cereos deferebant sacro ejus funeri profuturos, omnesque eum non aliter quàm totius patriae tutorem ac provisorem deflebant. Et quia tempus rasurae praeterierat, ipse verò propter infirmitatem radi permissus non fuerat, incumbente jam morte radi se incunctanter praecepit, ut corpus aegrum magis excruciaret, & ad Dominum continuò migraturus novus & coronatus intraret. Quod divino nutu factum non dubitamus, ut saltim ex ejus capillis reliquias haberemus. Cuncti enim diligenter collecti sunt & diligentius reservati, multisque postmodum infirmitatibus profuerunt. Cùmque jam morti evidentiùs propinquaret, ad ipsius petitionem oleo sancto perunctus est, & sacrae communionis perceptione munitus. Exinde post modicum pulsata tabula, omnes undique convenerunt, & letanias cum magno fletu agere coram eo coeperunt; quas ipse quidem frequentiùs repeti faciebat, & cum eis moriens prout poterat decantabat. Cùmque jam penitùs defecisset, apprehensa quidam ejus dextera monasterium omnesque fratres signabat, ipso quantum poterat annitente & benedictionis verba frigescentibus labiis vix tenuiter profundente. Sicque inter benedicendum & orandum sancta illa anima carne soluta est.

V. Igitur venerabilis pater Stephanus migravit ad Dominum VIII. Idus Martii, laetantibus coelis, terris plorantibus, illis pro admisso concive, istis pro amisso pastore. Transiit autem circa mediam noctem, Dominica secunda quadragesimae, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo nono. Corpus ejus ex more compositum & sacerdotalibus indutum quantum noctis supererat in Ecclesia est observatum, omnibus fratribus cum quibusdam Abbatibus qui convenerant devotè astantibus & vigilias cum cereorum apparatu solemniter coram eo agentibus. Manè autem facto, dictis ex more Missis, tractare coeperunt qualiter corpus ejus ad Obazinense monasterium deferretur. Verùm quia inter utrumque monasterium duorum dierum iter erat, quidam velut providi consulebant ut animalia fortia quaererentur, quae ipsum per tanti itineris spatium facilè

baju-

bajularent. Ceteri verò, & praecipuè Abbas loci, contradicebant, asserentes indignum esse ut corpus sanctum & habitaculum quondam spiritus sancti irrationabilium jumentorum veheretur dorsis, dicentes nunquam defuturos qui illud certatim deferrent, dum tamen hoc ipsi à monasterio decenter & cum honore efferrent. Quod dictum cum omnibus placuisset, statim apprehensam sancti corporis glebam cum grandi psallentio exierunt, Abbatibus, monachis, & reliquis fratribus praeeuntibus & subsequentibus cum maxima multitudine Clericorum simul ac laicorum qui ad tanti patris exequias ex diversis locis se convenisse gaudebant. Quia vero illud monasterium in devexo aliquantum loco positum erat, mox ut ad altiora & planiora venerunt, statim omnes pastores regionis illius, pueri pariter & puellae, relictis gregibus, ad sancti funus summa cum festinatione currebant, & sub feretro se ingerentes, velociter in alteram partem transibant. Cumque hoc perpetrassent, iterum sanctificandi hoc ipso aditu remeabant, & cum turbis ambulantibus aliquantulum properabant. Quod videntes ceteri, exemplo puerorum edocti, certatim sese impellentes sub sancti feretro cum impetu transiebant & iterum remeabant. Non tamen frustra & absque fidei suae mercede hoc facere potuerunt. Multi enim sic transeundo diversis infirmatibus liberati sunt, quorum vel nomina vel numerum personarum vel diversitates morborum hic referre onerosum & difficile visum fuit. Quia vero per totum illud iter multa oppida, multi vici extabant, omnes habitatores eorum, utpote feriati dominica die, ad tam gloriosum spectaculum undique concurrebant & gradientium agmini se admiscebant. Per omnes Ecclesias ac monasteria per quae transituri erant, signa ilico omnia concrepabant tam repentino fragore ut putarentur non humana manu pulsari, sed divinitus commoveri. Sacerdotes cum stolis, Clerici cum vestibus albis, monachi decenter ornati cum crucibus & thuribulis obviam sancto corpori longius procedebant, nec absolvendi aut quodlibet officium peragendi ulla erat facultas. Tantus erat crepitus signorum & concursus clamorque turbarum plangentium. Omnis liquidem terra luctibus personabat, aliis qui illum melius noverant desolationem patriae deplorantibus, aliis pro ipso miraculo, cum viderent tam exigui corporis hominem ita glorificari ut praeclarior esset universa terra, mundoque major & caelo ipso altior videretur. Nec solum homines plangebant eum, sed & jumenta. Nam audivi ab his qui viderunt quod jumentum quo sedere consueverat ante tres dies mortis ejus totidemque post mortem multas lacrymas fuderit, quodam modo indicans prius quid esset futurum, & post designans quod erat jam factum. Quid dicam de glorioso ejus corpore, quando pro vili supellectili tam atrociter decertabant, propter quod ad ferendum eum facilis accessus non erat, cum defensores undique cum fustibus imminerent, propter importunè scilicet irruentes & de sancti reliquiis aliquid auferre tentantes. Erat tamen non modica consolatio, summis saltim digitis vel feretrum contigisse. Tunc manifestè clarebat quod Abbas ille vel ceteri dixerant, nunquam scilicet defuturos qui sancti corpus certatim deferrent. Verum ut sciant quanto ardore ejus reliquias ambiebant, quidam ex magnatibus marcam argenti promisit si quis calciamenti ejus sibi corrigiam detulisset. Plures etiam sponte se & ex industria discalceabant, sicque per scopulos & acutissimas petras cum sancto pergentes non absque cruore & vulneribus remeabant. Nec miranda est haec in viris fides, cum mulieres tanta devotione certaverint. Matronae siquidem nobilissimae, relictis thalamis, & deposita feminei sexus verecundia, properantes passim cum viris ad sancti funus ardenter currebant; & quae prius prae teneritudine incedere non valebant, nunc per paludes & quaeque difficilia loca incunctanter pergebant, non pretiosis vestibus deferentes, sed cunctum earum nitorem per lutum traicientes, dum tamquam pro reliquiis ducerent quicquid in sancti obsequiis scissum vel infectum monstrare potuissent; sed & sancti feretrum viriliter apprehendebant, & per multa viarum spatia viris fortius supportabant. Hoc fecit Vicecomitissa terrae illius domina; quae cum magnis & incurabilibus morbis in locis secretioribus teneretur, tantam ex tunc & deinceps virtutem consecuta est ut usque in hodiernum diem sanissima perseveret. Haec summis precibus ambiebat ut in una Ecclesiarum suarum cum sacro funere pernoctaret, quatinus omnem terram illam ad exequias invitaret, & in via expensas omnes praeberet. Quod impetrare non potuit, eo quod fratres ad proximam grangiam, quae in medio itineris posita erat, ad pernoctandum exissent, timentes ne fortè aliquam à muliere violentiam sustinerent. Illa tamen quod ei supererat implere non distulit, panes scilicet vel quaeque necessaria tam hominibus quàm jumentis ad metatum transmittens. Pisces ad hoc sexaginta tantum allati sunt, è quibus ducentis nec minùs viris singuli provenerunt. Porrò vini nonnisi unum vasculum habebat ex his quos geminos portare asinus solet; quod in vase effusum in tantum sancti virtute praevaluit ut quingentos & amplius viros per totam noctem sufficienter potaret, & plurimum in crastinum superesset. Corpus verò non in fratrum habitaculis, sed in amplissima domo quae exteriùs habebatur positum est; ut & plures reciperentur, & devotis mulieribus aditus non vetaretur; quae scilicet domus cùm tota esset lignea & paleis cooperta, deorsum verò ob sancti honorem & adventantium requiem eisdem paleis usque ad genua strata, tantam cereorum ardentium multitudinem continebat ut deforis aspicientibus tamquam rogus ingens exteriùs appareret. quod cunctis mirabilibus mirabilius aestimo, ut inter tantam copiam palearum, inter tot viros dormientes ac semivigilantes, ignis nocere nihil potuerit. Nam & qui vigilabant, sacris excubiis circa sanctum corpus occupati erant, ceteri vero in circuitu eorum semivigilabant aut penitùs dormiebant. Deinde cum jam nox initium daret, omnes Clerici albis, plures sericis cappis induti, primas vigilias sollemniter peregerunt; quibus finitis, ceteri qui remanserant, & qui tunc ex diversis locis convenerant, sicut per totam noctem confluere non cessabant, ad alias vigilias se praeparabant. Sic per totam noctem alternantibus vigiliis, sacrae excubiae non cessabant, ut tam à vocibus Clericorum psallentium quàm ab splendore coruscantium lampadarum ipsa nox diei claritatem ac dignitatem assumeret, sicut scriptum est: *Quia tenebrae non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur*.

Margareta Vicecomitissa Combornensis, sepulta apud Obazinam.

VI. Mane vero surgentes, assumpto sancti corpore ad Obazinense monasterium quantocius properabant. In Tutelensi autem coenobio expectabatur, eo quod Abbas ille & monachi obtinuerant ut in eorum Ecclesia aliquandiu poneretur. Cùmque ibidem appropinquassent, mox signis sonantibus, omnes monachi sollemniter induti cum crucibus & thymiamateriis & cum omni populo obviam sancto corpori longiùs processerunt. Condixerant tamen, ut postea claruit, ut illud violenter in Ecclesia detinerent, aut aliquid pro reliquiis ex eo auferrent. Quod fratres praesentientes, statim illud post factam absolutionem humeris sustulerunt, & retro conversi, via qua venerant redierunt.

VII. Apud Obazinam nonnisi feria secunda illucescente transitus beati viri innotuit. Vnde statim dicta Missa, post primam omnes à minimo usque ad maximum praeeunte cruce cum fletu & ejulatu obviam sancto patri usque ad duo miliaria processerunt, psalmos per totum iter prout in tali discrimine poterant decantantes. Statuerant enim non se nisi cum sancti funere reversuros; & quamquam eos aliqui fratrum à sancto venientium deturbarent & retro ire compellerent dicentes eum vix tandem serò venturum, nunquam potuerunt eos à cepto itinere revocare. Cùmque jam fessi in cujusdam promonto-

rii

rii planitiem devenisset, repente levatis oculis vident cum grandi caterva sancti funeris apparatum à monasterio illo exire & ad se quantocius properare. Advenerat ibi & multitudo nobilium virorum cum aliis innumeris utriusque sexus atque aetatis; quorum plurimi cereos novos detulerant, & adventum sancti cum monachis & cum omni populo accensis luminaribus expectabant. Et ecce dum apparet, dum praesto est, dum tangi potest, tantus repentè clamor exortus est ut putaretur non solum terra sed & caelum aliquatenus commoveri. Fateor, nunquam audivi tam magnam tamque terribilem vociferationem, tam magnum luctum, tantum clamorem, tantam denique insimul lacrymarum effusionem. Quis enim tam ferreum pectus haberet qui videns tot filios circa patrem piissimum lamentantes & defuncti exuvias vacuis spebus ac inanibus amplexantes temperare se à lacrymis posset? Nam & qui in equis advenerant, dimissis habenis ad terram cadebant, eamque lacrymis irrigantes, intolerabiles gemitus profundebant. Iam inter fratres nullus ordo, nulla disciplina, nulla moderatio erat, dum sanctum non jam manibus sed & dentibus quoque appeterent, ipsumque feretrum more freneticorum impatienter morderent. ac nisi defensores obsisterent non minus monachos quàm turbas percutientes ac repellentes, parum minus esset quin eum morsibus totum dilaniassent. Et quia totus sacerdotalibus erat opertus, sola manus osculanda cunctis patebat; quae tamen ita adhuc tepida atque flexibilis erat ut in nullo à viventis alicujus manibus discreparet. Itaque avulsum potius quàm assumptum sancti corpus viae reddiderunt, ad Obazinense monasterium cum omni populo festinantes.

VIII. Ergo cum ad monasterium unà cum eo pervenissemus, venerabilis domnus Geraldus Abbas longè superius memoratus, qui tunc advenerat, cum paucis qui remanserant & cum multis aliis qui convenerant foras ad novum monasterium indutus sacris vestibus expectabat. Videns autem feretrum adesse & sanctum in eo jacere, quem semper videre consueverat in domo vel in opere Domini firmiter stare, cum eum absolvere parat, repentè concidit, & super feretrum velut exanimis corruit. Tunc renovatur luctus omnium, & quasi antè nihil fecissent, non minores quàm in illo monte voces clamoris & ejulatus emittebant. Habet hoc humanus animus ut quamvis fuerit luctu & lacrymis satiatus, postquam alios plorare conspexerit, se à fletu temperare non possit, non cessantibus lacrymis ubi lacrymarum causae non cessant. Tandem Abbas in se reversus, vix quidem absolutionis verba depromere valuit, & beatum virum ut facultas fuit absolvit. Verum quia novum monasterium extra terminos habebatur, idem corpus venerandum propter expectantes populos & praecipuè mulieres usque ad vesperam observabant. Deinde incumbente jam nocte ad Ecclesiam cum psallentio & magno honore defertur, ibique tota nocte illa & sequenti die similiter cum nocte usque in quartam feriam incessabilibus excubiis adservatur; in qua Ecclesia, quandiu ibi fuit, solitus ordo teneri non potuit. tantus erat concursus turbarum vota deferentium, manus & feretrum osculantium, & sub eo saepius transeuntium, dum coram eo tamquam adhuc vivente querelas suas deponerent, ejusque suffragia implorarent. Sed & illis egredientibus, alii subintrabant, & post illos alii atque alii, ut inter intrantium & exeuntium frequentiam nulla requies esset. Quod si aliquis eos prohibere tentasset, credo quod cuncta obstacula violenter effringerent & graviorem ruinam inferrent. Multi sanè infirmi tam ex fratribus monasterii quàm ex confinia turba sanati sunt, alii à contractione, alii à tumore, alii à capitis dolore & diversarum febrium invasione, vel ab ipsa mentis alienatione. Horum nomina vel numerus personarum quae tam ibi vel dormiendo vel sub feretrum transeundo, sive dum tenetur foris, vel per totum iter sanati sunt, colligi non potuerunt ut possent describi, vel propter multitudinem copiosam, vel quia non fuit qui de talibus curam haberet, praesertim cum non esset tunc qui vitam illius describere statueret vel cogitaret. Mansit ita biduo sub excubiis, non propter expectationem populi, sed propter apparatum sepulcri, & ut quidam Abbates longius commanentes saltim ad sepulturam occurrerent, sicut fecerunt. Omnes enim tunc praesentes fuerunt.

IX. Itaque feria quarta hebdomadae secundae quadragesimae, dicta generali Missa, & à cunctis Abbatibus qui ex diversis partibus vel ordinibus venerant facta sollemniter absolutione, (nam Episcopus tunc in illa regione non erat) beati viri corpus in capitulum tumulandum defertur, & in sarcophago lapideo collocatur. Aderant cum fratrum catervis & monachorum agminibus multa milia hominum qui dum cuncta interius exteriusque complerent, ita per claustrum & juxta capitulum conglobati erant ut omnem diurnae lucis splendorem, excepto quod ex cereis fundebatur, obnubilarent & psallentium voces luctuosis clamoribus suffocarent. Eo igitur sic tumulato, stramenta funeris statim direpta sunt & minutatim concisa, singulis prout quisque potuit partes sibi rapientibus, & pro his inter se pertinaciter dimicantibus. Nam & ipsum feretrum serris desectum & ferramentis incisum in minutis partibus est ablatum, ut ipsas quoque minutias à serrae dentibus decidentes in panniculis ligarent & secum auferrent. Tanta erat fides & devotio populi ut nihil quod sancti corpus attigerat à beneficiis vacuum deputaret.

X. His ita peractis, populus omnis abscessit, & monachi circa tumulum congregati psalmos per totam diem, ut mos est in parasceve, usque ad vesperam decantarunt. Sed & cerei ardentes tota die illa & nocte ibibi permanserunt, ita ut usque in hodiernum diem omnibus noctibus aut olei aut cerae aut insimul lumen ibi nunquam deficiat. Nihil horum ex monasterio impenditur, totum à foris ministratur, tam ab his qui ad tumulum devotè ac frequenter occurrunt quam ab his qui multas ibi sanitates percipiunt. Sed & hi qui in domibus suis per invocationem ejus sanantur, candelas suas ibi transmittunt aut per se deferunt, tam ante sanitatem quàm postea, prius poscendo, postea gratias redhibendo. Nec tantum homines pro hominibus deprecantur, sed & pro jumentis sive pecoribus malè habentibus, pro quibus & candelas transmittunt; ut impleatur quod scriptum est: *Homines & jumenta salvabis, Domine*. Nam tamen vel pro eis frustra supplicare noscuntur. Nam & intima statim sanantur, & ruina deinceps non incurrunt. Sed & tempore barbaricae persecutionis, cum hostilis immanitas cuncta circumquaque vastaret, quidam ad eum confugientes & ejus patrocinium referentes, nec rerum amissionem nec captivitatem experti sunt, cum ceteri quique bona simul cuncta amitterent, multi rebus perditis, ipsi in captivitatem hostium devenirent, nonnullis etiam in vinculis & ergastulis positis, ita ut pedes eorum arctissimo constringantur ligno, statim invocatus adest, praecipiens eis ut surgant & lignum quo capti tenentur ipsi trahant, quodque eos tamquam putridum sequitur statim dissolutum. Cumque jam liberi causari coeperint dicentes, Quomodo hinc eximus, Domine, cum cuncta obserata sint, & custodes hinc inde observent, mox ducit eos ad quoddam posticium, & quod vix securibus ac ferramentis excedi poterat, nunc levi manus impulsione facilè dissolvitur, ita ut ipse ducat eos per medias turbas eorum qui se ceperant, nullusque eorum saltim quo pergat interroget, nedum tenere praesumat. Hoc uni ex fratribus nostris ita per omnia contigit, qui nuper defunctus est, propter quam praecipue causam ad conversionem venit, & cum solus hoc modo liberatus non sit, ut multorum testimonio comprobatur, nos tamen eorum quos similiter sancti virtus absolvit nec personas recolimus, nec rei gestae veritatem ab ipsorum ore tam evidenter agnovimus. Tamen cum ad hoc ventum fuerit, quorundam liberationem evidentius proferemus;

mus; ut ex his plures alii intelligantur quos similiter liberatos audivimus, nec tamen recolimus. Nunc de his quae post transitum ejus de eo visa sunt, & quomodo quibusdam saepe apparuit, & apparendo sanitatem praestitit, referendum est.

XI. Quidam frater cum post obitum ejus nimia mœstitudine teneretur, ea ista mœstitia soporato astitit vir beatus in visu, dicens ad eum: Quid habes, frater, quod tanto mœrore deprimeris? Cui ille respondit: Mœsti sumus, inquit, Domine, & vehementer afflicti, quia nos tam cito deserere voluisti, cum posses nobis adhuc diu vivere & monasterium tuum prosperè & feliciter gubernare. Ad quem sanctus, Ergo, inquit, non videor tibi Abbas esse sicut me semper videre consuevisti? Cui frater: Verè si Abbas noster es, ut quid modo alium in sede tua videmus? Tum sanctus jocundo ore & quasi subridens ita illi respondit: Ego vos propter Abbatem illum non deserui nec desero, sed etiam quocumque ille perrexerit, ego semper vobiscum permaneo.

XII. Domnus Rotbertus Abbas tunc de Frainedia, qui tertia post ordinatione nostro monasterio praefuit, cum peracta sepultura ejusdem sanctissimi patris in refectorio cum fratribus ad mensam sederet, ut in tali eventu accidere solet, taedio ac mœrore oppressus paululum obdormivit. Cui repentè apparuerunt duo fratres nostri qui ante aliquot annos obierant, unus Sacerdos, alter Diaconus, olim nobis familiariter noti, sancti atque religiosi: qui cum causas mœstitiae ejus hilari vultu requirerent, & ille decessum viri sancti & communem orbitatem lacrymabiliter prosequeretur, dicunt ei: Scias, Domine, quia quanta est apud vos de ejus abscessu tristitia, tanta est de ipsius praesentia apud nos ubique laetitia.

XIII. Alius frater, laicus quidem, sed vir simplex & innocens, virum sanctum singulariter diligebat, atque ab ipso unicè amabatur. Hic cum ad vigilias die quadam dominica ante alios surgeret, ac juxta claustrum monachorum, sicut mos est, transiret, audivit voces psallentium veluti processionem agentium monachorum; inter quas viri Dei vox, velut processionem ipsam regentis, clarius ac robustius personabat. Et quia idem claustrum, utpote nocturnis horis, obseratum erat, festinanter ad Ecclesiam perrexit, ut inde commodius psallentium voces audiret & virum Dei, si fieri posset, in sua sede stantem videret. Sed cum intrasset, voces illae conticuerunt & ultra audiri non potuerunt. Unde manifestum est tam ex piorum visione quàm ex istius certo auditu virum Dei huic loco nunquam deesse & tam in Ecclesia quàm in claustro, nobis licèt dormientibus, divinae laudis officia decantare.

XIV. Quidam frater juvenis ac robustus carrucis boum praeerat, qui vel propter oneris sublevationem vel propter aliud quid rupturam incurrit, ita ut fieret ponderosus vel, ut dicitur manifestius, herniosus. Cumque pondus ipsum super inguinem prominerет ac de die in diem magis magisque succresceret, cœpit frater ille incessu gravari & animo contabescere, cum rem ipsam prodere erubesceret, & propter magnitudinem mali dissimulare non posset. Verum quia tale incommodum absque incisione curari non valet, quae olim in nostro ordine interdicta fuit, amplius ex hoc anxiabatur; quia & infirmitas illum gravabat, & medendi spes nulla erat. Quapropter humano destitutus, ad divinum confugit auxilium, sanctumque patrem Stephanum tumulo ejus crebrius advolutus assiduè precabatur ut sibi in tanta afflictione posito salutari remedio subveniret. Quadam igitur nocte ei vir sanctus apparuit, & cur se tot clamoribus fatigaret, vel quam ob causam ita mœstus maneret, tamquam inscius requirere cœpit. Qui cum ei omnem passionem suam exposuisset, talem ab eo consolationem accepit: Noli fili, inquit, nimium mœstus esse pro hac incommoditate. in proximo est enim ut à Deo cureris. Evigilans autem frater nihil quidem remedii sibi provenisse deprehendit; quia tamen virum Dei videre meruit & pro hac ejus consolatione non mediocriter laetabatur. Post non multum vero temporis iterum ei modo quo prius apparuit, inquirens ab eo quomodo se haberet. Ille vero visitationi quidem ejus gratias agit, & tamen adhuc in nullo adjutum se fore respondet. Tunc sanctus divino nutu prominentem strumam salubri tactu compressam ac velut in sese refusam perfectè sanavit, eique dixit: Surge, & amplius noli vacare, sed opus tibi injunctum strenuè adimplere stude. Ad hanc vocem statim expergefactus surrexit, & tacto infirmitatis loco, ita se exterius complanatum & interius solidatum reperit ac si nihil unquam tale perpessus fuisset. Hoc ego ab ipsius Abbatis nostri ore nuper audivi, ut frater qui dudum vultu pallidus ac morituro similis apparebat, nunc fortis & alacer opus suum validius exsequatur.

XV. Sanctimonialibus quoque feminis infirmantibus nonnunquam apparet, maxime cum aliqua ex his in extremis posita jacet. Nuper mihi quædam retulit quòd cùm aliqua ex sororibus in extremis esset, omnesque eam more solito circumstarent, dictis letaniis & psalmis, cum ipsa adhuc superesset, omnes ad stratus suos redierunt; cumque & ipsa quæ hæc referebat sese discalcians collocare vellet, & tamen pro sorore illa sollicita esset, repentè vir sanctus ante lectum ejus astitit, eique dixit: Surge quantocius, quia soror illa modo recedit. Quo dicto, mox tabulæ sonus increpuit, & soror illa ceteris congregatis & orantibus in pace quievit.

XVI. Alio quoque tempore una ex infirmantibus, incumbente jam nocte, quibusdam sororibus pro expectatione mortis ad custodiendum tradita est. Sed cùm eam ipsa nocte mori non crederent, paulatim custodiam remiserunt, & circa lectum ejus omnes ad dormiendum se composuerunt. Circa medium vero noctis sollicitus pater sanctus cuidam in dormitorio, nescio utrum dormienti an vigilanti, apparuit, eique ut surgeret imperavit. Illa verò pigritante ac differente, stramenta ei avellere cœpit, eique dixit: Surge velociter, & candelam accende, ac cinerem sterne, quia soror illa continuo est moritura. Mox illa turbata surrexit, & cum se tenebris circumseptam videret, dixit: Et quomodo possum, Domine, candelam accendere, quia lumen dormitorii modo extinctum est, & nescio ubi ignem reperiam? Cui ille: Vade, inquit, ad coquinam, & ibi sufficienter invenies. Perrexit illa ad coquinam, sed nihil ignis ibi reperit præter unam scintillam, quæ tam modica erat ut nec tenuissimi flatus impetum sustineret; & cum eam, ne ex toto extingueret, insufflare, penitus non auderet, subito, ac si ex paleis accensis, flamma copiosa surrexit, unde non absque admiratione candela accensa, mox ad infirmitorium cucurrit, & sororem illam jam in extremis agentem ejusque custodes circa eam dormientes invenit. Quibus excitatis, statim cum eis, ut sibi fuerat imperatum, cinerem stravit ac benedixit, & sororem illam desuper imposuit, tabulamque percussit; ad cujus sonitum omnibus congregatis, postquam sufficienter oratum est, illa spiritum exhalavit.

XVII. Nonnullas quoque in infirmitorio negligentiùs residentes ad Ecclesiam ire compellit, maximè cum sancta mysteria percipere habent. Quod si de lecto surgere nequeant, qualiter vel quibus adminiculis ibi deferantur docet, sicut nuper quandam de hac re per visionem sufficienter instruxit. Noluit eis ullam occasionem relinquere ut aliquis ad illas vel in extremis quidem ingrediatur; ut agnoscas eum curam quam de eis vivens habuerat non deposuisse post mortem. Quasdam etiam gravissimis doloribus ex nimio languore vexatas apparendo sive tangendo curat: ita ut repentè de lecto surgant quæ prius ne jacere quidem poterant, & clamosis vocibus ceteras conturbabant. quod hoc manifestè probatur exemplo. Quædam soror, quam bene ipse cognovi, sed nomen excidit, cum in medio domus deambularet, li-

lignum ex alto cadens ſuper eam venit, ejuſque crus valde contrivit; ex quo caſu ſolo dejecta, cum penè extra ſe eſſet, accurrentes undique ſorores, eamque ſago imponentes, vix inter manus ad infirmitorium detulerunt. Poſt paululum in ſe reverſa, cum jam quid pateretur gravius perſentiret, immenſos clamores edere cœpit, quos extorquebat nimia vis doloris. Sanè inter ipſos clamores domnum Stephanum ſæpius inclamabat, & ut ſibi auxiliaretur magnis vocibus implorabat. Circa mediam vero noctem, cum ſorores per circuitum obdormirent, ipſa enim prae nimio dolore dormire non poterat, adeſt continuo pater Stephanus, quem ſequebatur juvenis monachi habitum gerens; apprehenſaque tibia ejus quæ patiebatur, cum eam una manu à parte pedis, alia à ſuperiori parte trahere cœpiſſet, tantum ei dolorem incuſſit ut clamore in altum ſublato, omnes per circuitum ſorores evigilarent. quibus undique concurrentibus, vir ſanctus diſparuit; & quem prius infirma videre & ſentire poterat, videri ultra non potuit. Illa tamen, quia tempus loquendi non erat, innuit eis manu ut abirent, ſeque jam bene habentem quieſcere modicum ſinerent. Diluculo autem convocatis ſororibus, retulit eis qualiter ſanctus illa nocte præmiſſo dolore ſe ſanaviſſet, ita ut poſt paululum de lecto ſana conſurgens nullum in ſe præteritæ confractionis indicium demonſtraret.

XVIII. Eulogia quædam ſoror graviter infirmabatur, ita ut de lecto ſurgere vel in quamlibet partem ſe vertere abſque adminiculo non valeret. Una autem die circa veſperam, cum nimiis doloribus teneretur, ſoror aliqua ante lectum ejus caſu tranſibat; ad quam illa protenſis manibus non abſque lacrymis ſupplicabat ut ſe pro Deo paululum adjuvaret, quo ægrum corpus lateris mutatione aliquantulum relevaret. Illa vero, quia tota die circa alias laboraverat, felle commota, inter cetera probra quæ ei tunc intulit, hoc etiam ſibi ipſi imprecavit dicens: Manus & pes mihi areſcant ſi tibi nunc auxilium feram. Et hæc dicens permanſit. Nocte igitur inſecuta, cum poſt ſomnum de lecto ſurgens alicubi pergere vellet, jamque aliquantum progreſſa eſſet, ſicut tunc erat ſaniſſima & omnibus membris incolumis, repentè ſibi pedem gravari perſenſit; arreptaque manu ſponda lectuli ad quem tunc fortè devenerat, ut ſaltem nitendo pergere poſſet, ſtatim & ipſam ſimilis morbus occupat & inutilem reddit. Tunc ſolo dejecta, cum una manu & pede quæ ſibi reſtabant prout poterat ſeſe per terram trahebat, ita ut accurrentes ſibi ſorores & caſum ejus miſerantes vix eam ad infirmitorium deferrent & præparato lectulo collocarent. Deinde poſt modicum cunctis ad propria ſtrata redeuntibus, illam ſolam remanſiſſe ſe cernens, elevatis ſurſum oculis ingemiſcebat ad Dominum, & ſanctum patrem Stephanum cum magno cordis gemitu invocabat ut ſibi in tanta calamitate poſitæ ſubveniret. Adeſt continuo vigilanti & deprecanti pater ſanctus, torvoque eam vultu reſpiciens, ait: Bene tibi contigit, miſera, ſicut meruiſti. Scias enim tibi hoc ideo eveniſſe quod ſororem illam heſterna die te deprecantem deſpexiſti, eique auxiliari noluiſti, inſuper & maledicto peſſimo te obligaſti quod te tunc juſtè juxta tuum meritum apprehendit; ac niſi pro te interveniſſemus, non quidem talia patereris, ſed morte ſubita morereris. Sed & hoc ſcire te convenit, quia quamdiu vixeris, nunquam hac paſſione carebis. Unde ceteris ſororibus ex noſtra parte dicere ne cuncteris, ut tuo exemplo commonitæ ſorores infirmantes non deſpiciant, ſed eis juxta poſſibilitatem ſuam deſerviant, ne deterius eis contingat. Hæc dicens ab oculis ejus ſublatus eſt. Mane vero facto, cum ad viſitandam ægram ſorores rediſſent, eamque conſolari niterentur & ſanitatis remedia polliceri, illa reſpondit: Nequaquam ita erit ut dicitis, aliter enim diſpoſitum eſt à Domino Deo. Tunc retulit eis qualiter domnum Stephanum illa nocte vidiſſet, & quæ ſibi dixiſſet, quæque aliis dicenda mandaſſet. Atque ita factum eſt ut primum quidem Eulogia ſoror de hac vita migraret, ac deinde ſoror iſta, nulla alia interveniente, ſecuta eſt. Verum quia ſuperius diximus plures à carceribus & vinculis ejus patrocinio liberatos, è quibus aliquantos nos hic referre promiſimus, nunc quod promiſimus exſequamur.

XIX. Vir quidam ſecularis ultra Dordoniæ fluvium commanens virum Dei familiariter diligebat, & tam ab ipſo quàm à fratribus propter fidei ejus devotionem & impenſa ab eo crebrius beneficia non minori affectu diligebatur. Hic poſt tranſitum ejus à malignis captus, vinculis & compedibus mancipatus eſt, & propter multas quas habere credebatur pecunias ſub ſtricta cuſtodia ſervabatur. Quod cum fratribus noſtris nuntiatum eſſet, vehementer afflicti ſunt, & tam per ſe quàm per amicos rogare cœperunt eos qui vinctum tenebant ut eis ſuum confratrem, quem iniquè ceperant, accepta ab eo ratione dimitterent; & nihil proficere potuerunt, ſed aſperiores magis fecerunt. Porro vir ille captivus, cum ſe à nullo hominum juvari poſſe conſpiceret, ſuum quondam amicum, nunc vero patronum, domnum Stephanum precibus, non pedibus, adiit, cum multis cum gemitibus orans ut ſi quid apud Deum poſſet, ſuis nunc precibus ſe liberaret. Deinde ex multa fatigatione triſtitia ſoporatus aſſiſtere ſibi vidit eundem almificum patrem velut increpantem ſe ac dicentem: Quid hic ſedes, cum domus tuæ opera negligantur & res familiaris depereat? Cui ille reſpondit: Et non vides, inquit, Domine, quam diſtrictè ligatus & compeditus hic teneor & erumpere nequeo? Ad quem ſanctus repetito ſermone iterum dixit: Vade ſecurus nihil hæſitans, quia non tibi nocebunt vincula iſta quæ tu formidas. Ad hanc vocem confeſtim ille evigilavit; & cum ſe erigere tentat, cuncta repentè vincula de ejus manibus & pedibus ceciderunt, ita ut ſurgere conatus iterum caderet præ ſtupore. habebat enim tibias à compedibus demolitas. Poſtea vero ſurgens cogitabat inter ſe quid ageret, cum egredi nimirum formidaret, quia cuſtodes undique obſervabant, & qui eum ceperant, foras per publicum ferè omnes aſtabant. Vicit tamen fides patroni, ita ut per medios cuſtodes & captivatores ſuos, cum aliunde exitus non pateret, liber ad propria remearet, à nullo hominum quo tenderet interrogatus, nedum detentus.

XX. Hujus quoque filius ſimili ſorte nuper captus, ligatis manibus & pedibus in anguſtum eſt dolium intruſus, quod erat ab una fronte quidem apertum, ita ut eo introducto artiſſimè clauderetur ac ſi vinum in eo, non homo, adſervaretur. In tantis ergo anguſtiis poſitus, cum de vita jam deſperaret, tandem recordatus domni Stephani, de quo multa audierat, ſed nunquam eum aliquando viderat, ad ejus ſtatim confugit auxilium, multis clamoribus & ſuſpiriis deprecans ut ſicut quondam patrem ſuum à vinculis eripuerat, ita nunc ad liberandum ſe quantocius feſtinaret. Hæc cum intra ſemetipſum lacrymabiliter volveret, cunctis repentè vinculis abſolutus eſt, excepto quod intra dolium tenebatur incluſus. Cumque ad viſitandum & redimendum eum amici & conſanguinei convenirent, productus foras, cum ſolutum illum cuſtodes cernerent, vehementer commoti fortioribus eum vinculis ligaverunt & in dolium iterum retruſerunt, ita ut inter frontem dolii & trabem domus ligna fortiter impingentia coartarent, ne aliquo fortè impulſu moveri poſſent. Nec tamen eis aliquid profuit malitia ſua. Mox enim ut pii liberatoris auxilium imploravit, iterata vice cuncta ei ligamina repente diſſoluta ſunt, cum tamen liberatorem ſuum in his omnibus non videret. Deinde protenſis manibus, cum ſuperiorem dolii frontem leniter contigiſſet, cuncta quæ ei impacta fuerant ligna ad terram ſubito ceciderunt, ipſo dolio in partibus ſciſſo, ita ut ac ſi pullus effracto ovo, ſic ille dirupto vaſculo liberatus foras proſiliret. Atque ut moram non faciamus in tanta feſtinatione auxilii, quemadmodum pater ejus olim fecerat, ſic ille præſentibus & videntibus inimicis liber abſceſſit, in tantum ut eo præter-

gressu mirarentur & dicerent: Nonne iste est quem tantopere vinctum adservabamus? Et quomodo eum nunc exeuntem nobis coram positis abire dimisimus? Verè quia hunc virtus absolvit divina, & nos non potuimus adversus eum. Hic ergo suo liberatori vota persolvens, die festo nativitatis sanctae Mariae ad tumulum ejus devotus accessit, nobisque pro tanti diei sollemnitate in capitulo congregatis quomodo liberatus fuerit jussus exposuit, & suae liberationis quot auditores habuit, tot sibi testes fideles ascivit.

XXI. Alter quidam rusticus in regione eadem captus fuit à duobus fratribus qui ductores erant latronum, ad hoc tantum ut pecuniae collatione sese redimeret; quem unus ante se vinctum ducebat vel potius impellebat, alter sequebatur post eos, uterque stipatus non modica turba latronum. Ergo cum se vinctum trahi doleret, ingemuit, ita ut magis cruciaretur pro timore & expectatione futurorum quam pro his quae in praesenti patiebatur. Videbat enim nullam sibi fore spem evadendi, tamquam si ovis inter lupos teneretur captiva. Tandem concepta spe aliquanta, mox ad Dei confugit auxilium; & recordatus domni Stephani, exemplo duorum supradictorum quos audierat liberatos, quia voce non poterat nec audebat, totis eum praecordiis invocabat ut sibi in tanto discrimine posito subveniret. Cumque haec suspiriis magis quàm verbis exprimeret, mox ei vincula de manibus ceciderunt, ac si eum aliquis repentè solvisset; & sic concepta miro modo abeundi fiducia, coepit ab itinere in alteram partem abire ac si ab aliquo traheretur, ita ut liber & absolutus ad propria remearet, nullo se requirente vel subsequente. Hoc modo à captivitate solutus, ereptori suo gratiarum munus exsolvit, testes habens suae salvationis etiam eos qui se ceperant, & abeuntem prosequi non audebant.

XXII. Nuper venit quidam ad sancti sepulcrum; factaque oratione & posito cereo, cum à loco egressus fuisset, tuli eum in partem, interrogans quis aut unde esset vel ob quam causam tumulum sancti expetivisset. Tunc ille ait: Fuimus capti ego & alii quatuor in castello Galniacensi, quod est ultra Dordoniam, pedibus singulorum arctissimè simul in una trabe constrictis: in quo ergastulo cum nihil cibi aut panis jam per quatuor dies penitus gustassemus, inedia simul ac dolore constrictus, sanctum patrem Stephanum, de quo multa audieram, intimo cordis rugitu orare coepi ut nos ab his vinculis suis meritis & precibus liberaret. Cumque hoc mecum volverem, velut in extasim raptus, nec plenè vigilans, nec perfectè dormiens, vidi reverentissimum quendam in religioso habitu carcerem introire cum uno monacho juvenilis aetatis; qui cum me interrogasset quomodo essem, vel quid ab eo tanto gemitu postularem, dixi ei: Domine, vides in quanta afflictione & calamitate detenti sumus; unde precamur ut si quid potes, adjuves nos misertus nostri. Tunc ille dixit: Si ergo vis cum sociis liberari, apprehende quantocius clavum ligneum quo cippus strictus tenetur, & mox dissolvetur, statimque surgens cum eis egredimini, & pergite ubicunque vos tutare possitis. Ad hanc vocem extemplo evigilavi, & ipse evanuit ab oculis meis. Statimque apprehensum clavum levi motu extraxi, & mox trabes illa ita soluta est ac si nunquam astricta fuisset. Surgens autem, socios leniter excitavi, monens ut cautè surgerent, ne quis fortè evigilaret. Erat enim circa mediam noctem, nec minus immo amplius timebamus soluti quàm antea vincti; quia & custodes intus ante ostium dormiebant, nec poteramus nisi per eos transire, & ipsum ostium ita ex industria erat compactum quod nisi cum magno fragore aperiri posset. Tandem, ut dici vulgariter solet, mittentes cor in periculum & animum fiducia roborantes, in ejus fide qui eos jam solverat, & custodes transierunt, & aperto ostio exierunt, nullo eos audiente vel sentiente, sicque reliquum noctis spatium iter agendo conficientes, in ipso crepusculo ad Castrum novum, quod duobus ferè milibus aberat, pervenerunt, ibique salvati sunt. Nunc qualiter quibusdam in rebus perditis opitulatus sit, referamus.

XXIII. Frater quidam nummos quos sibi commendatos habebat perdidit, sic tamen ut furatos esse ab aliquo non dubitaret; sed cum ex hoc nullum nominatim accusare auderet, duo ex his qui instituebantur adolescentes hujus furti naevo tamquam auctores aut conscij specialiter notabantur; qui tamen tanta pertinacia cum terribilibus sacramentis hoc denegabant ut nullus de eis vel suspicionem habere posset. Quapropter is qui perdiderat omni undaginis spe destitutus, ad sancti patris merita convolavit, offerens candelam ad tumulum ejus, & cum fiducia deprecans ut sibi de hac re certum à Domino indicium obtineret, auctoribus furti detectis. E vestigio unus ex praefatis juvenibus febre correptus, atque ad extrema perductus, cum anxiè quaereret cui secreta cordis confiteretur, antequam ille veniret, ille obmutuit. Deinde miserante Deo circa mediam noctem loquendi usu recuperato, astanti sibi jam sacerdoti confessus est quod nummos illos qui quaerebantur, ejus socius se conscio furatos haberet. Haec cum dixisset, accepta poenitentia post non multum horarum spatium expiravit. Cumque ad alium ventum esset, & ille nec socij jam defuncti testimonio proditus confiteri vellet, sed magis pertinaciter denegaret, statim validissima febre correptus, cum similiter mori timeret, non solum illos de quibus accusabatur, sed multo plures alios solidos se furatos habere proprij oris confessione testatus est. Ita vir sanctus de utroque congruè judicavit, ut ille prior, qui minus fortè peccaverat, de hac vita protinus raperetur, ne vivens in deterius mutaretur, & sequens ad poenitentiam servaretur, ne moriens pro his & aliis furtis ad aeterna supplicia raperetur.

XXIV. Quidam Presbyter Ecclesiae sancti Hilarij, quae in prospectu nostri monasterij uno ferè miliario sita est, dum aliquando circa sextam horam pranderet, fur ingressus Ecclesiam, arcam ipsius quibusdam machinationibus clam aperuit; itdeque ducentis ferè solidis cum aliis quibusdam rebus abstractis, latenter nullo sentiente aufugit. Presbyter post cibum Ecclesiam casu ingressus, cum arcam effractam & solidos furatos invenit, tanto dolore & tristitia repletus fuit ut penè sensum amitteret. Nullum enim indicium quis hoc fecisset poterat inveniri. Tandem in se reversus, consilio amicorum nostrum monasterium expetivit, ut à sancto patre Stephano aliquod hujus tantae calamitatis remedium impetraret. Denique ad ejus tumbam accenso cereo discalciatis pedibus provolutus, tanto gemitu tantisque suspiriis querelas suas deposuit, quantum nec pro gravissimis certè peccatis affligi posset. Inde concepta aliquanta fiducia foras egressus, cùm eum prout in tali discrimine opus erat consolaremur, post duarum aut trium horarum spatium nuntius ab Ecclesia directus concito cursu ad eum pervenit, furemque detentum cum solidis vel ceteris quae furatus fuerat nuntiavit. Quo audito, quanto gaudio tripudiaverit, non est nostrum evolvere, cùm in illo impleri visum sit quod ait Propheta: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuae laetificaverunt animam meam*. Cùmque diligenter inquireret qua hora fur inventus fuisset, ipsam eandemque reperit qua sancti patrocinium fideliter expetivit.

XXV. Quidam paterfamilias geminos boves habebat, quos tum propter agriculturam, tum quia proceritate & fortitudine praeeminebant, satis caros habebat. Accidit autem ut lues animalium totam illam regionem longè latèque vastaret, ita ut curtes rusticorum penè omnes animalibus vacuae remanerent. Cùm autem quadam die praefatus homo boves ipsos vacillari conspiceret, timens ne ima domum morerentur, praecepit uxori suae ut ipsos longè proiceret, ne sua contagione animalia quae necdum incurrerant viciarent. Cui illa respondit: Nequaquam, Domine, hoc faciamus, sed potiùs statuaria eis facientes, ceraque operientes, sancto patri Stepha-

phano dirigamus. potest enim, si voluerit, & illos salvare, & alios ab omni periculo immunes servare. Placuit viro prudentis consilium mulieris, ipsoque mox boves à frontibus & à tergo funibus circumducens, ceraque operiens, monasterio destinavit ad sancti sepulcrum arsuros. Quod cum factum fuisset, non solum boves illi repentè salvati sunt, sed & cetera animalia, juxta quod mulier fidelis promiserat, ex tunc & deinceps illaesa manserunt.

XXVI. Post paucos annos jam per terram illam animalibus restitutis, quidam miles ex his qui praedas exercere solent, cùm ad ludos quos majores vocant multa perdidisset, contracta damna ex depraedatione multorum cupiens reformare, cuncta circumquaque dispiciens, etiam boves illos cum multa praeda captos secum abduxit. Cùmque supradictus vir circa vesperam domum reverteretur, agnito quòd boves illius capti fuissent, mox se ad terram dedit, cum multa vociferatione clamans & dicens: Heu mi domne Stephane pater, quomodo perdidi boves meos quos antè salvasti, & quos tuae commiseram fideli protectioni? sed qui illos salvare potuisti ne morerentur, quomodo nunc salvare noluisti ne raperentur? Certè si illos mihi non restitueris, nunquam pro eis deinceps consueta vota persolvam. singulis siquidem annis statuaria illa mittebat. Haec cum dixisset, ecce boves illi repentè è media praeda sese abripientes, & mutuo sese impellentes, cum tanta celeritate, nullo cunctante, domum revertebantur ac si retro multis minantibus urgerentur, cum eos ex praedonibus illis nullus retinere vel insequi potuisset. Non est tamen dubium illius fuisse virtute reductos cujus suffragium super eos imploratum fuisset.

XXVII. Idem vir cum postmodum quartana febre vehementius urgeretur, & accitus medicus potionem ei dare vellet qua morbum depelleret, uxor ejus non adquievit dicens ad virum: Non est aequum, Domine, ut qui jamdudum praeventus es sancti virtute, carnalem modo recipias medicinam. Quin potius accede fideliter ad ejus sepulcrum, & ille orans tibi optatam tribuet sanitatem. Hoc iste audiens, prudenti consilio adquievit, & cum aliquibus viris die qua febris imminens accessura erat, ad monasterium, quod duobus ferè milibus aberat, veniebat: cumque jam in medio itinere juxta domum in qua lapides caedebantur, & fratres ibi manebant, transiret, subito à febre correptus, solo incubuit, & tam graviter vexari coepit ut putaretur continuo moriturus. Denique vocatis fratribus in auxilium, tam à suis quàm ab illis ad eorum domum tanquam funus deportatus est & lectulo collocatus. Cumque jam, fratribus recedentibus, ipse in quadam agonia maneret, vidit repentè domnum Stephanum sacris vestibus indutum cum quibusdam albis monachis ad se venientem. Qui cùm lectulo jacentis unà cum sociis illis assisteret, aspergens eum aqua benedicta, & dicens ea quae super infirmos dici solent, ita eum perfectae reddidit sanitati ut ex tunc & deinceps sanissimus perseveret. Nam continuò viro Dei non comparente, vocatis fratribus, quae sibi contigerant plenius enarravit; moxque cibo quem ex multis diebus exhorruerat avidè sumpto, sanus recessit qui fuerat jam vivus allatus. Hoc ego ab illius ore audivi.

XXVIII. Petrus de Pleus sacerdos, vir honestate & genere clarus, oculorum dolorem incurrit; qui paulatim accrescens, totum caput ac deinde corpus ex integro occupavit. Itaque de vita diffidens, recordatus domni Stephani alumni quondam sui & cari amici, dato cereo puerum misit, praecipiens ei ut ad tumulum sancti velociter pergeret, atque ibi pro sua salute Dei misericordiam cum ipsius meritis imploraret. Quod ita factum est. si quidem ipsa hora dominus ejus ab infirmitate convaluit, ita ut manè diluculo de lecto consurgens ad Ecclesiam pergeret, & Missarum sollemniis interesset. erat enim festum Purificationis quod dicitur Ypapanti Domini. Sed quia ad referendas gratias ire neglexit, redivivus dolor, quo jam sanatus fuerat, tamdiu oculos ejus attrivit quousque tumulum sancti per se ipsum expetiit; sicque post aliquot dies laetus & incolumis ad propria remeavit.

XXIX. Mulier quaedam vidua ultra Dordoniam commanens oculorum lumen amisit, & per continuum annum caeca permansit. Audiens autem de virtutibus domni Stephani, cum ad eum ire non posset, de loco suo, ut scriptum est, assiduis Dominum precibus exorabat ut sancti illius piis ac vivacibus meritis necessarium lumen recuperaret, quod mulis suis meritis justè amiserat. Hoc cùm per biduum fideliter postularet, oculorum lumen recepit, ita ut videret clarè omnia. Sciens autem quòd nulla unquam femina monasterium ejus ingrederetur, & quia periculosum ei erat tanti itineris spatium peragrare, puerum suum ad locum direxit candelam manu gestantem; qui in ipsa vigilia Purificationis cum puero jam dicti sacerdotis occurrens, simul cum eo ad sancti sepulcrum accessit, quae detulerat obtulit, scilicet lumen pro lumine, grates pro sanitate. Atque ita factum est ut crastino cunctis in capitulo congregatis utriusque deprecatio sit allata, illius pro adipiscenda salute sui domini postulantis, illius pro adepta sanitate dominae suae gratias referentis.

XXX. Quaedam nihilominus vidua in territorio Turennensis castri manebat, quae se & sua domno Stephano olim commiserat, nihil habens unde viveret, excepto quod propriis laborando manibus adquisisset. Unus autem de servientibus Vicecomitis, dum redditus coquinales de singulis mansis levaret, venit ad eam similia exacturus, cùm illa diceret nihil se exercere de terra unde aliquid reddere teneretur, nec quicquam victualium possidere, nisi quantum proxima aestate metendo vel spicas legendo in agris collegerat alienis. Cumque idem exactor hoc ipsum modicum sacco reconditum cum paucis gallinis tulisset, illa cum lacrymis partim supplicando, partim interminando, quantum poterat obsistebat ne victum suum iniquè auferret, & se manere dimitteret fame forsitan perituram. Quam ille non solum audire contempsit, sed insuper calcibus tundens, cum his quae abstulerat, via qua venerat redibat. Tunc misera mulier solo dejecta, protensis in coelum palmis, Deum judicem viduarum & sanctum patrem Stephanum luctuosis vocibus inclamabat ut si aliud obtinere non posset, vindictam saltim ad consolationem de malefactore reciperet. Nec mora, exaudita est oratio ejus. Mox namque iniquissimum illum adhuc in itinere positum vehemens capitis dolor invasit cum validissima febre & mentis alienatione, ita ut capite & toto corpore tumescente vix ad proximam deveneerit mansionem; unde sublatus & ad propria deportatus, post non multum horarum spatium absque viatico & aliquo salutis remedio expiravit.

XXXI. Alia quoque vidua quodam loco juxta possessionem nostram manebat, habens unum porculum, qui mox in domo progrederetur, in sata fratrum currebat, nullo clausurae munimine circumsepta, cum jam spicae inciperent germinare, inde frequenter ejectus, cum se liberum cerneret, mox ibi recurrebat, ut praefata mulier pene aliud agere non valeret quàm illum jugiter custodire & ab alienis agris vetare. Cumque illum vendere cogitaret, ne assiduam laesionem inferret . . . .

Desunt pauca quae legi non possunt absque magno labore, & non sunt magni momenti.

Incipit Tractatus de conversione Pontij de Larazio, & exordij Salvaniensis monasterij vera narratio. Auctore Hugone Francigena monacho ejusdem monasterij.

IN nomine sanctae & individuae Trinitatis unius verae & summae sempiternaeque & ineffabilis deitatis patris & filij & spiritus sancti. Ego frater Hu-

go omnium minimus monachorum pro capacitate ſenſus mei & ingenij modulo qualicunque ſtili officio referre curavi monaſterij noſtri, videlicet Salvanienſis caenobij, prima principia, & quaſi infantiae ipſius prima cunabula ad memoriam ſtudui revocare, qualiterque cura caeleſtis gratiae, velut bonae nutricis ſtudio diligentiaque, in virile robur excreverit, & in ipſum ſtatum, quem modò habere decernitur, protegente Deo pervenerit, conatus ſum litterarum tradere monumentis ad honorem & gloriam & laudem illius qui de minimis magna facere conſuevit, qui de quinque panibus quinque milia hominum ſaciavit, immo qui in principio mundi de nihilo cuncta creavit ad memoriam etiam futurorum, quatenus cognoſcat ſucceſſionis noſtrae poſteritas omnis à qualibus quantiſque patribus religio domus noſtrae ſumpſerit exordium, ut bonae arboris generoſa radice cognita, ſecundum generis ſui ſpeciem fructus afferre ſtudeant qui maneant ſemper immarceſcibiles ad teſtimonium & laudem & gloriam arboris hujus pulcherrimae, videlicet Salvanienſis Eccleſiae matris noſtrae, quam ab initio caeleſtis agricolae manus tamquam humile virgultum ſemper excoluit & excolere ſemper non deſinit, incrementum ei tribuens & augmentum, irrigans eam plurimis beneficijs tamquam caeleſtibus pluviis cujus ſtudio diligenti atque inter cetera ligna ſilvarum jam in tantum cacumen extulit ut operiat montes umbra ejus; in qua ſpirituales animae diverſarum virtutum pictae coloribus, tamquam caeleſtes aves nidificantes, ſtudiorum bonorum foetus enutriant, ſimulque vocibus aſſiduè laudes reſonant creatoris. Simplices etiam quique atque manſueti tamquam animalia Dei bona ſub umbra ejus ab aeſtu carnalium vitiorum jugiter requieſcunt, ſecundum illud pſalmiſtae; *Animalia tua habitabunt in ea*. Sed ſi aliquis forte me reprehenderit quòd in talem tantamque materiam mittere manus praeſumpſerim, homo ingenio hebes, eloquio impeditus, & nullius fere ſcientiae, ſciat hujuſmodi me non praeſumptione temeraria ductum aut inanis vento gloriae promotum, ſed ſalutaris obedientiae vinculo conſtrictum hoc incepiſſe, praecipiente hoc mihi Domino Pontio Abbate meo & ſingula ſuggerente quae vel ipſe vidit ab initio, vel audivit ab eis qui viderunt & interfuerunt, immo ab ipſis qui primi inſtitutores & fundatores hujus loci fuerunt, nonnullis etiam de fratribus noſtris hoc atteſtantibus, qui ſolo auditu cuncta didicerant. Sed illorum teſtimonio innititur magis noſtra narratio qui ab initio cuncta noverunt, & laboris & patientiae participes extiterunt, videlicet Hugonis Presbyteri & Raimundi Alzarani, de quorum teſtimoniorum veritate nullus permittitur dubitare. Sed haec praefationis loco dicta ſufficiant.

II. Regnante igitur Ludovico filio Philippi, Domino Petro Epiſcopo praeſidente cathedrae Lodovenſi, Domino noſtro Ieſu Chriſto imperante in caelo & in terra & in mari, fuit vir unus in Lodovenſi pago, Miles officio, nomine Pontius de Laratio, quod erat caſtrum ejus inexpugnabile. Hic ſecundum ſeculi dignitatem genere clarus, opibus dives, poſſeſſionibus felix, ingenio acer, viribus potens, armis ſtrenuus, municipio firmus, & in omni gloria ſeculari conſpicuus inter ceteros eminebat; qui in primaeva quidem aetate ſecularia deſideria ſectatus, multis vicinorum ſuorum extitit importunus. Quoſdam enim ſermonum aſtutia circumveniebat, alios armorum violentia perturbabat; omnes verò quoſcunque poterat rebus propriis viduabat, die noctuque rapacitatis actibus inſiſtebat. Qui licèt iſto vitio notaretur, per cetera tamen non minus reprehenſibilis habebatur. Sed pius Dominus, qui non mortem peccatoris ſed poenitentiam deſiderat, qui quibus vult miſeretur, & quos vult indurat, cor ejus timoris ſui jaculo percuſſit, & à priſtinis eum actibus penitùs immutavit. In ſemetipſum namque rediens, conſiderare coepit mala quae fecerat, penſare judicium quod talibus actibus imminebat; & tactus dolore cordis intrinſecus, totus ad poenitentiam eſt converſus; & ut deleret maculas criminum, die noctuque deducebat flumina lacrymarum. Dumque aſſiduè ſecum tacitus cogitaret quomodo vel quali ſatisfactione iram ſuperni judicis placaret, quibuſve actibus ejus miſericordiam impetraret, placuit ei ſubitò ut ſeculum omne deſereret, & reſiduo vitae ſuae tempore deinceps poenitentiae actibus vacaret. Sed quia uxorem habebat, ſine cujus aſſenſu hoc facere non valebat, conſilij ſui ei ſecretum credidit, utque ipſa taliter faceret magnis precibus exoravit. Quae, ut erat nobilis genere, mente nobilior, piis viri votis libenter annuit. Pietatis tamen mota viſceribus, & tota perfuſa lacrymis, patrem pro ſuis liberis exoravit. Filium namque & filiam habebat, quorum affectu maternum pectus pietas agitabat. Sed pater providus, dum bene ſibi cavere ſtuduit, etiam filiis bene cavit. Matrem enim & filiam cum magna ſuae portione ſubſtantiae in monaſterium virginum quod Drinonia dicitur honorificè collocavit. Filium verò in monaſterio Lodovenſi, quod ſancti Salvatoris dicitur, monachorum coetui ſociavit. Et haec fuit prima ejus oblatio, quam gratam obtulit trinam trino.

III. Cùmque vicini ejus & amici omnes pariter mirarentur, & ſecum ſinguli quaererent quid agere vellet vel quid diſponeret, cogitantibus omnibus in corde ſuo, atque dicentibus aliis quidem ſic, & aliis ſic; amicorum turba familiaris eum alloquitur, volentibus omnibus ſcire quid animi haberet vel quid facere cogitaret. Quibus ille cordis ſui propoſitum per ordinem enarravit; & hac occaſione accepta, de contemptu mundi, de timore judicij divini, de poenitentiae fructu, de poenis malorum, de gaudio beatorum ſermonem faciens, ut erat diſertus atque facundus, licet laicus, luculentiſſimè peroravit. Cujus eloquio inflammati quidam atque compuncti, omnem mundi faſtum ſpernentes, ad poenitentiam protinus ſunt converſi, & ei jugiter adhaerere deinceps cupientes, ſocietatem ei inſeparabilem promiſerunt, dextras dederunt, parati cum illo & in mortem & in vitam ire. Ex quibus primus fuit Raymundus de Pireto bonae memoriae vir, qui in monachali converſatione poſtea floruit. Secundus Guiraudus Presbyter, tertius Petrus Alzarran Miles, quartus Guillelmus de Rota, quintus Hugo Magnus, ſextus Guillelmus Deſparron. Septimus ipſe fuit, qui eos verbo & exemplo convertit. Vt ipſo numero daretur intelligi eoſdem ipſos illuminatos gratia ſeptiformi ad perfectionem venturos converſionis & vitae, qui à perfecto numero incepere.

IV. Carnalis igitur amoris vinculis abſolutus, & ſocietate ſibi à Deo parata factus robuſtior, evangelicum praeceptum illud aggreditur quo Dominus ait: *Si vis perfectus eſſe, vade vende omnia quae habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in caelo, & veni, ſequere me*. Factoque praeconio, poſſeſſiones ſuas emptoribus omnes expoſuit. Tunc multi homines, Milites & pagenſes, divites atque mediocres, Clerici & laici, refertis marſupiis undique convenerunt, quod cuique placuerat bene ſibi emere cupientes. Et cùm eis pecunia defeciſſet emptis jam plurimis, & adhuc plurima emenda ſupereſſent, etiam de pretio emptoribus dedit conſilium, dicens ſe pro pretio accepturum animalia cuncti generis jumentorum, nec non & terrae fructus omnes quibus alitur vita mortalium. Quod certa de cauſa facere voluit, ſicut ex ſequentibus apparebit. Ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus. Factum eſt igitur ut diſtractis immobilibus univerſis, rerum mobilium haberet plurimam multitudinem, in equis videlicet & equabus, mulis, mulabus, bubus & vaccis, ovibus & capris, & aliis multis quae denumerare longum eſt. Cùmque ſecundùm Domini praeceptum diſtribuere cuncta vellet egentibus, Eccleſiis, & monaſteriis, hoſpitalibus & ſenodochiis, pauperibus atque peregrinis, viduis & pupillis, minus Deo acceptum hoc fore credidit niſi ea primitus redderet quae violenter quondam abſtulerat. Mittit ergo nuntios per provinciam circumquaque, per civitates, & caſtella, villaſque ubicun-

que

que conventus hominum fiebant causa mercatus sive nundinarum, & per Ecclesias, qui publicè proclamarent, ut omnes quibuscunque Pontius de Larazio vel aliquid debebat vel aliquid per vim abstulerat, ad eum venirent apud villam quae Peguciolas dicitur secunda vel tertia vel quarta feria post solemnitatem palmarum, sua singuli recepturi. Erat enim proximum Pascha, dies festus Christianorum.

V. Adveniente igitur die dominica quae in ramis palmarum dicitur, de sua salute bene sollicitus, apud Lodovam post processionem lecto evangelio, stante Episcopo cum Clericis suis, super gradum qui factus fuerat ad loquendum in platea circumstante populo venit Pontius de Larazio cum sociis supradictis nudus & discalciatus. Ducebatur autem à quodam collo ejus innexo vinculo ligneo quod vulgò redorta dicitur, tanquam maleficus; & qui eum ducebat, virgis eum assiduè flagellabat. Sic enim ipse fieri jusserat. Perveniens itaque ad Episcopum tanquam servus fugitivus qui à bono domino recessisset, per manus illius se Deo reddidit, flexis genibus veniam postulavit, chartam quam manu ferebat, in qua peccata sua cuncta describi fecerat, Episcopo tradidit, & ut in auribus totius populi legeretur, multis precibus exoravit. Episcopus verò ejus verecundiae parcens hoc fieri primum prohibuit; sed ipse in petitione sua instantissimè perseverans, ut hoc fieret tandem obtinuit. Itaque Episcopo concedente charta legitur. Ipse verò in contractione persistens cum virgis caeditur, & ut durius caedi debeat enixius deprecatur, tantorum criminum se reum esse viva voce fatetur, solum lacrymis rigabat, omnemque populum in fletum & lacrymas commovebat. Omnes quicunque aderant mirabantur, & eum affectu nimio venerabantur, ejus poenitentiam praedicabant, eumque Dominum respexisse veraciter affirmabant. Precabantur etiam pro eo, ut qui ei poenitentiae dederat gratiam, donaret etiam in bono perseverantiam. Fuit autem illa confessio utilis & necessaria, non solum ei qui confessus est, sed & aliis multis qui verecundiae pudore timidi peccata sua celaverant, nunc autem ejus animati exemplo, dum eum sic confitentem viderunt, ad confessionis & poenitentiae lavacrum cucurrerunt.

VI. His igitur ita gestis, & solemnitate ramorum rite peracta, ad Ecclesiam itum est. Altera autem die, id est, secunda paschalis hebdomadae, nec non & tertia & quarta feria, affuerunt loco quem suprà diximus clamatores multi ex diversis partibus congregati, quae quondam amiserant sua singuli requirentes. Convenientes igitur ante ipsum velut ante judicem, de ipso tamquam de reo ipsius tamquam testis testimonium contra se flagitant. Ipse vero sui ipsius accusator & judex, reus & testis, omnes judicij personas in se suscepit, dum omnibus satisfacere cupit; accusat seipsum, testimonium contra se perhibet, seipsum judicat tamquam judex, poenam suscipit ipse reus. Tandem singulorum pedibus provolutus, in primis veniam postulabat, deinde secundum quantitatem amissorum de suis facultatibus singulis perdita restaurabat. Et quoniam, sicut suprà diximus, diversorum animalium multitudinem possidebat, necnon & pecuniae omnis quae in usus hominum est necessaria, qualia quisque amiserat talia recipiebat, ut non tam aliena recepisse quàm sua propria invenisse se crederent. Maledictiones igitur antiquas in benedictiones convertentes, valedicentes & benedicentes ei, cum gaudio ad propria sunt reversi.

VII. Tunc pagensem quendam vicinum propè videns adstare dixit: Heus, inquit, tu quid expectas? Quare clamoris tui causam non indicas? Ego, inquit ille, Domine mi, adversum te clamoris causam non habeo; sed multum te laudo & benedico, quia in multis me adjuvasti, & in causis plurimis contra adversarios mihi patrocinium praebuisti; nihil unquam mihi nocuisti, nihil injuriae intulisti. Ad quem ipse: Immo, inquit, tibi nocui; malum feci, damnum intuli; sed tu forsitan ignorasti. Numquid tali tempore, tali nocte, gregem tuum de caulis tuis non perdidisti? Perdidi, inquit ille, Domine mi, verè perdidi, sed quis mihi damnum fecerit, ignoravi; te damni mei conscium non agnovi. Ego, inquit Pontius, illud feci, per satellites & complices meos totum egi. Quapropter, obsecro, da mihi veniam, & postea quod tibi abstuli reddam. Indulgeat, inquit, tibi Dominus de caelo. Nam ego hoc tibi libenter remitto. Accipe, inquit, animalia haec quae remanserunt, & sint tibi loco eorum quae tibi aliquando perierunt. Tunc ille pecuniam illam suscepit, ac caelo eam lapsam credidit; & eum qui damnum sibi aliquando fecerat, non malefactorem, sed magni muneris largitorem cum gaudio praedicabat.

VIII. Ipse vero de facultatibus suis, quae superfuerant, egentibus cuncta distribuit, sicut scriptum est: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in aeternum*. Feria autem quinta, quae & coena dominica nuncupatur, tredecim pauperes assumpsit, cibis tempori convenientibus copiosè refecit; pedes lavit, lacrymis rigavit, capillis tersit, & omnia secundum Domini mandatum fideliter adimplevit.

IX. Vespere autem facto, cum sol occidisset, dominicae passionis nequaquam immemor, noluit dare somnum oculis suis nec palpebris suis dormitationem; sed sicut Dominus noster Jesus Christus eadem nocte ad passionem pro peccatoribus perferendam spontaneus properavit, sic & ipse ad labores poenitentiae perferendos spontanea voluntate exiens, passionum Christi particeps effici voluit, ut resurrectionis & gloriae consors effici mereretur. Igitur ipse & socij ejus cum eo pariter intempestae noctis silentio egredientes de terra sua & de cognatione sua & de domo patris sui, nil praeter simplicem vestem, & ipsam vilem & religioni congruam, baculumque & peram singuli deferentes, peregrinationis iter arripiunt quod ducit ad sanctum Guillelmum. Ibant autem pedibus nudis, quod in usu minimè habebant, & ideo duriùs hoc ferebant. Via autem qua incedebant, non solum nudis pedibus ambulantibus, sed etiam calciatis, & equitantibus, & etiam per diem pergentibus valde difficilis. Est enim anfractibus tortuosa, collibus elata, vallibus demissa, lapidum fragmentis aspera & tota horribilis; qua dum incedentes se mutuò hortarentur, & se ad poenitentiae labores perferendos invicem exhortarentur, nescio quo divino judicio accidit eis quiddam triste atque terribile. sed credo quòd voluntas Dei fuit ut tentarentur, tentati probarentur, & territi purgarentur. Nam subitò ventus vehemens irruit à regione deserti, qui concussit caelum, & turbavit aera. Tunc luna, quae prius fulgebat, delituit subitò, stellarumque glori omnes pariter aufugerunt; sed & densa nubes montes operuit, & tenebrae factae sunt, Tunc magitre tonitrua, fulgura coruscare, lapidesque grandinis ruere coeperunt. Irruit super eos formido, & pavor magnitudine temporis. Tandem inter coruscationes cuoras consideraverunt & inspexerunt sibi locum habitationis cujusdam, qui factus est eis in securitatem & in absconsionem à turbine & à pluvia. Prius tamen quàm ad illum venirent, tanta passi sunt ut meritò de eis dicatur quod lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt. Mane autem facto, ibant gaudentes in conspectu Domini, cum digni habiti sunt pro amore ejus aliquem laborem pati.

X. Tandem ad sanctum Guillelmum pervenientes, multitudinem ibi Militum aliorumque hominum invenerunt, qui ex more convenerant, sicut omni anno faciunt die illa, ad adorandam crucem; cum quibus & ipsi vivificum lignum, in quo nostros actus actor sua hostia factus, devotissimè adoraverunt. Cumque eorum humilitatem & devotionem pariter omnes mirarentur, cognovissentque quod Lodovenses erant, eo amplius eos venerabantur. Aderat autem inter eos vir quidam potens & dives, videlicet Raymundus Petri de Aguantico, qui eos multis precibus exoravit & oppido coëgit ut in die dominicae resurrectionis apud Aguanticum cum illo manerent

ob

ob honorem tantae solemnitatis: qui acquiescentes ei abierunt cum illo, fueruntque ibi altera die, quae est post Parasceven, & die dominicae resurrectionis; audieruntque ibi Missarum sacrosancta solemnia, & dominici corporis & sanguinis viaticum susceperunt.

XI. Altera autem die, id est, secunda feria paschalis hebdomadae, valedicentes hospiti, iter apud sanctum Iacobum sunt aggressi, illum in peregrino habitu quaerentes & invenire omnimodis cupientes qui, sicut in eadem die legitur, in peregrino habitu duobus discipulis euntibus in Emaus apparuit. in quo itinere quot labores quotve cruces passi sint in labore & aerumna, in vigiliis, in jejuniis, in fame & siti, in frigore & nuditate, solus ille novit qui eorundem laborum remunerator & testis fuit. Dedit autem eis Deus gratiam in conspectu omnium qui viderunt eos ut ex ipsa vultuum specie facilè omnes agnoscerent eosdem viros esse virtutis & verè religiosos. Vnde quae victui eorum erant necessaria multi eis libentissimè ministrabant. Si quando vero divites eis plurima obtulissent, tantum inde accipiebant quantum ad ipsius diei victum sufficere poterat. cetera reddebant. coacti vero eadem retinere, pauperibus inco dividebant; & ne in pecunia spem ponere viderentur, quam in Deo totam posuerant, nihil in posterum reservabant, credentes ei qui dixit, *Nolite cogitare de crastino*, & illud: *Quaerite primùm regnum Dei & justitiam ejus, & haec omnia adicientur vobis*. Quapropter absque ciborum sustentamento dies plurimos transegerunt, sed non minus Deo gratias reddiderunt. In omni autem itineris spatio maxima illis cura fuit atque praecipua sanctorum loca invisere, religiosos viros ubique quaerere, orationum suffragia postulare, modum etiam vitae addiscere quo omni tempore deinceps possent Domino innocenter servire.

XII. Fuit autem omnium qui eis consilium dederunt una sententia, intentio eadem, idem sermo, idem consilium; quippe qui uno spiritu omnes edocti fuerant, dicentibus omnibus atque laudantibus illis ut eremi loca incolerent, labore manuum victum acquirerent, in quo in simplicitate atque puritate vitae Deo servirent, & religionis suae haeredes post se relinquerent. Quod consilium maximè roboravit atque intimavit eis Archiepiscopus Iacobensis, qui quidem in episcopatu suo primitus eos voluit retinere & locum congruum eis assignare; sed postea intra se cogitans quod si inter homines alterius linguae remanerent, parum proficere possent, & dum loquentes non intelligerentur, barbari à barbaris haberentur, ad notas regiones illos remittere studuit, in sancto proposito perseverare monuit, & de Dei bonitate praesumens, à Deo eis grandia repromisit. Cujus sermonibus roborati, benedictione firmati, per aliam viam revertentes in regionem suam, Michaelis archangeli memoriam, quae in monte sita est in periculo maris, adierunt, beati Martini Turonensis Ecclesiam visitarunt, sancti Martialis causa Lemovicas abierunt, beati Leonardi basilicam intraverunt, ad ultimum Ruthenensem urbem ingressi, cum ad Ecclesiam beatae Dei genitricis & Virginis Mariae orarent, Episcopo nunciati & ab eo vocati sunt.

XIII. Ipse erat dominus Ademarus Ruthenensis Episcopus, piae memoriae & magnae auctoritatis vir: qui cum cognovisset quod Lodovenses homines erant noti & vicini, nobiles etiam atque generosi; cum magna veneratione & alacritate eos suscepit, votum eorum etiam cognoscens, se eis in omnibus profuturum, consilium & auxilium collaturum repromisit, si in episcopatu suo remanere vellent. Comes etiam Ruthenensis audiens quod Pontius de Larazio in episcopio esset, voluit eum videre tamquam sibi notum & familiarem Militem & quondam amicum suum: cujus cum desiderium agnovisset, pollicitus est ei semper se adjutorem & defensorem in omnibus affuturum. Obtulit etiam eis loca quaedam ad monasterium construendum tam ipse Comes quàm Episcopus, videlicet villas & Ecclesias desertas. Sed ipsi hominum frequentiam fugientes, secreta sylvarum nemorumque magis abdita desiderabant.

XIV. Quapropter cum gratia Comitis & Episcopi benedictione recedentes, venerunt in terram quae Camares nuncupatur. quae terra nemorosa est, & silvis obsita, ardua montibus, devexa collibus, irrigua fontibus, rivis, atque fluminibus, in qua dominabatur vir quidam magnus & potens, qui Arnaldus de Ponte dicebatur. Cognoscebant autem eum ex multo tempore, scientes quia homo erat benevolus & laetus, & ad omne opus virtutis promptus. Qui venientes eos ad se conspiciens, antequam eos cognosceret dixit eis: Quid veniunt ad me domini mei, aut quid volunt? Ad quodcunque volueritis scitote me esse paratum. Postquam autem eos recognovit, cum honore magno & devotione suscepit, causamque propter quam venerant diligenter inquisivit. Cui respondentes, locum aliquem religioni congruum, ab hominibus remotum atque secretum, ubi manerent & Domino servirent, se quaerere confessi sunt. Quis, inquit, his votis vestris satisfacere potest sicut ego, aut quae terra convenientior tali proposito poterit inveniri? Ecce terra coram vobis est. Vbicunque vobis placuerit manete; aedificate, seminate, plantate, novellate, & orate pro me. At illi elegerunt sibi quendam locum qui antiquitus Silvanium dicebatur; quem ipsi sive successores eorum Salvanium vocaverunt, *i* mutato in *a*; ut qui ante Silvanium à silvis dicebatur, Salvanium à salvatione deinceps diceretur, in quo casulas propriis manibus fabricantes, manserunt bestiis sociati, cotidiano tamen labori insistentes, dumeta falcibus resecantes, terram ligonibus proscindentes, locum habitabilem ex inhabitabili reddiderunt.

XV. Tunc fama religionis eorum circumquaque diffusa, ad aures pervenit vicinorum Pontificum, Ruthenensis scilicet, atque Lodovensis, sive Biterrensis, deinde ad totius populi. Tunc plurimi eos visitare coeperunt, munera offerentes, eos in omnibus adjuvantes. Quod maximè fecisse noscuntur homines Lodovenses, sicut in sequentibus plenius ostendemus.

XVI. In tempore illo facta est fames incomparanda in illa regione. Negavit enim terra fructum cultoribus suis, & luxerunt omnes qui colebant eam, cum spe sua frustrati fuerant; & illusi Cereris fide, quernas ibant ad arbores. In anno illo, secundum Isaiae vaticinium, triginta modii sementis vix fecisse dicuntur modios tres, & decem jugera vinearum via implere potuerunt laguncùlam unam. Tunc apud Salvanium congregata est pauperum multitudo & gens magna qui obsederunt domum in circuitu tamquam exercitus, omnem vitae suae spem in ejus alimoniis collocantes. Erat autem domui illi & fratribus illis ab initio insolita consuetudo, & quasi pro lege tenebatur omnes hospitio recipere, alere egentes, pauperes recreare, nudos vestire, mortuos sepelire, & cetera pietatis & misericordiae opera adimplere. quae consuetudo usque in praesentem diem secundum loci possibilitatem favente Deo durare cernitur. Videntes autem fratres tantorum pauperum multitudinem, conturbati & contriti dixerunt alter ad alterum: aut fugiendum nobis est de loco isto, aut moriendum cum istis. Videte qui faciendum nobis sit. Quis eos vel paucis diebus poterit sustinere. Si enim locus iste cum domibus & habitatoribus suis panis esset, à tanta multitudine brevi tempore devorari posset.

XVII. Tunc Pontius de Larazio murmur eorum compescuit dicens: Si fugere, inquit, voluerimus, non effugiemus. Neque enim patet evadendi via, neque ab oriente, neque ab occidente, neque à desertis montibus, cum Deus judex est. Denique qui ad fugam properant, victos se esse demonstrant; & victos ignominia, victores vero gloria manet. Nos autem non ad fugam venimus, sed ad pugnam. Stare ergo non oportet, non fugere, & viriliter decertare, quia non coronabitur nisi qui legitimè certaverit.

Re-

Recordamini pristinos dies conversionis vestrae, in quibus magnum certamen laboris & patientiae pertulistis, & quomodo de omnibus tribulationibus & angustiis liberavit vos Dominus; & nunc credite quod similiter vobis subveniet. Mementote quod olim populum Israel quadraginta annis, absque pane terreno, caelesti manna pavit Deus in solitudine, & in diebus Heliae in Sarepta Sidoniae viduam & domesticam ejus familiam cum Propheta multis diebus pavit ex hydria farinae & lecytho olei, ita quod hydria farinae non defecerit, & lecythus olei non est imminutus. Sed & in tempore Helisei, quando obsessa est Samaria, & obsessi famis angustia periclitabantur, Deus in una die tantam eis ciborum abundantiam contulit ut modius similae statere uno esset, & duo modij hordei statere uno, in porta Samariae. In evangelio etiam audistis Dominum ex quinque panibus quinque hominum millia satiasse; post quorum refectionem Apostoli duodecim cophinos fragmentorum sustulerunt ex quinque panibus illis quae superfuerant illis qui manducaverant. Numquid invalida facta est manus Domini ut nunc talia facere non possit? Tantus est nunc quantus erat tunc. Non potest esse minor, non potest esse major. Credamus in eum, fratres, quod omnia possibilia sunt credenti. Spem nostram omnem ponamus in eo, quia ipse est liberator omnium sperantium in se. Timeamus eum, scientes quod voluntatem timentium se faciet. Diligamus eum, quia custodit omnes diligentes se. Sed nunc tempus postulat, fratres, ut iterum faciatis quod olim fecisse vos meministis. Vendite quae possidetis, & date eleemosynam, olim propria, nunc communia. Ecce habetis boves & oves, jumenta & pecora. A filo subtegminis usque ad corrigiam caligae nihil remaneat quod non vendatur & detur egenis fratribus. Fratres etenim nostri sunt, eundem patrem habent nobiscum Deum, cui omnes dicimus *Pater noster*. Eodem pretio redempti sunt quos nos, id est, sanguine Iesu Christi. Quod si post omnia nos mori contigerit, moriamur omnes in simplicitate nostra, scientes quod sicut Christus pro nobis animam suam posuit, ita & nos debemus pro fratribus animas ponere. Interim ego vadam ad optimates populorum qui sunt in seculo, & pro mendicis mendicus ipse efficiar. Et his dictis, asellum ascendit; ferulamque manu bajulans, profectus est.

XVIII. Fratres vero cuncta quae possidebant vendere parabant, sicut ipse jusserat. Quod audiens Dominus Arnaldus de Ponte, hoc fieri modis omnibus prohibuit, timens ne iterum locus in solitudinem deveniret; & aperiens horreum suum, dedit eis alimentorum quippiam, unde pauperes vel pauco tempore sustentarentur. Tunc videns Dominus fidem illorum, dedit benedictionem suam super domum illam à die illa & deinceps. Nam si quando pauca grana molari machina frangebantur, farina collecta dolia replebantur; & quando conspersiones fiebant, divinae benedictionis fermento magides redundabant; & cum in parva forma clibanus panes suscipiebat, in magna reddebat; & quando iidem panes frangebantur, magnae sportulae implebantur, quae à dantibus vix evacuabantur. Multiplicabatur enim magis dispendio panis sui, & edentium sub dentibus crescebat in ore cibus. Et ita benedictionis divinae gratia redundante pastus est populus ille in ista eremo quasi caelesti manna toto illo tempore usque ad tempus novarum frugum.

XIX. Pontius vero de Larazio post paucos dies rediens, & ipse benedictionis divinae consolationem non minimam afferens, laetificavit domum & habitatores ejus universos. Audiens vero quanta Deus fecisset mirabilia gavisus est gaudio magno valde. Et omnes cum eo pariter benedicebant Dominum in hymnis & confessionibus, dicentes: *Quia memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se*. Expleto autem tempore usque ad nativitatem sancti Iohannis Baptistae, in ipso die convivium fecit populo; & refectis omnibus abundè, valedicens omnibus, jussit eos abire ad loca sua in nomine Domini. Illi autem profecti praedicaverunt ubique dicentes quod verè Dominus est in illo loco, & non est aliud ibi nisi domus Dei.

XX. Deinde pauco tempore in tantum locus profecit & excrevit, non tantum rebus, sed etiam religiosis personis & possessionibus, ut abbatiae construendae & tenendo ordini idoneus diceretur. Facta est ergo contentio inter eos quis ordinum videretur esse major, aliis laudantibus ordinem Cistercientium, aliis vero ordinem Carthusiensium, quibusdam etiam sanctimonialium virginum monasterium construere dicentibus dignum. Tunc hanc causam ponere placuit in arbitrio Carthusientium. Ob quam causam Pontius de Larazio pergens Carthusiam, Priori ceterisque fratribus causam exposuit. Qui inspecta regula veritatis, prae ceteris cunctis ordinibus Cistercientium ordinem laudaverunt, eumque potius expetendum eidem Pontio mandaverunt. Cui consilio hoc insuper addiderunt, ut de illa abbatia ordinis quae loco illi vicinior videretur, ordo deduceretur, ne in eundo sive redeundo laborem nimium paterentur.

XXI. Tunc Pontius de Larazio vale faciens illis, ad Mansum Adae venit, capitulum intravit, per manus Domni Petri Abbatis, qui tunc eidem loco præerat, Salvaniensem domum Cisterciensi ordini reddidit, & Abbati eidem praedictae domus curam imposuit. Tunc Dominus Petrus primus Mansiadae Abbas piae memoriae, vir sanctus & Deo dignus, viros quosdam electos illuc direxit, qui officinas aptarent, & locum ordini praepararent. Fratres vero Salvanienses ad se venire praecepit, & eos secundum regulam beati Benedicti per annum probatos & eruditos monachali habitu induit, benedixit, atque remisit. Ex quibus unum virum sapientem & bonum, litteris eruditum, videlicet domnum Ademarum, illis praeposuit, & abbatem esse constituit, domus curam illi tradidit, & dimisit.

XXII. Tunc primum Salvaniensis Ecclesia in abbatiam surrexit, anno videlicet ab incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimo sexto. Tunc in ea religio cœpit florere, ordo succrescere, caritas fervere. Tunc illustres viri & fideles homines de rebus & possessionibus suis dare ei plurima cœperunt, & non solum vicini, sed etiam ex longinquis partibus, atque transmarini. cujus etiam domus religio Principes orbis non latuit, qui ob salutem & redemptionem animarum suarum sua illuc munera transmiserunt. Fecit hoc Imperator Constantinopolitanus, hoc etiam Siciliae Rex sive Dux Rogerius, hoc & mirabilis vir & sua sanctitate & devotione toto orbi cognitus Comes Theobaldus, hoc & multi alii, qui in æternæ beatitudinis albo conscripti, devotionis suæ à Domino præmia receperunt. Inter quos præcipuè recensendus & æternæ memoriæ commendandus est vir quidam nobilis & dives Guillelmus nomine, qui de transmarinis partibus ad construendam Salvaniensem Ecclesiam misit ducentas marchas argenti; cujus memoria in benedictione inter speciales amicos & familiares nostros, non solum anniversario cursu, sed etiam quotidiano usu celebratur & colitur. Sed & vir quidam nobilis ac prædives civis Lodovensis nomine Petrus Aibrandi fecit dormitorium. ad quod opus faciendum centum marchas argenti obtulit. Filius verò ejus Aibrandus fecit refectorium.

XXIII. Postea verò procedente tempore placuit Domno Abbati Guiraldo & fratribus universis ut propter insolentiam secularium hominum & alia multa incommoda monasterium mutari deberet in locum alterum qui melior & religioni convenientior videbatur & aliis abundans multis commoditatibus qui locus non longè aberat à monasterio, sed quantum arcus balistæ mittere potest. Erat autem alienus à possessione monasterii, & non nisi magno pretio haberi poterat. Quo audito supradictus vir Guillelmus, qui ad construendam Ecclesiam ducentas marchas argenti miserat, voluit & præcepit ut de ipsa pecunia lo-

cus

eus emeretur in quo Ecclesia fundaretur. quod & factum est. Mille enim solidorum pretio idem locus emptus est cum omnibus pertinentiis suis, prædium pulchrum & delectabile, religionique valde convenicus. Cœperunt ergo in eo novum monasterium ædificare. In quo loco Petrus Aibrandi venerabilis sacrista Lodovensis Ecclesiæ filius prædicti Petri & fratres ejus Guiraldus, ambo fecerunt dormitorium majoris magnitudinis & excellentioris pulchritudinis quàm prius fuerat. Refectorium verò fecit Richardus Clari venerabilis Ecclesiæ prædictæ Clericus. Illi sunt constructores sive fundatores Salvaniensis monasterii, qui merito suæ devotionis inter amicos & familiares nostros primi esse meruerunt: quorum memoria non derelinquetur in seculum, cùm quandiu Cisterciensis ordo durare poterit, non præteribit dies aliqua in qua non habeatur eorum commemoratio & solemnis pro eis fiat oratio. Illi verò qui suis laboribus locum primitus inceperunt, in sanctitate vitæ, in humilitate & obedientia permanserunt, donec terræ corpora, cælo animas reddiderunt.

XXIV. Frater autem Pontius de Larazio, qui humiliorem locum semper eligere studuit, in habitu laicorum fratrum conversus permansit, ut omni domui liberius provideret, & servorum Dei servus semper existeret. quod & fecit, donec beato fine in Domino quievit. Hic pius, prudens, humilis, pudicus, sobrius, castus fuit, & quietus, vita dum praesens vegetavit ejus corporis artus. Qui mense Augusto, prima die mensis, viam universae carnis ingrediens, non obiit, sed abiit ad patres suos, de morte ad vitam, de labore ad quietem, de exilio ad patriam.

XXV. Illi viventes in carne plantaverunt Ecclesiam illam labore suo. Modò coronantur, & accipiunt palmas laborum suorum. Horum animabus nos omnes debitores sumus, & omnes qui in loco isto futuri sunt usque in finem. Ipsi laboraverunt, & nos in labores eorum introivimus; ipsi seminaverunt, & nos messuimus. quamvis nos eorum orationibus magis indigeamus quàm ipsi nostris, quorum meritis & intercessionibus Deus locum illum semper regit & protegit. Horum exemplo multi viri militaris ordinis in hoc loco ad Dominum sunt conversi, quorum unus fuit Dominus Arnaldus de Ponte, de quo superiùs mentionem fecimus, qui eundem locum dedit, in quo postmodum quievit in pace. Sed & alii plures materialia arma deponentes, spiritalia sumpserunt contra spiritales nequitias pugnaturi: qui conflarunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces; qui non levabont amplius contra gentem gladium, nec exercebuntur ultrà ad praelium. in quibus etiam illud impletum est: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit. Lupus & agnus pascentur simul, leo & bos comedent paleas.*

XXVI. Interea fratres divinis laudibus vacantes cotidianis laboribus insistentes, seminaverunt agros, & plantaverunt vineas, & fecerunt fructum nativitatis, & benedixit eis Deus, & multiplicati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati à desiderio suo; dedit illis Deus mansiones gentium, & labores populorum possederunt, ut custodiant justificationes ejus, & legem ejus requirant.

XXVII. De situ loci scribere supersedi, cùm cotidie eum videamus. Hoc solum propter absentes dixisse sufficiat, quia montes in circuitu ejus sunt, & Dominus in circuitu populi sui. De materialibus etiam aedificii dicere superfluum judicavi, cum cotidie renovantur, vetera destruuntur, & nova aedificantur, & Deo propitio in melius assidue commutantur. De spiritualibus autem sciendum est quia domus haec fundata est supra firmam petram, id est, Dominum Iesum Christum, quae columnis septem in altum erecta nubes transit, sydera transcendit, & usque ad solium superni judicii pertingit, ubi Regum Rex & dominus rerum sceptrum tenet, orbisque habenas temperat, & volucrem currum stabilis regit. In ea lapides magni, lapides vivi, lapides pretiosi dolantur, quadrantur, & poliuntur, de quibus Hierusalem caelestis aedificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum.

XXVIII. Primus Abbas hujus loci Domnus Ademarus fuit, qui in eo sex mensibus vixit. Secundus. Desiderius extitit, qui octo annis ibidem praefuit. Tertius Domnus Guiraldus fuit, qui jura regiminis decem & septem annis strenuè gubernavit, monasterium multis possessionibus ampliavit, & multa bona in eo patravit; inter quae & domum de Annonenca fundavit, & in ea religionem sanctimonialium propagavit. Obiit autem anno gratiae millesimo centesimo sexagesimo primo, mense Septembri, decimo quinto Kalendas Octobris. Huic successit Domnus Pontius Abbas meus totius assensione conventus, eodem anno, mense Octobri, de Priore in Abbatem assumptus, qui Abbatum ordine fuit quartus. Ipse est qui hoc scribere nos praecepit, qui ea quae diximus aut vidit aut audivit, & testimonium scriptis perhibuit, & scimus quòd verum est testimonium ejus.

XXIX. Laetare igitur Salvaniensis Ecclesia mater bona, gratulare & jubila, dilata locum territorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, longos fac funiculos tuos. ad dextram enim & ad laevam penetrabis, & semen tuum montes hereditabit. Gaude & exulta in Domino Deo tuo, quia dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit, dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadae, semper honos nomenque tuum laudesque manebunt, praestante Domino nostro Iesu Christo, qui vivit & regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Explicit tractatus de conversione Pontii de Larazio, & exordii monasterii Salvaniensis vera narratio.

BREVIS HISTORIA

LIBERATIONIS MESSINÆ

A Sarracenorum dominatu per Comitem Rogerium Normannum facta à Messanensibus vocatum

ADAMANTINO scribenda essent stilo, smaragdis, atque in tabulis aureis quae per nobiles tres Messanenses nostra tempestate gesta fuere, quorum strenuitate ac sagacitate, ingenio atque viribus, duce Rogerio Comite recuperata extitisse liquet; quinimmo orthodoxa Christiana fides per ducentos & triginta ferè annos jam mortua suscitata floret, libertas bonaque cuncta atque honor Siculis concessa sunt. Quamquam Messanenses libertate sola privati, cuncta tamen eorum bona pace tranquilla possidebant, quod adversa fortuna omnibus Siculis denegabatur. Cumque Siculorum respectu tam leve jugum diu tollere non potuissent, mirifica ausi sunt haec agere. Quamobrem ad eorum egregiam perexcellentemque memoriam scriptis non quidem, sed aureis statuis memorandi & decorandi sunt, quia sicuti tres ipsi soli tantorum beneficiorum totius Trinacriae auctores fuere, ita decens est ut in quolibet ipsius insulae angulo eorum unusquisque aurea statua bene meritus erigatur & extollatur, ut perpetuo vivant ad eorum perpetuam famam, honorem posteritatis, & gloriam prosapiae.

Dominantibus Mauris per ducentos & triginta ferè annos & subditam detinentibus Siciliam, licèt ante dictum tempus eam tenuissent, ante quos etiam Maurorum floruisset imperium, & ante ipsos Christiani dominati fuissent, & per denos satis annos etiam alii barbari & infideles eam possedissent, eorum imperiis titubantibus & vicissim vacantibus per multa temporum curricula usque ad dictum tempus (ut Deo placuit) sexto mensis Augusti à virgineo partu anno millesimo sexagesimo, exiit . . . Sicilia sub dominio quinque Maurorum, quorum unus Raxdis no-

nominabatur, qui Messanae residebat & Tauromenium usque ad Pindaridum suum possidebat imperium. A Tauromenio Syraculas usque alius regebat, & alius à Syracusis usque Drepanum, à Drepano verò ad Panhormum alius, & a Panhormo ad Pactas alius. Licet hi omnes sic Siciliam occupatam tenerent, tamen inter se discordes erant. Nec tacebo in primis quòd tempore quo fuit Sicilia expugnata, ut vetusta pandit historia, sola Mamertina civitas omnium postrema sua sub conditione capta. Nam cum acriter diu resistendo pugnasset, & ex eo quamplurimos orco misisset Mauros, tandem cum periculosa assiduaque pugna diu noctuque vires deficerent, agnoscensque in vanum diu posse resistere, quippe qui a totam insulam jam sub jugo detinebant, ulla neque spes erat qua pium subsidium expectare posset, sub hoc enim foedere deditam se fecit: primò quòd vexillum civitatis, quo aurea crux in rubeo campo depicta cernebatur, suis à locis non amoveretur, quinimmo ut singuli eorum bona in pace possiderent. Nam firmissimè decreverant potius mortem subire quàm vexillum sanctae crucis amittere, & quod tanto antecessorum sanguine acquisiverant posteritas ipsa ignominiosè mortis terrore perdidisset. Quam induratam pertinaciam cum perspexissent Mauri, his assentire potius voluere quàm ambiguam de Mamertinis expectare victoriam. Tali itaque firmato foedere civitatem obtinuere, & aliis in locis aereum extollentes vexillum pacificè ex illo tunc subditam totam insulam detinuerunt, tyrannidem exercentes. Hanc cum & Messanae exercere voluissent, praedicti nobiles Mamertini, Ansaldus de Pactis, Nicolaus Camulia, & Jacobinus Saccanus, cum haec in animo volutarent, & mutuis suspiriis haec secum loquerentur, ut secretius de his melius loquendi daretur facultas, dicto die sexto Augusti ad insulam S. Jacobi portus civitatis se contulerunt. Cumque de civitate & eorum statu mutuo diversa discuterent, & fluctuantis animi procellas fugandi gratia non sine lacrymarum profluxu plura subloquia facerent, versis oculis ad ipsam civitatem, & patriam nobilissimam considerantes, atque in quanta infortunia ipsa civitas esset devoluta, amaris singultibus conquerebantur. Insuper & crudelissimas Siculorum aerumnas jugiter memorabant & miserabantur; sed miserabiliter Mamertinae patriae gloriam & ipsius tot amplissima privilegia, quae multimoda sanguinis effusione acquisita fuerant, amarè deplorabant. Cum autem quippiam medicaminis tam aerumnosae calamitati minimè adhuc excogitare possent, Nicolaus Camulia, divino favente spiritu, in haec verba primum prorupit. Ansalde & Jacobine, ea quae nunc excogitavi & referam ex Deo certa sunt, quia non nisi modo in mentem venerunt. Laetamini, quoniam hodie jam nobis aperta via est ad has fugiendas aerumnas, pluit super nos gratia divina. Gaudete, quia hodie ex insperato & immerito misertus est nobis & patriae omnipotens Deus, & nostras audivit voces & lamentationes, atque preces exaudivit. Nonne audivimus Comitem Rogerium Normandum Rubertumque Apuliae Ducem cum sanctissimo Papa Miletum Calabriae oppidum advenisse, ipsumque Comitem strenuissimum Principem esse, aetate juvenem, sed prudentem & regimine satis maturum, ac super omnia pissimum, & ad omne Dei servitium promptissimum semper prae se tulisse, qui in praesentiarum in ipso Mileto oppido Ecclesiam mirae pulcritudinis sanctissimae trinitati dicatam erigendam curavit? Securè ad eum illuc accedamus, eidemque animosè totam Trinacriae insulam tradamus. Hoc onus fideliter humeris nostris imponamus pro fide Christiana, pro patria, & totius Siciliae libertate assequenda, & pro honore perpetuo mortem spernamus, ac pro tanti negotii expeditione nullis parcamus sumptibus ac laboribus, atque universa bona cum caris filiis igni exponamus. Quid sentitis enunciate mihi, & vestras aperite mentes, & quicquid melius vobis videbitur & expedierit mandetis agendum. Quod enim à vobis mandabitur firmiter à me fore pollicеor exequendum. Quae verba avidè Saccanus & Pactis animo percipientes, ac agnoscentes vera esse omnia, remque aggrediendo fore ad exitum perducturos, statim ambo ad collum Nicolai se projicientes, amplexati ac millies deosculati sunt eum summo gaudio, profusisque lacrymis sic responderunt concorditer. Frater amantissime, illud quod modo nobis dedisti consilium verè cognoscimus à Deo ortum esse. Idcirco ipsi Deo prius gratias agamus, deinde tibi, colendissime frater, quia sic adaтim nobis rem tantam ac tanta laude dignam breviter aperuisti; tuumque sanctum consilium approbamus, & tecum omnes laetanter pro patria, fide, libertateque communi civium adipiscenda mori peroptamus. Multa vicissim multoque spatio super hac re verba facientes, ac viam omnemque modum subtiliter exquirentes per totum vagati sunt diem. Demum civitatem ingressi, in secretum amicis & consanguineis convocatis, omnia quae inter eos ratiocinati sunt, firmataque fuerant, adaperiunt. Demum quodam die omnes in angulo secretissimae domus sequestrati, tanti negotii amplitudinem acutissimè pensitantes, ipsis de Pactis, Camuglia, & Saccano, ut tanti negotii auctoribus, omnium rerum curam de communi consensu committere decrevere. His itaque conclusis solemnitatem quandam praestolabantur quam Mauri singulis annis domibus duodecim diebus inclusi celebrabant. Adveniente autem solemnitate praedicta nobiles viri propriis vestibus exuti sub simulato indumento Drepanum versus ire simulantes scapham quandam ascenderunt, nocturnoque tempore Calabriae litus attigerunt. Inde iter inceptum secundo fortunae flatu molientes, Miletum se contulerunt. Palatium ingressi, ubi Pontifex erat, cujus pedes postquàm fuerunt osculati, eos Papa quinam essent, & qua causa venissent, percontatus est. Cui Ansaldus de Pactis ita respondit. Christiani Siculi sumus. Ex Messana urbe ad Comitem Rogerium legati missi sumus. Ad hoc Papa quidnam cum Rogerio vellent diligenter perquirens, hujusmodi à Nicolao Camuglia responsum accepit: Beatissime Pater, nos jurejurando ea quorum causa iter huc dileximus explicare nequimus. Unum pro modo sciat sanctitas vestra, nos pro augmento Christianae fidei huc venisse. Tuae idcirco placeat sanctitati ut nos Comitem Rogerium hujus rei causa conveniamus. Mox tanti negotii praestantia te non latebit. Tunc Papa aditum omnem eis liberum patere permisit. Illuc vero aulam Comitis ingressi, eundem flexis genibus coram beata virgine orantem invenerunt. Quos cum ille piis intueretur oculis, adventus causam perquirens, ad verba praebuit attentas aures. Tunc generosi Mamertini, verbum prius quàm exprimere possent unum ex nimia cordis abundantia ad multa propalanda, continere se non potuerunt quin lacrymas perabundè funderent, assiduisque lacrymis ad tantam pietatem Comitis viscera commoverunt ut his placidissimis verbis eos Comes fuerit alloquutus. Quicunque estis, boni viri & fratres, vestris compulsus lacrymis negare non possum quin vobis non compatiar, & pro quacunque vestra petitione quaecunque remedia praestare promitto, atque me offero. Vestras retinete lacrymas, & vobis ipsis jam parcite, & ad singultus tempus ne perdatis, causasque omnes quae vos huc accedere impulerunt securius enunciate. Tunc Jacobinus Saccanus, quippe qui vir erat pietate praestantior ac eloquentia facundior, hujusmodi explicuit legationem. Nos, Comes invictissime, legati sumus Messanae urbis Siciliae ad tuam destinati praesentiam. De tua mirum in modum confisa virtute Messana civitas insulae Siciliae caput & vetustissima te suppliciter exorat ut eam adjuvare digneris. Nam, ut cunctis notum est, Mauris ipsa civitas cum tota Sicilia subdita est, & quod crudelius, per ducentos triginta ferè annos Christi fides per totam insulam quasi mortua jacet impiorum Maurorum tyrannidi, sub immani quorum imperio tot aerumnis, calamitatibus, & doloribus affligimur, quae

si sigillatim enumerare vellemus, nimis prolixa tibi nostra esset oratio, nimiumque tibi taedium esset allatura. Praesta igitur auxilium justa petentibus, affer opem, qui hac causa ad te venimus. Messana te vocat, Messana te in dominum eligit pro sua libertate, tuoque sub dominio Messana mori desiderat, ut te victore fides Christi exaltetur. Surge ad adjuvandum, surge, surge, Christianissime Comes, surge, & arma capesse, accelera, quia videre te cupit alacriter Mamertina civitas, summoque gaudio te populus Messanensis expectat, quia te duce ab immani barbarorum imperio ac jugo se eximet servituris, totiusque deinde Siciliae potieris. Praeterea in sola Messana tota vis; velim scias, totumque robur consistit. Quod vero attinet ad tuam victoriam, pro Dei servitio proque fide Christi augenda tuique dominii amplitudine propaganda vires nervosque omnes adhibere ac sanguinem cum ipsa vita cuncti Messanenses effundere se hilariter offerunt, & jurejurando promittunt. Ut sis & esse debeas ex nunc Messanae dominus, se tuo Messanenses subjiciunt imperio, teque ante tuos prostrati pedes in eorum dominum recognoscunt, & neminem alium. Cape igitur realem ac indubitatam possessionem, qua mediante totius Trinacriae insulae victor eris. In signum cujus verae possessionis nos humiliter prostrati tuos deosculamur pedes. Ad cujus pedes deosculandos accedentibus Rogerius non permisit, ejus tantum deosculari manus concessit invitus. Rursus suam prosequens orationem Saccanus ait: Et si pro Messanae & Siciliae libertate tua non commovebitur dignitas, totque nostras non compatietur aerumnas, moveat cor tuum hoc humani generis redemptoris vexillum, hac cruce tuae pietatis viscera pro ejus liberatione pungantur, in qua pependit ille per quem salvati & liberati sumus. Scias velim, Dux invictissime, hanc sacratissimam crucem tuae Messanae vexillum esse, quod ab Arcadio Imperatore invictissimo olim Thessalonicae à suis proditoribus obsesso, ejusque imperio à Messanensibus restituto, suscepit; ab ipsomet, inquam, Imperatore Messana civitas, tanquam de eodem optimè benemerita, ejusdem fuit sacratae crucis dono decorata. Ad hanc te rogat eadem civitas exaltandam occurras, ut te victore, te duce, quilibet eam reverenter adoret, & si propter barbariem quasi sepulta Christi fides exstat, te suscitante resurgat. His Jacubinus Saccanus fletu maximo prolatis, tandem orationi suae finem imposuit. Ad quem sic Rogerius hilari humanissimoque vultu respondit. Sit vester adventus felix, legationis vestrae causas nimio cordis affectu suscepimus, miserias, aerumnas, atque calamitates totius insulae multoties audivimus, & est jam diu quod nostra viscera penetrarunt. Si à Deo haec sunt, Deus nobiscum erit, & nobis vobisque ad ejus divinam voluntatem exequendam vires, victricesque manus ad expugnandum, & penitus à suis sanctis locis Christianae fidei teterrimum hostem viriliter expellendum. Qua responsione facta, & singulis legatorum nominibus adnotatis, aulam summi Pontificis ingressus, legationem ut audierat suae sanctitati coram sex Cardinalibus retulit seriatim, quinimo suam aperuit voluntatem, seque primum Siciliam versus copias classemque directurum, & pro Christiana fide & recuperatione Trinacriae ab impiis Maurorum manibus, praecedentibus prius consilio & auxilio suae sanctitatis, omnem opem conatumque omnem adhibiturum. Quibus sanctissimis dictis per pissimum Pontificem ita responsum est. Rogeri Comes, benedicte fili, tecum sit rerum omnium opifex Deus, tuamque mentem illuminare dignetur, suaque divina te benedictione sanctificet. Quantum jucunditatis hac hora suscepi, ex quo ad hanc hostilem catholicae fidei sectam expellendam Dux invictissimus effectus es, ipsamque Trinacriam insulam ab infidelibus immanissimis tot annis sub durissimae servitutis jugo conculcatam temet duce liberandam enarrare nullo modo possim. Equidem pro tanto bono consequendo quicquid à me petieris omnino consequeris. Tecum sit Deus optimus maximus, & felici celerique pede ad rem tantam pergas peragendam, cum benedictione patris & filii & spiritus sancti. Hoc unum à te summopere peto, quod promittas, manendo in Dei obsequio, postquàm divina permittente gratia victoriam fueris consequutus, insulae dominatum acceperis, Deo te obtemperantem exhibeas, & quod suum est eidem impertias, ac de tota victoria tres efficias portiones, partem unam in extruendis Ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, abbatiis, & praelatiis, ad honorem cultumque divinum exhibeas, alteram militibus qui tecum in hac expeditione praelabuntur munificenter impertias, tertiam vero tuae necessitati subministres. Quo peracto, Deus tecum erit omnipotens in omnibus viis tuis, semperque in tua protectione commorabitur. Ad haec autem Rogerius laetanter annuit, motuque proprio ut summus Pontifex proposuit omnia jurejurando firmavit. Laetus ex his Pontifex pluribus eum replevit benedictionibus. Inde petita venia Rogerius discedens ad legatos in aula commorantes revertitur, quibus quae cum summo Pontifice firmata fuerant pandit. Illi vero hilari vultu omnia percipientes summopere Rogerio congratulabantur. Mox quicquid erat agendum, cuique providendum, secum deliberant. De qua re latissimè ratiocinando vagarunt, tum de modo tenendi bellandique, qua via, ordine, tum etiam qua comitiva. Quibus omnibus ad plenum perquàm diligenter excussis & examinatis, legatos sic est Rogerius allocutus. Fratres carissimi, firmiter tenete hinc ad paucos dies Deo adjuvante Trinacriam versus me iter facturum, quin etiam collecta navigiorum multitudine secundum temporis exigentiam quae modo praestolatur, comparatoque navali exercitu, prius Parmis oppido totam classem trajiciam. Vos interim, accepta prius à summo Pontifice benedictione, iter capessite, consumptoque spatio dierum octo socios vestros convenite, eisque omnia quae nobiscum peracta & firmata sunt securius enucleate. Insuper hostem meum timere fingite. Interim domibus vestris crucis signum affigite, quo tuti esse possitis ab incursu militum bellatorumque impressu. Statuto enim die vos à parte interiori summa vi confisi, nosque ab exteriori bellicis instrumentis praeliantes facilè victoriam consequemur. His conclusis, ad summum Pontificem iverunt, acceptaque ab eo latissima benedictione, iterum ad Comitem reversi sunt. Ad quem Ansaldus de Pactis dixit: Rogeri Domine, iterum super omnia te rogamus advertere ne à latere tuo vexillum sanctae crucis amoveas quousque Messanam Deo maximo permittente pervenias, ibidemque victoriam adeptus, illud manibus propriis feliciter civitati reddas.

Accepta itaque promissione, atque licentia Comitis impetrata, laeti discedentes, Rhegium pervenerunt, ex quo piscatoris cymba transvecti Messanam reversi sunt, & in domibus occultè permiscentes cum amicis omnibusque consanguineis & secretissimis viris quae cum generosissimo Comite Rogerio conclusa sigillatim aperiunt, modumque victoriae consequendae machinantur. Dum haec inter ipsos legatos & reliquos civitatis proceres bene examinantur & discutiuntur, dies cessit octavus. Ecce Comitis adventus ubique circumsonat, Rogerii numerosum agmen ad capessendam insulam venturum publicè audiebatur. Qua de re se nimio pavore perterritos satis simulant Mamertini, ut Comes instruxerat. Mauri verò cùm omnia adverterent, lubricosas montium vias atque vallium, ut tutiùs fugerent, quaeritabant. Christianis Rogerius interim per totam Calabriam edicto mandare praecepit ut omnes se Rhegium usque comitarentur. Mora octo dierum spatio mille & septingenti viri ex improviso praesto fuerunt. Tunc Rogerius Comes veste recenti sanctae crucis impresso charactere se laetanter induit, & praecedente vexillo crucis civitatis Messanae à legatis commendato magna omnium jucunditate cunctis videntibus ventis vela dedit, Parmam versus

iter

iter tenens. Cujus ad littora cum applicuisset, fundatis anchoris, equos circiter ducentos, quos illuc convenire mandaverat, navigiis transvexit, deinde tribus diebus Rhegium advenit. Illic diebus fere commorans quindecim, quotidie milites equitesque suos blandiloquio demulcebat exercebatque quibuscum plurimum de futura victoria disceptaret, tandem mane satis ante diluculum cum triremibus, tribus longe à Messana milliaris, omnium primus è triremibus exiliens, Siculam tellurem primus voluis pedibus apprehendere. Mox caeteri milites eum sequuntur. Ipse tamen Rogerius vexillum sanctae crucis civitatis Messanae manibus stricte tenens ita suos affatur milites. Viri strenui & spectatae fidei, vestrum si quis est qui Rogerii nomen amore prosequitur, strenuè bellando hodie se ostendat, in nostra manu est victoria. Ecce Deus nobiscum est. Justam enim fovemus causam. Christi milites sumus, & pro suo servitio huc bellaturi nos venimus. Ecce sanctissima crux, sola ipsa dux omnium est. Ipsam prosequimini, & in ea firmiter sperate, quia in ipsa nostra est verè salus & victoria. Deinde oculis in caelum elevatis, coram omnibus genibus flexis sic reverenter oravit. Piissime Domine Jesu Christe mundi redemptor, qui non spernis pauperum preces, suscipe quaeso indigni famuli tui preces, & concede ut fidei tuae victoriam adeptus, hoc quod manibus teneo sanctissimae crucis tuae vexillum, in qua pro humani generis redemptione suspendi ac mori dignatus es, in civitate Messanae, in altiori fastigio domus tuae figere valeam, ut nomen tuum ubique gentium denominetur. His dictis Goffredum fratrem suum strenuum Ducem accersiri jubet, mandatque ut cum classe portum ingrediatur, & ipsius civitatis portas atque moenia diruat, quia semitas terrestres occupabit ipse. Cui Goffredus sic respondit. Mi Domine invictissime, conducibilius mihi videtur ut me pedestrem exercitum ducente armata classe festinanter ipsum portum velit tua dignitas occupare: quia congruum est ut itineris labor à me suscipiatur. Tua enim praesentia classis magis decorabitur, magisque omnes perterriti fient, & facilius capientur. Sic utrinque praestabimur. Quibus verbis Comes Rogerius assentiens, (cum XXVI.) triremibus portum versùs navigat. Goffredus acie ordinata & militibus equestribus celeriter suum peragit iter. Cum autem Rogerius insulam sancti Jacinti portus civitatis Messanae attigisset (ita enim vocatur promontorium illud) navalem exercitum foras eduxit, ibidemque terrestrem apparatum aperiens Mamertinae urbis amoenitate nimia laetitia oblectabatur. In eo enim loco cisterna erat aquae, prope quam erant furcae, in quibus XII. Christiani ob suspicionem proditionis suspensi videbantur. Quod spectaculum Rogerius ferre non potuit quin tanta miseratione commotus lacrymas non emitteret, & suspensorum strage suspecta, Deo vovit se eodem in loco ad honorem salvatoris suique sancti nominis templum aedificaturum. Dum haec secum in animo volutaret, ecce Goffredus praedictus pugnae dux strenuus advenit. Quo adveniente, subitò datis signis, buccinisque sonantibus, statim momentum mari terraeque bellum viriliter inceptum est. Mauri Messanenses, quamvis pauci, cum ipsis uxoribus armatis turres & moenia strenuissimè defendebant. At Christiani, qui quidem occultè sciebant adventum Comitis Rogerii, ut rapidi leones, quoscumque Maurorum inveniunt partim trucidant, orcoque mittunt, partimque pluribus afficiunt vulneribus. Patent undique januae, undique strages ac praeda videtur, non cessatur, nec aliquis fugae Mauris salvationis locus conceditur. Truculentissimè Christiani Mamertini Maurorum ulciscuntur, totusque tam maritimus quam terrestris exercitus crudeli caede grassatur. Rogerius vero tutam fortitus victoriam, quippe qui clemens erat, miseratione motus, ne ulterius caedes progrediatur, placidissime imperavit ut vivos caperent & pro servis Mauros quosque detinerent. Quinetiam per praeconem mandavit ut si Christiani fieri vellent, vitae ac servitutis impunitatem acquirerent. Qua re audita, quamplures ex illis aqua baptismatis abluti Christiani sunt effecti, & duarum horarum spatio tota civitas infidelibus spoliata in Christi fide ac libertate coruscavit. Dictus exercitus ad episcopatus Ecclesiam se contulit, non sine ingenti totius civitatis tripudio summaque laetitia, Deo primitus gratias agendo. Postmodum Comes tres promtos equites legatos ad se accersiri jussit, quos laetanter sic affatur. Animosi equites & omni laude digni, quorum causa haec civitas patria vestra libertatem obtinuit, & concedente Domino etiam tota insula Siciliae à Maurorum saevo dominatu liberabitur, ecce sacrum vexillum sanctae crucis hujus civitatis felicissima insignia, quod mihi in Miletu commendastis, propriisque manibus huc attuli, ut promisi, ipsum propriis manibus accipite, pro arbitrio judicioque vestro ubi vultis collocate ad Dei summi honorem & perennem hujus civitatis laudem atque gloriam. Qui praefati legati cum tota Messanensium acie prae nimia laetitia collacrymantes Deo summo ac Rogerio, qui eos ab impiis manibus liberarunt, ingentes gratias egere, & magna omnium laetitia vexillum in turri quae nunc est campanile Ecclesiae sancti Nicolai episcopatus extulere. Inde vero ad Comitem recedentes, multis blandisque verbis ultro citroque habitis, non parvum tempus transegere. Exinde tunc Mamertini Rogerium semper ut dominum habuerunt. Tunc Comes Rogerius ipsos praefatos milites Mamertinos pluribus muneribus munificenter donavit, caeterisque militibus suis & civitati etiam parem munificentiam ostendit. Mox pacato civitatis statu, rebusque omnibus compositis, auxiliantibus copiis & Messanensium comitiva totam insulam paulatim in suam redegit potestatem, & ubique pace composita, quae cum summo Pontifice de tripartiendâ victoria, unam Ecclesiis dandu, militibus alteram, sibique tertiam juxta votum quod promiserat humanissime adimplevit. Hanc Comes Rogerius cum annorum esset XXIX. felicissimam est potitus victoriam, Messanamque urbem perenni laude decoravit.

In nomine Dei aeterni & salvatoris nostri Jesu Christi. Amen. Rogerius divina favente clementia primus Rex Siciliae, Ducatus Apuliae, & Principatus Capuae. Optime statuit provida moderatione vetustas ut sua recipiant praemia laborantes, praecipue qui publicis utilitatibus obsecundant, ne quis praeteritus reputetur qui probabili fuerit actione laudandus. Novimus itaque narratione scripturaque vetusta pariter & moderna quot labores, damna, & praelia sustinuerit nobilis & laudanda civitas Messanae & ejus cives ut Christianum dominium expulsis Agarenis in Sicilia praefulgeret. Nam magnificum quondam patrem nostrum ad illam capessendam introduxerunt, ipsum ope & opere praeiverunt cum maxima substantiae & sanguinis effusione, in ipsa magnifici patris nostri dominium Siculis infidelibus fuit tranquilla serenitate pacatum, & nobis etiam in cunctis necessitatibus suam ostendit virtutem. Propter quod debite astringimur ipsam civitatem & cives antiquis praerogativis & honoribus praeservare, nec minus de novo concedere, & in remunerationis praemium tribuere. Et quoniam authenticis scripturis indicantibus ea civitas velut regni caput semper extitit praehonorata, non solum Romani & Graecorum imperii tempore, sed etiam dum esset sub eisdem Agarenis oppressa, dignum arbitramur ideo ut nunc quod ejus labore juvante colitur, ibi sancta religio Christiana meritis, praerogativis, & immunitatibus extollatur. Igitur perpetuo statuimus ut in eadem civitate sit in capite regia curia principalis, in quaque sint Annales, Stratigotus, & Judices ordinarii tam Graeci quam Latini, ubi, & non alibi, in primis judiciis cives & habitatores Messanae tam intra se quàm ab aliis conveniant & conveniantur, incusent & incusentur, tam de civilibus quàm de criminalibus, magnis & parvis, publicis & privatis, praeter si sta-

tus perversio tractaretur. Ex tunc, si decreverit mandatum regium, per officiales hoc immane delictum puniatur ibidem. Qui Stratigotus de se vel ejus arbitrio nihil consequatur, nullamque capiat mercedem, poenam, nec solutionem, nisi quantum Judices mediante justitia mandabunt. Erit itaque solum justitiae notabilis exequutor. Quae curia praesit omnibus civitatibus, terris, & locis quae sunt à Leontino usque ad Pactas & ipsarum habitatoribus, & ejus Officiales visitent & corripiant eosdem cives & habitatores ipsorumque Officiales. Et si civem Messanae contigerit criminaliter incusari, in eodem judicio comparere juret sine malitia incusare, incusationem prosequatur usque ad sententiam & exequutionem, & quotiens ulterius prosequi noluerit, judicium protinus exequatur. Quodque sacri regii Quaestor nec aliquis Officialis regius contra ipsos cives & habitatores causas moveat, nec motas accipiat, ubi lis & accusatio est particularium vel esse debet. Sed si ex commissis per eos aliquid regio competat fisco, illud juridice exigatur in curia supradicta, postquam fuerit per ultimam sententiam judicatum, quodque solus audiatur incusans qui suam vel suorum prosequetur injuriam. Statuimus etiam quod ibidem & in ipsos cives ubique perpetuo justitia praeservetur, ita quod non sit locus injustitiae, nec acceptatio personarum. Etiam si regia potestas seu persona vel ejus Officialis auctoritatis cujuscunque litigaverit cum cive vel habitatore Messanae, nullius favore legis neque privilegii praeponatur, sed justitia communiter ministretur, & à suo praedicto foro non possit illum extrahere, aut alibi conveniat illum vel incuset. Et si regium praetorium aut alius Officialis civem vel habitantem Messanae incusaverit pro re quacunque in judicio, & succubuerit, sibi damna resarciat & expensas; & si fuerit de crimine, ea lugeat poena quam meruisset incusatus. Adjicimus etiam quod regia auctoritas non utatur ibidem nec contra eosdem absoluta potestate, sed legibus ordinata, quam ex nunc legibus & justitia moderamus. Quodque nunquam fiat ordinatio, mandatum, vel scriptura quae sit contra jus, statuta, constitutiones, mores, consuetudines & privilegia dictae civitatis, & si fieri contingat nulli exequutioni mandetur donec fuerit per justitiam moderatum, nec unquam in eadem novi statuantur Officiales, seu de novo, & omnes officiales statuendi à regia serenitate, sive ad vitam, ad tempus, vel ad beneplacitum, pro quacunque jurisdictione vel exercitio, sint cives ejusdem, non suspecti, nec infesti populo, aut molesti. Insuper quod omnes civitates & loca quae sunt à Leontino usque ad Pactas jurare teneantur manutenere honorem Messanae, pro qua & civium vindicta ad ejusdem civitatis mandatum facere teneantur armatam per mare vel terra, exequendo quae eis dicta civitas mandabit, regia fidelitate praesalva. Et quia caput est regni, & regiam continet potestatem, ordinamus quod Rex qui fuerit ad tempus ad ipsius civitatis honorem semper sit & reputetur civis coronatus in eadem. In qua regia status regni & regiminis omnia conserventur exempla, sitque prae aliis regni civitatibus honorata, & in regiis aliisque convocationibus & synodis sedem primam & locum primum obtineat principalem. In qua etiam totius dominii nostri pecunia aurea, argentea, & aerea cudatur, & Officiales siclae ipsius cognoscant de qualitate & pondere ipsius monetae quae per omne regni dominium expendetur. Decernimus praeterea quod praesint in eadem curia maris Consules per navigiorum primates & mercatores eligendi, qui cognoscant de marinis negotiis, quibusvis mercantiis & earum naturam sapientibus. Qui Consules de usibus marinis & modo regendi curiam valeant capitula statuere. Volumus etiam quòd ubicunque mercatores navigiorum dominio civitatis praedictae fuerint adunati, è tribus unum possint Consulem eligere & statuere confirmandum per Consules antedictos. Qui Consul & nullus alius infra regium dominium audiat, cognoscat, & decidat causas ipsorum civium quascunque magnas & parvas, civiles & criminales; & quòd nullus alius Officialis audeat manus in causis iisdem immittere, nec contra dictos cives & eorum bona aliquid intentare. Si verò causa fuerit de crimine, vel à solidis aureis viginti ultra, & dictus civis elegerit causam suam in eadem civitate tractari, quod cauté coram eodem Consule secundum quantitatem negotii & personae ipsum ad dictam civitatem litigaturum transmittat, & si crimen tale fuerit, sub fida custodia & diligentia. Coram vero Consule per eosdem extra nostrum dominium eligendo, omnes de nostra & successorum nostrorum potestate se conveniant & accusent, & conveniantur & incusentur, & non alibi. Nec aliquis de subditis Regis Siciliae extra dictum dominium valeat Consulem eligere nec statuere. Nam hoc praemium eidem civitati concessimus ad ejus honorem. Praeterea cives & habitatores praedictos liberos facimus perpetuò per totum nostrum dominium quod nunc habemus & favore divino nos vel caeteri Siciliae Reges habebunt in posterum de omnibus & singulis gabellis, dohanis, & aliis solutionibus quibuscunque tam de magnis rebus & mercibus quàm de parvis, mobilibus & stabilibus in mari & in terra, tam in terris regiis quam in Ducalibus, ecclesiasticis, Comitum, & Baronum. Adjungimus etiam quòd nullo unquam tempore in eadem civitate & extra per suas villas & rura quae sunt à rupe Agro usque ad Babusium inclusivè tallia, collecta, angaria, parangaria, echioma, gabella, mutuum, extorsio jaciatur, imponatur, nec colligatur, etiamsi Rex quacunque necessitate productus contra regni statuta vel secundum collectaret, peteret, aut caeteros cogeret pro re quantacunque necessaria, liberi sint, dum caulaverint seu convenerint à trino pro cento, proque rebus communibus & publicis, ac negotiis civitatis, nec ad regii epilagmatis jura nec exemplorum cogantur solutionem, & nunquam ullo tempore gabella de novo nec impositio quomodolibet apponatur in rebus quibuscunque nec mercibus, tam in rebus quae fuerint in civitate quàm quae portantur ab extra, etiamsi essent res inventae de novo. Minerae, aquae, & similia, quae in locis civium inveniuntur, sint civium ipsorum, praeter eas quae in praesidiis regiis concessis ipsis civibus reperiuntur. Praeterea quòd per omnia maria piscari valeant absque aliqua solutione, & quod ipsorum necessaria capere possint à terrenis littoribusque propinquis, nec minus pro usu ipsorum ligna capere vel capi facere à nemore quocunque & pro navigiis ipsorum civium construendis aut reparandis, nulla solutione praecunte. Addimus etiam quòd nullus civis Messanae ad stolum vel armatam quamcunque regalem nec aliàs per mare seu terram ire cogatur invitus, praeter ad hoc opus munere aut stipendiis sublimatus. Civis verus erit & velut oriundus tractabitur qui illic per annum, mensem, hebdomadam, & diem habitaverit, nec alibi domicilium habuerit. Et quoties statuetur exercitus aut stolus in eadem civitate, & ex eisdem civibus armetur galea cum qua regia persona transfretabit. Quae galea cum signis regiis & civitatis ab omnibus aliis honorabitur & praeponetur. Cum pro statu civitatis consilium celebrabitur, Stratigotus, Judices, caeteri Officiales & cives vocati adire & consulere teneantur. Civis recusans, si non fuerit excusatus justè, per Consilium mulctetur, sed poena solidum auri non excedat. Jubemus quod cives Messanae, & ab eis descendentes, qui extra civitatem praedictam habitaverint, gaudeant eis immunitatibus & exemptionibus & praerogativis quibus intus civitatem commorantes, quoties ejusdem civitatis se voluerint titulo praetueri. Decrevimus etiam quòd omnes exteri tam nobis & nostris successoribus subditi quàm non ibidem ea libertate tractentur, tam in dohana quàm in aliis regiis juribus, qua cives & habitatores eosdem in suis patriis tractaverunt. Supradictis immunitatibus & gratiis gaudebunt Judaei simul cum Christianis. Cives eosdem volumus in re-

regiis officiis majoribus & aliis promoveri. Regium Consilium communò ipsorum civium consultatione muniri. Demum praecipimus & mandamus omnibus successoribus nostris quòd praesens nostrum exemplar eisdem civitati & civibus observent, & perpetua firmitate custodiant, faciantque ab universis effectualiter observari. Datum est hoc exemplar originale de nostri mandato Petro de Camuglia, Aloysio de Trano Militibus, Johanni de Columna juristae, & Philippo de Bursa philosopho Syndicis dictae civitatis per Jacobum de Mariscalco Militem de Messana, in lingua Graeca atque Latina peritum, nostrarum scripturarum correctorem, in urbe Panhormi felici, in solemnitate nostrae coronationis, die quintodecimo Maii, sub anno incarnati Verbi MCXXIX. astantibus reverendis Domino Rogerio Beneventano, Johanne Salernitano, & Philippo Capuano Praesulibus, Ricardo Gaetano Duce Salerni, Anselmo Piperio Comite de sancta Flore, Petro de sancto Severo domino Marturani, & quampluribus aliis.

In nomine Dei aeterni & salvatoris nostri Iesu Christi. Amen. Wilhelmus divina favente clementia Rex Siciliae, Ducatus Apuliae, & Principatus Capuae. Condignum arbitramur nostrorum subditorum quae virtutibus acquisiverunt augendo confirmare. Fecimus itaque Messanensibus privilegium, concedens eis aliquas gratias speciales. Datum in urbe felici Panhormi per manus Riccardi Syracusani electi anno dominicae incarnationis MCLX. mense Maii, indictione IX. Dumque Messanae personaliter essemus, ex parte universorum hominum civitatis ipsius fuit nobis exhibitum exemplar originale magnifici Domini patris nostri requiescentis in pace, datum in urbe praedicta Panhormi die XV. Maii sub anno incarnati Verbi MCXXIX. in solemnitate coronationis ejusdem, aliaque Romanorum chirographa, per quae plenè accepimus illam civitatem ulteriora mereri quàm sibi nostra munificentia fuit largita. Certi propterea cives ipsos, cum opus fuerit, nobis similia praestituros, ante nostra lumina discernentes quae pro nostra magnitudine praestiterunt atque praestare non desinunt, eisdem civibus & civitati propter eorum merita omnia & singula privilegia, gratias, & munera, praedictae civitati concessas, praecipuè dictum privilegium in exemplari originali contentum excellentis Domini patris nostri, ut jacet, per nos inspectum atque visum confirmamus, roboramus, ipsisque ex nobis concedimus de novo, proque civium ipsorum meritis unà cum infra ponendis gratiis largimur. Cui civitati & civibus etiam libertatem in dicto privilegio declaratam specificè in sancta urbe Hierusalem omnibus & singulis aliis civitatibus, terris, & locis Agarenorum, & aliorum infidelium quas nobis subjecimus & Domini brachio subjiciemus, etiam in civitate Acri, concedimus, damus, & volumus observari, in quibus dicti cives logias ubicunque voluerint aedificare, Consulem statuere cum plena auctoritate velut in eodem privilegio declaratur. Si verò curiae fuerit solum, nihil solvant; si privatum, à dominis emant illud volentibus alienare, ita quòd per excessivum logiae aedificium loci non deformetur aspectus. Portus & portas omnes nostri domanii & domanii praesentis & futuri, Ecclesiarum, Comitum, & Baronum, pro victualibus aliisque comestibilibus pro usu civium & civitatis ipsius eidem concedimus civitati cum omni mera libertate & illa quam de aliis mercibus & rebus habent, secundùm dictamen supradicti privilegii. Nec ad impositionem aliquam forsan super iisdem victualibus & comestibilibus per Universitates, Praelatos, Comites, aut Barones addictam teneantur vel solvere cogantur. Ad hujus autem concessionis & munificentiae nostrae memoriam ac perpetuò stabile firmamentum praesens hoc privilegium nostrum per manus Mathaei nostri notarii scribi jussimus, nostroque quo utimur epistagmate roboratum. Datum in eadem civitate Messanae per manus Riccardi Syracusani electi, anno dominicae incarnationis MCLX. vigesimo Augusti, indict. IX. regni verò Domini Wilielmi Dei gratia magnifici & gloriosissimi Regis Siciliae, Ducatus Apuliae, & Principatus Capuae anno XI. feliciter. Amen.

Notitia de Modulantia.

QUALITER beatus Martialis acquisivit terram illam quae appellatur Modulantia in comitatu Ruthenico patet sic.

Erat quidam illo tempore homo nobilis genere * Yschafredus timens Deum. Hic venit Lemovicas orationis causa, & ibi per unam quadragesimam commoratus est cum uxore sua Rixenda & cum aliis satellitibus suis vel aliis compluribus persistentibus die ac nocte in orationibus ante sepulcrum beati Martialis. Cum autem appropinquaret tempus revertendi ad propria, cogitans de misericordia Dei & tremendo dei judicii, & videns tantam sanctitatem loci & monachos timentes Deum ibidem habitantes & perseverantes in Dei servitio, petivit ab Abbate Gausfredo, qui tunc erat, sive cuncta congregatione ut se participem facerent beneficiorum suorum. Cui Abbas rectè obediens, dedit ei societatem in praesentia fratrum. Ipse autem Yschafredus fecit convenientiam talem Deo & sancto Martiali in praesentia fratrum ejusdem loci ut si filius ejus Deusdet sine infante legitimo moreretur, terra sua quam habebat in alode infra duos fluvios Blauro & Avarione ad locum sancti Salvatoris & sancti Martialis remaneat Lemovicas, extra illam terram quam dedit filiabus suis in hereditatem; ex quibus una fuit monacha; alteram, ex moriente, ditatam hereditate reliquit cum matre. Prior enim filia, quae monacha fuit, Ricardis vocabatur, minor verò Alpasia nuncupabatur; de qua dixit ipse quòd si sine infante legitimo moreretur, sua pars de alode in ipsa convenientia remaneret. Postquam igitur reversus est ad propria Yschafredus, venerunt duo viri ex parte Ruthenica similiter ad devotionem Lemovicas in monasterio sancti Martialis in diebus domni Odolrici Abbatis: quorum unus laicus, Raynaldus Bellus homo vocabatur, alter verò sacerdos, qui Simplicius appellabatur. Cum ergo se cognovit Yschafredus appropinquare ad mortem & coepit aegrotare, fecit scribere supradictam convenientiam, quam ipse & uxor ejus & filius ejus manibus propriis firmaverunt, teste Roberto Presbytero & Deusdet praenomen Principale, in quorum providentia reliquit suam eleemosynam. Ipse verò migravit a saeculo jubente Domino nostro, cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

* Vide Gaufred. Vos. cap. 7. pag. 282.

De supradicta terra reliquit Yschafredus tunc unum mansum in dominio sancti Martialis, qui mansus est illa Vicaria. Mortuus est Yschafredus, & sepelierunt eum in Ecclesia de Murore, quae est in ipsius alode. Postea uxor ejus & filius ejus venerunt Lemovicas, feceruntque ipsam donationem; firmaverunt cartam, & narraverunt omnia sicut suprà dictum est, & reverterunt ad propria. Tunc misit domnus Odolricus Abbas Simplicium, unum è duobus de quibus suprà diximus, in Ruthenico mansum illum revocare & signum crucis levare. In die verò sextae feriae levaverunt crucem, Simplicius videlicet monachus & Deusdet & Rixendis. Et octavo die ab ipsa sexta feria Deusdet ille filius Yschafredi interfectus est, sepelierunt eum ad ipsam Ecclesiam de Murore. Tunc illa convenientia quam fecerat Yschafredus Deo & sancto Martiali de supradicta terra consequuta est, eò quòd filius Yschafredi sine filiis obiit. Cum autem audissent nepotes Yschafredi quòd mortuus esses filius ejus, contrapellaverunt honorem illum dicentes: Avunculus erat. Post mortem uxoris ejus sua hereditas nostra erit. Non enim potuit quicquam dare nec alienare: quia noster avus talem constitutum fecit ut si unus de filiis suis sine infante moreretur, non posset hereditatem suam alienare à germa-

Vide Gaufred. Vos. pa. 287.

nis

nis fratribus. Et haec sunt nomina eorum qui contrapellabant terram quam Yschafredus dimiserat Deo & sancto Martiali, Bernardus scilicet filius Hugonis, & Hugo de Peyrola, Aymo filius Vereri & fratres sui, Stephanus videlicet & Deusdet de Callanias Begonenses. Postea Guido de Castellomarino petivit sibi dari Alpaiam filiam Yschafredi, & dedit dona pro ea Bernardo, & promisit ut de terra Yschafredi amplius non requireret nisi quantum Yschafredus filiae dimiserat, & postea faciens contrapellavit mediam Modulantiam, eò quòd fecisset Rixendis jus sponsalitium. Remisit autem Domnus Abbas Simplicium monachum requirere hanc causam. Qui perrexit, & invenit quas Aymo avus eorum fieri jusserat de terra illa. Et condixit placitum Simplicius in castrum qui dicitur Malamorte, & fecit legere eas audientibus parentibus & nepotibus & aliis multis. Ibi cognoverunt quia Bernardus filius Hugonis nullam querelam justam haberet in hac terra. Idcirco eam postea non requisivit. Sed filii Vereri requisierunt sicut & prius & Guido similiter. Alio die venerunt filii Vereri & Simplicius in castro de Montcolivo in praesentia Hugonis Comitis & Arnaldi Episcopi & Abbatis sancti Amantii & aliorum multorum nobilium. Et convenerunt aliud placitum; in quo fuit Abbas Odolricus, & venit in terram quae dicitur Modulantia cum Comite Hugone & Arnaldo Episcopo & aliis multis, & levaverunt crucem in loco ubi Ecclesiam volebat Odolricus Abbas aedificare. Sed hoc contradixit postea Guido. Tunc Arnaldus Episcopus excommunicavit eum & castella ubi remanebat. Et ille exiens de Rutenia, habitavit in Albiense in castro Montirato, in quo accensus ignis domos plurimas succendit. Multi quippe dixerunt propter peccata Guidonis hoc evenisse. Dedit Abbas Odolricus sexaginta solidos supradicto Bernardo ut non fuisset ei contrarius, sed ut firmaret cartam. quod & fecit. Et fratres suos firmare convenit, & firmaverunt. Filii verò Vereri venerunt Lemovicas, reliquerunt ea omnia quae requirebant, & firmaverunt cartam. Insuper dederunt de eorum terra Deo & sancto Martiali, Aymo quidem unam vineam & illa prata, Stephanus illum mansum de Polemmato, Deusdet unum mansum de super Castaneas. Et acceperunt propter hoc trecentos solidos de Abbate & congregatione sancti Martialis. Et petierunt à Domno Abbate & monachis absolutionem, si de hoc peccatum haberent, & ut daret illis aliquam rem in signum victoriae ex parte Dei & sancti Martialis, quia contigerat eis eo tempore praelium cum inimicis, & dum fuerant multi, à paucis fuerant superati. Quo audito, Abbas & congregatio fecerunt eis absolutionem. Et dedit Abbas Aymoni unum falconem pulchrum, ut ei esset in signum victoriae ex parte Dei & sancti Martialis, si ille fidem quam promittebat teneret. Et fecerunt convenientiam, si infantes non haberent, ut amplius de eorum terra dimitterent sancto Martiali, Aymo unum mansum de poio illo quem Gallus tenet, Stephanus unum capud mansi in illa prata cum vineis, Deusdet illum mansum de Murato ubi Bernardus manebat cum vineis, & sepultura eorum sit ad illam Ecclesiam quam aedificaturi erant Abbas & sui. Domnus autem Amelius dignissimus pastor Ecclesiae Albiensis jussit ad se venire Simplicium monachum, & fecit inter eos placitum quod ambo simul perrexerunt Ruthenam, ubi Episcopus Arnaldus jacebat malè habens. Placuit Arnaldo Episcopo, & solvit Guidonem ab excommunicatione, & cum consilio suo perrexit Lemovicas cum uxore sua, & reliquerunt omnem querelam quam habebant in terra supradicta, & insuper dederunt Deo & sancto Martiali unum mansum qui dicitur Combocantomacia. Dedit ei Abbas centum solidos, & insuper Guido non requirebat. Et pronisit ei quod si filium haberet ex ipsa filia Yschafredi, monachum illum faceret. Ipsi convenerunt sepulturam suam ad Ecclesiam supradictam, si redirent ad propria. De supradictis guirpitionibus sciatis certissimè quod nec guardiam nec commendam retinuerunt, sed totum & integrum sicut Yschafredus tenuerat reliquerunt, & cartam Yschafredi firmaverunt. Abbas vero promisit ut de communia sancti Martialis non eiciat nec per gardiam nec per domnum, sed suo dominio aut in Lemovicas aut in illa Ecclesia quae propter hoc aedificanda erat maneat.

Interea hac eadem hereditate bonae memoriae antè praefati Yschafredi omni ex parte in dominio beatissimi Martialis jure perpetuo redacta, placuit Abbati Odolrico cunctaeque ejus congregationi, unà cum consilio gloriosi praesulis Ruthenensis civitatis Arnaldi & Comitis Hugonis, Amelii Albiensis Episcopi, Ademari, atque Berengarii, Odilonis, Bernardi, & aliorum, construere Ecclesiam in ipsa jamdicta possessione in loco qui dicitur Rivo petroso sive Tres vias propter ibidem trium viarum conjunctionem, in nomine sanctae & individuae trinitatis, & in memoriam sancti Assoli Martialis. Tunc obiit dictus Episcopus Arnaldus servus Dei, quem multum diligebat Deus.

CHRONICON BREVE

Monasterij Canigonensis in diœcesi Helenensi.

ANno Domini millesimo primo, aera MXXXIX. anno VI. Rodberti Regis, Indictione XIV. Guifredus Comes coepit aedificare monasterium sancti Martini Canigonensis.

Anno Domini MXIV. electus fuit in primum Abbatem Selva monachus sancti Michaelis Cosanensis.

Eodem anno delatae fuerunt reliquiae sancti Gauderci Confessoris è finibus Tolosae.

Anno Domini MXXVI. consecrata fuit ejus Ecclesia.

Anno Domini MXXXVI. Guifredus Comes monachus efficitur.

Anno Domini ML. pridie Kalendas Augusti obiit dictus Guifredus.

Selva primus Abbas praefuit annis XXX.
Guillermus Abbas annis V.
Miro annis XV.
Benardus annis VIII.
Petrus Ermengandi annis VIII.
Petrus Iunarii annis XXXIII.
Raymundus Valle de Crassa annis XIX.
Berengarius de Crassa annis V.
Raymundus sacrista Rivipullensis annis XI.
Geraldus frater ejus annis IV.
Petrus annis XXXIII.

Narratio de Hugone de Bruccia Abbate sancti Martialis Lemovicensis.

VIGESIMUS sextus Abbas fuit Hugo de Bruecia. Praefuit annis quatuordecim & sex mensibus. In coena Domini in morbum incidit; à quo cum sanare non posset per annum, vergebat illud cœnobium in detrimentum, cum nec ipse illud gubernare sufficeret, nec à fratribus monitus regimini resignare vellet illud. Contigit illis diebus, quando Johannes Rex Anglorum castrum de Axia accepit, quod quidam monachus nomine Alermus praedicti Regis pœnitentiarius ad nos veniens societatem nostram in capitulo obtinuit. Statim ad abbatiam adipiscendam anhelare se recepit. Secundo anno, mense Augusto visitavit hunc locum quidam Legatus natione Anglicus Robertus de Corso populos admonens cruces facere ad terram Jerusalem liberandam. Unde Dominus Hugo Abbas ei placere gestiens crucem suscepit, & Episcopus Lemovicensis similiter. Deinde Legatus perpendens Abbatem esse insufficientem, cum alium apostolica auctoritate ad placitum An. 1226.

tum

rum suum in ejus loco vellet inthronizare, coepit rotare conventum in capitulo ut tam Abbas quàm monachi hujus loci ordinationem in eum ponerent. Quod Abbas, quasi de ipso bene confidens, acquievit. Sed conventus ei nullo modo in hoc acquiescere noluit. Qui cum à nobis recessisset, & sexaginta libras de Tornis ab Abbate nostro pro munere suscepisset, & eum confirmasset in Abbatem, post duos menses iterum mandavit tam Abbati quàm majoribus illius loci ut in festo sancti Dionysii à Peiteus ei occurrerent: Quod cùm fecissent, ex insperato Abbatem deposuit, & monachis appellantibus Alermum supradictum Abbatem eis nominavit, quem postea Episcopo Engolismensi benedicere fecit, nullo de monachis nostris consentiente. Cumque hoc ad aures nostras pervenisset; omnes simul in unum congregati affirmavimus nos hunc Alermum pro Abbate nullo modo suscipere nisi per Dominum Papam coacti. Tunc mandantes Praepositos & Priores nostros, diem electionis assignantes Dominica infra octavas sancti Martini, more antiquo electio facta est de Petro Lagrisa tunc Praeposito de Roxa, qui tunc erat Diaconus, quem statim Johannes Episcopus Lemovicensis confirmavit, sed benedictionem ei dare distulit. Cùmque generalis synodus Romae in anno sequenti immineret, Alermus illuc perrexit. Sed Petrus electus noster infirmitate detentus pro se nuntios misit; qui Domino Papae nihil obtulerunt; sed sex mille solidos inutiliter expenderunt. Cùmque post epiphaniam Dominus Papa Innocentius III. causam nostram audisset, extemplo electionem nostram cassavit, & nos privilegio eligendi privavit, insuper Johannem Episcopum vehementer increpavit quòd talem electionem confirmasset. Post duos menses dedit commissionem Episcopo Petragoricensi, Decano Engolismensi, & Archidiacono Xantonensi ut ad hanc Ecclesiam personaliter accedentes praefatum Alermum, si possent probare fore idoneum, Abbatem praeficerent, & nos ad exhibendam ei reverentiam auctoritate apostolica compellerent. Qui accepta commissione diem nobis assignaverunt in festo sancti Laurentii. Sed infra hos dies audita est repentina mors Domini Papae. Tunc convenerunt multi sapientes & juriperiti à nobis rogati. Geraldus Abbas Cluniacensis misit pro se Priorem Nivernensem & duos alios. In primis dictum est ad tres judices eos fore privatos potestate judiciaria. Sed ad dandum consilium qualiter Ecclesia idoneum pastorem haberet socii sunt admissi. Lecta epistola Domini Papae, apparebat nullum alium Abbatem esse nisi Alermum, si idoneus à judicibus comprobaretur. Quod revera contigisset, nisi mors summi Pontificis intervenisset. Cumque tentatum omnimodis fuisset si aliquis ex nostris cum & nullus fuit inventus. Quid plura? Omnes simul tam monachi quàm laici in capitulo convenerunt, & Alermum rogaverunt ut daret pacem Ecclesiae periclitanti, & acciperet de bonis Ecclesiae quicquid vellet. Qui cum precibus acquievisset nostris, juravit unus pro omnibus aliis Annonius nomine quòd arbitrio trium judicum provideretur. Quo facto, tres electi cum tribus judicibus in sepulchrum sunt ingressi. Post duas horas elegerunt Capicerium in Abbatem. Et haec facta sunt anno MCCXVI.

EPISTOLA HISTORICA
De victorijs Regis Davidis in oriente.

Circa annum 1220.

VErborum abundantiam transmittit affectio. Garrula enim res amor est, & teste Salomone loquelam suggerit amor quam negat ingenium. Cum igitur desiderij peregrinationis finis & expectationis meae complementum sit terrae sanctae deliberatio & paganorum confusio, ea quae tam à Christianis quàm quae non solum à minoribus immo etiam à majoribus Sarracenis & Magistro Templi audivi referre, praesenti pagina vobis significo, & propter multo certius quia adversae partis testimonium manifestae veritatis est argumentum, & multa multotiens de alteris Machabaeis orientalibus relata sunt, quae de ipsis recenter inciderunt, vetera praetermittentes, vobis significo. Sanè cum Rex David nuper totam Persiam sibi subjugaret, de Iorgianis volentibus terram Seraphi defendere, propter treguas ad invicem contractas, & cum ipso confligentibus, multa milia hominum in ore gladij ceciderunt, illisque devictis, quandam eorum civitatem nobilissimam nomine Thelsi sibi occupavit, & omnes inclusos detruncavit. (Vide Tom. VIII. Spicilegij Dacheriani pag. 379.) Videntes igitur Iorgiani quod potentiae suae non valebant resistere, se esse Christianos recognoverunt, & cum eo pacem facientes, ei unanimiter adhaeserunt, & cum eo militant in expeditionibus. Praedictus igitur David cum quandam civitatem nomine Arges appropinquaret, ejusdem civitatis pagani usque ad viginti milia ei obviam exierunt ad confligendum cum eo; quos praedictus David concludens detruncavit, ita quod non erat aliquis eorum qui civitati praedictae agenda eorum nuntiaret. Quod videntes quidam mercatores, versus Mareth civitatem iter arripuerunt cum viginti milibus camelorum omni genere negotiationis oneratis. quos videntes praecursores David praedicti, usque ad Catram civitatem illos insecuti sunt, & eos pro majori parte cum omnibus spoliis ceperunt; & qui de illis evaserunt, apud Aman venientes, praedicta pro certo nuntiaverunt. Praedictus quidem David praedictam civitatem nomine Argis feliciter expugnavit. Aiunt quidam illam civitatem habuisse quadringentas turres, & super unamquamque turrim unus trabuchellus fuit erectus. Et cum praedictus David de praedicta civitate recederet, praeparavit se ad obsidendam civitatem magistram terrae Seraphi nomine Kalat. Pro qua re praedictus Seraphus in stuporem & pusillanimitatem conversus est, verens amittere regnum & gentem & totam terram suam, cuidam fratri suo non solum commisit, immo etiam illum Dominum & Soldanum super eam constituit, & se de toto regno deposuit. Quamvis igitur de numero exercitus praedicti David inaestimabili & facto ejus secundum causas inferiores impossibile videatur narrare fabulosum, de Dei tamen gratia, apud quem nihil impossibile, qui prout vult omnia disponit & mutat, posse fieri non erit vanum aestimare. Vniversi pro Christianitate captivi quasi una persona ab intimo cordis vocem eructuant clamantes incessanter: *Educ, Domine, de carcere animam meam. Usquequo . . . . . exaltabitur inimicus meus super me. Visita me igitur Deus in salutari tuo, & propter miseriam compeditorum & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.* Quasi respondeat eis: *Quia ecce dies veniunt, & suscitabo David germen justum, & sapiens erit, & faciet justitiam in terram Israëlem, & quia induratum est cor Pharaonis, non vult dimittere populum meum nisi in manu forti, quae est David, visitabo in virga iniquitates eorum.* Malos enim malè perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis, ut amodo faciat uvas quae huc usque fecit labruscas. Et non est praetermittendum quod David dicitur filius Johannis Regis. quod non caret mysterio. Sicut enim filij quadam virtute innata à patribus generantur, sic & omnis fortitudo virtutis habet meritum. A prima gratia, quae dicitur praeveniens, quasi virtute generata successivè procreatur. Et quamvis omne significans naturaliter debeat praecedere suum significatum, in hoc tamen opere prius & posterius non conveniunt insimul. Praedictus igitur David plurimis conflictibus agitatus, multis offendiculis fatigatus, manus suas à salubri incepto non retrahit, immo dicit: Prosequar & comprehendam inimicos crucis, & non revertar donec deficiant, quia polluerunt tabernaculum Domini, & effuderunt sanguinem servorum suorum tamquam aquam. Vnde est quod mea parvitas vestrae circumspectae discretioni supplicare non sufficit quatinus cum Christi agonytis admilitare vos non fastidiat, rectè considerantes quod certantium

tium

tium in agone solis comprehendentibus bravium conceditur. Et quia meae partis . . . . sum ita quod omnibus scribere valeam, vos rogo quatinus praedictos rumores Domino R. Capellano de Ra. & magistro G. de sancto Ægidio significetis. Transmitto etiam vobis omnia nomina regionum quas praedictus David cepit & expugnavit. Datum apud Antheradensem civitatem ultima die sabbati ante mediam quadragesimam.

In primis cepit Rex David terram Elietho, & habet duodecim civitates. Et postea cepit terram Barith, & habet octo civitates. & postea terram Segon. Et de terra Sagal usque Casaar sunt quadraginta dietae. & de Casaar usque Farsana & Methima decem dietae. & de Causat usque Bothora viginti dietae. Et haec est circa dominationem terrae illius. Et praeter praenominatas civitates sunt in eadem terra parvae villae & castella usque ad CCXX. Et amplius cepit & transivit Gion, & cepit regionem Regis in Canado & civitates Thorosan. Et habet civitates magnas Hamo & Bende, Nexio & Marue, & Sarves, & Ayv, & Nicheshalx, Satrathinam, Carbaniebam, Mellavar, & Baalx, & Narç, & Belsathan, & Seri, & Demoad, & parvis civitatibus & castris CCXXXII. Et venit ad regionem Semhar, & cepit eam, & Mehedaram, & omnes ejus dominationes. & sunt decem magnae civitates & CCXX. castella. Et postea venit ad regionem Gauresinashat. Et sunt ejus dominationes in longitudine & latitudine pariter trium mensium. Et totam illam regionem cepit. Et venit ad regionem Regis Teherris. Et haec est Elkarach magnum. Et sunt magnae civitates . . . . . primo Ray, & Heshar, & Raccan, & Theruth, Gion, Cassan, & Nassava, & Spahan, & Hinadam. Sunt ibidem civitates magnae & parvae & castra CCCXX. Et venit ad regionem Dadartesquam. Et habet XLVII. civitates magnas, in primis Mannar & Esno. Et venit ad Guzalam, & cepit eam, & dominationem Enur, Boberithir, & duodecim magnas civitates, & CLXXVII. villas & castra. Rex autem David habet in societate sua servos CLV. milia, qui non sunt de lege sua, Kasser Turchs. Et habet CXXXII. milia militum, qui non sunt de lege sua, qui vocantur Biarach. Et postea cepit totam Persiam, & nuntios suos praemisit Caliphae apud Baldach, sicut saepius audivistis. Sed quare Baldach non expugnavit, ignorant omnes rumiferi. Postea cum Georgianis conflictum habens, cepit eorum magistram civitatem nomine Thelphi. sed postea concordati sunt cum eo. Postea superatis XX. mille Sarracenis, & multis spolijs captis, expugnavit Argys civitatem fratris Seraphi; & hinc, ut aiunt, venit obsidere civitatem magnam terrae Seraphi nomine Kalat.

ACTA ELECTIONIS

CONRADI IV.

REGIS ROMANORUM.

Electio novi Imperatoris facta per Principes Almaniæ.

An. 1237. ex Cuspiniano vel 1234. ex Ptolem. Lucensi. Vide Godefrid. S. Pantal. ad ann. 1236.

EXPECTATIO gentium Iesus Christus, quem mittendum sacra prophetarum oracula praedixerunt, auferens sceptrum de Iuda, & ligans ad vineam pullum suum, hoc est ad novae plantationis Ecclesiam Romanum imperium alligans, in ipsius clypeo tutelam nostrae fidei positam manifestissimè praesagivit. Probat hoc clarius sequentium rerum eventus, interpres cujuslibet, & probatio certa praesagij, dum nedum imperio patiente naufragium, sed nutante solummodo, spumosis incursibus procellarum, interdum haeresum gramina, quae materialis imperij ferra non resecant, in demolitionem vineae Domini Sabaoth perniciosè succrescunt. Dum inexcusabilis itaque negligentiae vitio manifestè convincitur qui tam nobile fidei fulcimentum qualibet hominis provisione non adjuvat, sed conquati patitur, quasi fidem non diligat qui fidei negligit armaturam. Nec tamen hoc ad quorumque fidelium culpam aut notam justè reducitur, sed illorum potissimè negligentiam condemnat ad quos divina sententia seu more majorem vis & auctoritas provisionis hujusmodi pertinere noscuntur. Nam quamquam in urbis initijs, post memorabile Trojanorum exitium & deletam tam inclitam civitatem, caput illius novae congregationis Patrias summi Regis potestas & imperialis creationis suffragium resideret, ex successivis tamen & continuis incrementis imperij postmodum calescente virtute, tantae fortunae fastigium apud unicam civitatem, licèt praecaeteris * regionem, non potuit contineri: sed postquam etiam remotissimos terminos quadam gyrovaga peragratione lustravit, tandem apud Germaniae Principes non minus probabili quàm necessaria ratione permansit, ut ab illis origo prodiret imperij per quos ejusdem utilitas & defensio procuratur. Cum igitur nos . . & . . qui circa hoc Romani senatus locum accepimus, qui patres & imperij lumina reputamur, coràm tremendo judice de cura tantae villicationis oporteat reddere rationem, nobiscum sollicita meditatione pensantes quòd tantum negotium non tam sortis judicio quàm industria provisionis indigeat, illud etiam diligentius attendentes, quod post unius regnantis occasum, interstitium temporis inter praedecessoris obitum & plenum dominium successoris, quod interregnum veteres appellabant, grande posset imperio, sed & catholicae fidei maximum afferre discrimen, praevenire salubrius tempus eligimus quàm dispendium temporis expectare. Nam licèt per vires, industriam, & labores excellentissimi Domini nostri Frederici &c. cujus vitam & imperium cupimus, satis ad praesens imperio sit provisum, quia tamen praeminentia dignitatis longioris vitae beneficium Regibus non concedit, praesentis vitae lubricum merito formidantes, ipso vivente salubriter & regnante feliciter, de successoris nobis electione praevidimus, ne per ejus interitum justitia diminutionem status pateretur, imperium & tranquillitas interiret. Et cum de substituenda persona diligenti meditatione nobiscum & sollicitè pensaremus, praeteritorum cauta provisio salubre consilium praebuit in futuris. Considerationibus etenim nostris occurrit qualiter divi Caesares progenitores Imperatoris ejusdem, qui longis retro temporibus imperio praefuerunt, non solum ut domini justitiae solium inclitè tenuerunt, sed tamquam patres imperij, paternæ dilectionis zelum ad omnes & singulos habuerunt, qualiter nec personarum periculis nec rerum parcendo dispendiis, & plerumque per dubia bellorum discrimina, imperij nostri fines in citramarinis & transmarinis partibus perduxerunt. Propter quod parentum laboribus fraudari filios nostri noluere majores. Nos ipsorum vestigiis laudabiliter inhærentes, præsentem Imperatorem, quem in exaltationem Romani nominis & dignitatis augustæ prædecessorum suorum verum successorem agnoscimus & filium experimur, in sobole sua simili retributione decrevimus honorare; & ut dum filium ejus ex nunc in futurum Imperatorem nostrum post ejus mortem assumimus, justè pro imperio pater hactenus laborasse se gaudeat, laboretque libentius amodo, velut laborum suorum fructus non relicturus extraneo, sed ex communi voto parentum filio paraturus. Sicque nos, inspirante nobis tam salubre consilium gratia summi Regis, ad vocationem & preces ejusdem Domini nostri Imperatoris apud . . locum unanimiter vota nostra contulimus in Corradum antedicti Domini Imperatoris filium, regni Hierosolymitani legitimum successorem, eligentes ipsum ibidem in Romanorum Regem & in futurum Imperatorem nostrum post obitum patris habendum, ac etiam debita eidem fide data præstantes ad illud obtinendum

* f. dignorem

dum imperij diadema, & sibi, prout de jure tenemur, consilium & auxilium impendemus. Et licèt Henricum primogenitum suum pridem nobis in Regem simili provisione duxerimus eligendum, quia tamen cum in honore esset non intellexit, sed ab aquilone sedem sibi constituens contra patrem, loco tanti regiminis se monstravit indignum, justo patris judicio & ejus ultronea voluntate, quam sibi conscientia propriæ transgressionis ingessit, ab eodem Henrico soluti præstito juramento quod de electione sua similiter feceramus, Henrico Corradum, velut David Sauli, sanctâ deliberatione providimus subrogandum.

MANFREDI SICVLI EPISTOLÆ duæ de morte Frederici II. Imperatoris ad Conradum IV. Regem Romanorum.

Regi Conrado Manfredus per Nicolaum de Rocca, de morte Frederici Imperatoris.

An. 1250.§ TVRBENTS calicem, quem nuper de patris & domini nostri casu non minùs mentis quàm oculorum infusione transumpsimus, vellemus libenter à poculis vestris excipere, velut qui mensam vestram gratis concupimus dulcorare delicijs, & præcordia vestra placidis anxiamur gratificare pulmentis. Sed ut dolor quem exinde gustare vos novimus nuntiantis sit contemplatione remissior, licèt forsitan id famæ velocitas, quæ pennas consuevit in adversis assumere, magnitudini vestræ prædixerit, nuntiantes tamen alios elegimus prævenire, ut eò sit casui medela proclivior quò nuntiatio nostra maturior ad vestram notitiam deducetur. Scimus etenim quòd si patris virtutes attenditis, si ejus quem multipliciter natura dotaverat complementa pensatis, nedum vos, qui caro de carne ipsius & os de ossibus descendistis, lugere cogimini, sed & oculi omnium universaliter ad lacrymas convertantur. Cecidit quidem sol mundi, qui lucebat in gentibus, cecidit sol justitiæ, cecidit auctor pacis. Credimus tamen quòd si circumstantias ejus consultè revolvitis, consolationis vicinæ remedia sentietis. Vixit enim Dominus pater noster feliciter & victoriosè, dum vixit; & divinæ majestatis auctoritas, quæ processibus ejus viventis astiterat, * morientibus finibus voluit non deesse. In ipsis quidem mortis indicijs, præter dona mirifica & beneficia gloriosa quæ in testamenti serie fidelibus gratanter indulsit, sacro sanctam Romanam Ecclesiam matrem suam in corde contrito, velut fidei orthodoxæ zelator, humiliter recognovit, & damna quæ dudum Ecclesijs invitus forsitan vel potius provocatus intulerat, integrè restauranda sancivit. Mirabiliter etiam Deus ipsum beavit in exitu, quòd liberis fecundatus adultis, sed persona vestra præcipuè Domine, in cujus humeris honorem & onus regiminis glorificatus appendit, ad patriam, quò iter est omnibus, feliciter utinam victurus, accessit. Ex quo pulcta spes vel plenaria certitudo & certa fiducia datur in gentibus, ut licèt occasum sol ille petierit, per cujusdam tamen continuationis ordinem relucescat in vobis, & licèt fructificus cultor ille justitiæ, magnificus auctor pacis, operas & culturas suas moderantis omnia mortis severitate suspenderit, pacem tamen & justitiam semper excolat & operetur in vobis; & sic pater abesse non creditur dum vivere speratur in filio, nec creditur tam pretiosa hereditas amisisse patronum dum ejus confidit invenire dominium tam suave tam placidum in herede. immo si salva patris reverentia loquimur, satis consueto salubrius fideles vestri, scilicet, regnicolæ, potissimè sperant sub umbra vestri dominij protegi & sub vestro regimine confoveri, ex eo sumentes efficax argumentum, ut qui nostis paternos mores naturæ generositate portendere, regnantis officium, quod ætas in vobis & natura consolidat vel confibulat, gerere velitis in subditis & sciatis. Vos igitur, gloriosissime Domine, cujus adventum universorum mentes expectant & vota suspirant, sic vestrorum fidelium expectationibus consulatis ut spes quæ consuevit animam plus debito dilata conterere, ipsos in tam votiva præstolatione reficiat, & status pacificus regni vestri, quod majestatis vestræ præsidium affectuosè desiderat, ex tam grati Regis præsentia revirescat vel reviviscat.

* morientis

Vide Odor. Raynald. ad ann. 1250. §. 33.

ALTERA.

GLORIOSISSIMO Domino suo Conrado Regi Manfredus pedum oscula & grata devotionis obsequia. De obitu felicis memoriæ Domini patris nostri, quem præmissæ pridem vestræ serenitatis auditibus litteræ nostræ prætulerant, ex eo præcipuæ consolationis informatæ remedia cum quadam animi gratificatione porrigimus quòd totum regnum Siciliæ vobis humiliter parere desiderans, sub vestris jussionibus vivere promptissima devotione disponunt, ita quòd nobiles omnes & terræ ac civitates famosæ præcipue in vobis & heredibus vestris fidelitatis & homagij juramenta tanquam eorum domino libentibus animis præstiterunt, & nobis pro parte vestra unanimiter obediunt & intendunt. Vos igitur, felicissime Domine, ad subditorum vestrorum statum pacificum observandum, nobilibus & civitatibus regni vestri, quos interclusa præsentibus cedula continet, speciales litteras vestras dirigi jubeatis, per quas significetis eisdem quòd ex insinuatione nostra ipsorum fide & devotione plenius intellecta, parati estis observare tenaciter quæ pater vester in testamento suo constituit observanda, & gratiam ac benivolentiam vestram ad eos favorabiliter extendetis, & quicquid in vestri absentia contigerit nos gerere vice vestra rata & firma tenebitis & servari inviolabiliter facietis. Nihilominus civitatibus & nobilibus regni Hierosolymitani litteras vestras exhortatorias destinari mandetis, ut eos qui nunc umbram vestri dominij subire desiderant & vestris jussionibus obsecundare ad vestra servitia, pulchra spes animet, & benivolentiae futurae praesagium libenter inducat. Praeter haec tamen ad memoriam vestram reducimus ut si negotiorum & temporis qualitas vel habilitas suggeret quòd de adventu vestro, qui ab omnibus tam libenter quàm hilariter expectatur, regnicolarum vestrorum fidelium animos recreare possitis, quod exinde honori vestro magis expediat, regalis provideat celsitudo. Nobis veruntamen, qui prosperum adventum vestrum inter viventes alios desideranter appetimus, mandare dignemini quid per nos fieri serenitas vestra velit, ut vestrae magnitudinis cognita voluntate, super omnibus juxta vestrum beneplacitum procedamus.

CONRADI ROMANORUM ET SICILIÆ REGIS EPISTOLÆ QUATUOR.

I. Proconsuli almæ urbis.

PLENE scimus, nec extraneas testium probationes exquirimus, quanta sit erga nostri honoris augmenta tuae procurationis intentio, quantasque reflorent erga nominis nostri fastigia tuae devotionis affectus, dum, sicut ipsa rerum experientia docente collegimus, quae nostri honoris sunt sollicitus expetis, & factus quasi jam nobis de nostrae felicitatis promotione domesticus, negotia nostra magnificè sed prudenter ubilibet placido cordis affectu & fructuosa operis attentione procuras. Ex hac igitur causa facti nos jam tibi & tuis quasi per debitum ad commoda quaelibet amplianda benivoli, nuntios providos & solemnes ex parte sua & senatus populique Romani nuper ad nostram praesentiam destinatos gratanter re- An. 1251.

cepimus: qui dum suae legationis officium sollicitè, diligenter, ac providè coram nostrae serenitatis aspectibus implevissent, ecce super capitulis omnibus quæ ipsorum relatio detecta continuit expediri gratiosè per nos, ad propria revertuntur. Cumque tam nostrij quàm cætera ex parte tua & Romanorum omnium nobis successu temporis offerentur, immo quæ tanquam negotia propria gerimus, gratissima sensibus nostris accedant, circumspectionem tuam, de qua toto corde confidimus, requirimus & rogamus attentè quatenus firmam fabricans in nostræ munificentiæ liberalitate fiduciam, sic strenuos actus tuos erga honorem nostrum prudenter accommodes, sic industriæ laudandæ principium laudabiliori semper inantea continuationis ordine prosequaris ut tuæ sollicitudinis opera tanti actoris fulta suffragio erga te & tuos amplissimè dexteram nostræ liberalitatis invitet.

II. Illustri Regi Navarræ.

INVITAT nos antiqua patris nostri dilectio, erga vos dudum habita, de vestra speciali dilectione confidere & vos ad succedentium serenitati nostræ processum participium evocare. Scimus enim, ut non improperando præterita, sed suaviter referendo loquamur, quòd adhuc in teneris annis, vobis sub matris regimine positis, ejusdem genitoris nostri continua sollicitudo non defuit, quin potiùs arduis imperij tunc & Germaniæ negotijs intermissis, causam vestram viriliter assumplit in propriam, & contra persecutorum suorum incursus pro restauratione vestrorum jurium multis personæ laboribus ac rerum impendijs laboravit. Propter quod vos tam carnis unione conjunctos quàm specie necessariæ gratitudinis obligatos nova de nobis libenter audire felicia credimus & in causæ nostræ subsidium paratas invenire confidimus vires vestras. *Reliqua desunt.*

III. Cardinalibus Romanæ Ecclesiæ.

CONRADUS &c. venerabilibus in Christo patribus sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus. Conscientiam vestram, si salvo pudore justitiæ diligenter exquiritur, latere non credimus qualiter hactenus ad honorem Dei & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matris nostræ, cujus, velut Christianæ legis & orthodoxæ fidei zelatores, devotum fatemur nos filium & specialem recognoscimus defensorem, cujus etiam sacra mysteria catholicè credimus & tota cordis ac corporis reverentia veneramur, grandis humilitatis & plenæ subjectionis signa monstravimus, ut istam inter nos & summum Pontificem patrem nostrum dissentionis horrendæ materiam, quam non sine dedecore partium & universali discrimine populorum vulgus, proh dolor, ludibriose jam loquitur, sedare possemus. Nec adhuc coram vobis, qui positi tanquam luminaria supra montem lucetis in gentibus, & velut cardines fidei regitis domum Dei, referre nos devotæ satisfactionis pudet insignia quae salvis juribus & dignitatibus nostris nostrorumque fidelium tam in imperio quàm in regnis nostris fuimus eidem Domino patri nostro & sumus humiliter offerre parati, si tamen ipse nos filium caritatis paternæ debita relatione cognoscat. Dubitantes veruntamen ne vel res inter alios acta contra jus scriptum juri nostro præjudicet, vel de præteritis conjecta suspicio causam exasperet successuum futurorum, timentes nihilominus, ut loquamur ad litteram, ne sedens in solio Christi vicarius venerabilis pater noster, cui legatum pacis hominibus erogandæ commissum est, diebus istis, quibus non solum paschalem agnum communicare Christicolis sed exorare pro persecutoribus etiam teneretur, voluntatis suæ arbitrio plus debito laxatis habenis, dum credat sibi licere quod * liceat, spiritualem contra nos gladium temporaliter exerat & procedat in aliquo, si dici liceat, minus justè, ecce . . fideles nostros ad vestram præsentiam duximus destinandos, concessa eis ab excellentia nostra potestate plenaria ut à gravamine & injusto processu patris ejusdem coram tam venerabili cœtu patrum, primò ad Deum vivum, cujus nutioni attribuimus quicquid sumus, & deinde ad futurum summum Pontificem, ad generalem synodum, ad Principes Alamanniæ, & generaliter ad universos Reges & Principes orbis terræ, ac cæteros Christianos, pro parte nostra liberè valeant appellare.

* libeat

IV. Henrico Regi Anglorum.

NOLLEMUS auditus vestros, vulgaris fortè famæ præloquijs stupefactos, illis pulsare rumoribus quorum & nostram exaggeraret relatio lacrymosa memoriam, & cordis nostri præsumitur corruptura quietem. 534
Sed ex eo præcipuè nos bis casibus personam elegimus relatoris, quòd dum acerbitatem doloris nostri silentio cohibere vix possimus, in vobis mœroris impetum persuasionis nostræ remedio facilius credimus mitigandum. Nec mirari vos volumus si de ijs quæ inviti referimus ad notitiam vestram nuntiatio sera pervenit, cùm hactenus ex recenti vulnere mœstitiæ prævaleret immensitas, & ex oculis nostris naturæ suggerentis imperium fluxum emungeret lacrymarum, sicque fluctuabat mentis nostræ turbata tranquillitas ut ad extinguenda doloris incendia necessario solatoris alterius lenitivis liquoribus egeremus. Iam verò dato tempore luctibus, quod eventus tam turpidi qualitas exigebat, lugubrem obitum Henrici carissimi fratris nostri nepotis vestri vobis infectis rutnoribus nuntiamus; de cujus casu tam horrendo licèt ex decisione carnis nostra satis amaricata sint pectora, dum pretiosissimam pectoris nostri partem perdidisse dolemus, ex eo tamen turbamur amariùs quòd dum ad regiminis nostri gubernanda molimina viriles animos habere non expedit, nunc ad deplorandum fratris nostri decessum mollitiem quasi subivimus muliebrem: quia dum ejus jam esset ætas provecta virtutibus, in cujus humeris curas nostras confidenter appendere poteramus, metentis æqualiter omnia mortis austeritas, flore juventutis suæ, præmatura nimis falce præsecuit, & quasi prædonis sagacitate subrepens, sic improvisè, sic subitò naturæ magistras manus elusit. Verùm cùm ad hæc reparanda discrimina artes & opes humanæ deficiant, quæ potiùs dispositionis supernæ provisio & facti generalis æqualitas consolatur, doloris ejusdem, cujus vix de corde nostro cicatricis occiduæ signa translibunt, vobis affectuosè providimus porrigendum. Nec credat unquam dilectio vestra quòd affinitatis nostræ per hoc debilitata sint fœdera, quæ in eo nobis convivente memoriter remanserunt, & in M. carissima sorore nostra superstite consorte nobilis viri marchionis Mestanensis solidata perspicimus, & in heredes ejus partu gratifico perpetuata sentimus. Quocirca non minus quàm fratre nostro vivente de nobis puro corde confidite; & si qua sunt in regnis nostris quæ serenitatis vestræ grata sint usibus, vel affectui blandiantur, nobis exinde vota vestra exauditionem omnimodam relatura nobis per literas vel nuntios aperite.

VITA INNOCENTII PAPÆ IV.

Scripta à fratre Nicolao de Curbio ordinis Minorum postmodum Episcopo Assisinatensi.

De Papa Gregorio & Imperatore Frederico.

I. TEmporibus felicis memoriae Domini Gregorii Papae IX. Fredericus II. Romanorum Imperator, qui ab Innocentio Papa III. primo fuerat ab ipsa pueritia in regno Siciliae & in Alamania amore tenero nutritus & educatus, & postmodum ab Honorio Papa III. in arcem imperialis magnificen-

centiae sublimatus, ut tanquam Christianissimus Imperator sacrosanctam Romanam Ecclesiam multiplici persecutione ac tyrannide Ottonis Imperatoris praedecessoris ipsius ea tempestate graviter molestatam tanto defensaret fidelius quanto per eam extiterat gratiùs exaltatus, imperiali derogans majestati, & suae promotionis ingratus, ex Imperatore tyrannus, ex protectore impugnator, & ex defensore factus est Ecclesiae persecutor. Quippe in eam quam toto conamine nutrire debuerat toto exorsus est malignitatis spiritu debachari.

De convocatione Concilii.

Vide Odorium Raynaldum ad ann. 1228. §. 1.

II. QUare jamdictus Papa Gregorius vehementissimae persecutionis per dictum Imperatorem in sancta Ecclesia pronostica immo evidentia signa cernens, Ecclesiarum Praelatos, Regum, ac Principum nuntios in urbe Romae ad suam praesentiam advocavit, ut ibidem per eos de meritis cognosceretur ipsius, & mater Ecclesia de congregatione filiorum speratum haberet solatium & gratum providi consilii fulcimentum. Quo percepto, idem Imperator, Dei & Ecclesiae persecutor, fraudulenta potius tergiversatione quàm mentis stabilitate suffultus, ipsam Concilii celebrationem machinatus est pro viribus impedire. Ex ipsius namque urgenti edicto terrarum undique praeclusis viis, & semitis artissima custodia praemunitis, velut jam draco saevus, non contentus tyrannidem exercere in mari, etiam insidias multiplices, ut venturos ad Concilium undique nequiter impediret.

De captione Praelatorum in mari.

III. SIcque factum est, ipsius malitia procurante, ut cùm venerabiles Cardinales Otto Portuensis, Jacobus Penestrinus Episcopi de suis legationibus revertentes, & quamplures Ecclesiarum Praelati, & clerici tam religiosi quàm saeculares ad sedem apostolicam pro celebrando Concilio de Janua navigio convenirent, idem Imperator in obsidione persistens Faventiae, destinato Enejo filio suo Pisas cum multitudine galearum, assumptis secum pariter Pisanis & aliis de regno Apuliae, qui ad hoc missi fuerant cum lignorum multitudine armatorum, ipsos ad praenominatum Concilium evocatos die tertia mensis Maii juxta insulas quae vulgo vocantur Gilium & Planosa ausu sacrilego capi fecit, quibusdam Praelatorum ipsorum & aliis pluribus in hujusmodi captione submersis, nonnullis etiam interemptis, & aliquibus insecutione hostili fugatis, reliquis vero bonis spoliatis propriis, primò ad majorem verecundiam deducti fuerunt Pisas, & exinde de loco ad locum per regnum Siciliae oprobriosè deducti, ac ibidem diris carceribus mancipati, quorum aliqui macerati squaloribus & inedia pressi miserabiliter defecerunt.

De obsidione Urbis.

IV. ET ut magis ac magis sacrosanctam Ecclesiam perturbationibus diversis impeteret dirus hostis, de Faventia venit, Romam obsessurus, & oppressurus pariter ipsam urbem, pro eo quod in ipsa urbe dictus Gregorius tunc temporis residebat. In qua quidem obsidione suae relaxans frœna nequitiae, castra, turres, atque palatia tam Ecclesiarum quàm multorum Romanorum nobilium destruxit & solum usque redegit, minus nihilominus intentans multiplices quòd ipsum Papam Gregorium Christi vicarium in sede sua caperet & teneret.

De obitu Domini Gregorii Papae.

V. INterea jam ipso Imperatore in obsidione urbis manente, dictus Papa Gregorius naturae carnis debitum solvens XV. pontificatus sui anno, mense Augusto, octava assumptionis beatae Mariae virginis, Deo dispensante, ne in Ecclesiae persecutionibus diutiùs vexaretur, de medio est sublatus, & in Ecclesia beati Petri honorificè est sepultus. Hic multa monasteria & domos religiosas fecit & propriis sumptibus fundavit. Sanctos Franciscum & Antonium de ordine fratrum Minorum, & beatum Dominicum de ordine fratrum Praedicatorum, sanctam Helisabeth, & plures alias canonizavit, religiosos fovit & servos Dei dilexit. Hic primo anno pontificatus sui excommunicavit Imperatorem Fredericum, pro eo quòd in terram sanctam non iverat, sicut promiserat, in termino constituto. Item in anno XIII. sui pontificatus in ramis palmarum excommunicavit eundem Imperatorem in Ecclesia Lateranensi, pro eo quòd Ecclesias sui regni suis juribus & possessionibus defraudavit & terram Ecclesiae occupaverat. Post cujus obitum statim qui in urbe Roma tunc reperti sunt Cardinales in carcerali ergastulo apud Septemsolium per senatorem urbis pariter sunt reclusi. Ubi tum propter necessariorum subtractionem, tum propter aestus fervorem, qui tunc temporis abundavit, tum propter moram diutinam ibidem contractam, quidam sunt ibi mortui, utpote Dominus Robertus Anglicus sancti Grisogoni Diaconus Cardinalis. Quidam gravissimè infirmati; inter quos Dominus Sinibaldus tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis tam gravi aegritudine pressus fuit ut esse in mortis faucibus putaretur & ipse. Et volentes ipsi Domini Cardinales Ecclesiae providere de substitutione futuri Pontificis Dominum Goffredum Mediolanensem Sabinensem Episcopum communiter elegerunt; cujus mutato ex more solito nomine vocatus est Caelestinus; qui morte praeventus, pallium non recepit more papali, munus consecrationis non habuit neque bullam, & infra XVII. dierum spatium obdormiens in Domino diem clausit extremum.

De vacatione Ecclesiae & electione Domini Innocentii Papae.

VI. POst vacationem diutinam, quae per annum & decem menses & dies sex peccatis exigentibus & propter temporis malitiam intervenit, sacrosanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, qui per multiplices Frederici Imperatoris persecutiones & dissensiones fuerant per diversa loca tanquam oves non habentes pastorem dispersi, ad tantum subrogandum pastorem Anaguiae in majori Ecclesia convenerunt. Mentibus in Deum directis, devotissimè Missa cantata, & invocata sancti spiritus gratia, in pace ac multa tranquillitate omnes unanimiter & concorditer vota sua direxerunt in Dominum Sinibaldum tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyterum Cardinalem, qui alto Dei consilio ad summum sacerdotii apicem anno Domini MCCXLIII. VI. die exeunte Junio extitit sublimatus &, sicut moris est, proprio antiquato nomine, fuit Innocentius nuncupatus, postmodum IV. Kal. Julii feliciter consecratus. Hic fuit Innocentius IV. natione Januensis nobilis genere, sed vita nobilior, scientia praeclarus, ac morum praeditus honestate. Ex nobilibus namque Comitibus Lavaniae, patre Hugone genitus, & à bonae memoriae Gregorio IX. ad titulum sancti Laurentii in Lucina divina providentia extitit in Cardinalem promotus, & ad summum tandem pontificium est electus.

De tractatu pacis cum Imperatore.

VII. SUscepta igitur Ecclesiae cura, tamquam virtute indutus ex alto, statim sumpta comestione, in ipsa consecrationis die de pace ac concordia Ecclesiae tractare cum fratribus coepit, & speciales nuntios & solemnes ad Fredericum tunc Romanorum Imperatorum, qui à Papa Gregorio IX. propter suos enormes excessus & contumaciam fuerat

rat anathematis vinculo innodatus, mittere procuravit venerabiles fratres, videlicet Dominum Petrum Albanensem, tunc Rothomagensem Archiepiscopum, & Dominum Guillelmum Basilicae XII. Apostolorum Presbyterum Cardinalem tunc Abbatem sancti Facundi, & Dominum Nicolaum Episcopum Reginum, viros utique magnae auctoritatis & prudentiae venustate pollentes, qui tunc dicti Imperatoris praecipuè zelabant salutem. Communicato itaque cum fratribus consilio duxit ipsos propentius destinandos, tam ipsius quàm fratrum affectum & promptitudinem ad pacem & concordiam eidem diligentius relaturos & petituros pariter restitutionem Praelatorum, clericorum, omniumque aliorum quos injustè tenebat captivos, cunctorumque laicorum quos in galeis tempore Papae Gregorii ceperat, & apertionem viarum quas idem clauserat Imperator ut nullus unquam ad Romanam Ecclesiam per terras aut per mare posset accedere gressu pacifico vel securo. Abeuntes igitur praedicti Romanae Ecclesiae pacis nuntii, quae ipsis commissa fuerant prudenter & cum diligentia multa nimis exposuerunt praefato Imperatori, qui eo tempore apud Melphim in Apulia morabatur, qui eos benevolentia blanda, sed simulata, recipiens ad pacem & concordiam faciendam & praedictorum satisfactionem se promptum & paratum promisit. Ipsi verò verbis ipsius tanquam ab imperiali majestate prolatis fidem simpliciter adhibentes, & mentis inconstantiam non pensantes, cum ingenti laetitia redierunt. Consequenter verò idem Imperator nuntios solemnes, videlicet magistrum Petrum de Vineis & magistrum Thadaeum, viros sagacitatis & astuciae magnae solemniter cum bullatis litteris suis aurea bulla super praemissis Anagniam transmisit ad summum Pontificem. Nihil tamen per eos tunc, ut promiserat nuntiis apostolicae sedis, dictus Imperator ad effectum perduxit. Ex quo patet liquidò totum callida simulatione fecisse.

Odor. Raynald. ann 1243 § 13. 17.

Interea vero hyemali tempore ingruente, quia Romanorum Pontificum mos tenebat tunc temporis ad urbem redire, XVII. Kal. Novembris exiens de Anagnia, Romam ivit; ad quàm cum pervenisset, tam à clero quàm à populo universo cum tripudii gaudio est receptus XVII. Kal. Decembris. Sed revera sicut Dominica de palmis Judaei Christum quanto honorabilibus receperant, tanto ignominiosius sequenti sexta feria tractaverunt, cui tunc sua vestimenta prostraverunt, postmodum exuentes propria, & quem tunc laude multiplici benedixerant, postmodum blasphemiarum & opprobriorum jaculis acrius ferientes, ita & Romanorum quamplurimi mercatores, quamquam non de nobilium voluntate, qui Dominica medii Novembris eum tam honorificè susceperant venientem ad urbem, statim sequenti sexta feria qui Gregorio Papae IX. XX. millia ferè mutuaverant marcarum, instantissimè ac procaciter mutuum repetebant, aulam palatii & cameras non nimis infestis clamoribus quàm onerosa multitudine replentes & per multorum dierum spatium ipsum adeo angustiantes quòd in mensa more solito manducare non poterat, potius ipsum oportebat in camera latitare. Tandem magna ipsius pacientia, quae optimum est genus vincendi, victi pariter & confusi, spe sua vana frustrati, in magna quantitate minus ab ea quantitate quàm petierant, & ex usuris recipere se sperabant, ab eodem se concorditer receperunt. Porro tam hoc quàm alia debita plura & pluriora quibus Ecclesiam invenerat obligatam in brevi satis expediens tempore quo nunquam receperat ipsa solvit.

De obsidione Viterbii.

VIII. INterea dictus Imperator, Dei timore postposito, obfirmans contra sanctam Ecclesiam vultum suum, circa festum omnium sanctorum in obsidione Viterbii venit. Habebat proinde intus in terra in castro sancti Laurentii Comitem Simonem Theatinum cum CCC. Militibus, quos Dominus Raynerius Cardinalis tunc in dicta terra residens pro parte Ecclesiae summi (Pontificis) potentia & favore detinebat inclusos. Congregata itaque innumera multitudine militum & peditum, idem Imperator ad expugnandam civitatem cum multis machinis & castris lignorum civitati appropinquavit praedictae. Tunc Dominus Raynerius divina favente gratia subito nihilominus subsequente, tam Romanorum quàm aliorum quos Dominus Papa transmisit eidem, tamquam sollicitus Ecclesiae defensator & indefessis laboribus & expensis volens ipsius jura tueri, devicit ipsum Imperatorem in suis superbiae viribus confidentem, necnon & machinas, currus, ac castra lignorum, & alia aedificia fecit cremari. Et sic idem Imperator ad castra sua rediit devictus in ipso conflictu pariter & confusus. Steterat namque in obsidione duobus mensibus & dimidio.

De iterato tractatu pacis.

IX. HIs igitur peractis, dictus summus Pontifex, tanquam pacis amator & concordiae, venerabilem O. Portuensem Episcopum, cum esset amicus ejus, iterato, si fortè audiat & quiescat, ad praefatum Imperatorem primo apud Viterbium, in cujus terrae obsidione tunc temporis morabatur, secundario apud Aquampendentem super inceptum pacis tractatum & concordiae destinavit. Qui obturans more aspidis aures suas hujusmodi sollicitudinem & pacis praedictae instantem oblationem obstinata elatione contempsit.

De nuntiis Imperatoris destinatis ad curiam.

X. DEmum vero vecordiae magis quàm concordiae intuitu motus, ut Ecclesiae potius illuderet quàm pareret, sicut postmodum patuit manifestè, solemnibus nuntiis destinatis, nobili videlicet viro Comite Tholosano ac judicibus praecipuè in curia sua procuratoribus Petro de Vinea & Thadaeo de Suessa, in die coenae Domini in platea Lateranensi coram Domino Papa & fratribus suis, praesentibus clarissimo Constantinopolitano Imperatore, coetu non modico Praelatorum, Senatoribus etiam populoque Romano, & maxima multitudine aliorum, qui ea die propter instantem Paschae solemnitate de diversis mundi partibus convenerant ad Apostolorum limina visitanda, ipsius Domini Papae Ecclesiaeque mandatis se plenius pariturum per praedictos nuntios ab ipso super hoc speciale mandatum habentes in anima sua juramento promisit. Postmodum vero ut terras Ecclesiae restitueret, quas occupare praesumpserat, & captivos quos in galeis ceperat, suae redderet libertati, à summo Pontifice recipiens in mandatis, dum adhuc idem Imperator apud Aquampendentem persisteret, ipse tanquam in pertinacia praeconcepta obstinatus praedictis parere contempsit, illudens potius nunciis, viro videlicet religioso fratri Bonvecino de ordine Templariorum Domini Papae Cubiculario & aliis super receptione terrarum à sede apostolica destinatis.

Odor Raynald. ann. 1242 § 18. an 1244 §. 20. 22.

De requisitione parentelae.

XI. SEd ut quocunque deceptionis genere summi Pontificis posset animum obliquare arctitudine bonitatis, cum de parentela multo studio per speciales nuncios requisivit, ut aliquam de ipsius neptibus suo filio Corrado traderet in uxorem, ut saltem ipsi Domino Papae catena sanguinis socians, Ecclesiae jura & negotia impediret. Advertens quoque ipse Dominus Papa multiplices ipsius dolositates atque versutias, nec respuens, nec acceptans, explicuit se ab ipsius laqueis labiorum, quibus tanquam inimicus nequissimus indulcabat ut subverteret vias ejus.

De

De ordinatione Cardinalium.

XII. POſt haec cernens igitur Dominus Papa ſe plurimum fratrum indigere conſilio, cum non eſſent tunc niſi ſeptem in Eccleſia Cardinales, primo anno pontificatus ſui in Eccleſia beati Petri Apoſtoli de Urbe ſabbato infra octavam Pentecoſtes XII. Cardinalium, videlicet trium Epiſcoporum, & trium Presbyterorum, ac ſex Diaconorum ordinatione decentiſſima Eccleſiam adornavit. Et ſeptimo die Junii ſubſequentis egrediens urbem ad civitatem Caſtellanam illico eſt profectus. Ubi dictus Imperator, qui apud Interamnum tunc erat, dicto Pontifici & fratribus occulcas tendens inſidias, ipſoſque capere machinans, in ipſo civitatis egreſſu, adjecit iterum pacis ſimulare tractatum, ſolemnes tranſmittens nuntios, magiſtrum videlicet Petrum de Vineis, Gaulterium de Sora, qui eum ſub ſpecie tractatus pacis ſecurum redderent & incautum.

De miſſione pro galeis.

XIII. POntifex ipſe vero hujuſmodi machinationis & malitiae non ignarus, cum fruſtra rete jactum ante oculos pennatorum, in praedicta civitate XIX. dierum perſiſtens ſpatio, praeconcepit ad partes alias ſe transferre, ubi dictus Imperator virus ſuae malignitatis exercendi potentiam non haberet. Et cum aliunde propter viarum diſcrimina & praecluſiones earum per mare ſeu per terram, niſi tantum per Sutrium, civitatem vetulam, & Januam non potuiſſet habere tranſitum pacificum vel ſecurum, religioſum virum & nobilem fratrem Bojolum nomine conſanguineum ſuum ordinis fratrum Minorum miſit Januam pro galeis, ad nobilem videlicet virum Dominum Opizonem fratrem ipſius Domini Papae ſecundùm carnem & alios ſuos conſanguineos & nepotes, ad Dominum Philippum Vicecomitem de Placentia tunc poteſtatem Januenſem, mandans ipſas apud civitatem vetulam vel Cornetum conduci. Et mirum in modum, divino procurante auxilio, infra XVII. dierum ſpatium XXII. galeae cum duabus ſagittis & aliis octo lignis bene praeparatis pariter & armatis ad dictam civitatem vetulam ſunt deductae. Cumque in die praecedente vigiliam Apoſtolorum Petri & Pauli Sutrium deveniſſet, in ipſa quidem vigilia quadam prudenti ac ſalutari fictione, quae ad fretum erant neceſſaria, juſſit ut papalem decebat magnificentiam praeparari. Solemni ergo praeparatione facta, cum totam jam quaſi terram ipſe Imperator occupaſſet nequiter & teneret praeter in Marchia Anconam, in Ducatu Aſſiſium, Narniam, Reate, Caſtrum ſancti Gemini, & Scrontonem, in patrimonio Peruſium, Urbem veterem, Radicophanum, in Sabina Mons Aſulae, quae adeo erant à dicto Principe auguſtatae quod needum Domino Papae, verum nec ſibi ipſis propter ipſius opprimentem potentiam poterant ſubvenire, aſſumptis ſecum Domino Guilelmo ſancti Euſtachii Diacono Cardinale nepote ſuo cum quatuor aliis de familia ſua tantum, fratre Nicolao de Curbio ſacerdote Capellano ſuo & confeſſore ordinis fratrum Minorum, poſtmodum Aſſiſinatenſi Epiſcopo, Domino Maria ſuo nepote, fratre Bonvicino ordinis fratrum Templariorum, & fratre Thoma ordinis Hoſpitaliorum, Cubicularis ſuis, nec non & Domino Gottifredo de Praefectis Capellano ipſius poſtmodum electo Bethlemitanenſi, cum quodam nepote ſuo Petro, qui uſque ad civitatem vetulam nocturnum ſibi ducatum praeſtaret. Et coepto itinere ipſa prima noctis hora, dimiſſis omnibus ſicut alter Mathatias, per devia & abrupta montium ac nemora tota nocte laborans, multa laſſitudine praegravatus, in die feſtivitatis Apoſtolorum circa horam nonam ad ipſam civitatem vetulam eſt deductus. Secuti ſunt autem eum in craſtinum V. quinque de Cardinalibus, videlicet Dominus Guillelmus Epiſcopus Sabinenſis, Dominus Johannes de Tolleto tituli ſancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis, Dominus Petrus Caputii ſancti Gregorii ad Velum aureum & Dominus Johannes Gaietanus ſancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconi Cardinales. Alii vero VII. Cardinales, videlicet Dominus Otto Portuenſis Epiſcopus, Petrus de Barro tituli ſancti Marcelli, & Dominus Willelmus XII. Apoſtolorum Presbiteri Cardinales, Dominus Ægidius ſancti Coſmae, Dominus Octavianus ſanctae Mariae in via lata, Dominus Gotfredus ſancti Adriani Diaconi Cardinales, per terram uſque Seguſiam venientes, & ibidem Dominum Apoſtolicum expectantes, praeter quatuor, qui de ipſius Domini Papae remanſerant voluntate, videlicet Dominus Stephanus tituli ſanctae Mariae in Tranſtiberim Presbyter Cardinalis, qui remanſit in urbe vicarius, Dominus Raynerius ſanctae Mariae in Coſmedin Diaconus Cardinalis, qui remanſit Legatus in Tuſcia, Ducatu, Valle Spoletana, Marchia Anconitana & patrimonio beati Petri, Dominus Ricardus ſancti Angeli Diaconus Cardinalis in Campania & Maritima Comes. Demum cum ipſis remanſit Dominus R. Epiſcopus Oſtienſis.

De introitu Papae in galeis.

XIV. INgreſſis itaque ibidem galeis numero XXII. cum duabus ſagittis & aliis lignis ad navigium & quamplures alios homines, qui cum devotione multa fuerant ſubſecuti, eadem Apoſtolorum die, ſcilicet quarta feria circa horam veſpertinam galeas intravit cum hominibus, & ſummo diluculo verſus Januam coepit navigio proficiſci. Divina itaque miſericordia ſuffragante, poſt multos graves & varios (labores) ac innumeram procellarum ac tempeſtatum diſcriminoſam agitationem, quae vix ſine fletu & lacrymis poſſet aliquatenus enarrari, die ſecunda apud Capraiam inſulam applicantes, die tertio ad portum Veneris pervenerunt, ibique propter maris intemperiem mora facta per tres dies, poſt alios duos dies, ſcilicet octava Apoſtolorum, devenit Januam Chriſto duce, ubi vicis omnibus per quos fecit tranſitum pannis deauratis ac ſericis undique decoratis honorificentia multa nimis cum ingenti laetitia eſt receptus, turbis plaudentibus, tubis clangentibus, tympanis & cymbalis & diverſis generibus muſicorum ſonantibus, pueris quoque cantantibus & pſallentibus, & cunctis populis Deum benedicentibus, quoniam ſalvum fecit Dominus Chriſtum ſuum. Odor. Raynald. ann. 1244 § 34.

De infirmitate Papae.

XV. POſt paucos vero dies contigit dictum ſummum Pontificem, propter nimiam conquaſſationem quam de aëris temperie & maris ſuccinatione pertulerat, ſebris & diſſenteriae in tantum moleſtatione gravari ut de ipſius corporali ſalute ferè communiter medici deſperarent. Propter quod eum oportuit trium menſium ſpatio modo in monaſterio ſancti Andreae prope civitatem ipſam Ciſtercienſis ordinis commorari. Sed ut reſumpſit aliquantulas vires convaleſcentiae nimis brevis, & de Janua egrediens, vectus hominum & equorum vehiculo ipſe decumbens in lectulo, apud caſtrum Stellae pervenit, ubi Dominus Manfredus Marchio de Carretto propter circumſtantes inimicorum inſidias occurrens ſibi cum multitudine armatorum, honorificè ſuſcepit eundem. Et cum in dicto caſtro Stellae graviſſima eſſet aegritudine praegravatus in tantum ut in faucibus mortis medicorum judicio crederetur, paucis ſecum retentis de familia propria propter terrae inopiam, quae in nemoribus & in montibus extenus ſita, ibidem diebus pluribus moram traxit. Acerbitate igitur infirmitatis utcumque medicinalis ſalvatoris gratia mitigata, IX. Kalendas Novembris inde egrediens, apud Carartum devenit, nunc hominum, nunc equorum vehiculo ſupportatus. Unde poſt tres dies V. Kalendas ejuſdem uſque Cortomiliam ſuper mulum

in

in quadam cabia lignea, propter debilitatem ipsius nimiam, fuit vectus; & intra quatuor dierum spatium aliquantulas vires resumens, decima die apud sanctum Stephanum est portatus; ubi recepta multitudine armatorum à Marchione Montisferrati directa, ita ut usque ad sanctum Ambrosium ducatus pac fiei & securi sibi obsequium exhiberent, VIII. Idus Novembris ad civitatem Astensem, quae tunc temporis erat Imperatori subjecta, constans & intrepidus venit, cui cives portas civitatis impudentissimè concluserunt. Ipse verò Pontifex, tamquam humilitatis & patientiae virtute praepollens, in quadam abbatia sanctorum Apostolorum extra civitatem unà cum suis humiliter se recepit. Sero autem ipsius diei dissensione facta non modica inter cives, potestatem & consilium civitatis praedictae ad summum Pontificem exeuntes, prostrati ad sacros ipsius pedes, de illata injuria cum universo populo veniam humiliter petierunt. Multa etiam populorum, virorum pariter & mulierum, confluxit frequentia flagitantium summi Pontificis praesentiam intueri. Inde vero recedens, apud Segusiam pervenit pridie Idus Novembris, ubi sex Cardinales praefati superius, qui venerunt per terram de Sutrio, & Dominus Otto Episcopus Tusculanus, ac Dominus Hugo tituli sanctae Sabinae Presbyter Cardinalis, qui venerunt de Francia, & qui in eo castro Segusiae sui cardinalatus anulos receperunt, dicto summo Pontifici occurrerunt. Et sic unà cum ipsis & aliis qui secum per mare venerant Alpes cum labore gravi & afflictione non modica transiere, onus incommoditatis praegrandis & multiplicis sustinentes nivium & algoris, cum jam tempus post festum omnium sanctorum advenisset hyemale. Advenientes proinde ad monasterium Altaecumbae Cisterciensis ordinis per fluvium Rhodani trium dierum spatio non sine magno discrimine remigarunt. Et sic periculis maris, periculis fluminum, periculis viarum, periculis hostium, & periculis diversarum infirmitatum aequanimiter perpessis, secunda die Decembris, in festo sanctae Bibianae virginis, Christo duce Lugdunum pervenit; ubi cum gaudio valde magno & exultatione indicibili, gentibus per terram & aquam undique occurrentibus, tam à clero quàm universo populo religiosorum & saecularium susceptus fuit honorificentia multa nimis.

De ordinatione curiae in Lugduno.

XVI. IBi ergo curia jam quasi castrorum acie ordinata innumeris de cunctis mundi partibus tanquam ad Romam alteram confluentibus, coepit apostolatus officium exercere tam viriliter quàm prudenter, oppressos relevans, & opprimentes condemnans, omnibus ac singulis exhibens jura secundum exigentiam meritorum. Causas enim non solum tempore vacationis exortas, verum etiam à longis retro temporibus à suis praedecessoribus indecisas, sub brevissimo temporis spatio sua industri sapientia terminabat, utpote discretione praeditus, mente pius, scientia praeclarus, & sapientiae plenitudinis titulo decoratus. Et ut de plenitudine gratis gaudeant universi, secundo anno sui pontificatus apud Lugdunum in sua curia generale studium ordinavit tam de theologia quàm de decretis, decretalibus pariter & legibus, ad eruditionem videlicet rudium & incrementum sapientiae sapientum, cum audiens sapiens sapientior semper fiat.

Quod Papa misit nuntios ad diversas gentes.

XVII. INterea namque ipse summus Pontifex in secundo anno sui pontificatus, accensus zelo lucrifaciendi animas gentium perditarum, misit solemnes Legatos & nuntios cum solemnibus litteris ad diversarum provinciarum barbaras nationes, gentes apostatrices, ut saltem jam in fine temporum resilirent à suis erroribus & cultibus idolorum, & ut sanctam fidem catholicam plenitudo gentium subintraret. Inter quos missus est in Norwegia Legatus venerabilis Dominus Guillelmus Episcopus Sabinensis; ubi coronavit Regem, praecedente tamen dispensatione apostolica super defectu natalium quem patiebatur de soluto genitus & soluta. Ad Rutenos quoque, qui ad Romanam curiam suos solemnes nuntios destinarant ut eis Legatum mitteret, per quem instruerentur & informarentur in fide catholica, cum more Graecorum & ritu viverent, missus est Dominus Albertus Archiepiscopus Livoniae & Prussiae. Ubi quidem ad Regem subsequenter ab apostolica sede Legatus missus Dominus Abbas de Mazario, qui coronavit eundem. In Letoviam vero missus est Legatus Dominus Episcopus Culmensis de Prussia ad praedicandum illis nationibus & informandum conversos in fide, cum ipsi pagani existerent; ubi nomine Murdowe Regem proprium coronavit. Ad Tartaros quoque, gentem amaram, nullius religionis & ritus, quae prae sui multitudine repleverat quasi universam faciem partium orientis, missus est vir multae religionis frater Johannes de Planocarpino ordinis Minorum, Poenitentiarius ipsius, postmodum Archiepiscopus Antibarensis. Qui transiens per terram desertam inviam & inaquosam & per diversarum viarum anfractus in fame & siti, frigore & nuditate, ad illos post multos ferè per annum labores graves & varios, duce Domino est deductus, alloquens eos postmodum per interpretem, cum ignotae linguae ab habitabili nostra zona penitus haberentur, multo laboravit studio si quo modo reciperent verbum Dei & ad ovile fidei catholicae vocarentur. Hic solus ad ipsorum Regem pervenit, cùm plurimi hoc tentassent, nec unquam ipsum attingere potuissent, & propter ipsius distantiam, qui erat in ultima parte sui exercitus constitutus, qui quidem exercitus in longum nimium tendebatur. Destinavit quoque ad infideles paganos, Soldanos videlicet Babyloniae & Yconiae, & alios quoque plures, nuntios speciales viros religiosos ordinis Minorum & Praedicatorum doctos in scientia verbi Dei, ut & ipsi abdicato infidelitatis errore venirent ad fidem & ad notitiam veritatis. Quod quidem gavisi, honorantes plurimum nuntios memoratos, per quos omnes rescripserunt ipsi summo Pontifici, quamquam in suae infidelitatis velamine remansissent. Ad Graecos quoque & Batacium Imperatorem ipsorum misit ipse Dominus Papa virum religiosum fratrem Johannem de Parmeno generalem Ministrum ordinis Minorum, vitae maturitate praeclarum, Doctorem in theologia egregium, dans ipsi socios & sequaces ejusdem ordinis fratres viros sapientia doctos pariter & maturos ad reducendum illos ad fidei certitudinem & Ecclesiae unitatem, ut fieret unum ovile & unus pastor; quibus illuc usque Deo volente deductis, ordinatis hinc inde quaestionibus super quibusdam casibus & eorum erroribus, quibus errabant & in sua pertinacia se tenebant, tam super processione spiritus sancti, quem asserebant non à filio sed solum à patre procedere, quàm de reverendo sacramento eucharistiae, quod dicebant debere confici, non de azymo sed potius fermentato, & quibusdam aliis suis ritibus & doctrinis, decidentes ipsi à suis opinionibus, cum non haberent eorum stabile fulcimentum, deventum est tandem & denuntiatum quod ex eis super iis decidendis & parendo Ecclesiae Romanae mandatis solemnes nuntii ad sedem apostolicam mitteretur. Diebus vero frater J. Minister & ejus socii memorati apud Lugdunum ad praesentiam summi Pontificis remearunt.

Odor. Raynald. ann. 1246 § 32. & seqq.

Odor. Raynald. ann. 1246 § 48. & seqq.

Odor. Raynald. ann. 1245 § 32.

Odor. Raynald. ann. 1245 § 10.

Odor. Raynald. ann. 1247 § 18. an. 1249. § 25.

De denuntiatione Concilii in Lugduno.

XVIII. FEsto autem nativitatis Domini celebrato, dum in festo beati Joannis evangelistae Missam manè in Lugdunensi Ecclesia celebraret, ac praedicaret populo verbum Dei, ibi publicè nuntiavit Concilium generale in festo beati Joannis baptistae venturo proximo celebrandum. Et tunc in prae- (Odor. Raynald. ann. 1245. §. 1.)

praedicatione publica per se ipsum citavit memoratum Imperatorem Fredericum quod ibi per se vel sufficientes procuratores & nuntios futuro Concilio compareret, propositurus quicquid de jure suo vellet proponere, ac postmodum auditurus quod super ipsius negotio sacrum Concilium, Domino dictante sententiam, judicaret, cum ejusdem malitia faciente non posset ad ipsum alia citatio pervenire. Licet autem interim non parvae auctoritatis viri Patriarcha Antiochenus & alii ad petitionem ipsius pro compositione facienda non sine multis laboribus & expensis interposuerint partes suas, nequivit tamen ipsius obstinata duritia faciente, cum nollet satisfacere de offensis, concordia provenire.

Odor. Raynald. ann. 1245. §. 3.

De depositione Imperatoris in Concilio Lugdunensi.

XIX. CUm vero jam esset Concilium tempore praefinito Praelatorum, nuntiorum Regum Franciae, Angliae, Hispaniae, Principum quoque & potestatum multarumque civitatum & comitatuum, ipse personaliter venire contempsit, sed suos nuntios destinavit, Dominum videlicet Archiepiscopum Panormitanum, judicem Thadaeum, & alios quoque plures super his negotiis auctoritatem plenariam non habentes, qui si expectaretur modicum, promittebant ipsum personaliter adventurum. Ipse autem non intendebat venire, sed Concilium potius perturbare, sicut tempore felicis memoriae Papae Gregorii, ut est superius memoratum, vice alia perturbavit. quod rei eventus evidentius comprobavit, sed ad ejus malitiam convertendam à festo sancti Joannis usque ad xv. Kal. Augusti à toto Concilio fuit, non sine incommoditate maxima, expectatus, cum tunc esset in Lombardia apud Veronam, qui bene potuisset infra dictum terminum comparere. Demum cum in ipso Concilio multa gravia & horribilia fuissent à multis tam Archiepiscopis quàm Episcopis proposita contra eum, super destructione videlicet Ecclesiarum, monasteriorum, & hospitalium, & invasione bonorum ipsorum, incarceratione quoque & occisione Episcoporum & religiosorum ac saecularium personarum, & multis quae etiam haeresim sapiebant, & crudelitatem animi ipsius erga cultum Christiani nominis indicabant, praedicti ipsius nuntii, data sibi pro voto audientia, excusare ipsum multipliciter conabantur. Sed à frivolis suis procurationibus decidentes, devicti fuerunt publicè, & à summo Pontifice vivis rationibus confutati. Quare super praemissis & quampluribus aliis ejus nefandis excessibus, cum fratribus suis & sacro Concilio idem summus Pontifex deliberatione praehabita diligenti, memoratum Principem Fredericum, qui se imperio & regnis reddidit tam indignum ab omni honore & dignitate sententiando privavit. Omnes autem qui ei juramento fidelitatis tenebantur astricti absolvit perpetuo ab hujusmodi juramento, auctoritate apostolica firmiter inhibendo ne quis de caetero ei tanquam Imperatori aut Regi obediat vel intendat, decernendo quoslibet qui deinceps ei velut Imperatori seu Regi consilium, auxilium praestiterint, vel favorem, ipso facto excommunicationis vinculo subjacere. Illis autem ad quos Imperatoris spectabat electio eligendi alium Imperatorem contulit potestatem. De regno vero Siciliae provisurum se statuit prout sibi & fratribus videretur suis temporibus expedire. Notissimum namque & indubitatum est quod multi Romanorum Pontificum etiam pro minoribus causis nonnullos Imperatores & Reges non tantum excommunicarunt, sed à regno deposuerunt, & in eorum locis alios subrogarunt. Innocentius siquidem Papa primus Imperatorem Arcadium magni Theodosii filium, pro eo quod Johannis Chrysostomi depositioni interfuit, quam Theophilus Alexandrinus unà cum aliis orientalibus Patriarchis, cum consensu aliorum Episcoporum, sine assensu Romani Pontificis dictaverat, excommunicavit, & eorum depositionem cassavit. Mitissimus vero Imperator mox ut factum cognovit, non rebellis extitit, sed veniam humiliter petiit & impetravit. Constantinus Papa Justinum Imperatorem Justiniani filium propter non decentem Legatorum suorum susceptionem excommunicavit. Qui postea in Constantinopolitanae urbis platea pedibus ejus cum regno prostratus tam diu veniam petiit donec impetravit. Anastasius Papa II. Anastasium Imperatorem non solum excommunicavit, sed etiam regno privavit. Stephanus Papa Karolum Pipini Regis fratrem à regno deposuit & Pipinum in ejus loco substituit. Nicolaus quoque Romanus Pontifex duos Imperatores uno eodemque tempore excommunicavit, Michaëlem videlicet orientalem propter Ignatium Constantinopolitanum Episcopum sine judicio Papae a sede sua ejectum, & Lotharium occidentalem propter Gualdradae pellicis suae societatem. Beatus quoque Ambrosius, non Romanus, sed Mediolanensis Pontifex maximum tyrannum Theodosium Imperatorem ab Ecclesia pulsum excommunicasse non est ambiguum. Alexander III. excommunicavit Fredericum primum Imperatorem donec apud Venetias venit ad satisfactionem condignam, Innocentius III. quasi nostris temporibus & diebus excommunicavit & deposuit Ottonem IV. Imperatorem pro eo quod fidem ipsi Ecclesiae non servavit. Quis ergo nisi mente captus ignorat potestatem Imperatoris & Regum Pontificibus esse subjectam? Et quis credit à subjectione Romani Pontificis se esse alienum, nisi qui peccatis suis exigentibus inter oves Christi pastorum principis non meruit numerari. Sed jam rei ordinem quem incepimus prosequamur. Sententiam vero ipsam depositionis saepefati Frederici protulit summus Pontifex in majori Ecclesia Lugdunensi in pleno Concilio anno Domini MCCXLIIII. xv. Kal. Augusti, pontificatus sui anno tertio, quae fuit ab universis Ecclesiarum Praelatis in eodem Concilio residentibus approbata, sicut liquere potest omnibus tam praesentibus quàm futuris per subscriptiones ipsorum & eorundem sigilla pendentia in eadem.

Vide gesta Gregorii VII. MS.

Odor. Raynald. ann. 1245. §. 33.

De Rege Portugalliae.

XX. ET quia pleranque plerique delirant & multiformiter secundum superiorum exempla, Rex Portugalliae Sancius, qui erat circa regni sui regimen multiplici negligentia & ignavia jam dejectus, propter quod papillo non judicabat, causa viduae ad ipsum non introducens deperibat, Ecclesiae destruebantur & monasteria, ipsum regnum & multipliciter quassabatur, meritis ipsius acentatis & examinatis in ipso Concilio, ad petitionem & instantiam Praelatorum ipsius regni venientium ad Concilium saepedictum fratrem ipsius Regis Alfusum coadjutorem & conservatorem regni Dominus Papa de fratrum suorum consilio coadjunxit, prout in litteris apostolicis super hoc editis plenius continetur. Tunc temporis misit magistrum Bernardum Neapolitanum, virum utique magnae probitatis & sapientiae, Subdiaconum & Capellanum suum in Hispaniam ad reformandam pacem inter Regem Navarrae & Episcopum Pampilonensem, inter quos tunc discordia magna erat.

Odor Raynald ann. 1245 §. 5. 68 ann. 1247. §. 18.

De electione Regis Langravii & morte ipsius.

XXI. COnsequenter dictus summus Pontifex Dominum Philippum tunc Ferrariensem electum ad novi Regis electionem, qui Frederico succederet, faciendam in Alamaniam destinavit. Qui cum illuc duce Domino pervenisset, congregatis Principibus & Praelatis qui debebant electionem hujusmodi celebrare, & ad quos specialiter ipsa electio pertinebat, non sine magnis sumptibus & expensis Ecclesiae, invocata sancti spiritus gratia, unanimiter, & concorditer in Romanorum Regem Langravium illustrem virum & prudentem de * Lothoringia elegerunt. Qui tanquam vir catholicus & magnae fidei plenus illos qui sanctam matrem Ecclesiam impugnabant coepit constanter & viriliter expugnare. Nam con-

Odor Raynald. ann. 1246. §. 1.

* Thuringia.

Odor. Raynald. an. 1247. §. 1. congregam exercitu contra Corradum dicti Frederici depositi filium pugnaturus accessit; & inito bello cum ipso, divina faciente gratia, dictus Langravius de exercitu dicti Corradi sexcentos Milites & XLII. Comites captivavit. Ex quibus mandata dicti Regis Langravii quamplurimi juraverunt. Tunc temporis Dominus Papa per religiosum virum fratrem Bonvicinum Cubicularium suum XV. millia marcarum argenti dicto Regi transmisit. Qui postmodum infirmitate praeventus, tanquam vir catholicus, contritus pariter & confessus, ac alia devotissimè susceptiens ecclesiastica sacramenta, infra electionis suae annum vocante Domino in terra sua expiravit, debitum carnis exolvens. Interim dictus Pontifex post Concilium anno secundo Cluniacum ivit, cum Rege Franciae & ipsius fratribus locuturus; ubi Domini Cardinales primò capellos rubeos receperunt, sicut in ipso Concilio fuerat ordinatum.

De electione Regis Guillelmi & coronatione ipsius.

XXII. MOrtuo Langravio, Dominus Papa habito consilio cum fratribus suis disposuit in Alamanniam transmittere pro creando alio novo Rege, & diligenti deliberatione praehabita venerabilem virum, utique providum & discretum, apostolicae sedis Legatum ad hoc agendum transmittit. Odor. Raynald. ann. 1247. §. 2. Qui cum ingenti studio Praelatos & Principes coadunari fecit, prout moris est ad electionem hujusmodi faciendam. Congregatis itaque Principibus & Praelatis, Christi nomine invocato, nobilem & prudentem virum Guillelmum Comitem Ollandiae in Romanorum Regem IV. Nonas Octobris elegerunt sub anno Domini MCCXLVI. pontificatus ipsius Domini Innocentii Papae IV. anno sexto. Qui civitates & castra dicti Frederici in manu forti viriliter sunt aggressi, & praecipuè Aquisgranum, ubi Reges coronantur & corona regni conservatur. Facta itaque per eosdem longi temporis spatio obsidione, ibidem dictam terram adeo coartaverunt donec mandata eorum plenariè juraverunt. Idem verò Legatus, praesente Domino Guillelmo Episcopo Sabinensi, qui tunc de Norvvegia revertebatur, ubi functus fuerat officio legationis, necnon & pluribus Principibus & Praelatis ac personis aliis infinitis, Kalendis Novembris Guillelmum secundum antiquorum modum honorificè coronavit anno Domini MCCXLVII. cui Dominus Papa, cum Rex ipse dives non esset, quamquam praeclarus genere, triginta millia marcarum argenti, ut fortiùs Ecclesiae ageret negotium, in regni adjutorium transmisit, continuans & retribuens semper nihilominus expensas cotidianas & cuncta necessaria tam in exercitibus quàm singulis aliis regni negotiis ipsi Regi.

De legatione Domini Octaviani in Lombardiam.

XXIII. TUnc summus Pontifex in Lombardiam Legatum destinavit Dominum Octavianum sanctae Mariae in via lata Diaconum Cardinalem cum electis militibus strenuis atque probis; pro quorum stipendiis XIV. millia marcarum argenti contulerat ipse Papa. Qui veniens usque radices Alpium, occurrit sibi, exposito nomine, Amatus Comes Sabaudiae, qui Frederici amicitia junctus erat, occultas tendens insidias ne transiret. Ubi propter resistentiam Comitis memorati ferè trium mensium spatio ipse Legatus cum dictis militibus persliterunt. Et amissa Ecclesiae pecunia & subsidio militum, ipsi milites ad propria remearunt. Tandem per diversarum viarum anfractus vix ipse Legatus solus cum sua familia devenit in provinciam Lombardiae. Eodem verò tempore Taurinum venerat Fredericus, ubi cum Comite Sabaudiae & aliis quibusdam Baronibus sibi adhaerentibus nequiter machinans contra summum Pontificem ipsum Lugduni circumvenire fraudulentissimè procurabat.

De devotione Regis Franciae.

XXIV. QUo percepto & intellecto, Rex Franciae Lodoicus filius devotus Ecclesiae unà cum fratribus suis & matre sua Regina Blanca ac aliis sui regni Baronibus, & Dominus Arcimbaldus de Borbonia praecipuè totis suis viribus & potentiis ad resistendum fraudulentiae Frederici se ad mandata summi Pontificis obtulerunt. Sed qui reprobat Deus consilia Principum iniquorum, infatuavit tam citò nefarium propositum Frederici ut non possent manus ejus implere quod ceperant.

Quod civitas Parmensis versa est ad mandata Ecclesiae.

XXV. NAm cives quidam Parmenses potentiores & nobiliores nepotes & consanguinei Domini Papae & quamplures alii, qui quidem expoliati omnibus bonis suis de civitate praedicta exiverant propter tyrannidem Frederici, in manu potenti & forti, fide ipsius Ecclesiae animati & zelo justitiae, accingentes se quoque arma bellica, ut alteri Machabaei, eandem aggressi sunt civitatem, & inde recepto gladio, potestate, quae ibi per Fredericum fuerat posita, cum gloria multa fidei Ecclesiae ipsa civitas est reducta.

De obsidione Parmae & destructione Victoriae & constantia Parmensium.

XXVI. UT hoc igitur innotuit Frederico, tactus gravi dolore cordis intrinsecus, & misquo primo proposito annullato, in obsidionem dictae civitatis venit gressu celeri & festino, praevidens quoque quòd eam sibi subjugare non poterat in temporis brevitate, civitatem ex opposito per milliare propè fecit constitui quae Victoria vocabatur, in qua cum per sex menses in obsidione dictae civitatis Parmae stetisset, Parmenses quoque in patrocinio beatae virginis confidentes, in cujus nomine pugnaverunt, dicta civitas Victoriae XIII. Kal. Martii anno Domini MCCXLVIII. subitò extitit à Parmensibus dictis capta, ubi dictus Fredericus regale sceptrum & pallam & alia regalia necnon aurum & argentum infinitum & alia cuncta bona quae ibi tam ipse quàm alii congregarant integraliter amiserunt, capto nihilominus carrochio Cremonensium cum vexillo, papilionibus, equis & armis, peditibus quoque & militibus captivatis ultra tria millia & plusquam mille quingentis aliis gladio interemptis, praeter conculcatos equorum pedibus & ruina, qui non potuerunt in tanta strage prae multitudine numerari. Ipsa quoque terra dicta Victoria victa pariter & confusa, & cibus ignis facta, fuit funditus dissipata. Vixque ipse Fredericus cum paucis evadens fugatus horribiliter cum confusione multa & erubescentia Cremonam defectus viribus se recepit. Et quamquam ipsa Parmensis civitas postmodum fuisset tam à Cremonensibus quàm ab aliis inimicis variis & diversis perturbationibus & adversitatibus lacessita, continens & roborans ipsam Deus ministerio & favore consanguineorum Domini Papae virorum nobilium & potentium constanter semper persistit, & retrorsum nullatenus est conversa.

De regressione Frederici in regnum Apuliae.

XXVII. POst haec non post multum temporis in regnum Apuliae regressus est Fredericus; ubi tanquam ursa catulis raptis frendens desaevit graviter in saeculares clericos & Praelatos, sed gravissimè in religiosos. Nam fratres Minores & Praedicatores de ipso regno expulit & ejecit, ex quibus aliqui ludibria & verbera experti, insuper vincula & carceres, suspensi sunt, decorticati sunt, in occasione gladii mortui sunt. Et ut urgentiori stimulo pos-

possit ipsam Ecclesiam impugnare, cum infidelibus pertractans connubia, & se ipsis catena sanguinis socians, Baccario suam misit filiam in uxorem. Saracenis quoque amicitiae foedere copulatus, Soldano plura & magnifica saepe saepius encenia destinabat, inter quem, tanquam execrator Christianae religionis & ritus, Christianas virgines juvenculas transmittebat ad captandam benivolentiam eorundem, ut tandem fultus ipsorum potentia Ecclesiam impeteret postmodum & tyrannide acriori. Nec mirum. Cum ipsis namque totum suum erat commercium, totum consortium & convictus. Eis etiam in meditullio terrae Apuliae copiosam & amplissimam aedificaverat civitatem, quae usque hodie Nocerium nuncupatur. Ex quibus aliquos palatiis & cameris suarum puellarum, potius suarum meretricum, ad custodiam deputabat.

De transitu Regis Franciae in subsidium terrae sanctae.

XXVIII. IPso namque tempore, anno Domini MCXLVIII. Rex Franciae Lodoicus unà cum fratribus suis viribus potentibus & robustis & innumera multitudine Militum electorum regni sui ac alio exercitu copioso transfretavit mare, vadens in subsidium terrae sanctae; cum quo Dominus Papa misit Legatum venerabilem Dominum Ottonem Episcopum Tusculanum. Et prosperum iter faciens Deus salutarium nostrorum, cepit postmodum Damiatam. Cui Fredericus detestans opera bonitatis praecluserat vias regni, ne inde transitus esset sibi, vias quoque maris & semitas atque portus faciens custodiri, ne illuc victualia portarentur. Interea filius Frederici Rex Encius, qui adversus Ecclesiam Lombardiae dominium tunc habebat, & qui ibidem remanserat loco patris, à Bononiensibus apud Mutinam cum CCC. Militibus XIII. Kal. Januarii, anno quo capta est Victoria, Domino cooperante fuit & ipse captus & Bononiae carceri mancipatus.

De morte pessima Frederici.

XXIX. DEmum prospectans Dominus de excelso solio sancto suo, & videns Petri navicolam undarum anfractibus, pressuris variis, & adversitatibus conquassatam, saepefatum tyrannum Fredericum substractionis & perditionis filium, anno Domini MCCL. festo beatae Luciae, pontificatus Domini Innocentii Papae IV. anno VIII. substraxit de medio ipse Deus, qui in Apulia castro Florentini laborans gravibus dissenteriis, frendens dentibus, spumans, & se discerpens, ac rugiens immensis clamoribus, excommunicatus & depositus miserabiliter expiravit; ut sic meritò attestaretur suae vitae nequissimae mors haec tam acerrima & crudelis mors. (Mors enim peccatorum pessima & finis eorum interitus) terminatur. Vixit autem in imperio XXXVIII. annis. Mansit autem in excommunicatione duodecim, post depositionem verò quatuor annis vixit. Hic tyrannus monasteria monachorum, domos Hospitaliorum & Templariorum aliorumque religiosorum multipliciter afflixit. Hic fidem catholicam non tenebat, haereticos publicè fovebat, Episcopos, fratres Minores, ac saeculares clericos in opprobrium Jesu Christi & Ecclesiae impiissimè occidit. Alios quoque Presbyteros suum cogebat jurare mandatum, & eos celebrare divina excommunicatis & interdictis praesentibus faciebat. Beneventum ac plures terras & castra Ecclesiae usque ad solum redigens destruxit. In civitate Ameliae majorem Ecclesiam funditus diruit, ubi & castrum suum construi fecit. In Apulia, in villa quae Calseburgum vocatur, altare Domino consecratum fecit dirui, & in eodem loco latrinas aedificari. In pluribus autem terris regni Apuliae, ubi fuerant Ecclesiae Deo dicatae, suarum meretricularum loca construxit. Et non contentus juvenculis mulieribus &

Odor. Raynald. an. 1250 § 23. & seqq. Miscellan pag. 193 col. 1. & seqq.

puellis, tanquam scelestus, infami vitio laborabat; quod quidem turpe est cogitare, turpius dicere, turpissimum exercere. Nam ipsum peccatum quasi Sodoma apertè praedicabat, nec penitus occultabat. Quid ultra recensere per singula nefandissima ejus acta? Conflata namque in ipso fuit nequitia consummata. Et cum temporis dicti spatio dictus summus Pontifex Innocentius cum fratribus suis Lugduni cum curia resideret, dans locum irae, & cedens furori & vesaniae Frederici, quae tanta fuit quod coactus est expendere ipse Dominus Papa, sicut pius pater, pro defensione & conservatione fidelium filiorum infra septem annorum spatium ultra ducenta millia marcarum argenti tam in Alamania quàm Lombardia, Marchia Anconitana, patrimonio beati Petri, aliis terris & provinciis atque locis. Faciebat etiam in Lugdunensi civitate magnas eleemosinas, praeter cotidianas, per manus fratrum Minorum qui cum eo in camera morabantur, quaerendo pauperes & infirmos per domos & hospitalia civitatis. Sunt interim Lugduni mortui quinque venerabiles Cardinales, utpote Domnus Otto Portuensis Episcopus, Domnus Guillelmus Episcopus Sabinensis, Domnus VVillelmus tituli XII. Apostolorum Presbyter, Domnus Raynerius Viterbiensis sanctae Mariae in Cosmedin Diaconus, Domnus Gotfredus de Franco sancti Adriani Diaconus Cardinalis.

De multitudine populorum venientium ad Papam.

XXX. POstquam vero persecutore dicto sublato de medio voluit Deus benignitate solita tranquillam reddere pacem Ecclesiae suae sanctae, ne jam adversitatibus ulteriùs premeretur, decrevit Dominus Papa ad suam sedem propriam, à qua diù exulaverat, remeare. Et cùm hoc divulgaretur per circum adjacentes provincias & remotas, tanta conduxit ad ipsum circa majorem hebdomadam frequentia populorum ut non posset eos Lugdunensis civitas aliquatenus continere. Cùmque flagitarent summi Pontificis praesentiam intueri, ut ab ipso indulgentias reciperent peccatorum, & benedictionis apostolicae munere signarentur, oportuit Dominum Papam die Jovis sancti extra in campum egredi civitatem. quod & fecit clementer annuens votis & desideriis populorum. Venerat proinde illuc inter omnes Principes & magnates Rex Alamaniae christianissimus Guillelmus, filius devotus Ecclesiae, ut & ipse gauderet aspectu & praesentia tanti patris, &, ut moris est Regum, tenuit stassam ejus, & ipsum pariter adextravit. Sermone igitur ibidem cum multa devotione & sapientia proposito verbi Dei, ac ipsis benedicens omnibus & tribuens amplas indulgentias peccatorum, & eis vale facto, in locum castri sancti Justi, ubi manserat, est regressus; & ea die celebratis Missarum solemniis in caena, unà cum dicto Rege Guillelmo & fratribus ac multis Praelatis aliis, manducavit. Adveniente autem quarta feria post resurrectionem dominicam, ipsâ die ipse summus Pontifex & Rex Guillelmus egressi sunt de Lugduno, cum quo Rege Legatum destinavit in Alamania Dominum Ugonem tituli sanctae Sabinae venerabilem Presbyterum Cardinalem. Ipse verò carpens itinera versus Romam, ut ad sedem propriam jam rediret, prima die Viennam deveniens, receptus est cum gaudio & honore. Secunda vero die ascendens naviculas, transivit per Rhodanum fluvium usque Oringiam civitatem, declinans nihilominus in ipso transitu per Valentiam & Vivarium civitates. Deinde per terram venit Marsiliam, ubi multa magnificentia est susceptus à civibus civitatis. Et tam Burgundi quàm Provinciales, undecunque transitus erat ipsius summi Pontificis, occurrebant undique de civitatibus & viculis atque villis. Multitudo quoque clericorum, religiosorum, laicorum, mulierum pariter & puerorum cursitabant inruentes in ipsum & anhelantes multo fervoris desiderio si quo modo possent con-

contingere aspectum ipsius Domini, & cum hymnis & laudibus suscipiebant eundem. At ubi ad Januensium notitiam est deventum quòd per eos esset summus Pontifex transiturus, per totam maritimam stratas ipsi praeparari fecerunt, vias planari & pontes pariter resarciri non sine magnis sumptibus & expensis. Cum jam vero transiens per Suciam & Viginti-miliam civitates, Januam devenisset, ordinatis processionibus accuratis & solemnibus laudibus, coopertis quoque plateis & viis civitatis, pictis tapetibus, purpureis vestibus & aliis variis indumentis diversimodè variatis, aliisque pluribus ornatum & decorem praestantibus, occurrentes ei extra civitatem cum tripudio & exultationis gloria susceperunt. Fecerant quoque sibi in ipso suo adventu contra solis aestum quoddam umbraculum, innectentes capitibus quatuor perticarum pecias de serico artificiosè insitas & insertas. Quod quidem umbraculum plena devotione ferentes ipsi Milites & majores de terra, sub illo veniebat Dominus ipse Papa. Hoc utique sibi fiebat ubique in aliis civitatibus, communitatibus, atque castris. Et cùm in ipsa Januensi civitate, vocatis ad se ambaxatoribus de societate fidelium Ecclesiae omnium civitatem Lombardorum & Mediolanensium, illuc usque in festo ascensionis gressu devoto & celeri pervenerunt ad tractandum de pace & bono statu provinciae & concordia eorundem. Cumque jam sui esset propositi concordia versus Romam dirigere gressus ejus, ut ibidem de regni Apuliae negotiis ordinaret, ad urgentem tamen & multorum instantiam Legatorum Domni Octaviani Diaconi & Domni Gregorii de Monte longo ipsius Domini Papae Notarii, postmodum Patriarchae Aquilegensis, & ambaxatorum qui de Lombardia venerant, inductus est per Lombardiam pariter declinare. Et circa festum beati Johannis Domini praecursoris egressus de Janua, & versus Lombardiam iter arripiens, in festo Apostolorum Petri & Pauli Alexandriam pervenit. Deinde per terram Montisferrao transeuntis ad pontem devenit. Ibi enim Dominus Thomas de Sabaudia Comes, qui fuerat pro parte Frederici, venit ad mandata Ecclesiae, & per Assisinatensem Episcopum extitit ab excommunicationis vinculo absolutus. Ubi etiam occurrit ipsi Domino Papae Mediolanensis & Novarriensis militia ut per Vercellensem civitatem, quae adhuc se tenebat pro parte Frederici, securus & pacificus transitus esset sibi. Factum est autem cùm appropinquaret civitati Mediolanensi ultra milliare, extendentes papiliones in pratis ad fatigatorum ex itineris labore refrigerium & solamen, ipsum Dominum cum tanta exultatione ac tripudio susceperunt quod nunquam esset dictu facile vel notare. Nam fecerunt sibi quoddam artificium in modum quadratae cabiae, miro modo excogitatum, contextum & connexum à lateribus perticis & lignis aliis politis pariter & ornatis, coopertum quoque superius contra solis aestum de scarleto & serico, quod quidem ferebant nobiles Milites civitatis, & infra quod veniebat ipse summus Pontifex super equum ne à circumvenientibus & frequentia populorum ob plenam devotionem irruentium & eidem occurrentium pressuris aliquibus laederetur. Et seorsum clericis civitatis processionaliter ordinatis, seorsum popularibus viris, seorsum mulieribus, seorsum pariter parvulis resonantibus Deo & Christo ejus, laetati sunt laetitia inenarrabili in aspectu & praesentia tanti patris. Erat enim ipsorum talis & tanta processio quod nunquam talis à saeculis audita fuit vel visa. Nam religiosorum & aliarum ecclesiasticarum personarum usque ad XV. millia ascendebat. Aliorum namque tanta erat populi multitudo quod decem milliarium spatium occupabat. Dum autem ipse Papa ibi persisteret, ipsius favore Mediolanenses Laudam civitatem ceperunt, quae pro parte dicti Frederici erat cum Cremonensibus & Papiensibus foederata. Descendens postmodum de Mediolano, venit Brixam, post Mantuam, semper associatus solemni harum militia civitatum. Inde transivit per Padum fluvium usque Ferrariam, quam intravit festo beati Francisci; ubi tam per terram quàm per aquam ei pariter occurrentes susceperunt ipsum in multitudine gaudiorum. Cumque jam appropinquaret Bononiae, ipsi Bononienses in multa solemnitate cum vexillis & laudibus ei obviam exeuntes, multo quoque decore ipsorum militia ordinata, traxerunt extra civitatem ultra milliare carrochium de scarleto decentissimè coopertum. Vexilla quoque quae superiùs in castro erant carrochii, cùm Dominus Papa ipsi adjungeretur carrochio, sunt usque ad sacros ipsius pedes subito inclinata. Quod quidem fuerat miro artificio ordinatum ad ejusdem reverentiam atque laudem. Et cùm de Bononia post XVII. dies recederet, & vellet ire Perusium, transiens per Romaniolam, in civitate Faventi, festum omnium sanctorum die Mercurii celebravit, ubi Ecclesiam sancti Paterniani ordinis sancti Benedicti pariter consecravit. Die vero sequentis dominicae venit Perusium, ubi honorificè est susceptus. Dum autem ibi persisteret & illuc curiam ordinaret, cùm jam ibidem per annum & dimidium resideret, tres Cardinales in Ecclesia ordinavit, Dominum Episcopum Portuensem, Dominum Episcopum Penestrinum quondam Strigoniensem Archiepiscopum, & Dominum Ottobonum sancti Adriani Diaconum Cardinalem. Dominum autem Penestrinum de Barro tituli sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem consecravit in Episcopum Sabinensem; ubi quidem non post multum temporis à Domino ad vitam aliam est vocatus, qui se fecit in Ecclesia sancti Francisci de Assisio tumulari. Tunc vero temporis cum a Bathasio Imperatore Graecorum solemnes nuntii, ut utpote Archiepiscopi, Episcopi, quidam nobiles Milites ad Romanam curiam mitterentur, prima facie in regnum Apuliae pervenerunt; ubi per adversarium dictae Ecclesiae Fredericum, ne posset concordia provenire inter Graecorum Ecclesiam & Latinam, per annum & dimidium sunt detenti. Tandem intercedente morte ipsius tyranni ad praesentiam summi Pontificis apud Perusium pervenerunt. Qui quidem honorificè ab ipso Domino sunt suscepti. Habitis quoque collationibus super diversis inter ipsos & summum Pontificem, ad deliberandum super practatis cum dicto Battacio domino eorundem ad propria remearunt.

De adventu Corradi in regnum.

XXXI. INterea Corradus filius saepefati depositi Frederici venit de Alamania, transiens per mare Venetiarum & Adriaticum, invasit & occupavit regnum Apuliae & Siciliae in jacturam & dispendium Ecclesiae, cum esset de jure ipsum regnum ad manus Ecclesiae devolutum. Propter quod ipsum & omnes sibi pariter adhaerentes Dominus Papa excommunicationis vinculo innodavit. Qui pallians se simulationis & versutiae pallio, cum sub ovina pelle lupum nequitiae occultaret, ad ipsum summum Pontificem solemnes nuntios destinavit, utpote viros sagacissimos & astutiae magnae, Bartholomaeum Marchionem de Hohemburch, Archiepiscopum Tranensem, Gualterium de Ocra Cancellarium suum, & alios quoque plures, per quos se dicebat velle mandatis Ecclesiae humiliter obedire. Qui benignè recepti sunt à summo Pontifice, ne nuquam in ipso nisi benignitatis & mansuetudinis vestigia invenirentur. Cùmque per ipsum Corradum ipsi nuntii peterent ut tam in imperio quàm regno succederet loco patris, nequivit per eos, cùm omnino indebita peterent, & solum causa palliationis & deceptionis venissent, concordia provenire. Quibus postmodum reversis ad dicti Corradi praesentiam, coepit ex tunc ipse Corradus tantam saevitiam exercere ut jam quasi tota terra sileret in conspectu ejus & respectu tyrannidis & malignitatis ipsius tegerentur nec haberentur in memoria acta nequissima patris sui. Talia quidem se facere minabatur ut pater ejus sanctus ab omnibus habe-

beretur, & quòd si pater arctavit subjectos sibi flagellis, per ipsum scorpionibus caederemur. Tunc vero temporis obsedit primo Capuam, deinde Neapolim, cum essent Ecclesiae fidelissimae & devotae, & tamdiu eis victualia subtrahendo donec coegit eas stare mandatis suis, destruens omnes muros circumpositos ipsis terris. Nam de radice colubri, scilicet Frederico, egressus regulus Corradus egressus est natus ejus. Ipse vero summus Pontifex praedictam reguli cum suis fratribus videns potentiam in dicto regno invalescere, necnon ipsum in devotos Ecclesiae desaevire, patris vestigia imitando, magistrum Albertum de Parma notarium suum, de cujus longo tempore expertus fuerat bonitate, ad nobilem virum Ricardum Comitem Cornubiae fratrem Regis Angliae destinavit, retractando tractatum cum ipso magistro, quo tamen nescitur consilio, illum valuit consummare. Audito vero hoc à nobili viro & strenuo Karolo Andegaviae & Provinciae Comite Christianissimi Regis Francorum germano, statim idem Comes suos nuncios solemnes ad sedem apostolicam destinavit, offerendo personam, terram, & omnia sua bona servitio Romanae Ecclesiae, & specialiter ad prosecutionem negotii supradicti. Qui nuntii à summo Pontifice & suis curialibus honorificè fuerunt recepti, sicut sui moris erat recipere à tali Principe nuntios destinatos. Paucis vero diebus elapsis, ipsorum legatione audita, cum suis fratribus deliberato consilio, praedicto magistro A. in Francia tunc degenti per suas litteras fratrum suorum subscriptione firmatas cum omni affectione mandavit ut dictum Siciliae regnum praefato Comiti sub quibusdam conditionibus sibi satis levibus & multum regno & Ecclesiae opportunis concederet, & de ipso ipsum vice Romanae Ecclesiae investiret. Qui magister de commissis sibi omnibus nihil omittens, quod sibi mandatum fuerat voluit adimplere; sed malignorum interveniente nequitia, post multos & longos tractatus, licèt ipse Comes hoc multum in corde gestaret, collateralium tamen suorum devictus consilio hoc donum sibi tam magnificum destinatum recipere non tentavit. Tempore postea modico procedente, Deus, qui Ecclesiam suam non permittit fluctibus diutius agitari, devotissimi & Christianissimi filii Ecclesiae Regis Anglorum, procurante aliquod de ipsius Pontificis summi genere, animum excitavit, & adeo quod Romano Pontifici devotissimè supplicavit ut Eamundo nato suo praedictum regnum ab aliis refutatum concederet sub conditionibus quibus vellet. Paratus enim erat personam suam, filios atque terram exponere Ecclesiae servitiis & mandatis, dummodo votum crucis sibi in prosecutione dicti negotii commutaret. Quibus summus Pontifex exauditis, repletus laetitia supra modum, eidem magistro adhuc in Franciae finibus existenti per nuntios suos & litteras demandavit ut dictum regnum sub illis conditionibus quas postmodum dicerent Dominus O. sancti Adriani Diaconus Cardinalis ejusdem Domini nepos, praedictus magister Albertus Notarius, Archiepiscopus Cantuariensis, Episcopus Herefordensis, Lugdunensis electus, & P. Comes Sabaudiae, & quidam alii, in feudum concederet nomine Romanae Ecclesiae matris suae. Quod & fecit cum magno gaudio & amore, videns quòd per eum Ecclesia à suis relevaretur angustiis & pressuris. Iis igitur postmodum per Romanum Pontificem confirmatis, praedictus Rex ad ea quae sunt armorum se tradens, cogitare cum suis non destitit de prosecutionis negotio sicut scivit. Romanus autem Pontifex ex opposito intendebat operibus sanctitatis.

De canonizatione sancti Petri ordinis Praedicatorum.

XXXII. IPso namque tempore fratrem Petrum ordinis Praedicatorum, qui zelo ferventi & toto mentis studio persequebatur haereticos, & qui in provincia Mediolanensi III. Kal. Maii ab ipsis haereticis extitit interfectus, de fratrum suorum consilio & aliorum plurium Praelatorum sanctorum catalogo annotavit. Recedens postmodum de Perusio ipse Papa dominica die octavarum resurrectionis Domini anno Domini MCCLIII. pontificatus sui anno X. venit Assisium, ubi cives civitatis illius ipsum cum tanto gaudio susceperunt quòd in ipsius tanti patris aspectu prae ingenti & superabundanti laetitia nullo modo se poterant à multis lacrymis continere. Et moratus est tota illa aestate cum omni sua familia in loco beati confessoris sancti Francisci, in quo loco corpus ejus sanctissimum requiescit. qui de consilio fratrum suorum consecrationem ipsius Ecclesiae faciendam praedixit in dominica praecedente festum Ascensionis Domini.

De consecratione Ecclesiæ sancti Francisci de Assisio.

XXXIII. ADveniente quoque termino praefixo consecrata est ipsa Ecclesia & altaria in eadem per Dominum memoratum & Episcopos quoque plures. Ubi propter loci devotionem & reverentiam summi Pontificis dictam Ecclesiam consecrantis tanta fluxit frequentia populorum, Prælatorum, religiosorum, clericorum, virorum, mulierum & parvulorum, etiam tam de remotis provinciis quàm longinquis, ut nullus unquam posset eos præ multitudine numerare. Nam valles & colles, planities & ipsa civitas Assisium ex iis multipliciter replebatur. Contulit autem ipse Dominus Papa illuc omnibus devotè accedentibus amplas remissiones & indulgentias peccatorum. Statuit enim ipse Dominus Papa ut singulis annis in tali die dominico ante festum ascensionis Domini festum consecrationis ipsius celebretur. Majorem quoque Ecclesiam ipsius civitatis, sanctum Rufinum, & Ecclesias sancti Petri & sancti Pauli monasteria de Assisio ordinis sancti Benedicti ibidem etiam consecravit. Tunc etiam stante ipso Papa ibidem beatum * Translam Episcopum miraculis multis clarissimum, qui, ut alter Johannes Baptista, Ducem Poloniæ super nefandissimis immunditiis arguebat, propter quod ab ipso Duce in civitate Cracovia capitis truncationem sustinuit, de fratrum suorum consilio & aliorum Prælatorum in cathalogo sanctorum martyrum ascripsit. Dominam autem Claram vita claram & nomine primam Abbatissam Dominarum monialium inclusarum ordinis sancti Damiani in infirmitatis suæ lectulo decubantem bis tanquam pius pater & multæ compassionis & mansuetudinis visitavit. Quæ postmodum die festi beati Rufini à Domino feliciter ad vitam aliam est vocata. Fratribus verò Minoribus, cum quibus in eorum loco ipse summus Pontifex morabatur, multa humanitatis & benignitatis beneficia conferebat. Nam tanquam qui præpollebat humanitatis virtute, fratrem se gerebat cum ipsis fratribus, humilem cum humilibus, mansuetum cum mansuetis, ad cujus gremium dicti fratres secura fiducia, nedum tanquam ad patrem, sed sicut ad matris ubera recurrebant. Qui quidem fovebat ipsos dulci ejus alloquio & sermone, & faciebat eis alimoniam & cuncta necessaria in tunicis & aliis ministrari tanquam suis dilectissimis uterinis.

* Stanislaum

De reversione Papae ad Urbem.

XXXIV. CElebrato postmodum ibi solemniter festo beati Francisci die sabbati, die lunae sequenti egrediens de Assisio cum tota curia, ad urbem Romam per Narniam & Sabinam est reversus. Ubi occurrit ei senator cum populo Romano extra civitatem, & ordinatis processionibus solemnibus religiosorum, clericorum, virorum & mulierum, eundem Dominum cum ingenti laetitia susceperunt. Qui cùm in Lateranensi palatio resideret, intendens piis & sanctis operibus, confessionem & altare majus Ecclesiae sancti Laurentii extra muros, in qua requiescit corpus ipsius martyris gloriosi, cui devotissimus semper, sicut nunc est, repa-

rari & innovari fecit opere sumptuoso. Similiter apud sanctum Petrum palatium, cameras & turrim pulcherrimas aedificari & vineas ibi emi fecit. Praeterea nutriebat, & fovebat omnes Praelatos & clericos, nobiles, & alios expulsos & exules de regno, dando eis saepe saepius largas subventiones & eleemosinas. Illo vero tempore Romani quemdam Militem Bononiensem, Brancaleonem nomine, pro triennio in senatorem urbis elegerant, quia in Lombardia fuerat pro parte Friderici depositi, & junctus amicitia Ezelino tyranno haeretico omnimodè adversario Ecclesiae, & etiam tyranno alteri nomine Peluicino, latenter machinabatur contra summum Pontificem, cum privato consilio Romanorum, si quo modo posset negotia Ecclesiae impedire, cùm, sicut publicè dicebatur, corruptus esset pecunia Corradi nati saepefati Friderici, qui jam occupaverat ipsum regnum, cujus quidem nuntios recipiebat & in urbe secum publicè retinebat. Hic namque multùm laboraverat ne ipse Pontifex ad urbem Romam sedem suam propriam remearet. Sed laxati sunt suae iniquitatis funiculi, & praevalere in aliquo nullatenus potuerunt, Deo ipsum Pontificem & Ecclesiam feliciter adducente.

De secundis nuntiis Corradi ad Papam.

XXXV. IPso postmodum Papa residente in Urbe, dictus Corradus pro concordia & pace iterum fictitiè & simulatoriè ad summum Pontificem solemnes ambaxiatores & nuntios destinavit, utpote Comitem Montisfortis avunculum suum & alios quoque plures, occultè ponens insidias, & pertractans cum senatore praedicto, ac expendens in ipsis Romanis multam pecuniae quantitatem, & eis multa alia promittendo, si fortè sibi contra Ecclesiam amicitia jungerentur. Sed mentita est iniquitas sibi, cùm & ipsam pecuniam amisisset, & nulla ei ex hoc utilitas provenisset. Et cum semper via versutissima graderetur, ipsius intercedente obstinata nequitia nulla potuit inter ipsos concordia provenire.

De nuntiis Graecorum ad Papam.

XXXVI ISto namque tempore solemnes Graecorum nuntii, utpote Archiepiscopi, Episcopi, & alii nobiles Milites ex parte Bathacii super primis eorum tractatibus iterato ad Romanam curiam pervenerunt. Qui quidem per ipsum per plures menses in ipso regno Apuliae detenti fuerant ne venirent. Adveniente postmodum die Jovis sancti, quo solet fieri reconciliatio poenitentium & anathematizatio protervorum ac infidelium omnium, ipse Dominus Papa in platea Lateranensi, ut moris est Pontificum Romanorum, sermone proposito verbi Dei, excommunicavit dictum Corradum ipsum regnum Apuliae adhuc in sua protervia detinentem. Ezelinum autem praefatum crudelem tyrannum propter suam infidelissimam perfidiam & errorem, cujus publicè infamia laborabat, sui patris imitator effectus, qui ut haereticus ipse fuit, cum pluries fuisset citatus & requisitus ut se purgaret à suis erroribus, quod quidem contempsit & facere recusavit, adjudicavit haereticum, & à communione fidelium separavit. Praeter hoc autem, quòd erat obstinatus in haeretica pravitate, qui quidem fovebat etiam & defendebat haereticos alios, & tantam exercebat tyrannidem quod putabatur excedere crudelitatem Neronis vel etiam Pharaonis. Nam fratrem in fratrem, patrem in filios, filios in parentes faciebat insurgere, & ipsos in ejus oculis gladio jugulare, partus faciebat extrahi de praegnantibus ventriculis, & matriculas discerpi de corporibus puellarum. Inexcogitatas etiam poenas alias & crudelissimas exercebat, quibus non est opus diutiùs immorari.

De exercitu Romanorum supra Tybartam.

XXXVII. INterea anno Domini MCCLIV. pontificatus ipsius Innocentii Papae quarti anno XI. Romani egressi sunt infra octavam resurrectionis dominicae in universali eorum exercitu contra Tybur, & ipsam civitatem arctissimè cum machinis & lignis aliis obsederunt. Tunc temporis misit Papa magistrum Bernardum electum Neapolitanum ad reformandam pacem inter Regem Ungariae & Regem Boemiae, inter quos durissima guerra erat. Et quia moris est Pontificis in aestate egredi extra urbem, circa festum beati Marci egrediens inde per Sabinam & Narniam direxit versus Assisium gressus suos, ut ibidem ipsa aestate proxima aestivaret, & ut ipsius Domini residentia in eadem ipsa civitas Assisinas resarciretur & repararetur vel in modico in suis dispendiis, quae inter omnes circumadjacentes alias civitates plus fuerat per Fredericum tyrannum & suos satellites afflictionibus & damnificationibus lacessita. Inde verò ipse Pontifex Dominum Petrum Capucii venerabilem Cardinalem sancti Georgii ad velum aureum misit Legatum in Alamanniam pro negotiis Ecclesiae & ad reformandam pacem & concordiam inter illustrem virum Guillelmum Regem Alamanniae & Comitissam Flandriae.

De pessima morte Corradi.

XXXVIII. IPso verò Pontifice stante Assisii, ab eo qui transfert montes de loco suo & baltheum Regum dissolvit, saepefatus Corradus circa festum ascensionis praeventus morte crudeli, dum adhuc juvenis oriretur in annis, & telam suae nequitiae texeret, est praecisus. Hoc audiens Dominus Papa, quia prudentis & sapientis est mutare consilium, festo Pentecostes celebrato, ipse cum fratribus suis & tota curia inde recessit, transiens per Spoletum, & Interamnam, quae in maxima erat discordia, eam pacificavit & per Ortum ac civitatem Castellanam ad Ecclesiam beati Petri de urbe pervenit, ubi solemniter celebravit ac praedicavit, ac negotium Ecclesiae recommendavit Romanis humiliter & devotè. Deinde venit castrum Muranae, ubi Dominus Ricardus sancti Angeli Diaconus Cardinalis valde honorificè eum recepit, & splendidè ipsum ac totam curiam procuravit. Inde recedens venit Anagniam civitatem Campaniae, ut & ibi commodius de negotiis regni Apuliae ordinaret. Inde verò Graecorum nuntii, qui de urbe Roma secuti sunt Dominum Papam usque Assisium, & de Assisio usque ad dictam civitatem Anagniae, petita licentia & obtenta ipsius summi Pontificis, ad ipsorum dominum Bacthacium cum responsivis Domini Papae litteris sunt reversi.

De nuntiis Regis Tartarorum

XXXIX. QUibus inde recedentibus, ecce quidam Armenus clericus nuntius Regis Tartarorum, qui cum ornata comitiva hominum & equorum ad sedem apostolicam veniebat, & qui expoliatus omnibus bonis suis per Corradum in regno Apuliae fuit tentus, donec ipse, intercedente morte ipsius, teneretur à principe tenebrarum. Unde vix ipse solus evadens, ad sacros pedes ipsius Papae pervenit. Privatus tamen litteris ipsius tandem Tartarorum Regis, quibus petebat formam & regulam Christianae religionis & ritus, ut iis informaretur cùm Christianus esset effectus & sacri baptismatis receperit sacramentum tractus miraculo maximo illius qui facit mirabilia magna solus, quod tale est. Filius namque ipsius Regis infirmabatur aegritudine valida & omnino incurabili judicio medicorum, & vocatis ad se Armenis & aliis Christianis, eos est taliter allocutus, quod nisi Deus ipsorum precibus illorum ejus filium redderet pristinae sani-

sanitati, omnes capitali judicio subjacerent, quòd si verò restitueretur sanitati optatae, ad fidem ipsorum continuò se transferret. Indicto igitur inter ipsos Christianos triduano jejunio, & signo crucis facto super infirmo, ac invocato Christi nomine, subitò ab eo qui sanat languidos & alligat contritiones eorum, extitit liberatus; propter quod baptizatus est ipse & domus ejus tota ac ultra quinquaginta millia Tartarorum. Ipsum verò Armenum nuntium Regis dicti satis summus Pontifex honoravit. Cui fecit in cunctis ejus opportunitatibus, in vestimentis & alimoniis provideri. Qui reportans litteras à Domino Papa regressus est unde venerat ad dominum suum. Quia verò non est iis diutius immorandum, ad inceptum & propositum eloquium redeamus. Et quia ipsum Apuliae regnum adhuc remanserat occupatum per Dominum Bertholdum Marchionem de Hohembarch, quem, ut dicebatur, Balium suum Corradus in eo reliquerat, & per Manfredum fratrem ipsius Corradi filium Frederici, qui se dicebat relictum à parte Principem Tarentinum, & Fredericum de Antiochia filium similiter Frederici, ac alios quoque plures solemnes Dominos curiae patris & suae, Comites videlicet & Barones, ipsos citavit summus Pontifex, ut parendo mandatis ipsius ipsum regnum manibus Dominae Ecclesiae resignarent. Tunc Manfredus dictus Princeps Tarentinus, dictus Comes, Gualterus de Manupello, Gualterus de Ocra, Cancellarius, Bursarius, Capitaneus Teutonicorum, & alii quoque tam pro se quàm pro parte Marchionis & aliorum de regno nobilium ad pacem componendam & concordiam reformandam ad ipsum Dominum Papam apud Anagniam devenerunt. Cumque per quindecim dierum spatium hinc inde collationibus habitis tractatus pacis & concordiae haberetur, cum esset jam pax scripta & concorditer ordinata, penultima die, cum ipsi fraudulentia multa incederent, & timor Dei non esset ante oculos eorum, ipsam pacem non cognoverunt, sed regressi sunt apud sanctum Germanum, ubi dictus Balius morabatur. Et mittentes ipsi ad Sarracenos de Nucerio & ad dispersos per regnum Theutonicos, congregaverunt ibidem Theutonicorum & Sarracenorum & aliorum multitudinem copiosam. Dominus autem Ricardus de Montenigro potens & munitus in terris & castris, qui fuerat magister Justitiarius in regno Apuliae, & qui primò in occulto redierat ad mandata Ecclesiae, ipsis dehinc se ad favorem Ecclesiae publicavit. Quo debilitata est multipliciter pars ipsorum.

Quòd Papa convocavit exercitum.

XL. INtuens autem Dominus Papa multiplices illorum nequitias, rebellionem, atque versutias, cum primò requisivisset & sollicitasset in diversis partibus fideles Ecclesiae, misit celeriter pro eisdem ad diversas provincias, Lombardiam, Januam, Tusciam, Marchiam Anconitanam, patrimonium & ducatum, ut contra rebelles Ecclesiae festinarent. Interea ipse summus Pontifex festo beatae virginis iteratò peremptoriè citavit eosdem ut usque ad festum nativitatis ejusdem virginis mandatis Ecclesiae obedirent. Qui obfirmantes in malitia & pertinacia mentem suam facere recusarunt. Congregato igitur exercitu copioso apud Ceperanum prudentum & electorum Militum exquisitorumve peditum, missus eis Legatus à Domino Papa de fratrum suorum consilio Dominus Guillelmus sancti Eustachii Diaconus Cardinalis, vitae maturitate praeclarus, scientia dives, titulo praepollens multae prudentiae, in cujus manus direxit altissimus opus Ecclesiae adeo in ipsius ingressu in regnum, & stante ipso in obsidione sancti Germani, Barones regni ex diversis partibus, modò ad summum Pontificem, modo ad ipsum Legatum, pro faciendo fidelitatem Ecclesiae suos nuntios destinabant, ita quòd praefati rebelles, & si non voluntarii, vel inviti ad mandata Ecclesiae devenirent, & missis suis ambasiatoribus apud Anagniam Domino Talbangio & Domino Ricardo Filialgerii, ac aliis quoque pluribus, ante sacros pedes summi Pontificis, praesentibus fratribus venerabilibus Cardinalibus, populoque pleno astante, in palatio Domini Mathiae mandata ipsius Pontificis & Ecclesiae, necessariis cunctis adjectis conditionibus ad haec; per eos plenariè jurarunt. Ipso namque tempore, cùm jam Romani affecti essent multiplici taedio in Tyburtina obsidione, miserunt suos nuntios ad Dominum Papam, ut inter ipsos & Tyburtinos pacem, ad honorem urbis, dignaretur & concordiam reformare. Qui tanquam benignus pater & dominus, oblitus injuriae illorum, qua vias supradictus urbis senator Brancaleo, ne apud Anagniam victualia portarentur; & ne darent mutuum ipsi Papae ad negotium Ecclesiae prosequendum, ac ne Milites seu alii pedites in exercitu Papae irent, misit prudentem virum magistrum Aristotum curiae suae Notariam qui eos, divina gratia prosequente, ad pacem & concordiam revocavit.

De introitu Papae in regnum.

XLI. POst haec vero Dominus Papa circa festum beati Michaelis generale parlamentum indixit Capuae in octava beati Martini, vel ubicunque curia esset, vel de toto regno fiendum. Et die Jovis infra octavam beati Francisci egrediens de Anagnia, processus est versus ipsam Capuam civitatem anno Domini MCCLIV. mensis Octobris die VIII. intrante veniens Ceperanum. In crastinum, videlicet dominica die in octava beati Francisci, cùm per pontem Ceperani dirigeret gressus suos, Manfredus filius quondam Frederici dictum Dominum per totum pontem Ceperani cum pluribus aliis nobilibus adextravit. Tandem cum primum apud Aquinum, deinde apud sanctum Germanum applicuisset, dictorum locorum homines ipsum magnificè receperunt. Et in crastinum, in die Martis, ad monasterium sancti Benedicti de Monte Cassino cum certu venerabilium fratrum suorum causa devotionis & orationis accedens, ibidem divina mysteria solemniter celebravit. Postmodum vero in sequenti sexta feria Theanum venit sequenti mane diei dominicae Burellus de Agone vir nobilis ac Ecclesiae Romanae fidelis, jussu dicti Manfredi Principis immo impiissimi potius à suis satellitibus extitit interemptus. De cujus nece, ob ipsius fidelitatem eximiam erga Romanam Ecclesiam, non tam summus Pontifex cum curialibus universis quàm alii nobiles & magnates de regno plurimum doluerunt. Quo facto, ipse Manfredus aufugit, & junxit se Sarracenis de Nucerio, cum quibus in omnibus persecutus est quantum potuit Ecclesiam & fideles. Et cum postmodum die lunae sequenti applicuisset Capuae, ab ipsius terrae incolis magnificè est receptus. Ubi Dominus Bertoldus Marchio de Hohemburch cum fratribus suis & pluribus aliis nobilibus cum devotione & reverentia venerunt ad mandata summi Pontificis, à quo benignè sunt recepti. Et cum in vigilia Apostolorum Simonis & Judae Neapolim accessisset, cum ipsa sit gloriosa civitas, gloriosè ab omnibus est receptus; ubi generale studium theologiae, decretalium, decretorum, atque legum in palatio suo, sicut ubique fecerat, ordinavit.

De obitu Domini Papae.

XLII. ET cùm Ecclesia Dei eo praesidente spiritualibus & temporalibus proficeret incrementis, repente extitit febrium languore arreptus. Oder. Raynald. ann. 1254. § 69. Et dum in suo lecto infirmitatis jaceret, idem Manfredus Ecclesiae persecutor contra fidelitatem & juramenta propria venire non metuens, in Romanae Ecclesiae partem exercitus apud Fogiam existentis fraudulenter, dum cum illis per suos pacis & reconciliationis foedera tractarent, insultum cum Sarracenis fidei inimicis fecit cum Oddonis de Hohemburch Marchionis consilio, ut creditur, de quo Ecclesia plu-

plurimùm confidebat, & ipsum exercitum post pugnam habitam durissimam inter eos, cum idem Oddo proditionaliter sine ictu terga vertisset in fugam, & ipsius semitam secuti fuissent de exercitu quasi omnes, exceptis Nicolao Comite Lavaniae cum sua & Domini Jacobi sui consanguinei Lavaniae Comitis familia, nec non Episcopo Bononiensi, & quibusdam de Parma nobilibus, qui dictis Comitibus Domini Papae nepotibus viriliter astiterunt, & prae multitudine quam habebat durante à mane ad vesperam artavit in tantum quod diversis moenis civitatis ipsos regale ibidem palatium intrare oportuit. Quo audito à Legato & militia apud Trojam secum stante, idem Legatus infidelium & aliorum debilium ductus consilio contra votum in nocte rebus concessis omnibus occupanti, apud Arianum devotam Ecclesiae civitatem gressus suos cum sua militia praeparavis. Quo audito ab illis qui in castris Fogiae remanserant, & de ipsorum adjutorio desperassent, eodem die ordinata acie, ipso Manfredo vidente, & suis dimissis Fogiae rebus omnibus praeter arma, transeuntes per Trogiam, apud Arianum in noctis crepusculo pervenerunt, expectando ibi cum Legato & aliis summi Pontificis voluntatem. Dum autem ipse summus Pontifex diebus aliquot languisset, sacramentis ecclesiasticis postmodum praemunitus, poenitentia, eucharistia, & sacra unctione receptis, cum devotione & lacrymarum effusione per Dominum R. tunc Ostiensem Episcopum, qui per ordinationem divinam successit ei in promptu, de carnis ergastulo exiens in festo sancti Ambrosii, circa horam vespertinam, ad caelestem patriam emigravit. Tandem fratres Minores, Praedicatores, & alii religiosi quamplurimi, necnon & clerici saeculares circa ipsius patris feretrum pernoctantes, ac divinis etiam laudibus & orationibus assistentes, mane sequenti Domini Cardinales & Praelati pariter universi, cum magno cleri & populi comitatu, cum reverentia & honore, non tamen doloris expertes, & effusione multimoda lacrymarum, ipsum detulerunt ad majorem Ecclesiam tumulandum, apud quam elegerat sepulturam. Et eo ibidem sepulto in speciosa & celebri sepultura, obsessi à morbis validis & languoribus variis per divinam operationis clementiam liberantur, & omnes qui ibidem puro corde implorant auxilium salubrem suae petitionis effectum.

Odor. Raynald. ann. 1254. § 74. XLIII. DEfunctus est Dominus Innocentius Papa IV. Neapoli in palatio olim Domini Petri de Vineis anno Domini MCCLIV. mensis Decembris die septima intrante. Hic sedit annis XI. mensibus V. diebus X. & cessavis episcopatus diebus quinque. Actum per manus illius qui cum ipso Pontifice, non solum ab exordio ipsius apostolatus, sed etiam in cardinalatu ejus Capellanus & confessor assiduè extitit & usque ad ipsius obitum familiariter secum, mansit, qui propter taedium legentium de multis quae vidit haec pauca sub simplici stilo scripsit. Nuntiata vero domino Guillelmo Cardinali & aliis nepotibus Domini Papae existentibus Ariani à quibusdam Cardinalibus morte ejusdem Domini cum dolore, ac eidem suggerentibus Cardinalibus ut ad electionem summi futuri Pontificis festinaret, statim idem Cardinalis cum suis omnibus civitatem munitam relinquens, Neapolim properavit ad ejusdem sui patroni sepulturam, ubi cùm aliquandiu oravisset, Neapolitani cives cum, cum dolore tamen & lacrymis, ad domum ubi Papa decesserat, ubi etiam alios concluserant Cardinales, curialiter deduxerunt. Ipso namque cum lacrymis recepto ab aliis statim in diei mane Veneris subsequentis sancti spiritus Missa cantata, de electione coeperunt tractare Romani Pontificis. Et cùm illa die per formas varias procedentes nihil penitus complevissent, die sabbati post multos & varios tractatus convenientes in unum, hora quasi tertia Dominum R. Ostiensem Episcopum in summum elegerunt Pontificem, quem statim, *Te Deum laudamus* decantando; ad majoris Ecclesiae episcopium adduxerunt ac est ibidem à clero & populo civitatis receptus, ac praestita omnibus solemni benedictione papali, ad domum ubi fuerat creatus Episcopus sub nomine rediit Alexandri IV.

Ex chronico Mss. Bernardi Guidonis Episcopi Lodovensis.

INnocentius IV. natione Januensis, de Comitibus Lavaniae, qui priùs Senebaldus dicebatur Cardinalis post biennem fere Romanae sedis vacationem eligitur in Papam Anagniae in crastino sancti Johannis Baptistae anno Domini MCCXLIII. seditque annis XV. mensibus II.

Hic sedes Cardinalium à multo tempore vacuas de personis ex diversis mundi partibus electis; inter quos fuerunt magister Odo de Castro Radulphi Cancellarius Parisiensis, & frater Hugo de sancto Caro Prior provincialis fratrum Praedicatorum in Francia & magister in theologia, qui totam Bibliam utiliter postillavit.

Anno Domini MCCXLIII. tempore verno Raymundus Comes Tolosae adiit sedem apostolicam, & tam apud Imperatorem quàm apud curiam Romanam traxit per annum aut circa, & obtinuit sibi terram restitui Veneyssini.

In ipso quoque tempore vocatus ivit ad curiam Dominus Raymundus Episcopus Tolosanus.

Innocentius Papa post magnum tractatum de pace cum Imperatore Frederico, dum ipsius adversus Ecclesiam contumaciam perpendisset, clam de Italia fugiens, Januensium auxilio devenit in Gallias apud Lugdunum anno Domini MCCXLIV.

Anno Domini MCCXLIV. ante natale Domini Rex Franciae Ludovicus, cum quasi aegrotasset ad montem, crucem sibi transmarinam assumpsit.

Anno Domini MCCXLIX. V. Kal. Octobris Raymundus ultimus Comes Tolosae, qui praecedenti anno debuerat & disposuerat transfretare, & de Massilia retraxerat gressus suos apud Amilianum, febre correptus, susceptis ecclesiasticis sacramentis, diem clausit extremum, & inde allatum est corpus ejus apud monasterium Fontis Ebraudi ubi juxta Dominam Johannam matrem suam filiam quondam Regis Angliae sepelitur anno Domini MCCL.

Anno Domini MCCLI. Innocentius Papa regreditur in Italiam de Lugduno, ubi ferè compleverat septem annos.

Moritur nobilis Domina Blancha Regina Franciae mater praefati Regis Domini Ludovici.

Anno Domini MCCLI. institutus est ordo fratrum de poenitentia Domini Jesu Christi apud Massiliam de speciali mandato Innocentii Papae quarti.

Canonizavit etiam idem Innocentius Papa apud Assisium sanctum Stanislaum Cracoviensem Episcopum in Polonia ab iniquo Principe interemptum.

Innocentius Papa IV. Moritur Neapoli in festo sanctae Luciae, ibique sepultus fuit in Ecclesia majori anno Domini MCCLIV. pontificatus sui anno duodecimo.

Excerpta ex regesto anni sexti pontificatus Innocentii IV.

Hugoni de sancto Sathano Militi & Elisabeth uxori ejus Cabilonensis diocesis.

ETsi conjunctio copulae conjugalis in quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu sacris sit canonibus interdicta, providè tamen super his interdum Romana dispensat Ecclesia, maximè cum urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcit. Cùm igitur, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis,

tu

tu fili H. te filia E. qui in quarta consanguinitatis linea ipsum contingis, duxeris hujus impedimenti inscius in uxorem ac filios susceperis ex eadem, nec possit matrimonium hujusmodi dirimi absque gravi scandalo plurimorium, nos dilecti filii Lugdunensis electi supplicationibus inclinati ut in eodem matrimonio possitis liberè remanere, impedimento non obstante praedicto, auctoritate praesentium concedimus, susceptam prolem, quam ignorantia parentum excusat, legitimam reputantes. Nulli ergo &c. nostrae concessionis &c. Datum Lugduni III. Idus Julii anno sexto.

Episcopo Magalonensi.

TUa nobis fraternitas intimavit quòd Judaei tuae diocesis & circumpositorum locorum non sine ordinis clericalis injuria capas rotundas & largas more clericorum & sacerdotum deferre praesumant. Propter quod saepe contingit ut à peregrinis & advenis eis tamquam sacerdotibus honor & reverentia indebita praebeatur. Nolentes igitur ut ab ipsis de caetero talia praesumantur, mandamus quatenus praefatos Judaeos ut capis hujusmodi omnino dimissis, habitum eis congruentem deferant, quo non solùm à clericis, verum etiam à laicis distinguantur, etiam per subtractionem communionis fidelium. Nobiles verò Christianos, in quorum terris ipsi Judaei habitant, ut ipsos ad hoc, si necesse fuerit, temporali districtione compellant . . . . cogere non postponas. Datum Lugduni Nonis Julii anno sexto.

Electo Lemovicensi.

DIlectus filius Abbas Solemniacensis ordinis sancti Benedicti Lemovicensis diocesis nobis humiliter supplicavit ut cùm propter defectum scientiae, quem patitur, cedere cupiat regimini abbatiae, quamvis monasterium sibi commissum in temporalibus utiliter gubernarit, cessionem ipsius recipi faceremus. De tua igitur circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes mandamus quatinus, ne dicto monasterio per defectum hujusmodi contingat in spiritualibus derogari, liberam cessionem ipsius Abbatis auctoritate nostra recipias, & eidem Abbati de bonis ejusdem monasterii, quod per suam industriam dicitur in temporalibus augmentatum, pro substentatione sua provisionem honestam & congruam studeas assignare, faciens ipsum provisionis hujusmodi pacifica possessione gaudere, contradictores &c. Datum Lugduni v. Id. Septembris, anno sexto.

Alexandro illustri Regi Nougardiae.

APeruit Dominus oculos tuae mentis & tuis infudit sensibus sui luminis claritatem, quia, sicut venerabili fratre nostro Archiepiscopo Prussiae apostolicae sedis Legato accepimus intimante, tu quaesisti fideliter & invenisti prudenter directionis semitam, per quam sub felici posses compendio ad paradisi januam pervenire. Veruntamen cum claves ipsius januae beato Petro & successoribus ejus Romanis Pontificibus à Domino sint commissae, ita ut nullum per ipsam ingredi patiantur nisi Romanam Ecclesiam matrem nostrae fidei recognoscat, & ipsius Pontifici Christi vicario prona mente ac alacri spiritu reverentiam studeat debitam exhibere, tu, ne ab ipsius ingressu januae, quod absit, contingeret te repelli, uniri per veram obedientiam tanquam membrum capiti eidem Ecclesiae devotissimè postulasti, in ipsius obedientiae signum affectans in Pleskowe civitate tua Latinorum Ecclesiam erigere cathedralem. Super quo salvatori omnium, qui neminem vult perire, immo venditus nos redemit, vivificavit occisus, & multis lacessitus injuriis honoravit, gratiarum quas possumus uberes referimus actiones; ac te tanquam specialem Ecclesiae filium caritatis brachiis amplectentes, tanto de tua conversione ampliori animi alacritate perfundimur quanto in remotioribus partibus constitutus suavitatem ipsius Ecclesiae persensisti & plures possunt tuo exemplo laudabili ad eandem devotionem adduci. Confortare igitur, fili carissime, praeteritorum oblitus, ad meliora aciem tuae considerationis extendas, ut in Ecclesiae praefatae devotione firmus & stabilis, perseverans in ea, flores suavitatis producas, ex quibus tibi postmodum fructus proveniet qui non perit. Nec credas quod obedientia hujusmodi tibi quicquam ingerat gravitatis, cùm per eam ab homine vel aliud requiramus nisi ut Deum diligat & sic in ipsius justificatione procedat quòd exuto corpore mortis hujus mereatur justorum consortio aggregari, ubi fulget lux quam non capit locus, sapit cibus quem non minuit edacitas; & haeret amplexus quem satietas non divellit. Caeterum cùm praefatus Archiepiscopus tuam cupiat personaliter visitare personam, serenitatem regiam rogamus, monemus, & hortamur attentè quatenus ipsum tamquam nobile membrum Ecclesiae honestè recipias & benignè pertractes ac in iis quae tibi pro tua & subditorum tuorum salute suggesserit, ipsi reverenter intendere non omittas. Nos autem facultatem tibi concedimus faciendi de consilio ipsius Archiepiscopi construi Ecclesiam supradictam. Datum Lugduni XVII. Kal. Octobris anno sexto.

Nobili viro Hermanno Marchione de Baden.

ILla quam ad apostolicam sedem habes devotio promeretur ut tuis petitionibus eo favorabilius annuamus quo plenius justitiae sapiunt debitum & aequitatem juri consonam noscuntur apertius continere. Hinc est quòd nos devotionis tuae precibus inclinati ducatum sive principatum Austriae cum omni honore, districtu, & jure ipsius tibi donatum rite ac liberaliter inter vivos à nobili muliere G. Ducissa Austriae uxore tua, ad quam idem ducatus per successionem hereditariam secundum antiquam & approbatam ipsius terrae consuetudinem necnon per summos Pontifices, Imperatores & Reges Romanorum, ut asseris, confirmatam dicitur legitimè devolutus, auctoritate tibi apostolica confirmamus & praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostrae confirmationis &c. Datum Lugduni XVIII. Kal. Octobris anno sexto.

Archiepiscopo Maguntinensi.

ETsi periculosa sint tempora, & mundus positus in maligno, non tamen desunt in fluctibus quarumlibet tempestatum consolationum remedia sponsae Christi. Non enim praevalet Herodianae persecutionis impietas quin puer Jesus datus nobis caelitus in hereditatem gentium supervivat. Non attingit votum proprium Pharaonis astutia satagens conterere in masculis Israelem quin sacra Deum videntium soboles increbrescat. Ecce enim foecunditas sacrosanctae matris Ecclesiae recenti semper semine innovatur. Unde divino numine assiduè succrescit in laudis frequentiam copiosior numerus electorum. Accepimus sanè quod in agro Domini, latitudine videlicet regni Theutonicae, sumptum de caelesti plantario granum non modicum seminatur in magnae ramosaeque arboris altitudinem dante incrementa Domino provehendam, pium scilicet propositi regularis initium à nobili viro Comite de Swilemberch & quibusdam aliis nobilibus & viris ecclesiasticis jam mente conceptum ad tutelam Christianae pacis & fidei munimentum. Petebatur autem huic rei vigor consensionis à capite, summa videlicet Petri sede, à quo descendit quicquid est salutiferae vegetationis in membris, ut novella structura solidaretur in lapide angulari, in quo omnis aedificatio constructa in templum sanctum in Domino consummatur. Verùm quia uberiores fructus ex bonarum rerum dispositionibus producuntur quò maturioribus fuerint digestae consiliis, & at-

& arduis negotiis tunc felicior exitus consummationis adicitur cum per deliberationem consultius ineuntur, mandamus quatenus ascitis tecum aliquibus Praedicatorum & Minorum fratribus scientia & religione probatis, Deum & libertatem catholicam prae oculis solum habens, qualitatem & numerum personarum, quae praedictum propositum conceperunt, ipsamque vincendi normulam secundum quam desiderant Domino regulariter famulari, unà cum eisdem fratribus discutias diligenter. Postquam verò prudenti cautela ex personis negotium & ex negotio pensaveris studia personarum, si videris quod ex institutione hujusmodi novae observantiae provenire possit magnum fidei augmentum, animabus salutem & moribus disciplinam, tum eam modereris, & corrigas, adducens & adimens prout de praedictorum fratrum consilio noveris expedire, ipsius seriem sub tuis & fratrum ipsorum sigillis ad sedem apostolicam transmissurus, ut super ea quod secundum Deum expedire videbitur statuamus. Datum Lugduni Nonis Octobris anno sexto.

Decano & Capitulo Mindoniensi.

ECclesiarum curae omnium ex imposito nobis jugo apostolicae servitutis astricti, circa earum singulas, prout ab eo permittitur cujus vices, licèt immeriti, gerimus, continuae attentionis oculis vigilamus, in eo praesertim ut talibus ipsarum regimen nostro interveniente studio committatur quorum sollicitudine circumspecta & circumspectione sollicita laudabilibus in spiritualibus & temporalibus proficiant auctore Domino incrementis. Sanè Ecclesia vestra pastoris solatio destituta, vos vocatis omnibus qui volebant, debebant aut poterant commodè interesse, die ad eligendum praefixa convenientes in unum, spiritus sancti gratia invocata, dilectum filium magistrum Johannem Capellanum nostrum & Decanum Ecclesiae Carnotensis in vestrum Episcopum canonicè ac concorditer elegistis, & tandem electionem ipsius nobis per specialem nuntium praesentantes, petivistis eandem à sede apostolica confirmari. Nos autem inquisita de modo electionis, studiis eligentium, & electi meritis diligentiùs veritate, ipsam electionem, pensantes specialiter probitatem ipsius magistri, cùm sit vir litteratus, providus, & honestus, ac in spiritualibus & temporalibus circumspectus, & volentes ex his suam honorare personam, de fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam, supplentes defectum, si quis in ea extitit, de plenitudine potestatis, mandamus quatenus ipsi electo tanquam patri & pastori animarum vestrarum obedientiam & reverentiam debitam impendentes, ejus monitis & mandatis salubribus humiliter intendatis. Alioquin sententiam quam idem ritè tulerit in rebelles. Datum Lugduni v. Idus Octobris anno sexto.

Archiepiscopo Senonensi.

DIlectae in Christo filiae Abbatissa & sorores monasterii extra muros de Pruvino ordinis sancti Damiani tuae dioecesis nobis exponere curaverunt quod nonnulli filii Belial suam immunditiam cum aliorum dispendio palliantes, proprios filios ex nefario commercio procreatos, dum volunt in jacturam alterius de suis sceleribus apud homines excusari, proiciunt inhumaniter vel exponi quandoque faciunt apud monasterium earundem. Propter quod plerique veritatis judicium ignorantes, in ipsarum infamiam ora relaxant. Quare fuit nobis ex parte ipsarum humiliter supplicatum ut super iis invenire per alicujus provisionis remedium dignaremur. Volentes ergo hujusmodi sceleratorum obviare flagitiis & dictarum sororum consulere honestati, mandamus quatenus excommunicationis sententiam in omnes illos qui talia de caetero fecerint vel procuraverint fieri auctoritate nostra generaliter proferas & per omnes Ecclesias monasterio earundem vicinas tales excommunicatos facias publicè nuntiari, ut per hoc saltem in religiosarum personarum infamiam non prorumpant, ita tamen quod hujusmodi excommunicationis sententia quoad eos post biennium à die prolationis expiret qui eam non incurrerint infra illud. Datum Lugduni II. Idus Octobris anno sexto.

Priori provinciali in Hispania & fratri R. de Pennaforti ordinis Praedicatorum.

INter alia desiderabilia cordis nostri specialiùs id optamus, ad illud potissimè dirigimus nostrae intentionis affectum per quod salus proveniat animarum & nomen Domini gloriosum plenius collaudetur. Quia igitur non est Deo acceptabile obsequium absque fide, ad propagationem & corroborationem ipsius & Christianae religionis augmentum quanta possumus sollicitudine vigilare debemus, & hoc per nos & alios incessante verbo & opere procurare ut diffundatur per orbem latius coltus Dei, & messe agri multiplicata Domini frumentum in caelestia horrea uberius inferatur. In iis autem nobis fratres vestri ordinis Dominus speciales esse voluit adjutores, qui spretis mundi dissoluti blanditiis, sub religionis artae rigore in voluntate Christo ad placitum famulantes de fidelium campo extirpare noxia & in eo plantare salubria, necnon muniti spirituali pro defensione fidei armatura, errorum laqueis irretitos eripere ac in religione dissimilitudinis conversantes ad unitatem matris Ecclesiae revocare diligentia indefessa laborant, proficientes sibi per vitae meritum & aliis verbo pariter & exemplo. Unde quia in inquisitione facienda contra haereticos eorundem fratrum solertiam novimus plurimùm opportunam, ipsis hujusmodi negotium providimus specialiter committendum. Ideoque devotionem vestram monemus & hortamur in Domino Jesu Christo, mandantes quatenus ad ipsius prosecutionem negotii sollicitè intendentes, aliquos fratres ejusdem ordinis de regno Aragoniae, quos ad hoc idoneos fore noveritis, inquisitiones haereticae pravitatis in provincia Narbonensi per districtum tantum carissimi in Christo filii nostri Aragonum Regis illustris auctoritate vestra deputare cureris, injungentes eisdem ut in negotio ipso secundum formam à bonae memoriae Gregorio Papa praedecessore nostro editam à nobis postmodum innovatam, juxta quam siquidem in eodem negotio procedunt fratres dicti ordinis in ipsa provincia, sicut eidem negotio expedire viderint, tam contra haereticos & ad ipsos accedentes & fautores & receptatores ac defensores eorum quàm alios ipsi negotio adversantes, neminem praeter Deum in hac parte timendo, efficaciter procedere non omittant. Tu verò, Prior, de consilio seniorum & discretiorum fratrum praefati ordinis ejusdem regni inquisitores hujusmodi auctoritate nostra removeas transferasque, alios substituas vel supersedere facias cùm ex rationabili causa id videris faciendum. Datum Lugduni XIII. Kal. Novembris anno sexto.

Archiepiscopo Narbonensi & fratribus ordinis Praedicatorum inquisitoribus haereticae pravitatis in provincia Narbonensi.

VOlumus & praesentium vobis auctoritate mandamus quatenus formam à bonae memoriae Gregorio Papa praedecessore nostro editam & à nobis postmodum innovatam, juxta quam proceditis contra haereticos in provincia Narbonensi, transcribi fideliter facientes, scriptum hujusmodi vestris interclusum sigillis dilecto filio Priori provinciali in Hispania & fratri R. de Pennaforti ordinis Praedicatorum, cùm super hoc ab eis fueritis requisiti, ut ejusdem formae copiam habeant, transmittatis. Datum ut suprà.

Archiepiscopo Ebredunensi.

DIgnensi Ecclesia pastoris solatio destituta, cùm Canonici ejusdem Ecclesiae, sicut accepimus, prout moris est, convenissent in unum, de futuri substitutione Pontificis tractaturi, major & senior pars eorum, spiritus sancti gratia invocata, dilectum filium Bonifacium ejusdem Ecclesiae Archidiaconum Parisius theologiae studio insistentem, virum utique providum & discretum, in spiritualibus & temporalibus circumspectum, canonicè & concorditer in praefatae Ecclesiae Episcopum nominavit, sicut per Capituli ejusdem Ecclesiae litteras nobis constitit evidenter. Quare fuit nobis humiliter supplicatum ut eundem Archidiaconum ipsi praefici Ecclesiae de benignitate sedis apostolicae faceremus. Quocirca mandamus quatenus si praefatus Archidiaconus à te requisitus hujusmodi nominationi de se factae consenserit, tu eundem, nisi ei aliquod obviet de canonicis institutis, Dignensi Ecclesiae auctoritate nostra praeficias in Episcopum & pastorem, contradictores &c. Datum Lugduni xi. Kal. Novembris anno sexto.

Cenadiensi & Sirmiensi Episcopis & Abbati de Pel. Cisterciensis ordinis Vesprimiensis diocesis.

DIlectus filius Albertus Archidiaconus Zagrabriensis Ecclesiae in nostra proposuit praesentia constitutus quòd cùm Capitulum ejusdem Ecclesiae pastore vacantis haberent de Pontificis substitutione tractatum, idem Archidiaconus sciens nonnullos de ipso Capitulo fore majoris excommunicationis sententia innodatos, & considerans quòd propter eos scienter ad eligendum admissos fieret electio vitiosa in ipsius Ecclesiæ non modicum detrimentum, vos in commune diligenter admonuit ne iidem excommunicati deberent ad eligendum admitti aut ipsi electioni se ingererent sic ligati. Sed ipsi hujusmodi admonitione contempta, illicitis illecti promissionibus, non sine labe simoniacæ pravitatis ipsum Archidiaconum de Capitulo turpiter ejecerunt, eoque contempto, post appellationem ipsius ex præmissis causis ad sedem apostolicam interjectam, Philippum carissimæ in Christo filiæ nostræ illustris Reginæ Ungariæ Cancellarium patientem in ætate defectum per laicæ præsumptionis abusum contra libertatem canonicam in Episcopum eligere ac recipere præsumpserunt absolutionis beneficio non obtento: qui cum hujusmodi eorum processum à venerabili fratre nostro Colocensi Archiepiscopo loci metropolitano peterent confirmari, dictus Archidiaconus proposuit coram ipso quòd cùm iidem excommunicati & simoniaci, eo contempto, qui volebat, debebat, & poterat, eis non impedientibus, interesse, ad electionem hujusmodi post appellationem tandem temerè processissent, ipsa confirmari de jure non poterat nec debebat, sed potius irritari tanquam contra sanctiones canonicas attentata, ut ne ad confirmationem procederetur hujusmodi praefatus Archidiaconus iteratò duxit ad nostram audientiam appellandum; cujus appellatione contempta dictus Archiepiscopus & talem electionem confirmare ac eidem Philippo sic intruso consecrationis munus impendere propria voluntate præsumpsit. Quare dictus Archidiaconus provideri super iis à nobis ex circumspectione apostolica postulavit. Cùm igitur nostrum sit prava dirigere ac directa fovere, mandamus quatenus vocatis qui fuerint evocandi, & inquisita super præmissis & cognita plenius veritate, quod canonicum fuerit, si de partium voluntate processerit, infra quatuor menses post susceptionem praesentium appellatione postposita decernatis, facientes quod decreveritis auctoritate apostolica firmiter observari. Alioquin causam sufficienter instructam ad apostolicae sedis remittatis examen, præfigentes partibus peremptorium terminum competentem quo per se vel procuratores idoneos nostro se conspectui repræsentent, justam dante Domino sententiam recepturæ. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Lugduni Kal. Octobris anno sexto.

. . de Lavenia & de Antverpia Prioribus ordinis Prædicatorum Cameracensis & Leodiensis diocesum.

DE circumspectione vestra plenam in Domino fiduciam obtinentes mandamus quatenus redemptiones & obventiones ex quacunque causa provenientes votorum crucesignatorum tam contra F. quondam Imperatorem & C. natum ejus ac fautores eorum quàm in subsidium terræ sanctæ qui justo impedimento detenti nequiverunt personaliter exequi vota sua, necnon & legata deputata hujusmodi subsidiis in provincia Coloniensi & illis partibus Cameracensis & Tornacensis diocesum quæ de imperio esse noscuntur, ac vicesimam ecclesiasticorum proventuum totius Alamanniæ per vos vel per alios quos ad hoc expedire videritis colligatis & ab aliis jam collecta assignari faciatis nobis & etiam conservari usque ad nostræ beneplacitum voluntatis, contradictores &c. quantitatem eorum nobis vestris litteris fideliter rescripturi, nonobstante indulgentia qua ordini vestro vel alii personæ cui hoc duxeritis committendum à sede apostolica est concessum quòd ejusdem ordinis fratres seu dicta persona non teneatur cognoscere vel se intromittere de causis sive negotiis ab apostolica sede committendis eisdem, aut aliqua alia quòd aliqui interdici, suspendi & excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam de indulgentia ejusmodi mentionem. Datum Lugduni xiii. Kal. Octobris anno sexto.

Episcopo Cathalaunensi.

INsinuarunt nobis dilecti filii Abbas & conventus monasterii Molismensis ordinis sancti Benedicti Lingonensis diocesis quòd licèt Priorissa & moniales monasterii de Anderiis ejusdem ordinis Cathalaunensis diocesis nullo medio ad ipsorum monasterium pertinentis à tempore felicis recordationis Eugenii Papæ prædecessoris nostri juxta concessi ab ipso privilegii tenorem semper fuerint sub clausura, tamen Priorissa & quædam ex monialibus supradictis, prætextu visitandi grangias suas, sine licentia dicti Abbatis contra tenorem privilegii memorati praesumunt pluries extra suum evagari monasterium in religiosæ honestatis offensam & scandalum plurimorum, de vagatione quidem hujusmodi dictæ Priorissa & moniales aliquoties redargutae prætendunt quòd tibi commisimus ad instantiam earundem ut ipsis adeundi hujusmodi grangias auctoritate nostra licentiam largiaris, prædictis Abbate & conventu dicentibus quòd id penitus sit indignum & indecens, cùm ipsæ ab eis rectos & idoneos olim habuerint & adhuc habeant provisores. Cum autem directae tibi litteræ nullam dicantur de iis facere mentionem, & intentionis nostræ non fuerit nec existat quòd per ipsas aliquod deberet fieri per quod posset saluti & honestati dictarum monialium seu dictorum Abbatis & conventus juribus derogari, mandamus quatenus, si tibi de præmissis constiterit, licentiam prædictas visitandi grangias præfatis Priorissæ ac monialibus auctoritate litterarum ipsarum de cætero non concedas, immo revoces, si eam forsitan concessisti, & districtè potiùs injungas eisdem quod, sicut tenentur & solent, & devotè ac humiliter prosequenda perennium gloria deserviant virtutum Domino sub clausura, ita quòd de ipsarum discursu nulla oriri possit materia scandali, nec super hoc oporteat per nos aliter provideri. Datum Lugduni x. Kal. Novembris anno sexto.

Abbati monaſterii de Eveſham ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis ordinis ſancti Benedicti Vigornienſis dioceſis.

CUm, ſicut porrecta nobis ex parte tua petitio continebat, Abbates monaſterii de Eveſham in uſu mitrae, annuli, ſandaliorum, aliorumque inſignium pontificalium, necnon & benedicendis ſacerdotalibus veſtimentis, apoſtolica ſedes perpetuo duxerit decorandos, nos monaſterium ipſum in te volentes dono amplioris gratiae honorare, tibi & ſucceſſoribus tuis dandi ſolemnes benedictiones, ubi Archiepiſcopus aut Epiſcopus vel Legatus ejuſdem ſedis praeſens non fuerit, liberam auctoritate praeſentium concedimus facultatem. Nulli ergo &c. noſtrae conceſſionis &c. Datum Lugduni VI. Kal. Octobris anno ſexto.

Eidem Abbati & conventui ejuſdem monaſterii.

EX parte veſtra fuit nobis humiliter ſupplicatum ut cum veſtrum monaſterium ſit in loco frigido ſitum, propter quod dum pileos in veſtris capitibus non portatis, plerique veſtrum graves infirmitates frequenter incurrunt, providere vobis ſuper hoc miſericorditer curaremus. Volentes igitur in hac parte veſtrae devotioni congruo remedio ſubveniri, utendi pileis congruentibus ordini veſtro liberam vobis auctoritate praeſentium concedimus facultatem. Nulli ergo &c. noſtrae conceſſionis &c. Datum Lugduni Idibus Septembris anno ſexto.

Epiſcopo Ambianenſi.

CUm dilectus filius Johannes de Riencort Miles & Hugo filius ejus tuae dioceſis zelo fidei & devotionis accenſi parati ſint, ut aſſerunt, contra Aquenſes in ſubſidium univerſalis Eccleſiae proficiſci, mandamus quatenus eiſdem facientibus quod offerunt & iis quos ſecum ad hoc idoneos bellatores adduxerint, congruo ipſi ſecundum tuam providentiam temporis ſpatio moraturis, illam concedas auctoritate noſtra veniam peccatorum quae dari euntibus in terrae ſanctae ſubſidium conſuevit. Datum Lugduni XVI. Kal. Novembris anno ſexto.

Pandulfo de Subura Canonico Cathalaunenſi.

FUturorum de te nobis ineſt praeſagium quod de virtute proficere debeas in virtutem, ex eo videlicet quod à puero virtutibus gratiarum inhaerens, in eis diceris per Dei gratiam laudabiliter profeciſſe, ad adoleſcentiam jam provectus. Et idcirco ut ad bonitatis augmentum continuatae diligentiae ſtudio fortius animeris, ſpecialiter tibi gratiam facientes, devotioni tuae auctoritate praeſentium indulgemus ut praeter praebendam Cathalaunenſem quam obtines, alia beneficia eccleſiaſtica, etiamſi curam animorum habeant, & tibi canonicè offerantur, in civitate ac dioceſi Cathalaunenſi licitè recipere valeas & cum eadem praebenda liberè retinere, non obſtante contraria conſuetudine juramento vel alia firmitate vallata & conſtitutione ſuper hoc edita in Concilio generali. Ita tamen quod eadem beneficia debitis &c. *uſque* negligantur. Nulli ergo &c. noſtrae conceſſionis &c. Datum Lugduni IV. Kal. Septembris anno ſexto.

Fratri Henrico de ordine Praedicatorum Poenitentiario noſtro.

CUm per te recepta ceſſione venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Curienſis mandemus praefici dilectum filium.. Abbatem ſancti Galli Curienſi Eccleſiae in Epiſcopum & paſtorem, quia ita claruiſſe dinoſcitur dicti Abbatis devotio probata in neceſſitate qua cognoſcuntur amici ut ſpeciali caritatis praerogativa diligentes eundem cupiamus eum proſequi gratia & favore, diſpenſandi cum eo ut cum epiſcopatu Curienſi poſſit abbatiam ſancti Galli tenere uſque ad noſtrae beneplacitum voluntatis auctoritate tibi praeſentium concedimus facultatem, non obſtante indulgentia qua ordini tuo dicitur ab apoſtolica ſede conceſſum ut dicti ordinis fratres de cauſis vel negotiis ab eadem ſede committendis eiſdem non teneantur cognoſcere vel ſe intromittere per literas apoſtolicas non facientes expreſſam de hac indulgentia mentionem. Datum Lugduni III. Idus Octobris anno ſexto.

Archiepiſcopo Narbonenſi & aliis inquiſitoribus haereticae pravitatis in provincia Narbonenſi.

SInceræ devotionis affectus quem cariſſimus in Chriſto filius noſter Aragonum Rex illuſtris ad perſonam noſtram & Romanam gerit Eccleſiam nos inducit ut ejus petitionibus, quantum cum Deo poſſumus, annuamus. Hinc eſt quòd nos ipſius precibus inclinati auctoritate praeſentium inhibemus ne contra haereticos aliquos, vel de haereſi infamatos, aut fautores ſeu receptatores ipſorum de diſtrictu ejuſdem Regis, auctoritate vobis ſuper iis ab apoſtolica ſede commiſſa occaſione hujuſmodi aliquatenus procedatis. Datum Lugduni II. Nonas Octobris anno ſexto.

Philippo procuratori Eccleſiae Salzeburgenſis.

CUm, ſicut petitio tua nobis exhibita continebat, caſtra, vaſſalli, poſſeſſiones, redditus, ac alia bona quae quondam.. Dux Auſtriae Stiriaeque &.. Comes Palatinus Bawariae ab Eccleſia Salzeburgenſi tenebant in feudum ad jus ipſius Eccleſiae redierint, nullo ex eis legitimo herede ſuperſtite qui ſuccedere in feudum debeat remanente, quae jam pro parte recuperaſſe te aſſeris non ſine magnis laboribus & expenſis, & aliam partem recuperaturum in brevi dante Domino te confidis, nos ſuper iis utilitati ejuſdem Eccleſiae volentes in poſterum paterna ſollicitudine providere, auctoritate praeſentium diſtrictius inhibemus ne tu vel aliquis Archiepiſcoporum qui pro tempore Eccleſiae Salzeburgenſi praefuerint caſtra vel alia ſupradicta infeudare ſeu aliàs alienare vel diſtrahere quoquo modo irrequiſito Romano Pontifice de caetero praeſumatis. Nos enim decernimus irritum & inane quicquid ſuper praemiſſis vel aliquo praemiſſorum contra inhibitionem noſtram à quoquam contigerit attentari. Nulli ergo &c. noſtrae inhibitionis & conſtitutionis &c. Datum Lugduni VIII. Kal. Octobris anno ſexto.

Archiepiſcopo Biſuntinenſi.

EX parte Frederici clerici nati dilecti filii nobilis viri Stephani fratris dilecti filii nobilis viri Johannis Comitis Burgundiae domini Salinenſis tuae dioceſis fuit nobis humiliter ſupplicatum ut cum eo ſuper defectu natalium quem patitur, de praedicto Stephano tunc ſoluto & moniali genitus, diſpenſare miſericorditer dignaremur. Nos igitur praedictorum nobilium conſideratione inducti mandamus quatenus conſideratis diligenter circumſtantiis univerſis quae circa idoneitatem perſonae fuerint attendendae, ſi paternae non eſt incontinentiae imitator, ſed bonae converſationis & vitae, aliàſque tibi vitae merita ſuffragantur, ad diſpenſationis gratiam obtinendam, ut hujuſmodi non obſtante defectu poſſit ad omnes ordines promoveri & uſque ad beneficium eccleſiaſticum cum cura aſſumi, cum ipſo auctoritate noſtra diſpenſes, prout ſecundum Deum animae ſuae ſaluti videris expedire. Datum Lugduni II. Nonas Octobris anno ſexto.

Jo-

Johanni dicto Roman clerico scriptori poenitentiariae nostrae.

SOlet apostolicae sedis benignitas mansuetudine temperare rigorem, cum causa rationabilis id exposcit, & quod negat juris severitas, de gratia indulgere. Hinc est quod tuae probitatis meritis, super quibus laudabile tibi testimonium perhibetur, inducti, auctoritate tibi praesentium indulgemus ut non obstante defectu natalium quem pateris, de soluto genitus & soluta, possis ad omnes ordines promoveri & dignitates ecclesiasticas & beneficia ecclesiastica, etiam si curam animarum habeant, obtinere; ita tamen quod si te ad episcopalem vocari contigerit dignitatem, illam nequaquam recipias absque licentia sedis apostolicae special. Nulli ergo &c. nostrae concessionis &c. Datum Lugduni Kalendis Augusti anno sexto.

Priori sancti Petri Matisconensis.

EX parte dilecti filii Abbatis Trenorchiensis Cabilonensis diocesis nobis est oblata querela quod licèt temporalis jurisdictio villae sancti Portiani Claromontensis diocesis totaliter pertineat ad prioratum ipsius villae Trenorchiensi monasterio immediatè subjectum, burgenses tamen ejusdem villae, spiritu rebellionis, assumpto, à jurisdictione dicti prioratus se contra justitiam subtrahere molientes, quandam conjurationem non sine multa temeritate fecerunt in dicti Abbatis gravem injuriam & tam sui monasterii quàm prioratus ejusdem non modicam laesionem. Quare dictus Abbas nobis humiliter supplicavit ut huic morbo, antequam nimis invalesceret, curaremus per sedis apostolicae providentiam obviare. Ne igitur dictorum burgensium praesumpta temeritas, si punita non fuerit, sit aliis in exemplum, mandamus quatenus dissolvens auctoritate nostra hujusmodi colligationes impietatis, quacunque firmitate vallentur, eosdem burgenses ut praefato Abbati plenè satisfaciant de damnis & injuriis monasterio suo & dicto prioratui ab eis hac occasione illatis, & quod de caetero talia non praesumant, monitione praemissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota praevia ratione compescas. Datum Lugduni IV. Kal. Novembris anno sexto.

Archiepiscopo Livoniae.

PRo devotionis tuae sinceritate condignum & pro devota supplicationis instantia congruum arbitramur ut ex illa quam Deus in apostolica sede constituit plenitudine potestatis insigne munus gratiae te accepisse laeteris, quo & in oculis nostris acceptus appareas & illis possis de beneficiis qui ad decora praemia claris meritis provehuntur. Tuis igitur precibus inclinati, ut cum uno duntaxat defectum in natalibus patiente, non tamen de incestu vel adulterio seu regularibus procreato, quod ad pontificalem dignitatem in provincia Livoniae vel Prusciae liberè valeat promoveri, dummodo ei aliud canonicum non obsistat, & ad tam copiosum gratiae munus dono scientiae ac laudabilis vitae meritis adjuvetur, possis non obstantibus canonicis constitutionibus, quae ab hujusmodi promotione repellunt illegitimè genitos, dispensare fraternitati tuae, de qua plenè confidimus, auctoritate praesentium concedimus facultatem. Nulli ergo &c. nostrae concessionis &c. Datum Lugduni XV. Kal. Octobris anno sexto.

Archiepiscopo Prusciae.

EX parte tua fuit propositum coram nobis ut cum nonnulli suffragandorum tuorum propter novellae terrae plantationem & neophytorum duritiam de bonis suorum episcopatuum sustentari non possint, ex quo fructum animarum, qui de ipsorum praesentia per operosam sollicitudinem proveniret, multotiens deperire contingit, dum abesse à locis suis pro acquirendis sibi necessariis quodam modo compelluntur, providere super hoc de benignitate sedis apostolicae curaremus. Ne igitur ex defectu temporalium rerum profectus spiritualium retardetur, sitque dignum ut tuae in hoc supplicationi affectus transeat in effectum, fraternitati tuae praesentium auctoritate committimus ut cum tribus de praedictis suffraganeis, quod quilibet eorum unicum beneficium ecclesiasticum, etiamsi curam habet animarum, possit liberè propter necessariorum defectum recipere, si ei canonicè offeratur, & cum episcopatu quem habet, donec ad meliorem statum provincia tua devenerit, licitè retinere, constitutione contraria non obstante, auctoritate nostra dispenses, prout secundum Deum videris expedire; proviso quod hujusmodi beneficia debitis &c. *usque* negligatur. Datum Lugduni XV. Kal. Octobris anno sexto.

Archiepiscopo Auxitanensi.

FIdei puritas & devotionis fervor quem ad Romanam Ecclesiam habere dinosceris promerentur ut petitionibus tuis favorem benivolum impendamus. Sanè fuit nobis ex parte tua humiliter supplicatum ut cum per nobilem virum Vicecomitem Lomaniae te ac Ecclesiam tuam multipliciter persequentem, quasi obsessus in civitate Auxitana, ipsam exire ac procedere ad tuam visitandam diocesim verearis, quod existendo in eadem civitate procurationes ab Ecclesiis ejusdem diocesis recipere valeas, tibi de benignitate sedis apostolicae curaremus. Nos igitur fraternitatis tuae precibus inclinati quod hujusmodi persecutione durante, ab Ecclesiis diocesis tuae debitas procurationes recipere valeas, etiam si visitationis officium nequiveris impendere in eisdem, tibi auctoritate praesentium indulgemus. Nulli ergo &c. nostrae concessionis &c. Datum Lugduni Nonis Novembris anno sexto.*

Episcopis provinciae Auxitanensis.

VEnerabili fratre nostro Archiepiscopo Auxitanensi accepimus intimante quod idem pro defensione libertatis Ecclesiae suae per nobilem virum Vicecomitem Lomaniae ipsum & Ecclesiam suam multipliciter persequentem quasi obsessus in civitate Auxitanensi ipsam exire non audet, propter quod in provincia sua debitum nequit visitationis officium exercere. Quare nobis humiliter supplicavit ut eidem in hujusmodi necessitatis articulo constituto paterna sollicitudine providentes procurationes provinciae suae sibi ratione visitationis debitas exhiberi de benignitate sedis apostolicae faceremus. Cum igitur dignum sit & lex naturae deposcat ut membra comparantur capiti patienti, universitatem vestram monendam duximus & rogandam, mandantes quatenus singuli vestrum procurationes suae civitatis & diocesis debitas ipsi Archiepiscopo, si provinciam visitaret, eidem praedicta persecutione durante pro nostra & apostolicae sedis reverentia liberè exhibere curetis, ita quod ostendatis vos habere ad ipsum debitum sinceritatis affectum, & idem carius vos prosequi teneatur in visceribus caritatis, nosque devotionem vestram possimus merito commendare. Datum ut suprà.

Archiepiscopo Tuamensi.

IN venerabili fratre nostro Episcopo Achadensi suffraganeo tuo deducto ad senium, robur naturae ita deficere dicitur ut impotens ad executionem pontificalis officii nimium habeatur. Ne autem Achadensis Ecclesia sub umbra ipsius patiatur in spiritualibus & temporalibus detrimentum, nos dicti Episcopi supplicationibus annuentes mandamus quatenus, si tibi de impotentia praemissa constiterit, cessionem ipsius vice nostra recipias ac sibi de bonis episcopali-

bus congruam portionem assignes, caeterum injungas Capitulo Achadensi ut sibi per electionem canonicam de idonea persona provideant quae tanto congruat oneri vel honori. Contradictores &c. Datum Lugduni II. Idus Novembris anno sexto.

Universitati fratrum de poenitentia provinciae Lombardiae.

LIcèt vos fratribus Minoribus monitis salubribus instruendos & bonis informandos moribus olim vobis, ut asseritis, insciis duxerimus committendos, quia tamen à jurisdictione dioecesanorum vestrorum per hoc nolumus vos subduci vel eis aliquod praejudicium generari, praesentium vobis auctoritate mandamus quatenus commissione hujusmodi non obstante, per quam non intendimus vos arctari, dioecesanis ipsis juxta constitutiones vestras approbatas per sedem apostolicam absque difficultate qualibet in omnibus, praesertim quae ad correctionis ac reformationis officium pertinent, humiliter pareatis. Datum Lugduni IV. Idus Novembris anno sexto.

Decano & Capitulo Ecclesiae beati Martini Turonensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.

ILlum à sui fundatione studuit Ecclesia vestra Domino impendere famulatum, eaque à tempore cujus memoria non existit pro apostolicae sedis honore diligentia vigilavit ut inter alias expertae devotionis titulo erga Deum & Romanam Ecclesiam insignita digne meruerit & oportunis ab eadem sede semper attolli favoribus & exemptionis privilegio specialiter decorari. Verum quia ejus sinceritas deficere nescia, sed proficere consueta, ipsam continuè in devotione sedis ejusdem stabiliorem constituit & reddidit in exequendis ipsius beneplacitis promptiorem, nos merito ad exaltationem ejus intenti suis commodis attentè prospicimus; & in iis, si quae sibi expedire cognoscimus, efficaciter providemus. Hinc est quod nos vestris supplicationibus inclinati, vobis ne praefatae Ecclesiae vestrae Capitulum, vel ex eo aliquis, sed quivis alius gaudens ea vobis cum ratione ejusdem Ecclesiae libertate per litteras sedis praedictae, nisi de ipsa & ejus exemptione in eis expressa mentio habeatur, coram Archiepiscopo, Archidiacono, Archipresbytero Turonensi eorumque officialibus seu subdelegatis ab eis ad judicium trahi possit, auctoritate praesentium indulgemus praesentibus post decennium minimè valituris. Nulli ergo &c. nostrae concessionis &c. Datum Lugduni XII. Kal. Decembris anno sexto.

Eisdem.

ILlum à sui fundatione *ut suprà* usque providemus. Hinc est quòd nos vestris supplicationibus inclinati, vobis ne Archiepiscopus, Archidiaconi, Archipresbyteri Turonensis vel eorundem officiales seu subdelegati ab eis in praefatae Ecclesiae vestrae Capitulum aut ex eo aliquem seu quemvis alium eadem vobiscum ratione ipsius Ecclesiae libertate gaudentem interdicti vel suspensionis aut excommunicationis sententiam valeant promulgare, nisi de ipsa & ejus exemptione in eis expressa mentio habeatur, auctoritate praesentium indulgemus. praesentibus post decennium minimè valituris. Nulli ergo &c. nostrae concessionis &c. Datum ut suprà.

Patriarchae Ierosolymitano apostolicae sedis Legato.

CUm, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, ob nostram, praemissa tamen protestatione, reverentiam toleraveris ut venerabilis frater noster Patriarcha Antiochenus apostolicae sedis Legatus, quando fuit in Accon, portare legationis insignia, incedere cum rubeis & signare populum Acconensem, cùm talia non competant nisi Legato à nostro latere destinato, nos tuis supplicationibus inclinati praesentium tibi auctoritate concedimus ut per haec nullum Ecclesiae tuae praejudicium valeat generari. Nulli ergo &c. nostrae concessionis &c. Datum Lugduni IV. Non. Decembris. anno VI.

Episcopo Uticensi.

EX parte venerabilis fratris nostri Episcopi Nemausensis fuit nobis humiliter supplicatum ut cùm ipse in procurationibus Legatorum & nuntiorum apostolicae sedis non modicum aggravatus ad contribuendum eidem in hoc Abbates, Priores, & alios Praelatos & clericos Ecclesiarum subjectarum sibi suae civitatis & dioecesis compelli, prout Ecclesiarum ipsarum facultates exigunt, mandaremus. Attendentes igitur quod onus omnibus competens in plures divisum facilius supportatur, mandamus quatenus praedictos Abbates & alios ut in in ipsi Episcopo juxta facultates proprias proportionaliter contribuant, monitione praemissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas, non obstante indulgentia, si qua est eorum aliquibus ab apostolica sede concessa ut interdici, suspendi, & excommunicari non possint per litteras apostolicas absque ipsius sedis speciali mandato faciente de hac indulgentia mentionem. Datum Lugduni III. Kal. Decembris anno sexto.

Archiepiscopo Lavoniensi.

IN sede justitiae depositione divina, licèt immeriti, constituti, volumus ut debemus jus suum illibatum cuilibet conservare. Sanè indemnitati Ecclesiae tuae paterna volentes in posterum sollicitudine praecavere, nolumus ut per citationem venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Prusciae metropolitico juri tuo quod in Revaliensi & Wirensi ac quibusdam aliis episcopatibus Estoniae te proponis habere, praejudicium aliquod generetur, indulgentia vel privilegio aliquo non obstante. Datum Lugduni VIII. Kal. Decembris anno sexto.

Abbati monasterii sancti Jacobi Scotorum Ratispon. ordinis sancti Benedicti ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.

CUm, sicut lecta coram nobis tua petitio continebat, novini prioratuum in Ibernia tuo monasterio subjectorum regulares observantias professuri ac recepturi à te benedictionis munus propter locorum distantiam & viarum discrimina praedictum adire monasterium nequeant, ut tenentur, provideri super iis à nobis humiliter postulasti, praesertim cùm propter impedimenta hujusmodi nec professionem emittant nec benedictionem recipiant monachi supradicti in salutis propriae ac regularis ordinis detrimentum & scandalum plurimorum. Volentes igitur tantis periculis tuis precibus inclinati obviare, praesentium tibi auctoritate duximus concedendum ut cui volueris de subditis tibi Prioribus regionis illius probo & ad hoc idoneo praedicta committere valeas vice tua sine monasterii tui praejudicio exequenda. Datum Lugduni Kal. Decembris anno sexto.

Episcopo Ratisponensi.

SUa nobis dilecti filii Abbas & conventus monasterii sancti Jacobi Scotorum Ratispon. ordinis sancti Benedicti ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis petitione monstrarunt quòd ipsi attendentes conventum monasterii sanctae Mariae Scotorum in Vienna Abbatis destituti regimine ad dictum monasterium sancti Jacobi nullo mediante spectantis ex eo eligere ea vice non posse quòd in villa Wiennensi auctoritate apostolica supposita interdicto divina temerè celebrarunt, ne dictum monasterium sanctae Mariae ex vacatione diuturna in spiritualibus & tempo-

po-

poralibus incurreret detrimentum, dilectum filium Beylianum monachum Eberspergensem, virum, ut accepimus, eminentis scientiae ac in spiritualibus & temporalibus circumspectum, eidem vacanti monasterio canonicè & concorditer, prout ad eos pertinet, praefecerunt, nobis humiliter supplicantes ut cum .. Pataviensis Episcopus loci dioecesanus auctoritate praedicta vinculo sit excommunicationis astrictus, ipsi electo ad sedem apostolicam accedenti munus faceremus benedictionis impendi. Tuam igitur volentes in hoc honorare personam, qui in devotione sedis apostolicae stabilis perseveras, mandamus quatenus, si est ita, eidem electo munus benedictionis impendas eique facias à suis subditis obedientiam & reverentiam devotam & debitam exhiberi, contradictores &c. Nolumus tamen quòd Pataviensi Ecclesiae propter hoc in posterum aliquod praejudicium generetur. Datum Lugduni Kal. Decembris anno sexto.

De Neverburg & d'Ardecher Ecclesiarum Praepositis Pataviensis dioecesis.

PRaesentium vobis auctoritate mandamus quatenus dilectum filium Beylianum electum monasterii sanctae Mariae Scotorum in Wienna, cum à venerabili fratre nostro Ratisponensi Episcopo juxta mandati nostri tenorem, quod eidem Episcopo destinamus, munus benedictionis acceperit, in ejusdem monasterii possessionem inducatis & defendatis inductum, contradictores &c. invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis. Datum ut suprà.

Abbati monasterii sancti Jacobi Scotorum Ratispon. ordinis sancti Benedicti ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.

TE accepimus referente quòd nonnulli praepositi & monachi monasteriorum seu prioratuum ordinis sancti Benedicti in Ibernia tuo monasterio subjectorum per licentiae campum discurrere velut girovagi, ac eorum aliqui pro suis excessibus puniendi ad loca se remota transferre praesumunt, ut sic regularem effugiant disciplinam, alia plura committentes enormia in animarum suarum dispendium, ordinis ejusdem opprobrium, & scandalum plurimorum, quae limam apostolicae correctionis exposcunt. Quare de ipsorum salute sollicitus provideri super iis à nobis humiliter postulasti. De tua igitur circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes visitandi, corrigendi, ac reformandi in dictis monasteriis seu prioratibus tam in capite quàm in membris ac fugitivos ad loca propria revocandi auctoritate tibi praesentium concedimus facultatem, proviso quòd solum Deum habens prae oculis super iis diligenter ac provide procures procedere prout locorum ipsorum utilitati, animarum saluti, & honestati praedicti ordinis videris expedire, contradictores &c. Praesentibus post triennium minimè valituris. Datum Lugduni VIII. Idus Decembris anno sexto.

Episcopo Cathalaunensi & Abbati sancti sepulchri Cameracensis.

SUa nobis dilecti filii nobiles viri Johannes de Avesnis & Balduinus frater ejus intimatione monstrarunt quòd quidam eorum aemuli eis malitiosè, ut processu temporis à bonis ad eos hereditario jure spectantibus excludi valeant, notam illegitimitatis impingunt, id multorum auribus instillando. Quare nobis humiliter supplicarunt ut cum eis aut saltem ipsorum heredibus sit valde periculosum quòd id remaneat taliter indiscussum, providere ipsis super hoc paterna sollicitudine curaremus. Quocirca mandamus quatenus super causa natalium eorumdem nobilium, non obstante quòd super hoc inter ipsos ex parte una & fratres eorum ex altera fuit coram nobis aliquandiu litigatum & processum, cùm nihil inde terminatum exstiterit, inquiratis, sicut magis de plano poteritis, diligentiùs veritatem, & quod canonicum fuerit appellatione postposita statuatis, quaestione bonorum principali domino reservata. Datum Lugduni V. Idus Decembris anno sexto.

Abbati sancti Martini Treverensis.

EX parte dilecti filii R. electi VVarmaciensis fuit nobis humiliter supplicatum ut cùm dilectus filius noster P. sancti Georgii ad velum aureum Diaconus Cardinalis apostolicae sedis Legatus, electione quam Capitulum VVarmaciense de Corrado Praeposito VVarmaciensis Ecclesiae de facto celebraverant rite cassata, de praedicto Ricardo ipsi Ecclesiae duxerit in Episcopum providendum, provisionem eandem confirmare de benignitate sedis apostolicae curaremus. Licet autem vehementer praesumamus pro iis quae à Legato acta sunt in hac parte, plenius tamen de praemissis an canonicè omnia processerint certificari volentes, mandamus quatenus praefatum electum & alios, si qui fuerint qui se provisioni factae de dicto R. velint opponere, ex parte nostra peremptoriè citare procures ut infra competentem terminum à nobis praefigendum eisdem cum omnibus rationibus & monumentis suis per se vel sufficientes & idoneos procuratores nostro se conspectui repraesentent, facturi & recepturi quod justitia suadebit. Datum Lugduni II. nonas Augusti anno sexto.

Episcopo Vironensi.

EX parte dilecti filii nobilis viri Marquardi de Thura fuit nobis humiliter supplicatum ut cùm idem cum nobili muliere Ludemilla Olomucensis dioecesis ipsum contingente quarto affinitatis gradu matrimonium in facie Ecclesiae duxerit contrahendum, & jam pluribus ex eis filiis procreatis, non possit inter eos absque multorum scandalo divortium celebrari, providere ipsorum in hac parte saluti misericorditer curaremus. Mandamus quatenus, si est ita, cum eisdem M. & L. ut licitè possint in sic contracto matrimonio remanere, gradu hujusmodi non obstante, auctoritate nostra dispenses. Datum Lugduni III. Idus Decembris anno sexto.

Electo Colimbriensi.

IN eo potissimè apostolatus officium exequendo vigilare nos convenit ut tales ad Ecclesiarum regimen assumantur qui commissos sibi greges verbis informantes pariter & exemplis ostendant se operis exhibitione veros esse pastores. Sanè in nostra proposuisti praesentia constitutus quòd vacante olim Colimbriensi Ecclesia, & ipsius Canonicis te in Episcopum eligentibus & pastorem, venerabilis frater noster Bracharensis Archiepiscopus loci Metropolitanus electionem hujusmodi confirmavit, sed postmodum eidem Archiepiscopo ne ad consecrationem tuam procederet duximus per nostras litteras inhibendum, inquisitionem nihilominus contra te ac ipsius electionis processum super quibusdam excommunicationum sententiis, quibus tam tu quàm tui electores dicebamini ante ipsam electionem fuisse ligati, & aliis certis articulis fidei facientes. Unde nobis humiliter supplicasti ut providere tibi super iis de benignitate apostolica curaremus. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, considerato providè quod per diligentiam & circumspectionem tuam praefata Ecclesia laudabilibus auctore Domino in spiritualibus & temporalibus proficere poterit incrementis, quod de te per electionem & confirmationem hujusmodi factum esse dinoscitur, inquisitione non obstante praemissa, gratum & ratum habentes, id auctoritate concedimus & praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes defectum, si quis forsan in ipsis extitit ex parte eligentium vel electi, de plenitudine potestatis, inhibitionem hujusmodi penitus revocando.

Nul-

Nulli ergo &c. nostrae confirmationis, suppletionis, & revocationis &c. Datum Lugduni XVIII. Kal. Januarii anno sexto.

Electo Castrensi.

ETsi passim sit quibuslibet indigentibus miserendum, ut misericordes circa proximos existentes in retributionem justorum misericordiam consequantur, circa fratres tamen & coepiscopos nostros debet esse cura propensior, & eis debet affluentiùs subveniri qui ex divitiis in egestatem & exilium absque suo vitio inciderunt. Cùm igitur venerabilis frater noster Episcopus Plovacensis ab officialibus & fautoribus Henrici nati F. quondam Imperatoris à sede propria, sicut asserit, miserabiliter sit ejectus & bonis suis omnibus spoliatus, nos gerentes super hoc circa ipsum debitae compassionis affectum, ac cupientes eidem, ne, quod absit, in opprobrium pontificalis officii mendicare cogatur, congruo remedio subveniri, mandamus quatenus eidem tam ab Archiepiscopis & Episcopis quàm Ecclesiis & monasteriis Sardiniae, à quibus expedire videris, in centum libris Januensibus inter personas & eadem loca juxta tuae discretionis arbitrium proportionaliter dividendis, quousque ad Plovacensem Ecclesiam redire valeat & securè morari, facias auctoritate nostra annis singulis provideri, non obstantibus constitutionibus de duabus dietis &c. seu si personis Ecclesiarum & monasteriorum ipsorum à sede apostolica sit indultum quòd ad receptionem vel provisionem alicujus compelli, aut interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, nisi expressam fecerint de ipsa indulgentia mentionem, vel qualibet alia per quam posset impediri hujusmodi gratia vel differri, contradictores &c. Datum Lugduni XI. Kal. Novembris.

Electo Leodiensi.

PRomerente tuae devotionis constantia quàm fidei puritate constantis, te specialem inter devotos Ecclesiae reputari dignum fore providimus ut te in omnibus favore benivolo prosequentes petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, liberaliter annuamus. Te quidem insinuante didicimus, & utique fidei tuae opera clara probant, quod pro negotiis Ecclesiae generalis tanquam nobile membrum ipsius fideliter & potenter laborans, multa sustines onera expensarum. Et quia redditus episcopatus tui vix sufficiunt ad hujusmodi negotia exequenda, postulasti à nobis tibi alicujus specialis gratiae remedio subveniri. Ut igitur haec quae incumbunt negotia finem accipiant consummationis optatae, nos tam personae tuae quàm ipsis negotiis providere volentes, tibi auctoritate apostolica indulgemus ut omnium ecclesiasticorum beneficiorum proventus, etiam curam animarum habentium, quae infra quinquennium in tua civitate vel dioecesi vacare contigerit, possis per biennium pro tuis necessitatibus retinere, non obstante aliquo contrario per quod posset hujusmodi gratia impediri; proviso quod tantum ex ipsis proventibus reservetur quod possit interim per personas idoneas in Ecclesiis in quibus habentur hujusmodi beneficia deserviri. Nulli ergo &c. nostrae concessionis &c. Datum Lugduni XI. Kal. Januarii anno sexto.

S. tituli sanctae Mariae Transtyberim Presbytero Cardinali, Vicario nostro in Urbe.

ANimarum salutem potissimè affectantes, dolemus nimirum graviter & turbamur si aliqua quae ipsam impediant ab illis praesumantur qui hanc ex ordine vel officio deberent specialiter procurare. Sanè intelleximus quòd Urbis clerici, occasione reformandi clerum illius loci, ordinarunt seu statuerunt quod nullus Archipresbyter seu Presbyter aut clericus alius praedicatorem aliquem ad Ecclesiae suae festivitates invitet, nisi ejusdem ordinis & conditionis existat. Dicuntur etiam quaedam alia statuisse quae viam salutis impedire videntur & scandali materiam generare, ac dilectis filiis fratribus Praedicatoribus & Minoribus praedicationis officium, ad quod deputati esse noscuntur, specialiter prohibere. Ideo mandamus quatènus discreta circumspectione provideas ut constitutiones & ordinationes hujusmodi non serventur, sed irritentur potiùs & penitùs vacuentur, & si quos eorum fratrum in praejudicium seu gravamen praedictorum clericorum vel cleri contra justitiam praesumere aliquid forsan agnoveris, talem eorum excessum corrigas & emendari facias prout tua discretio viderit expedire, contradictores &c. Si vero nostra super iis fuerit provisio requirenda, remedium in hac parte, postquam de hoc tuas receperimus litteras, apponere curabimus opportunum. Datum Lugduni VI. Idus Decembris anno sexto.

Glasguensi & Dumblanensi Episcopis.

NOstris nuper est auribus intimatum quòd sedes Episcopalis Ergadensis Ecclesiae in quadam insula maris posita propter multa discrimina & crebrò intumescentes fluctus ipsius maris adeo redditur inaccessibilis, & locus ipse incolis etiam taediosus quod nec tutum est habitatoribus inibi residere, nec aliquibus securum illuc accedere sine periculo personarum. Quare pro ipsa Ecclesia nobis extitit cum instantia supplicatum ut transferri eandem sedem ad locum alium magis idoneum mandaremus, maximè cùm carissimus in Christo filius noster Scotiae Rex illustris in dotem ejusdem Ecclesiae ad locum magis commodum transferendae aperire velle dicatur munificentiae suae manum. De vestra igitur circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus quatenus consideratis circumstantiis universis quae circa translationem hujusmodi fuerint attendendae, super hoc auctoritate nostra liberè statuatis quod secundum datam vobis à Deo prudentiam videritis expedire, contradictores &c. Datum Lugduni IV. Nonas Januarii anno sexto.

Glasguensi & Dumblanensi Episcopis.

NImis diutinum, sicut accepimus, Ergadensis Ecclesia luctum viduitatis exegit, quae per septennium & amplius permansit Pontificis solatio destituta. Quod tanto indigniùs est ferendum quanto perniciosum est rudes regionis illius populos qui eos in Deo erudiat non habere. Ne igitur pro defectu pastoris eadem Ecclesia grave in spiritualibus & temporalibus dispendium patiatur, mandamus quatenus cassatis electionibus, si quas inveneritis in praedicta Ecclesia contra formam canonicam temerè attentatas; nisi postmodum ejusdem Ecclesiae Canonici curaverint infra competentem terminum eisdem praefigendum à vobis sibi de persona idonea in Episcopum providere per electionem canonicam & concordem, vos ex tunc, appellatione remota, praeficiatis auctoritate nostra ipsi Ecclesiae viduatae personam quae tanto congruat oneri & honori, ac impendatis vel faciatis impendi vice nostra munus consecrationis eidem, facientes sibi à subditis suis obedientiam & reverentiam debitam exhiberi, ac recipientes ab eo postmodum nostro & Ecclesiae Romanae nomine fidelitatis solitae juramentum juxta formam quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem juramenti quod ipse praestabit de verbo ad verbum per ejus patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuntium quantocius destinetis. Datum Lugduni X. Kal. Januarii anno sexto.

Epi-

Episcopo Meldensi.

CUm dilectos filios nobiles viros Johannem de Castellione Comitem Blesensem dominum de Avenis, Guidonem Comitem sancti Pauli, Galcherum & Hugonem fratres cum omnibus bonis &c. *ut in proximo usque* adip ici, susceperimus sub protectione apostolicae sedis & nostra, mandamus quatenus ipsos donec ad ætatem legitimam pervenerint non permittas contra protectionis nostræ tenorem ab aliquibus indebitè molestari, molestatores hujusmodi &c. non obstante aliqua indulgentia ab apostolica sede à quocunque obtenta per quam nostri super hoc mandati executio valeat impediri, & de qua oporteat in nostris litteris fieri mentionem, ac constitutione de duabus dietis &c. dummodo ultra tertiam vel quartam aliquis &c. Datum Lugduni Idus Decembris anno sexto.

Nobilibus viris Johanni de Castellione Comiti Blesensi domino de Avenis, Guidoni Comiti sancti Pauli, Gualchero & Hugoni.

SIncera devotio quam habetis ad Romanam Ecclesiam nos inducit ut vestris petitionibus, quantum cum honestate nostra possumus, annuamus. Hinc est quòd nos vestris supplicationibus inclinati personas vestras cum omnibus bonis quae in præsentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri & nostra protectione &c. *usque* communimus. Nulli ergo &c. nostræ protectionis &c. Datum Lugduni v. Kal. Decembris anno sexto.

*Decano Ecclesiæ Aquensis *Leodiensis diocesis.*

INcontinentiae vitium, quod famam clericorum Trajectensis civitatis & diocesis denigrabat, dilectus filius noster P. sancti Georgii ad velum aureum Diaconus Cardinalis tunc in partibus illis apostolicæ sedis Legatus prudenter attendens statuisse dicitur quòd nulli eorum de cætero haberent publicè concubinas, sed infra viginti dies à tempore quo foret hujusmodi constitutio promulgata illas abjicerent nec eas vel alias habere de cætero attentarent, alioquin ex tunc ab officio & beneficio essent ipso jure suspensi, & si postmodum incorrigibiles haberentur, elapso decem dierum spatio se scirent excommunicationis incurrisse sententiam & vacare beneficia eorundem. Cum autem, sicut intimante carissimo in Christo filio nostro W. illustri Rege Romanorum percepimus, nonnulli ex eisdem clericis incurrerint prædictam sententiam & divina celebrarint officia sic ligati, qui se postmodum laudabiliter correxerunt, nos obtentu ipsius Regis agentes misericorditer cum eisdem mandamus quatenus ipsos, cum ad te duxerint propter hoc humiliter recurrendum, hac vice juxta formam Ecclesiæ auctoritate nostra beneficium absolutionis impendas & cum eis super irregularitate quam incurrerunt hujusmodi occasione dispenses, alios vero qui praefatam sententiam incurrentes contemptis clavibus temerè celebrare divina vel prophanare potiùs praesumpserunt, nisi super his post monitionem tuam infra decem dies se similiter corrigant, sicut ex ipsa constitutione tenentur, punias disciplina canonica, & beneficia ipsorum quae juxta constitutionem eandem vacare constiterit personis idoneis & Ecclesiæ Romanæ devotis conferre procures, contradictores &c. Datum Lugduni II. Kal. Januarii anno sexto.

Nobili viro Alfonso primogenito carissimi in Christo filii nostri Regis Castellæ illustris.

VOluntarium nobis est semper sic prodesse supplicibus ut unde illis utilitatis compendia providemus, non irrogemus aliquibus dispendia lætionis. Unde si qua regiæ liberalitatis beneficia à carissimo in Christo filio nostro illustri Rege Castellæ patre tuo quibuslibet erogata apostolici patrocinii præsidio curavimus communire, tanta ex iis moderatione consilii concepimus scripta nostra ut per illa juventur petentes & alterius justitia non lædatur. Verum quia postulasti super iis tibi expressius præcavere, nos qui profectus tuos paterno zelantes affectu te optatis in Domino provehi cupimus incrementis, nobilitati tuæ auctoritate præsentium concedimus ut per confirmationum literas super donationibus vel concessionibus à præfato Rege factis vel faciendis quibuscunque personis ab apostolica sede concessis nullum juri tuo præjudicium in aliquo generetur, sed sic per easdem concessiones aliorum jura serventur ut tua diminui aliquatenus non contingat. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c. Datum Lugduni III. Idus Januarii anno sexto.

Archiepiscopis & Episcopis universis ad quos litteræ istæ pervenerint.

REligiosorum molestiis diligenter occurrere ex commissi nobis regiminis tenemur officio & eorum opportunæ quieti sollicitè providere. Cùm igitur dilecti filii Prior & fratres Heremitarum in partibus Alamanniæ ordinis sancti Guillelmi vestiti laneis cucullis & curtis usque ad cavillam seu juncturam pedis cum manicis bene latis & longis, nullo alio superindutis colore nisi quem secum lana earum causa primordialis contraxit, satis quoque circumcincti corrigiis desuper, cum congruis religioni cultellis, & baculos deferentes in manibus, & calciati teneantur incedere secundum sui ordinis instituta, contingit interdum, sicut eorum relatione accepimus, ipsos à quibusdam religiosis quandoque ad deferendum alium habitum, interdum vere ad proprium alterandum plurimum molestari in suum non modicum scandalum & derogationem ordinis eorundem. Quare suppliciter iidem postularunt a nobis ut super hoc eis & debitæ sui ordinis observantiæ providere paterna sollicitudine curaremus. Ne igitur dicti Prior & fratres propter observationem sui ordinis & statutorum ejusdem à quibusvis patiantur molestiam, qui nullis injuriam irrogare videntur, servando sicut præmissum est, in habitu sui ordinis instituta, fraternitatem vestram rogandam duximus & monendam, mandantes quatenus fratres prædicti ordinis singuli vestrum in diocesibus suis, cum eosdem interdum per ipsas transire contigerit vel ibidem etiam immorari, super præmissis ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram non permittatis à quibuscunque indebitè molestari, molestatores hujusmodi ecclesiastica districtione appellatione postposita compescendo. Datum Lugduni Nonis Januarii anno sexto.

Abbati Caricampi Cisterciensis ordinis Ambianensis diocesis.

AD impendendum dilecto filio G. de Castelliae domino sancti Aniani in Bituria devoto nostro gratiam & favorem, crucis reverentia, qua insignitus crucifixi obsequio se devovit, & sincerae devotionis affectus quam ad nos & Romanam Ecclesiam habere dinoscitur, meritò nos inducunt. Hinc est quod ipsius nobilis precibus inclinati praesentium tibi auctoritate mandamus quatenus si qui crucesignati terrarum, castellaniarum, seu feudorum Johannis primogeniti ac aliorum filiorum quondam Hugonis Comitis sancti Pauli, comitatu sancti Pauli duntaxat excepto, & terrarum & feudorum Ecclesiarum infra eadem consistentium, inhabiles ad pugnandum aut aliàs legitimo impedimento detenti voluerint redimere vota sua, tu eos per te vel alios quos ad hoc duxeris eligendos à votis ipsis, & pro eo quod non transfretarunt in praeterito passagio, ab excommunicatione quam inde incurrerant juxta formam Ecclesiae absolvere, ac redemptiones votorum hujusmodi colligere, necnon eidem nobili assignare procures,

res, illam crucesignatis hujusmodi indulgentiam concedendo quae talibus in generali Concilio est concessa. Omnibus quoque praedictorum locorum qui juxta qualitatem & facultatem suam secundum tuae discretionis arbitrium de bonis propriis contulerint pro conducendis idoneis bellatoribus in terrae sanctae subsidium destinandis illam suorum peccaminum de quibus veraciter corde contriti & ore confessi fuerint veniam indulgemus quae ipsi terrae succurrentibus in generali Concilio est inconcessa. Hujusmodi quoque remissionis volumus & concedimus esse participes, juxta quantitatem subsidii & devotionis affectum omnes eorundem locorum qui ad subventionem ipsius terrae de bonis propriis congruè ministrabunt. Ad haec omnia in terris, castellaniis, & feudis praedictis olim terrae sanctae subsidio deputata, dummodo in illud minimè sint conversa, ac etiam in posterum deputanda, quorum quantitatem & à quibus etiam debeantur per te inquiri volumus diligenter, necnon obventiones ex quacunque causa provenientes in locis praemissis pro ejusdem terrae subsidio colligi facias ac eidem nobili assignari, dummodo aliis de mandato nostro prius concessa non fuerint aut etiam assignata, contradictores &c. Non obstante indulgentia, si qua est aliquibus ab apostolica sede concessa, ut interdici vel excommunicari non possint per litteras apostolicas absque speciali sedis ejusdem mandato faciente de hujusmodi indulgentia mentionem, sive litteris aliquibus ab ipsa sede impetratis vel impetrandis, si expressa in ipsis de praesentibus mentio non habetur, & constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali. Datum Lugduni VII. Idus Januarii anno sexto.

Thesaurario Ecclesiae sancti Hilarii Pictavensis.

TUae circumspectioni dicimur nostris litteris mandavisse ut redemptiones & obventiones ex quacunque causa provenientes votorum crucesignatorum, & crucesignandorum usque ad passagium dilecti filii nobilis viri Comitis Pictavensis, qui propter inhabilitatem seu impotentiam ad eundum vel pugnandum sive alia justa de causa, ad redimendum vota sua seu deponendam crucem, si voluerint, de jure fuerint admittendi, necnon & legata & alia quocunque modo deputata terrae sanctae subsidio in regno Franciae, nisi eadem aliis à sede apostolica sint concessa, & terrarum domini ecclesiastici vel saeculares aut Praelati sive crucesignati vel crucesignandi, auctoritate nostra per te vel per alios quos ad hoc idoneos esse conspexeris colligas & conserves fideliter usque ad nostrae beneplacitum voluntatis, adjecto ut si praedicti domini & Praelati qui crucis assumpserunt signaculum vel assument, deposuerint ipsam crucem, vel morte praeventi non potuerint iter aggredi transmarinum, ex tunc in eorum terris simili modo colligas redemptiones & alia supradicta, & ab eis collecta tibi assignari facias & conserves, contradictores &c. non obstante indulgentia si qua est aliquibus ab apostolica sede concessa ut interdici vel excommunicari non possint per litteras apostolicas absque ipsius sedis speciali mandato faciente plenam de ipsa indulgentia mentionem, seu qualibet alia de qua in litteris nostris mentio fieri debeat specialis. Cum autem dictum Comitem suae devotionis obtentu cupiamus prosequi gratia & favore, mandamus quatenus ea quae de praemissis collegisti & colliges per te vel per alios usque ad festum resurrectionis dominicae proximè futurum eidem Comiti in eodem festo studeas assignare, quantitatem ipsorum nobis tuis litteris fideliter rescripturus. Datum Lugduni v. Idus Januarii anno sexto.

O. sanctae Mariae in via lata Diacono Cardinali apostolicae sedis Legato.

CUm, sicut carissimus in Christo filius noster illustris Rex Boemiae ac venerabilis frater noster Patriarcha Aquilegensis nobis significare curarunt, de contrahendo matrimonio inter dilectum filium nobilem virum Ulricum natum nobilis viri Ducis Carinthiae & nobilem mulierem Agnetem neptem ipsius Patriarchae relictam quondam Ducis Austriae sit tractatum, quia dictus V. tertio affinitatis gradu Agnetem contingit eandem, non prius duxerunt ad consummationem ipsius matrimonii procedendum quàm super hoc recursus ad sedem apostolicam haberetur. Quare fuit ex parte ipsorum Regis & Patriarchae nobis humiliter supplicatum ut cum hujusmodi matrimonium ad sedandas capitales inimicitias inter parentes & vassallos utriosque peccatis exigentibus jam exortas & reformanda inter eos patrem foedera plurimum operetur, salubre consilium apponere curaremus. Attendentes igitur quod urgens necessitas & evidens utilitas dispensationem exposcant, de fratrum nostrorum consilio mandamus quatenus recepta prius ab eisdem Ulrico & Agnete necnon & ab aliis quos videris expedire de assistendo Ecclesiae Romanae ac devotis ipsius contra F. quondam Imperatorem ac fautores ejus persecutores ipsius Ecclesiae viriliter & potenter ac de perseverando immobiliter in ejusdem Ecclesiae devotione ac fide tam juratoria quàm alia sufficienti & idonea cautione, cum praefatis V. & A. per te vel per alium auctoritate nostra dispenses, si videris expedire, quod ad invicem contrahere possint, si velint, impedimento hujusmodi non obstante. Datum Lugduni x. Kal. Januarii anno sexto.

Archiepiscopis & Episcopis, & aliis Ecclesiarum Praelatis, ac nobilibus viris Comitibus, Baronibus, & Militibus in regno Angliae constitutis.

ETsi pro cunctorum regnorum in quibus viget religio Christiana juribus conservandis nos deceat sollicitudinem & diligentiam adhibere, jura tamen regni Angliae tanto propensius volumus & debemus illaesa servare quanto carissimum in Christo filium nostrum ejusdem regni Regem illustrem favoris & gratiae plenioris sinceritate diligimus & statum ejus ac regni sui esse prosperum & tranquillum peramplius affectamus. Ad audientiam siquidem nostram pervenit quod licèt idem Rex in coronatione sua ipsius regni jura, honorem coronae, immunitates & libertates servare juraverit illibata, quidam vestrum, fratres Archiepiscopi & Episcopi, ac filii Praelati, sibi & Ecclesiis suis, quidam vero vestrum, filii Comites, Barones, & Milites, sibi & heredibus suis procuravere ab eodem Rege conferri villas, castra, maneria, libertates, & alia quaedam jura quae ad regnum jam dictum pertinent ab antiquo, in ipsius regni praejudicium & jacturam, ac de hujusmodi concessionibus minimè revocandis juramentum & litteras exhiberi. Cum igitur prioris licita fuerit praestatio juramenti, & ideo juramentum postea praestitum contra illud non extiterit licitum nec servandum, universitatem vestram rogamus & hortamur attentè, mandantes quatenus diligentius attendentes illius rei detentionem esse prorsus illicitam & indignam, quae saluti obviat animarum, quicquid singuli vestrum de praemissis à memorato Rege taliter obtinetis, praefato juramento secundo praestito non obstante, ipsi Regi liberè ac sine qualibet difficultate reddatis. Alioquin noveritis pro constanti quod cum apostolicae sedis intersit ut regnorum jura fidelium, quantum cum Deo possumus, favorabiliter foveamus, supradicto Regi super iis quae ad jus & honorem coronae suae pertinere noscuntur non poterimus non adesse. Datum Lugduni x. Kal. Februarii anno sexto.

Re-

Regi Anglorum illustri.

TAnto libentius regni tui honores & jura conservari volumus & optamus illaesa quanto personam tuam inter Reges & Principes Christianos praerogativa dilectionis amplectimur plenioris & de ipsius regni potissimum gratulamur profectibus & augmentis. Ex parte siquidem tua nuper nobis extitit supplicatum ut cum olim juraveris de praedicti regni juribus ac honore coronae regiae conservandis, & nihilominus postmodum de iis quae ad mensam tuam & dominium regium spectare noscuntur quasdam alienationes feceris, sub tuarum testimonio litterarum de non revocandis eisdem praestito juramento, contra ejusdem coronae honorem & praefati regni praejudicium manifestum, super hoc providere tibi & ipsi regno paterna diligentia curaremus. Nos igitur propensius attendentes quod primum juramentum licitum extitit & servandum, secundum vero praestitum contra illud illicitum reputatur, propter quod non convenit observari, devotionis tuae supplicationibus inclinati, ut alienationes easdem secundo juramento & litteris memoratis necnon confirmatione apostolicae sedis, si qua fortè super iis in forma communi hactenus obtenta, nequaquam obstantibus, valeas revocare, auctoritate tibi praesentium indulgemus. Datum ut suprà.

Illustri Regi Aragonum.

ATtenta sedis apostolicae circumspectio congruè temporum vices &c. *usque* semper agat. Sanè fuit ex parte tua nostris auribus intimatum quod cum olim inter dilectum filium nobilem virum Alfonsum carissimi in Christo filii nostri Regis Castellae illustris primogenitum & dilectam in Christo filiam Yolae natam tuam tunc infra annos nubiles constitutam sponsalia contracta fuissent, postmodum eodem Alfonso quasdam mulieres, quae tertia, quasdam vero quae quarta praefatam Y. consanguinitatis linea contingebant, carnaliter cognoscente, inter eosdem A. & Y. in tertio & quarto gradu affinitas intervenit. Nos igitur tuis precibus inclinati, ut dicti A. & Y. licitè inter se matrimonium contrahere valeant, vel si jam contraxerunt, in sic contracto liberè remanere, hujusmodi affinitatum impedimento nequaquam obstante, auctoritate apostolica dispensamus. Nulli ergo &c. Datum Lugduni VIII. Kal. Februarii anno sexto.

Archiepiscopo Tarraconensi.

CUm, sicut ex parte carissimi in Christo filii nostri Aragonum Regis illustris nobis extitit intimatum, tu tuique suffraganei caeterique Praelati & ecclesiasticae personae tam exemptae quàm non exemptae regnorum, comitatuum, & terrarum ipsius Regis unanimi ad preces & mandatum nostrum conveneritis voluntate ut vicesimam omnium redituum & proventuum ecclesiasticorum eorundem regnorum, comitatuum, & terrarum unius anni dicto Regi in subsidium contra Sarracenos integrè praeberetis, nos tuam & praedictorum omnium devotionem & prudentiam in hac parte multipliciter in Domino commendantes, quia forsan aliqui sunt ex eis qui vellent à tam laudabili proposito resilire, fraternitati tuae compellendi, si necesse fuerit, monitione praemissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, tales ad exhibitionem hujusmodi vicesimae plenam & liberam concedimus auctoritate praesentium potestatem. Datum Lugduni VIII. Kal. Februarii anno sexto.

Episcopo Carnotensi.

CAusam matrimonii, quae inter Hilariam mulierem & Gualterium de Croceio laicum tuae diocesis vertebatur, post diversas commissiones hinc inde ab apostolica sede obtentas, ad nos demum per appellationem delatam dilectus filius magister Bernardus subdiaconus & Capellanus noster, cui eam commisimus, cognitis ipsius causae meritis, nobisque fideliter recitatis, de speciali mandato nostro sententialiter terminavit, prout in ejusdem Capellani litteris confectis exinde plenius continetur. Caeterum licèt dictus Gualterius ad nos ab eadem sententia duxerit provocandum, & nihil rationabile coram nobis ostenderit quare deberet eadem sententia retractari, qui tamen de novo asseruit quod magister Matthaeus dictus Guespin, cum quo praefata Hilaria probaverat se per verba de praesenti minimè contraxisse, confessus est publicè in praesentia Capituli Carnotensis quod cum ipsa Hilaria contrahere de jure non potuit, pro eo quod jam quindecim annis elapsis fuerat in sacro ordine constitutus, mandamus quatenus nisi praefatus Gualterius infra duorum mensium spatium post receptionem praesentium legitimè probaverit quod dictus magister Matthaeus ante tempus quo probaturum praefata Hilaria minimè contraxisse in praemisso fuerit ordine constitutus, ipsum G. ad solvendum eidem Hi. pro expensis decem marcas argenti, ad quarum solutionem se, si in hujusmodi probatione deficeret, obligavit, auctoritate nostra compellas, ac sententiam Capellani praedicti super hoc justè latam secundum tenorem litterarum ipsius executioni demandes, contradictores &c. Datum Lugduni VIII. Kal. Februarii anno sexto.

Illustri Regi Romanorum.

ETsi cunctos ex attributa tibi potestate à Domino fovere in sua justitia tenearis, sublimibus tamen nobilibusque personis, per quas honori tuo magnae utilitatis fructus posse provenire speratur, favorabiliorem te convenit exhibere, in iis praecipuè quae sibi à tuis praedecessoribus sunt concessa. Cùm igitur, sicut ex parte dilecti filii nobilis viri Marchionis de Baden fuit propositum coram nobis, à clarae memoriae Romanis Imperatoribus qui fuere pro tempore Ducibus Austriae ex speciali privilegio sit permissum ut si iidem Duces absque liberis masculis morerentur, feminae tam in ducatu quàm feudis aliisque bonis omnibus possint jure succedere masculorum, idemque paratus sit contra F. quondam Imperatorem, C. natum ipsius, eorumque fautores signum crucis assumere tibique, sicut asserit, totis viribus fideliter adhaerere, nos arbitrantes dignum existere ut ipsum propter hoc regalis munificentiae gratia favorabiliter prosequaris, serenitatem tuam rogamus & hortamur attentè quatenus ducatum, feuda, & alia bona quae clarae memoriae Dux Austriae habuisse dinoscitur, ipso adimplente quod offert, nobili mulieri uxori suae nepti ejusdem Ducis, cui ea, ut dicitur, debet tam propinquitate sanguinis quàm dicti privilegii ratione succedere, liberaliter conferre ac ipsam de praedictis investire procures, ita ut praefatus nobilis tuis beneplacitis obligetur, nosque proinde tuae sinceritatis zelum merito commendemus. Datum Lugduni Idus Februarii anno sexto,

Episcopo Ratisponensi.

CUm tibi dicamur nostris dedisse litteris in mandatis ut Ducem Bawariae, nisi à te monitus infra festum assumptionis beatae Mariae proximo praeteritum rediret ad ecclesiasticam unitatem, gratiis & indulgentiis sibi à felicis recordationis G. Papa praedecessore nostro concessis auctoritate nostra privares, licèt idem Dux post monitionem tuam

quod contra Ecclesiam in nullo processerat proprio juramento firmarit, ac se promiserit per juramentum hujusmodi processurum nullatenus contra eam, ipse tamen, sicut accepimus, juramenti religione contempta, prioribus priora committens, & F. quondam Imperatoris persecutoris Ecclesiae in partibus Austriae gerens vicem, ipsi Ecclesiae ac eam adjuvantibus plurimum adversatur. Ideoque fraternitati tuae per apostolica scripta in virtute obedientiae districtè praecipiendo mandamus quatenus, si est ita, eundem Ducem auctoritate nostra privatum esse denuntians gratiis & indulgentiis supradictis, in ipsum & in sua perversitate adhaerentes eidem excommunicationis & in terram ejus interdicti sententias non differas promulgare, eas tamdiu singulis diebus dominicis & festivis, pulsatis campanis, & candelis accensis, per civitatem & diocesim tuam solemniter publices & facias publicari, donec vexatione intellectum suo auditui tribuente, ad unitatem ecclesiasticam revertatur, & contra praedictum F. tanquam adversarium fidei & libertatis ecclesiasticae subversorem recipiens signum crucis, Ecclesiis, monasteriis & aliis piis locis, ac clericis earundem civitatis & diocesis injustè ablata restituat & de damnis & injuriis irrogatis satisfactionem competentem exhibeat, ut tenetur. Ad haec volumus & tibi auctoritate praesentium districtè injungimus ut contra ipsum Ducem tanquam adversus Ecclesiae adversarium manifestum in dictis civitate ac diocesi verbum crucis praedices & facias praedicari, eam illis qui crucis assumpto signaculo processerint contra eum in hujusmodi nequitia persistentem suorum peccatorum veniam concedendo quae transeuntibus in terrae sanctae subsidium in generali Concilio est concessa. Datum Lugduni VIII. Idus Februarii anno sexto.

Abbatissae & conventui monasterii sancti Petri de Palliano Cisterciensis ordinis Penestrinensis diocesis.

DEbet divino cultui deputatis ex providentia sedis apostolicae non immerito provenire ut praetextu alicujus obstaculi, quod vitari valeat, ipsorum pia devotio non decrescat. Cùm igitur, sicut accepimus, monasterium vestrum longè ultra facultates suas personarum multitudine sit gravatum quia multitudo in illis in quibus via paucis sufficiunt facultates est potius oneri quàm honori, devotionis vestrae precibus inclinati, auctoritate vobis praesentium indulgemus ut ad receptionem alicujus per litteras dictae sedis vel Legatorum ejusdem, etiamsi contineatur in eis quod non obstante aliqua indulgentia sedis praedictae illa pro qua scribitur recipi debeat, minimè teneamini donec dicti monasterii collegium ad illum numerum sit redactum qui pensatis ejus facultatibus possit ex eis congruè sustentari. Nulli ergo &c. nostrae concessionis, &c. Datum Lugduni II. Kal. Februarii anno sexto.

Archiepiscopo Prusciae apostolicae sedis Legato.

DEdisse tibi dicimur nostris litteris in mandatis ut aliquem ex fratribus clericis Hospitalis sanctae Mariae Teutonicorum qui pontificali congrueret oneri & honori, cessante cujuscunque dilationis & difficultatis obstaculo, uni dioceesi Prusciae, cum super hoc à dilectis filiis fratribus dicti Hospitalis constitutis ibidem requisitus existeres, in Episcopum praeficere procurares, & accersitis duobus aut tribus fratribus ei munus consecrationis impendens, sibi à subditis faceres obedientiam & reverentiam exhiberi, contradictores &c. Cum autem nullum adhuc de hujusmodi gratia dicatur commodum provenisse, nos volentes quod ipsa eis fructuosa reddatur, fraternitati tuae per apostolica scripta in virtute obedientiae districtè praecipiendo mandamus quatenus dilectum filium Henricum de Stratheich sacerdotem ipsius ordinis, virum utique laudabilis conversationis & vitae, ac nobis & Ecclesiae Romanae devotum, uni ex diocesibus memoratis, VVarmiae, aut alicui alii, si qua ibidem vacat ad praesens, vel quàm cito vacare contigerit, prompto affectu praeficias in pastorem. Et si fortè de praedicto fratre aliquid interim humanitus eveniret, id ipsum facias de alio fratre idoneo qui eisdem fratribus sit acceptus, praeceptum nostrum taliter impleturus ut digna laudibus & favoris augmento propter hoc apud nos tua sinceritas habeatur. Alioquin ex nunc decernentes irritum & inane si quid in hac parte contra beneplacitum nostrum contigerit attentari, venerabili fratri nostro Archiepiscopo Coloniensi per litteras nostras injungimus ut super hoc juxta formam tibi traditam mandatum apostolicum exequatur, contradictores &c. Datum Lugduni III. Idus Februarii anno sexto.

Decano & Capitulo Toletanensi.

ECclesia vestra pastoris solatio destituta, vos de futuri Pontificis substitutione tractantes, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt, & potuerunt commodè interesse, compromisistis unanimiter & concorditer in quinque de vestro collegio fide dignos, qui vice omnium providerent de persona idonea Ecclesiae viduatae per electionem vel postulationem canonicam in Archiepiscopum & pastorem, promittentes vos illum quem iidem quinque concorditer eligerent vel etiam postularent. Ipsi vero spiritus sancti gratia invocata, & pensatis utilitatibus Ecclesiae ac honore, venerabilem fratrem nostrum Episcopum quondam Cordubensem in ipsius Ecclesiae Archiepiscopum concorditer postularunt. Nos igitur nobis postulatione hujusmodi praesentata, laudabile testimonium quod sibi perhibetur à multis & utilitatem ejusdem Ecclesiae diligentiùs attendentes, eundem de fratrum nostrum consilio absolutum à vinculo quo tenebatur Ecclesiae Cordubensi, eidem Toletanensi Ecclesiae in Archiepiscopum & pastorem de speciali gratia concedendum duximus & ad praefatam Toletanam Ecclesiam transferendum, plena ei tam in spiritualibus quàm in temporalibus administratione concessa, ea spe nobis proposita quod auctore Domino, qui dat virtutes, praemia tribuit & gratiam gratiae superaddit, praedicta Toletana Ecclesia per diligentiae suae studium grata in utrisque suscipiet incrementa. Quocirca praecipiendo mandamus quatenus ipsi tanquam patri & pastori animarum vestrarum plenè ac humiliter intendatis & exhibeatis eidem obedientiam & reverentiam debitam & devotam, ejus salubria monita & mandata suscipiendo devotè ac inviolabiliter observando. Alioquin sententiam quam idem rite tulerit &c. Datum Lugduni VIII. Idus Februarii anno sexto.

In eundem modum clero civitatis & diocesis Toletanensis.

In eundem modum populo Toletano *usque* observando..

In eundem modum illustri Regi Castellae verbis competenter mutatis, *usque* incrementa. Ideoque celsitudinem regiam rogamus, monemus & hortamur attentè quatenus eundem benignè recipiens & honestè pertractans, ipsum & commissam sibi Ecclesiam habeas pro divina & apostolicae sedis & nostra reverentia propensius commendatam, eos favore regio prosequendo. Datum ut suprà.

In eundem modum nobili viro A. primogenito carissimi in Christo filii nostri illustris Regis Castellae.

In eundem modum Episcopo quondam Cordubensi in Archiepiscopum Toletanum electo verbis competenter mutatis, *usque* incrementa. Ideoque fraternitatem tuam rogamus, monemus & hortamur attentè, mandantes quatenus quod à nobis immo à Domino factum est amplectens humiliter & devotè, ad Ecclesiam Toletanam accedas eandem, acturus curam ejus ita fideliter & prudenter quòd dignam Deo reddere valeas rationem. Datum ut suprà.

G. quin-

G. quondam Episcopo Cordubensi in Archiepiscopum Toletanum electo.

CUm palleum, insigne videlicet pontificalis officii, ex parte tua fuisset à nobis per dilectum filium Ferrandum Ægidii Guadalfarientem & magistros Rodericum Conchensem Archidiaconum & Vivianum Capellanum nostrum Thesaurarium, & Petrum Canonicum Toletanum cum ea qua decuit instantia postulatum, nos tuis supplicationibus annuentes, ipsum de corpore beati Petri sumptum per eosdem venerabili fratri nostro Episcopo Conchensi assignandum tibi per eum duximus destinandum, ut illud tibi assignet sub forma quam ei sub bulla nostra mittimus interclusam, & à te nomine nostro & Romanae Ecclesiae sub forma quam sub eadem bulla dirigimus fidelitatis recipiat juramentum. Tu autem illo intra Ecclesiam tuam illis diebus utaris qui expressi in ipsius Ecclesiae privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet à signato, sed quod geris exterius intus serves in mente, fraternitatem tuam monemus attentè & hortamur quatenus humilitatem & justitiam dante Domino, qui dat munera & praemia largitur conservare studeas, quae suum servant & promovent servatorem, & Toletanam Ecclesiam sponsam tuam cures sollicitè auctore Domino spiritualiter & temporaliter augmentare. Datum ut suprà.

Episcopo Conchensi.

CUm palleum &c. *ut in proxima verbis competenter mutatis usque* destinandum. Ideoque mandamus quatenus illud ei assignes sub forma quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam, & ab ipso nomine nostro & Ecclesiae Romanae sub forma quam sub eadem bulla dirigimus fidelitatis recipias juramentum. Formam autem juramenti quod ipse praestabit de verbo ad verbum nobis per ejusdem patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuntium quantocius destinare procures. Datum ut suprà.

Abbati & conventui de Wettinghen Cisterciensis ordinis Constantiensis diocesis.

LIcèt ea quae de mandato nostro fiunt plenam in se habeant firmitatem, ut tamen sint in suo robore firmiora, ipsa libenter apostolico fulcimus munimine, ut intemerata consistant cùm nostro fuerint praesidio communita. Cum igitur, sicut dilectus filius frater Wernerus conversus vester proposuit coram nobis, bonae memoriae H. Episcopus Constantiensis diocesanus vester de speciali mandato & auctoritate nostra vobis concesserit ut Ecclesiam de Richaim Constantiensis diocesis, in qua jus patronatus habetis, possitis liberè, cùm eam vacare contigerit, in usus proprios retinere, ita tamen quod vicario in ea pro tempore servituro pro sustentatione sua & aliis ejusdem Ecclesiae supportandis oneribus congrua de ipsius proventibus portio relinquatur, prout in litteris inde confectis, quarum tenorem de verbo ad verbum praesentibus inseri fecimus, plenius continetur, nos praefati conversi supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem Episcopo providè factum est ratum & firmum habentes auctoritate apostolica confirmamus & praesentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem litterarum ipsarum talis est. In nomine Domini. Amen. Henricus divina permissione Constantiensis Episcopus dilectis in Christo Conrado Abbati & conventui monasterii de Wettinhgen Cisterciensis ordinis salutem in Domino. Opus pietatis agitur dum Christi pauperibus, ut in susceptae religionis jugiter famulantes devotione persistant, proinde subvenitur. Igitur receptis litteris apostolicis in haec verba. Innocentius &c. venerabili fratri H. Episcopo Constantiensi &c. Consuevit sedes apostolica precibus condescendere devotorum eorumque votis favorem benivolum impertiri. Cùm igitur dilectus filius nobilis vir Hermannus senior & Hermannus junior Comites de Beberch Ecclesiae Romanae devoti pro monasterio de Wettinhgen Cisterciensis ordinis Constantiensis diocesis duxerint cum instantia supplicandum, nos volentes obtentu precum eorum praedicto monasterio facere gratiam specialem fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatenus C. Abbati & conventui ejusdem monasterii, quod occasione imminentis discordiae gravem ab inimicis Ecclesiae in temporalibus dicitur sustinuisse jacturam, auctoritate nostra concedas ut Ecclesiam de Richaim praedictae diocesis, in qua jus obtinent patronatus, cum eam vacare contigerit, liberè valeant in usus proprios retinere, ita tamen quòd vicario in ea pro tempore servituro pro sustentatione sua & pro aliis Ecclesiae ipsius supportandis oneribus congrua de ejusdem Ecclesiae proventibus portio relinquatur. Datum Lugduni VI. Idus Februarii pontificatus nostri anno quinto. Nos attendentes rationes & causas in ipso rescripto positas, quibus veritas suffragatur, maximè autem juxta statum temporis necessitate dicti monasterii, in quo fidelium iisdem sub jugo Domini famulantium plenius hoc tempore religio vigere dinoscitur, inclinati, Ecclesiam de Richaim nostrae diocesis, in qua jus obtinetis patronatus, auctoritate apostolica, qua fungimur, & nostra vobis concedimus, ut cum eam vacare contigerit, cum fructibus & pertinentiis suis valeatis liberè in usus proprios retinere. Ut autem animarum cura non negligatur, salvo etiam jure diocesano nostro successorumque nostrorum pro tempore, volumus & mandamus ut in dicta Ecclesia vicario servituro pro sustentatione sua & pro aliis Ecclesiae ipsius supportandis oneribus congrua de ejusdem Ecclesiae proventibus portio relinquatur. Datum Constantiae anno Domini MCCXLVIII. Idibus Junii, indictione sexta. Nulli ergo &c. nostrae confirmationis &c. Datum Lugduni III. Kal. Februarii anno sexto.

Datus est eis super hoc conservator Praepositus Basiliensis.

Sancti Emerammi Ratisponensis & de Watenbauch Ratisponensis diocesis Abbatibus.

SIcut non absque animi turbatione audivimus, Pataviensis Ecclesia per negligentiam & incuriam seu malitiam potius Episcopi Pataviensis in spiritualibus & temporalibus graviter est collapsa, nec ipsa Ecclesia, quae olim consuevit bonorum ubertate florere, per eum speratur posse ad decorem status pristini retornari, sed neque generalis Ecclesiae negotium, ipso se super hoc reddente tepidum & remissum, per eundem in melius proficit, utinam non in pejus. Unde si dictus Episcopus provida meditatione consideret quòd si Episcopus nominis non exequatur effectum, unde dolere potest inveniri, quia de primatu quem in terris obtinet confusionem expectet in caelis, prudenter animae suae consulet & honori, si episcopatui corpore cedat, cui videtur utilitate cessisse. Ne igitur dicta Ecclesia sub ejus regimine irreparabile detrimentum incurrat, mandamus quatenus praefatum Episcopum ad resignationem episcopatus, pontificalibus sibi duntaxat, si voluerit, reservatis, moneatis prudenter & efficaciter inducatis, & faciatis ei, si cesserit, recepta cessione hujusmodi, vice nostra pro sustentatione sua de bonis episcopalibus provisionem honestam & congruam assignari, ac ipsum illius pacifica possessione gaudere, contradictores &c. Datum Lugduni XV. Kal. Mart. anno sexto.

Eisdem.

CUm Pataviensem Episcopum tanquam inutilem ad cedendum episcopatui corpore, cui videtur utilitate cessisse, moneri mandaverimus & induci, nosque intendamus Pataviensi Ecclesiae de tali providere persona quae tanto congruat oneri & honori, man-

mandamus quatenus si praefatum Episcopum contigerit sponte cedere aut etiam suberahi ab hac luce, Capitulo ejusdem Ecclesiae auctoritate nostra inhibeas expressè ne ad electionem seu postulationem vel nominationem cujusquam procedant absque nostra licentia speciali. Nos enim decernimus irritum & inane si quid contra inhibitionem hujusmodi super hoc contigerit attentari. Datum ut suprà.

Praeposito & Sacristae Magalonensi.

IN ultima voluntate sua bonae memoriae Magalonensis Episcopus vos, prout accepimus, sui executores constituit testamenti. Cum autem libri & ecclesiastica ornamenta necnon quaedam alia bona quae idem Episcopus ante promotionem suam noscitur habuisse in manibus vestris esse dicantur, nos dilecti filii Magistri ordinis fratrum Praedicatorum precibus annuentes, mandamus quatenus hujusmodi libros, ornamenta, & bona, cùm ad praefatum ordinem de jure pertineant, dilecto filio Priori fratrum ejusdem ordinis de Montepessulano nomine dicti Magistri sine dilationis ac difficultatis obstaculo assignetis, ita quod super hoc providere aliter non cogamur. Datum Lugduni III. Idus Februarii anno sexto.

Praeposito & Capitulo Magalonensi.

ECclesia Magalonensi destituta pastore, vos dilectum filium W. Archidiaconum, B. Archipresbyterum, & Priorem de Ovorio Canonicum Magalonensem ad nostram praesentiam destinastis, plena illis potestate concessa ut ipsi Ecclesiae de persona idonea providerent. Sanè jamdicti Archidiaconus, Archipresbyter, & Prior, requisito humiliter super electione tractanda nostrae beneplacito voluntatis, & deliberatione habita diligenti, dilectum filium P. Sacristam Magalonensem, virum ubique de vita, moribus, & scientia commendatum, in pastorem ipsius unanimiter & concorditer elegerunt, spe ipsis accedente firmissima quod eadem Ecclesia per industriam ipsius electi Deo propitio consequi debeat honoris & prosperitatis augmentum. Cum autem nos electionem hujusmodi, quam invenimus canonicè celebratam, fratrum nostrorum communicato consilio, nullum propter hoc Narbonensi Ecclesiae, cujus suffraganeus esse dinoscitur, in posterum passura praejudicium, duxerimus confirmandam, mandamus quatenus eidem, cui praedictae Ecclesiae in spiritualibus & temporalibus plenam administrationem commitimus, debitam obedientiam & reverentiam impendatis, ejus salubribus mandatis & monitis efficaciter intendentes, ita quod ipse laetetur in vobis devotionis habere filios, & vos in eo per consequens fructum paternae benevolentiae gaudeatis semper auctore Domino invenire. Alioquin sententiam quam ipse ritè tulerit in rebelles &c. *usque* observari. Datum Lugduni Kalendis Martii anno sexto.

In eundem modum P. Electo Magalonensi, ver. co. mu. *usque* mandamus quatinus regimen Ecclesiae, cujus in spiritualibus & temporalibus plenam tibi administrationem committimus, suscipiens reverenter, te in ampliandis honoribus & profectibus procurandis sic reddas sine intermissione sollicitum ut apud remotos & proximos tua fama clarcat per effectum & in delectationem nobis veniat te condigna gratia opportuno tempore prosequi ac tuis desideriis favorem benivolum impertiri. Datum ut suprà.

Capitulo Magalonensi.

ZElus catholicae fidei, quae à perversis saepe deducitur in contemptum, & semper ab haereticis, sed praecipuè his temporibus impugnatur, ad hoc de novo apostolicae sedis circumspectionem induxit quod sibi provisionem & ordinationem cathedralium Ecclesiarum provinciae reservavit. Quia vero de reservatione hujusmodi non aliquod dispendium sed profectum potiùs volumus exoriri, praesentium auctoritate decernimus quod, non obstante reservatione ipsa, sit vobis in futurum, si Ecclesiam vestram vacare contigerit, libera eligendi potestas, & ex eo quod apud sedem apostolicam de dilecto filio P. electo tunc sacrista Magalonensi, requisito nostrae beneplacito voluntatis, electio extitit celebrata nullum vobis in posterum praejudicium generetur. Datum Lugduni v. Nonas Martii anno sexto.

Allerino Vailliaco clerico.

EXhibita nobis ex parte tua petitio continebat quod venerabilis frater noster Suessionensis Episcopus profecturus dudum in subsidium terrae sanctae praebendam quam in Suessionensi Ecclesia, in qua collationem obtinet praebendarum, primo vacare contigerit propria tibi auctoritate concessit, teque mandavit, nulla ibidem praebenda vacante, à Suessionensi Capitulo recipi in Canonicum & in fratrem, prout in ipsius Episcopi patentibus litteris dicitur plenius contineri. Nos igitur obtentu venerabilis fratris nostri Cathalaunensis Episcopi, cujus existis clericus, & qui pro te nobis per suas litteras cum instantia supplicavit, volentes ut de speciali provisionis nostrae gratia optatum ex tali facto ejusdem Episcopi consequaris effectum, quod ab eodem Episcopo super iis factum est ratum & gratum habemus, illudque auctoritate apostolica confirmamus & praesentis scripti patrocinio communimus. Datum Lugduni XIII. Kal. Martius anno sexto.

Episcopo Cathalaunensi & Abbati sancti sepulcri Cameracensis.

SUa nobis dilecti filii nobiles viri Johannes de Avesnis & Balduinus frater ejus insinuatione monstrarunt quod quidam eorum aemuli eos malitiosè, ut processu temporis à bonis ad eos hereditario jure spectantibus excludi valeant, notam illegitimitatis impingunt, id multorum auribus instillando, occasione quarundam litterarum super hoc à sede apostolica obtentarum. Quare nobis humiliter supplicarunt ut cum eis aut saltem ipsorum heredibus sit valde periculosum quod id remaneat totaliter indiscussum, providere ipsis super hoc paterna sollicitudine curaremus, mandamus quatinus super causa natalium eorundem nobilium, non obstante quòd super hoc inter ipsos ex parte una & fratres eorundem ex altera fuit coram nobis aliquandiu litigatum & processum, cùm nihil inde terminatum extitit, inquiratis sicut magis de plano poteritis diligentius veritatem, & quod canonicum fuerit appellatione postposita statuatis, quaestione bonorum principali domino reservata. Datum Lugduni v. Kal. Martias anno sexto.

Bernardo de Rupeforti Canonico Ecclesiae Brivatensis Claromontensis diocesis.

POst diversas litteras super provisione facienda dilecto filio Guidoni de Melhac rectori Ecclesiarum sancti Stephani & sancti Hilarii de Lombertiaco, quarum una dependent ab altera, Lemovicensis diocesis clerico dilecti filii Bernardi de Ventodoro Capellani nostri, ab apostolica sede ad judices diversos obtentas & processus habitos per eosdem, tibi dereximus scripta nostra ut dicto clerico de praebendali seu parrochiali vel alio ecclesiastico beneficio competenti in Lemovicensi civitate vel diocesi auctoritate nostra provideres vel faceres provideri. Cùm autem idem clericus nullum sit de hujusmodi gratia, prout asserit, commodum assecutus, sed potiùs labores subierit & expensas, nobis humiliter supplicavit ut finem ipsius laboribus in hac parte imponere curaremus. Volentes igitur ut dicto clerico nostra gratia fructuosa reddatur, mandamus quatenus, si est ita, praedicto clerico, non obstantibus litteris super hoc impetratis & processibus habitis per easdem, seu

si in

si in Ecclesia in qua sibi providendum duxeris aut mandaveris provideri non sit certus Canonicorum vel clericorum numerus, vel si pro aliis in ipsa direximus scripta nostra, quibus nolumus &c. *usque* generari, aut si Ecclesia vel persona ad quam ipsius collatio pertinet sint de mandato nostro super aliorum provisione gravatae, seu quod dilecto filio electo Lemovicensi dicimur concessisse quod eundem clericum beneficiis quae habet faciat manere contentum, sive si eidem extitit indultum quod per litteras apostolicas ad provisionem alicujus minimè teneatur, nec aliquis executor de beneficiis ad collationem suam spectantibus possit providere alicui per easdem quae de toto tenore ipsius indulgentiae non fecerint mentionem, sive si ei vel alii sit ab eadem sede indultum quod in eum vel eorum aliquem suspensionis vel excommunicationis aut in Ecclesias seu terras ipsorum interdicti sententiae nequeant promulgari absque ipsius sedis mandato plenam faciente de indulto hujusmodi mentionem, sive qualibet alia indulgentia generali vel speciali cuicunque personae vel loco concessa seu etiam concedenda, per quam non expressam hujusmodi circa eum provisio impediri valeat vel differri, de beneficio quod idem in praedicta civitate vel dioecesi duxerit acceptandum, si vacat ad praesens, vel quàm cito vacaverit, juxta directarum ad te continentiam litterarum per te vel per alium, cui forsan super hoc vices tuas commiseris, provideas vel facias provideri, beneficiis quae obtinet in provisione facienda eidem nullatenus computatis. Nos enim dictum beneficium praedicto clerico conferendum donationi apostolicae reservantes decernimus irritum & inane si secus de ipso contra mandatum nostrum à quoquam contigerit attentari, contradictores &c. Datum Lugduni XII. Kal. Martii anno sexto.

Episcopo Tornacensi.

CUm, sicut ex parte tua & dilectorum filiorum Capituli Tornacensis fuit propositum coram nobis, venerabilis frater noster Tusculanensis Episcopus tunc in partibus Franciae apostolicae sedis Legatus statuta quaedam in Tornacensi Ecclesia sub poena suspensionis sententiae observanda ediderit, quam eadem non servantes incurrerent ipso facto, videlicet ne in cantandis psalmodiis aliquis psallentium ex una parte chori versum inciperet donec alii psallentes ex parte altera versum quem prius inceperant terminarent, necnon & nullus loqueretur in choro nisi voce submissa, idque necessitatis articulus suaderet, quòdque nullus Canonicorum vel clericorum chori ejusdem per Ecclesiam incederet dum divina officia celebrantur, ac alia statuta in eadem Ecclesia observanda mandaverit, quae licèt videantur salubria & honesta, possent tamen, sicut asseris, in multorum salutis vergere detrimentum, nos tuis & eorundem Capituli supplicationibus inclinati super hoc utiliter providere volentes, moderandi statuta eadem, prout melius & utilius expedire videris, tibi auctoritate praesentium concedimus facultatem. Datum Lugduni III. Nonas Martii anno sexto.

Episcopo Tornacensi.

CUm, sicut tua petitio nobis exhibita continebat, juxta canonicas sanctiones in tua civitate ac dioecesi quosdam testes publicos, qui synodales vocantur, tam praedecessores tui quàm tu in singulis parrochiis duxeritis deputandos, Scabini villae Gandensis tuae dioecesis ad officium hujusmodi deputati licèt de singulis criminibus diffamatos apud te vel apud illum quem super hoc idoneum deputaveris teneantur deferre, nihilominus tamen contra fornicationem notatos ex quadam prava consuetudine, quae dicenda est verius corruptela, testificari contemnunt, quasi fornicatio criminale peccatum non debeat reputari. Cùm igitur morbo hujusmodi eo studiosius sit quo frequentius à pluribus committitur salubri medicamine obviandum, mandamus quatenus, si est ita, praefatos Scabinos ut tam super fornicatione quàm aliis criminibus veritatem referant, ut tenentur, praedicta consuetudine non obstante, monitione praemissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas, contradictores &c. Datum Lugduni X. Kal. Martii anno sexto.

Archidiacono Cantuariensi Capellano nostro.

SUa nobis dilectus filius nobilis vir Petrus de Sabaudia pro se ac universitate hominum suorum archidiaconatus Richemondiae petitione monstravit quod nonnulli Praelati, Rectores, Vicarii, & Capellani perpetui Ecclesiarum archidiaconatus ejusdem Eboracensis dioecesis, licèt ab ipsorum hominum singulis unum de melioribus pecoribus quae habent juxta consuetudinem regni Angliae percipiant cùm decedunt, nihilominus tamen ad eorum bona manus avidas extendentes aliud melius pecus necnon nonam partem omnium bonorum mobilium decedentis, si uxorem & heredem, si vero uxorem & non heredem, vel heredem & non uxorem, sextam partem, si autem nec uxorem nec heredem habeat, tertiam partem bonorum ipsorum contra justitiam exigunt & extorquent, solam super iis consuetudinem praetendendo, in eorundem nobilis & universitatis non modicum praejudicium & gravamen. Quia vero nobis non constitit de praemissis, mandamus quatenus vocatis qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit appellatione remota decernas, faciens quod decreveris &c. Testes autem &c. non obstante indulgentia aliquibus ab apostolica sede concessa quod excommunicari non possint seu etiam interdici, & constitutione de duabus dietis &c. dummodo ultra tertiam vel quartam &c. Datum Lugduni XIII. Kal. Martii anno sexto.

Episcopo Constantiensi.

IN episcopalibus juribus tuam semper personam benignitate solita confovere volentes, ut condemnationes seu poenas quae Bannalia vulgariter nuncupantur à Rectoribus & clericis Ecclesiarum tuae dioecesis parrochianis tuis propter ipsorum delicta vel excessus rationabiliter impositas, prout à te ac bo. me. H. Constantiensi Episcopo praedecessore tuo perceptae noscuntur, liberè percipere ac exigere tibi liceat auctoritate praesentium plenam tibi concedimus facultatem. Nulli ergo &c. nostrae concessionis &c. Datum Lugduni Id. Martii anno sexto.

Datus est ei super hoc conservator . . Abbas de Fancions Augustensis dioecesis.

Eidem.

PRaesentata nobis tuae fraternitatis petitio continebat quod nonnulli tuae dioecesis monasteriorum & Ecclesiarum praelati obtinere laborant ut à jurisdictione Constantiensis Ecclesiae per sedem apostolicam eximantur in tuum & ipsius Ecclesiae detrimentum. Quare humiliter postulasti super hoc ipsi Ecclesiae de sedis ejusdem providentia praecaveri. Nos igitur te ac eandem Ecclesiam in suo semper jure servari cupientes illaesam, tuam volumus fraternitatem de apostolicae sedis benignitate tenere quod aliquos tibi dioecesana lege subjectos hactenus nos exemisse non credimus & eximere nostri propositi non existit. Datum Lugduni XVII. Kal. Aprilis anno sexto.

Praeposito Ecclesiae sanctae Mariae Rotundae Metensis.

NOlentes ut dilectus filius R. electus Warmaciensis, de quo dilectus filius noster P. sancti Gregorii ad velum aureum Diaconus Cardinalis tunc apo-

apostolicae sedis Legatus Warmaciensi Ecclesiae pastore vacanti dicitur providisse, super beneficiis quae tempore provisionis hujusmodi obtinebat donec controversia super eadem provisione suborta finem acceperit, ab aliquibus molestetur, quem obtentu dilecti filii nobilis viri Wirrici de Dune regalis curiae Marescalci fratris ejusdem dignum favore sedis apostolicae reputamus, mandamus quatenus denuntians auctoritate nostra irritum & inane si quid à quoquam de praedictis ipsius electi beneficiis attentatum est hactenus vel fuerit in posterum occasione praemissa, donec eundem electum corporalem possessionem praedictae Warmaciensis Ecclesiae de jure vel de gratia contigerit adipisci, facias proventus beneficiorum ipsorum eidem electo, ubicunque fuerit, integrè interim ministrari ac si in Ecclesiis in quibus ea obtinet resideret personaliter, cotidianis distributionibus duntaxat exceptis, non obstante contraria consuetudine vel statuto juramento aut alia quacunque firmitate vallato seu qualibet sedis apostolicae indulgentia de qua oporteat in praesentibus expressam fieri mentionem, & per quam hujusmodi gratia possit impediri vel differri. Contradictores &c. Datum Lugduni xv. Kal. Aprilis anno sexto.

Episcopo Cathalaunensi.

EXigentibus tuae devotionis meritis &c. *usque* exaudimus. Cum igitur, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, Capitulum Cathalaunense sint ad suspendendum contra te organa nimis prompti, nos tuis supplicationibus inclinati praesentium tibi auctoritate concedimus ut quotiescunque dicti Capitulum contra te sine manifesta & rationabili causa cessaverint à divinis, ad resumenda organa possis per censuram ecclesiasticam appellatione postposita coarctare, non obstante indulgentia, si qua eis quod excommunicari, suspendi, aut interdici per litteras apostolicas nequeant à sede apostolica sit concessa, praesentibus post triennium minimè valituris. Datum Lugduni VIII. Kal. Aprilis anno sexto.

Episcopo Tusculanensi apostolicae sedis Legato.

EX parte dilectae in Christo filiae nostrae nobilis mulieris Mellisent relictae quondam B. Principis Antiocheni natae clarae memoriae A. Regis & Y. Reginae Ierosolymitan. fuit nobis humiliter supplicatum ut cum ipsa C. nato F. quondam Imperatoris regni Ierosolymitani heredi inter caeteros ejus consanguineos quos in partibus illis habet proximiori consanguinitatis linea, sicut asserit, sit conjuncta, & tam de jure quàm de antiqua consuetudine regni ejusdem is qui proximior est heredi, eo absente, dominium & bajulatum ipsius regni debeat obtinere, induci eam per te in possessionem dictorum dominii & bajulatus inductam ac defendi, amoto quolibet detentore illicito, faceremus, mandamus quatenus inquisita super hoc & cognita diligentius veritate, si rem inveneris ita esse, id si de plano & absque scandalo fieri possit, auctoritate nostra sicut justum fuerit exequi non omittas, contradictores &c. Alioquin quod inde feceris vel fieri poterit nobis studeas tuis litteris fideliter intimare. Datum Lugduni VIIII. Kal. Aprilis anno sexto.

Episcopo & Decano & Capitulo Burgensi & successoribus eorumdem.

VItæ perennis gloria qua mira benignitas conditoris omnium beatam coronat aciem civium supernorum à redemptis pretio sanguinis fusi de pretioso corpore redemptoris meritorum debet acquiri virtute, inter quae illud esse pergrande dinoscitur quod ubique majestas altissimi, sed praecipuè in sanctorum Ecclesiis collaudetur. Us itaque in Burgensi Ecclesia in honorem gloriosae Mariae virginis dedicata studium laudis hujusmodi à Christi fidelibus frequentetur, eam ubertate apostolicae gratiae dignè volumus insignire, maximè cum ipsam inter alias Ecclesias Hispaniae famosam & nobilem sedes apostolica filiam habeat specialem, & assumptus de ipsa fuerit dilectus filius noster Ægidius sanctorum Cosmae & Damiani Diaconus Cardinalis, qui scientia & virtute conspicuus, ac solemni fama præclarus, puritate fidei & inconcussæ constantiæ firmitate sub longi decursu temporis Ecclesiæ Romanæ multipliciter extulit & extollit honorem ita quod ipsa propter hoc eum in Christo præ aliis brachio internæ caritatis amplectitur, & affectu promptissimo piis ejusdem votis annuere delectatur. Hinc est quod nos de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus verè poenitentibus & confessis qui peccatorum veniam à Domino humiliter petituri à festo natalis Domini usque ad octavas Epiphaniæ, & à dominica Palmarum usque ad octavas Paschæ, necnon à festo Ascensionis usque ad octavas Pentecostes, & etiam à festo sancti Johannis baptistæ usque ad octavas prædictorum Apostolorum, ac in festo omnium sanctorum, & in die dedicationis ipsius Burgensis Ecclesiæ & per ipsius octavas, ac in prædictæ gloriosæ virginis solemnitatibus universis, & usque ad octavas earum, ad eandem Ecclesiam accesserint annuatim, unum annum & quadraginta dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum Lugduni II. Kal. Aprilis anno sexto.

Archiepiscopis & Episcopis ad quos litteræ istae pervenerint.

CEdit ad Dei gloriam & honorem quod tales custodes in ipsius vinea præferantur qui sibi per vitæ meritum & aliis proficiant per exemplum. Sanè, sicut accepimus, venerabilis frater noster Lavoniæ ac Prusciæ Archiepiscopus apostolicæ sedis Legatus prudenter attendens laudabilem conversationem & scientiæ merita dilecti filii fratris Henrici ordinis Prædicatorum, qui unà cum eo pro negotio fidei & Ecclesiæ diligenter & fideliter laboravit, considerans quoque quòd terra Imwetoniæ per ipsius fratris industriam in spiritualibus & temporalibus auctore Domino laudabilia suscipere poterit incrementa, eundem fratrem prædictæ terræ, prout auctoritate litterarum nostrarum ad dictum Archiepiscopum spectabat, præfecit in Episcopum & pastorem. Cum autem idem Archiepiscopus extra suam provinciam sit ejectus, nec in aliena permittatur dictum fratrem in Episcopum consecrare, fuit ex parte prædicti fratris nobis humiliter supplicatum ut sibi faceremus munus consecrationis impendi. Quocirca fraternitatem vestram rogamus, monemus & hortamur attentè mandantes quatenus quicunque vestrum super hoc ab eodem Archiepiscopo per ipsius litteras fuerit requisitus, memorato fratri, convocatis aliquibus de vicinis Episcopis, munus consecrationis impendat. Datum Lugduni III. Idus Aprilis anno sexto.

De hoc Henrico, quamvis eum non nominet, ita scribit Bernardus Guidonis in historia ordinis fratrum Prædicatorum Ms.

Hoc in loco scribendum conveniens & utile æstimavi quod scriptum a fratre Stephano alibi reperi, rem quidem admiratione dignam, sed prudentibus ædificatione non vacuam, ut divina judicia timeantur, de Episcopo Culmensi, qui cum esset frater Vicecomitis Montisbeliardi, quod est castrum in diocesi Bisuntina in finibus Teutoniæ ac Burgundiæ, & studeret Bononiæ adhuc in habitu sæculari, electus fuit in Episcopum Culmensem; quem renuens, ordinem istum intravit, in quo laudabiliter circa decennium commoratus, electus est in eadem Ecclesia iteratò. Videbatur fieri res a Domino; & quasi invitus recepit de consilio bonorum virorum. Promotus igitur in Episcopum, mox dedit se rebus bellicis, & frequenter armans se ac cum armis incedens, videnfque sub armis deturpari habitum, se autem magis,

habi-

habitum deseruit, & ordo ipsum rarissimè celebrabat. Vix aut nunquam agebat aliqua quæ pastorale officium requirebat. Cumque diutius vellus sine merito excussisset, præoccupatus morte, nec de domo sua disposuit, nec confessionem fecit, nec aliqua sacramenta ecclesiastica recepit.

Decano & Capitulo Cameracensi.

VAcante olim Cameracensi Ecclesia, & ipsius Canonicis die ad eligendum præfixa in unum convenientibus, nonnulli ex eis in venerabilem fratrem nostrum Nicolaum de Fontanis Cameracensem Episcopum tunc ipsorum Canonicum præmisso scrutinio consentientes, ipsum in praesulem elegerunt, deportationis solemnitate insuper subsecuta, sed considerato postmodum quòd hujusmodi electio à majori & saniori parte omnium non extiterit celebrata, mox cum electo ipso ad Capitulum sunt reversi, cùmque dictus electus electioni renuntiasset eidem, & in diem sequentem fuisset eligendi terminus prorogatus, Canonicis ad eligendum in eodem termino congregatis, quidam ex ipsis pro se ac sibi adhærentibus, asserentes quòd eùm praemissa electio contra formam generalis Concilii praesumpta fuisset, illi qui ad eam processerant erant eligendi ea vice potestate privandi, ne ad eligendum procederent, sedem apostolicam appellarunt. Eis ergo de Capitulo recedentibus nec redire curantibus, quamquam super hoc requisiti à caeteris pluries extitissent, demum ii qui in Capitulo ipso remanserant eundem Episcopum concorditer elegerunt. Cujus electio cum fuisset dilecto filio nostro P. sancti Georgii ad velum aureum Diacono Cardinali tam in partibus Alamaniae fungenti legationis officio praesentata, iidem qui prius appellaverant in ejus comparentes praesentia, ex praemissa causa, & quia, sicut asserebant, post appellationem eorum canonicam ipsa electio attentata fuerat, ne confirmaret eandem ad nos duxerunt denuo appellandum, adicientes quòd patiebatur idem Episcopus in litteratura defectum. Sed praedictus Cardinalis, praesente venerabili fratre nostro Remensi Archiepiscopo loci Metropolitano, & personam electi & electionis processum diligenter examinans, comperto quod electus ipse litteraturae sufficientis existeret, cognito etiam quod appellatio quae prius interposita fuerat impedire nequivit quin ii qui remanserant in Capitulo canonicè sibi possent personam idoneam eligere in pastorem, electionem ipsam confirmare curavit. Accedentibus itaque ad praefatam sedem iis qui electionem impugnabant eandem, & ipsam ex praemissis causis, & quia, ut dicebant, die quae ad eligendum statuta non fuerat extiterat celebrata, cassari petentibus, nos eos super hoc exigente justitia non duximus audiendos. Denique obiiciente uno ipsorum quaedam in personam electi, & eodem electo propter hoc coram nobis personaliter comparente, ac lite super iis legitimè contestata, praestitoque de dicenda veritate à partibus juramento, & factis positionibus & responsionibus ab eisdem testibus productis & attestationibus publicatis, ac auditis partis allegationibus utrinque, tandem partes eaedem nostro se arbitrio totaliter submiserunt. Nos autem considerato quod memoratus Episcopus, sicut ex relatione nobis ipsius constitit Cardinalis, qui examinavit eundem, litteraturae sufficientis existit, consideratam etiam quod de objectis sibi nihil fuerat omnino probatum, pensato insuper quod idem honestate vitae, morum sanctitate fulgore dinoscitur, quae circa ipsum in praemissis canonicè acta fuerunt auctoritate apostolica approbantes, & supplentes de plenitudine potestatis defectum, si forsan aliquis in his fuerit, eundem Cameracensi Ecclesiae de fratrum nostrorum consilio in Episcopum praefecimus & pastorem, cui postea sacerdotii ordinem conferri fecimus, & nos ipsi consecrationis munus duximus impendendum, mandamus quatenus eundem Episcopum tamquam patrem & pastorem animarum vestrarum devotè suscipientes, obedientiam sibi & reverentiam debitam impendatis, monitis & mandatis ejus salubribus humiliter intendendo. Alioquin sententiam quam idem rite &c. Datum Lugduni v. Idus Aprilis anno sexto.

Episcopo Cameracensi.

INter Canonicos crucesignatos ex parte una & quosdam Canonicos non crucesignatos Leodiensis Ecclesiae ex altera, super eo quod dicti crucesignati petebant sibi ministrari sine diminutione aliqua proventus praebendarum suarum ipsius Ecclesiae, prout ex indulgentia ratione crucis assumptae ipsis concessa sibi competere asserebant, orta materia quaestionis, tandem eisdem partibus ad nostram praesentiam evocatis, & quibusdam ipsorum crucesignatorum personaliter, quibusdam vero per procuratorem, ac etiam quibusdam ipsorum non crucesignatorum personaliter, & quibusdam per procuratores suos propter hoc apud sedem apostolicam constitutis, nos sopiendam quaestionem hujusmodi dilecto filio nostro P. sancti Georgii ad velum aureum Diacono Cardinali duximus committendam. Idem vero Cardinalis, deliberatione habita diligenti super iis, inter eos de speciali mandato nostro taliter ordinavit ut Johannes de Appia & Gerardus de Peis Archidiaconi, magister L. Scholasticus, G. Cantor, Praepositus Lovaniensis, Custos sancti Dionysii, magister Gerardus de Behaing, Johannes de Gothegm, & Symon dictus Dagoros Canonici ejusdem Ecclesiae tempore voti emissi commorantes Leodii & in dicta Ecclesia residentes, qui vota sua coram Aquis sunt personaliter executi, percipiant ex nunc per triennium proventus praebendarum suarum ipsius Ecclesiae, ubicunque fuerint, integrè, sive in blando, pane, vino, denariis, aut obventionibus quibuscunque consistant, ea parte distributionum duntaxat excepta quae consistit in denariis qui Canonicis deservientibus in horis canonicis & anniversariis exhibentur. Sanè Canonici foranei & alii residentes qui tempore voti emissi Leodii minimè morabantur, quique vota sua coram Aquis sunt personaliter executi, videlicet Coloniensis, Aquensis, & Remensis Praepositi, Hermannus de Salmis, Anselmus de Barbenchero, Johannes de Beantem, Jacobus de Jacta, & Henricus de Alois, qui Hugonem Militem patrem suum de consensu Cardinalis ejusdem tunc in illis partibus legationis officium exercentis substituisse dicitur loco sui, proventus praebendae grossae per idem tempus, ubicunque fuerit, simili modo percipiant & eisdem proventibus sint contenti, concessa tam residentibus quam forancis Canonicis antedictis fructus hujusmodi per idem tempus vendendi, obligandi, assignandi, vel alio modo disponendi de illis, prout expedire viderint, libera facultate, quod si contigerit eosdem Canonicos servire in praefata Ecclesia vel etiam residere, proventus praebendarum suarum praenominatae Ecclesiae ipsis sicut aliis in ea servientibus & residentibus integrè debeant ministrari; idque dictus Cardinalis extendi ordinavit ad supradictos Canonicos qui ante voti emissionem in praenominata Ecclesia fecerant residentiam consuetam. Illi namque qui dictam residentiam in eadem Ecclesia non fecerunt, ex indulgentia crucis assumptae concessa quantum ad beneficiorum proventus nihil amplius consequantur quàm quod tempus illud quo fuerunt in expeditione Aquensi eis pro residentia illius anni poterit, si voluerint, computari, praeter Arnulfum dictum Digant Canonicum Ecclesiae antedictae, qui licèt consuetam residentiam non compleverit in eadem, poterit tamen per idem tempus se, si voluerit, absentare, non obstante contraria consuetudine vel statuto seu juramento quod de facienda inibi residentia dicitur praestitisse, nihil in absentia interim percepturus, illis Canonicis crucesignatorum eorumdem qui de beneficio crucis assumptae confisi se absentaverunt ab Ecclesia saepedicta poenam nullam exinde incursuris. Ideoque mandamus quatenus ordinationem hujusmodi facias per cen-

censuram ecclesiasticam appellatione remota firmiter observari, relaxans auctoritate nostra sententias, si quae in illos qui ordinationi eidem paruerint occasione saepefatae indulgentiae sunt prolatae, ac dispensans cum eis super irregularitate, si quam ex hoc forsitan incurrerunt, & faciens ea omnia quae de bonis ipsius Ecclesiae hac de causa occupata sunt vel detenta integrè restitui Ecclesiae memoratae, contradictores &c. Nolumus autem quod haec ordinatio contra privilegia & consuetudines Ecclesiae praedictae ad consequentiam de caetero protrahatur, contraria consuetudine vel statuto vallata juramento seu firmitate alia non obstante. Datum Lugduni v. Idus Aprilis anno sexto.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

FLos pretiosior cunctis operibus, flos immarcessibilis, flos aeternus cujus pulchritudinem sol & luna mirantur, cujus odore foventur angeli, cujus virtute reficitur religio populi Christiani, videlicet Dei filius Dominus Jesus Christus de virga venustissima & omnium virtutum floribus insignita, scilicet de gloriosa Maria virgine ineffabili sancti spiritus operatione processit. Cujus etenim floris amoenitas auri splendorem & balsami fragantiam superantis per rosam designatur auream quae annis singulis in dominica quadragesimae, qua *Laetare Jerusalem* cantitur, ad honorem divini nominis à Romano Pontifice viventis Dei vicario deportatur, exultante turba fidelium, in rosa hujus Regis aeterni gloriam, qui suo roseo redemit nos sanguine, contemplari. Sanè clarae memoriae Raymundus Comes Provinciae sedem apostolicam, quam semper sincero fuit veneratus affectu, nobis Lugduni manentibus, personaliter visitavit, cui rosam auream in praedicta dominica juxta morem Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum delatam à nobis pro suae devotionis & fidei purae meritis in signum dedimus benivolentiae specialis. Cum autem idem Comes rosam eandem Aquensi Ecclesiae obtulerit reverenter, & tandem de hac luce sublatus fuerit, sepultus ibidem, universitatem vestram rogamus & hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum injungentes quatenus ad jam dictam Ecclesiam in humilitate spiritus accedatis vestrorum veniam delictorum & pro anima ipsius Comitis divinae misericordiae gratiam petituri. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus verè poenitentibus & confessis qui ad eandem Ecclesiam in dominica ipsa causa devotionis & orationis accesserint annuatim unum annum & quadraginta dies de injuncta sibi poenitentia misericorditer relaxamus. Datum Lugduni iv. Idus Aprilis anno sexto.

Officiali Lemovicensi.

SUa nobis dilecti filii Prior & tres visitatores generales domus Grandimontensis petitione monstrarunt quod cum Abbas Ursicampi & collegae ipsius generales visitatores domus & ordinis Grandimontensis à sede apostolica deputati duxerint statuendum ut praedicti Prior & tres visitatores annis singulis jurent tactis sacrosanctis evangeliis quod novem clericos ipsius ordinis eligant meliores, qui unà cum praedictus Priore ac visitatoribus super causis emergentibus in ipso ordine audiant, diffiniant, & judicent singulis annis in capitulo generali, quia periculosum est praestare hujusmodi juramentum, mandamus quatenus ad generale capitulum ipsius ordinis accedens, si de ipsius capituli vel majoris partis consensu processerit, auctoritate nostra relaxes hujusmodi juramentum, statuto praedictorum visitatorum quoad alios articulos nihilominus in suo robore duraturo, proviso attentius ut si ex hoc videris in eodem ordine scandalum exoriri, ad ipsius juramenti relaxationem aliquatenus non procedas. Datum Lugduni vi. Kal. Aprilis anno sexto.

Episcopo Naulensi ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum.

IN sacra Petri sede, cujus sumus, licèt immeriti, successores, plenitudine potestatis assumpta, tunc ea laudabiliter utimur cum inspectis diligenter circumstantiis variis personarum & rerum, locorum & temporum, emergentibus necessitatum articulis utiliter providemus. Eapropter, venerabilis in Christo frater Episcope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam sancti Paragorii Naulensem, quam, cum dudum plebes existeret Ecclesiae Saonensi subjecta, bonae memoriae Penestrinensis Episcopus tunc apostolicae sedis Legatus de speciali mandato & auctoritate felicis recordationis Gregorii Papae praedecessoris nostri in Ecclesiam cathedralem erexit, concessa sibi pontificii dignitate, cum capellis & omnibus aliis pertinentiis suis sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & praesentis scripti privilegio communimus, statuentes ut dicta sancti Paragorii Naulensis Ecclesia, quam cathedralem esse decernimus, Januensi Ecclesiae tanquam suae metropoli sit subjecta. Et ut gratia sedis ejusdem gaudeat ampliori, eam & terram Naulensem, quam uti ulterius volumus episcopalis vocabulo civitatis, necnon monasterium sancti Eugenii de insula Liguriae, in quo te ac successores tuos fungi volumus officio, non solùm Episcopi, sed & patris Abbatis, & quod cum capellis, juribus aliisque suis pertinentiis mensae tui episcopatus de gratia concessimus speciali, eximimus perpetuò ab omni jurisdictione ac subjectione dictae Saonensis Ecclesiae vel cujuslibet alterius de concessae nobis plenitudine potestatis, ita quod nullo unquam tempore nomine ipsius Saonensis Ecclesiae vel alterius quàm Naulensis quicquam in eis pro spiritualibus vel temporalibus penitus requiratur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat Naulensem Ecclesiam & monasterium supradicta temerè perturbare &c. *usque* conserventur, ipsius pro cujus gubernatione &c. *usque* profutura, salva sedis apostolicae auctoritate. Si qua igitur in futurum &c. *usque* ultioni. Cunctis autem &c. *usque* inveniant. Amen. Ego Innocentius catholicae Ecclesiae Episcopus subscripsi. Ego Petrus Albanensis Episcopus subscripsi. Ego Willelmus Sabinensis Episcopus subscripsi. Ego Petrus tituli sancti Marcelli Presbyter Cardinalis subscripsi. Ego frater Johannes tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis subscripsi. Ego frater Hugo tituli sanctae Sabinae Presbyter Cardinalis subscripsi.. Ego Petrus sancti Georgii ad velum aureum Diaconus Cardinalis subscripsi. Ego Johannes sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis subscripsi. Ego Willelmus sancti Eustachii Diaconus Cardinalis subscripsi. Datum Lugduni per manum magistri Marini sanctae Romanae Ecclesiae Vicecancellarii xii. Kal. Maii, indictione vii. incarnationis dominicae anno MCCXLVIII. pontificatus vero Domini Innocentii Papae iv. anno sexto.

Archiepiscopo Coloniensi.

PRo dilecto filio Gebehardo Capellano nostro fratre nobilium virorum C. & H. Comitum de Friburch, ut es vice nostra de aliquo episcopatu totius Alamanniae, quam cito ad id se facultas obtulerit, providere debeas, tibi direximus scripta nostra. Verum ne gratia nostra sibi aliquo casu reddatur inefficax vel ingrata, si idem G. episcopatum illum noluerit acceptare quem sibi, cum ad id facultas occurrerit, duxeris offerendum, nolumus quod propter hoc collata tibi auctoritate litterarum nostrarum potestas quo minus ei de alio, cum se facultas obtulerit, providere debeas evanescat. Datum Lugduni Idibus Aprilis anno sexto.

Epi-

Episcopo Misnensi.

PAternae benedictionis auctoritas devotum filium erigit in sublime, ac ejus contrarium erectum subito crudeliter eradicat. Unde Joseph accrescens filius nuncupatur, & Chanaan cum sua progenie subicitur servituti. Absalon quoque in quercu suspenditur, & Salomon paterni culminis recipit diadema. Haec & quod in sacra pagina legitur, *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longaevus super terram*, si nobilis vir natus carissimi in Christo filii nostri illustris Regis Boemiae prout convenit diligenter attenderet, ipsum Regem patrem suum tanquam filius benedictionis paternam hereditatem cupiens honoraret & ab ejus offensa penitus abstineret. Sed idem quorundam Baronum regni Boemiae, qui bona pacis oderunt & in malis discordiarum exultant, ductus iniquis persuasionibus & seductus, unà cum ipsis, sicut accepimus, crudeliter praedictum Regem persequitur & hostili persecutione impugnat in detrimentum personae ac status ipsius regni cum Corrado nato Fr. quondam Imperatoris, Duce Bawariae, & aliis Ecclesiae persecutoribus foedus amicitiae ac societatis damnabiliter iniendo; in quibus omnibus Episcopi Pragensis & quarundam aliarum personarum ecclesiasticarum ejusdem regni dicitur esse manus. Ne igitur tantum malum, si ei obviatum non fuerit, invalescat, mandamus quatenus natum & Barones eosdem ut ab iniquitate hujusmodi penitus desistentes ad devotionem praefati Regis, à qua sine nota infamiae ac animarum periculis non possunt recedere, redeuntes, ei, ut tenentur, intendant attentius moneas & inducas. Quod si monitis tuis acquiescere non curaverint, ipsos & omnes eis in hac iniquitate fautores auctoritate nostra, sublato appellationis impedimento, excommunices, & terras eorum subicias districtissimo interdicto, ita quod praeter baptismata parvulorum & poenitentias morientium nullum in eis celebretur divinum officium, aut exhibeatur ecclesiasticum sacramentum, faciens hujusmodi excommunicationis & interdicti sententias singulis diebus dominicis & festivis, pulsatis campanis, & candelis accensis, per loca in quibus expedire videris solemniter publicari, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis. Eundem verò Episcopum, quia excommunicatus à dilecto filio fratre Gotrimundo de ordine Praedicatorum poenitentiario nostro ad partes illas destinato à nobis, nostra exigente justitia, divina officia, sicut dicitur, celebrare immo, quantum in eo est, veriùs prophanere praesumpsit, & contra ipsum Regem unà cum ejus filio conspirare, eadem auctoritate nostra praefigas ei terminum peremptorium competentem quo personaliter nostro se conspectui repraesentet pro meritis recepturus. Cum autem, sicut nostris est auribus intimatum, nonnulli Praepositi, Decani, Canonici, & Rectores ac alii Canonici Ecclesiarum regni praedicti, fovendo & adhaerendo supradictis nato Regis & Baronibus persecutoribus Ecclesiae contra eam, beneficiis ecclesiasticis reddiderint se indignos, & dignum sit ut indevoti ex indevotione jacturam & devoti ex devotione commodum assequantur, volumus & mandamus ut Praepositos, Decanos, & alios antedictos, si tibi eos constiterit tales esse, personatibus & dignitatibus ac beneficiis quae ab Ecclesiis obtinent eadem auctoritate perpetuo privans, facias ea conferri per illos ad quos ipsorum collatio pertinet, si tamen sunt devoti Ecclesiae Romanae, alioquin tu illa conferas hac vice personis idoneis & Ecclesiae praedictae devotis, contradictores &c. Datum Lugduni x. Kal. Maii anno sexto.

Archiepiscopo Coloniensi.

IN tantum erga illos exuberat apostolicae gratiae plenitudo qui eidem per fidem approbatam operibus se idoneos reddiderunt ut eam & suis proficere commodis sentire valeant, & ad cohaerentes sibi naturali necessitudine derivare. Sanè revolventes in animo devotionis & fidei puritatem qua dilecti filii nobiles viri C. & H. fratres Comites de Friburch eorumque progenitores sedi apostolicae placuerunt & recolendam memoriam C. Portuensis Episcopi patrui eorundem, dilectum filium Gebehardum Capellanum nostrum ipsorum germanum speciali gratiae nostrae privilegio decrevimus honorandum, mandamus quatenus eidem G. de aliquo episcopatu totius Alamaniae quàm cito se ad id facultas obtulerit provideas vice nostra, & ab illius Ecclesiae subditis cui eum praefeceris facias sibi obedientiam & reverentiam debitam exhiberi, contradictores &c. non obstante aliqua sedis apostolicae indulgentia concessa quibuslibet vel in posterum concedenda per quam possit mandati nostri executio impediri, vel constitutione de duabus dietis &c. Datum Lugduni Idibus Aprilis anno sexto.

Episcopo Signino.

INdignum videtur & absonum &c. *usque* providere. Hinc est quod pro dilecto filio Petro scholare de Ferentino nepote Raynaldi Berardi cupiente, ut asserit, ascribi militiae clericali, mandamus quatenus ipsum in aliqua Ecclesiarum provinciae Beneventanae auctoritate nostra recipi facias in Canonicum & in fratrem, ac sibi de praebendali vel alio ecclesiastico beneficio competenti, etiam si curam animarum habeat, quàm cito se facultas obtulerit provideri, contradictores &c. non obstante si in Ecclesia in qua sibi providendum duxeris certus sit Canonicorum numerus institutus, juramento seu quacunque firmitate aliàs roboratus, vel si pro aliis in ea direximus scripta nostra, quibus &c. *usque* generari, seu si eidem Ecclesiae sit indultum quod ad receptionem vel provisionem alicujus minimè teneatur, vel quod ejus Canonici per litteras apostolicas suspendi vel interdici aut excommunicari non possint, sine qualibet alia per quam hujusmodi gratia impediri valeat vel differri, & de qua in nostris litteris specialem oporteat fieri mentionem. Datum Lugduni x. Kal. Maii anno sexto.

Abbati Cisterciensi & Coabbatibus ejus Cisterciensis ordinis.

PEtitio vestra nobis exhibita continebat quod cum correctio excessuum tam monachorum quàm monialium vestri ordinis ad patres Abbates secundum statuta dicti ordinis confirmata per sedem apostolicam pertinere noscatur, & in generali Capitulo Cisterciensi deliberatione provida sit statutum ut moniales incorporatae ipsi ordini nulli alii confiteantur nisi patri Abbati solummodo vel cui dictus Abbas in hoc commiserit vices suas, nonnulli religiosi & etiam saeculares non absque praesumptione damnabili falcem in alienam messem mittentes praedictarum monialium confessiones audire ac ipsas de facto absolvere non verentur. Propter quod correctio vestra contemnitur, ipsaeque moniales regularem effugiunt disciplinam in salutis animarum suarum dispendium & praefati ordinis injuriam & contemptum. Quare fuit ex parte vestra nobis humiliter supplicatum ut super hoc congruum adhibere remedium dignaremur. Nos igitur statuta vestri ordinis cupientes illibata servari & animarum profectui providere, ne id de caetero fiat absque speciali mandato dictae sedis faciente plenam de statutis confirmatione ac inhibitione hujusmodi mentionem auctoritate praesentium districtius inhibemus. Nulli ergo &c. nostrae inhibitionis &c. Datum Lugduni v. Kal. Maii anno sexto.

Archidiacono & Capitulo Spoletanensi.

ECclesia vestra pastoris solatio destituta, vos fratrem Johannem de ordine fratrum Praedicatorum Scardonensem electum in vestrum Archiepiscopum postulantes dilectum filium Desim Concanonicum vestrum & Dragum civem Spalatensem ad sedem apostolicam destinastis, injuncto eis ut si postulationem hujusmodi à nobis contingeret non admitti, ab eadem sede de pastore ipsi Ecclesiae peterent provideri. Nos igitur, postulatione non admissa praedicta, cupientes eidem Ecclesiae, utpote idoneo praesule indigenti, de tali providere persona quae tanto congrueret oneri vel honori, & attendentes quòd dilectus filius magister Rog. Capellanus dilecti filii nostri J. tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyteri Cardinalis Canonici Zagabriensis, quem de dono scientiae ac honestate morum & conversatione laudabili experta familiaritas & familiaris experientia reddunt multipliciter commendatum & nobis & fratribus nostris non indignè acceptum, erat utilis & sufficiens ad regimen Ecclesiae memoratae, ipsum ei de fratrum nostrorum consilio praefecimus in Archiepiscopum & pastorem, spe nobis proposita quòd auctore illo qui dans virtutes, praemia largitur, per diligentiae suae studium dicta Ecclesia grata in spiritualibus & temporalibus suscipiet incrementa. Cùm autem apud ipsam sedem usque ad consecrationis tempus retineamus eundem, impensuri tunc ei consecrationis munus, & ad praedictam Ecclesiam cum plenitudine nostrae gratiae remissuri, universitatem vestram monemus & hortamur attentè mandantes quatenus eidem electo tanquam patri & pastori animarum vestrarum plenè ac humiliter intendatis & exhibeatis obedientiam & reverentiam debitam & devotam, ejus salubria monita & mandata suscipiendo devotè ac irrefragabiliter observando, interim procuratoribus suis ejus nomine de redditibus, proventibus, & juribus episcopalibus plenariè respondentes. Alioquin sententiam quam idem rite &c. Datum Lugduni II. Kal. Maii anno sexto.

Electo Leodiensi.

DIlectus filius W. Abbas monasterii sancti Trudonis ordinis sancti Benedicti tuae dioecesis in nostra proposuit praesentia constitutus quòd idem olim Plebanus Aquensis & carissimi in Christo filii nostri.. Regis Romanorum illustris Capellanus existens inductus multorum religiosorum exhortationibus sedulis in eodem monasterio habitum monachalem assumpsit, & infra octo dies, professione ab ipso ibidem praehabita, monachi ejusdem monasterii tunc Abbatis regimine destituti, credentes per ipsius providentiam & suorum amicorum potentiam monasterium ipsum, cujus bona per praedecessorum suorum incuriam sunt graviter diminuta, posse in spiritualibus & temporalibus grata suscipere incrementa, eundem in Abbatem ipsius monasterii concorditer elegerunt; cui postmodum venerabilis frater noster Arnuldus de ordine Cisterciensi quondam Episcopus Senigalliae de tua speciali licentia & mandato munus benedictionis impendit. Unde cum ex hujusmodi promotione in conscientia sua sit scrupulus dubitationis exortus, nobis humiliter supplicavit ut super hoc ei providere salubri remedio de solita sedis apostolicae clementia curaremus. Nos igitur praefati Regis apud nos intercedentis pro ipso precibus inclinati mandamus quatenus super hoc auctoritate nostra dispensativè agas cum ipso prout tua circumspectio animae suae saluti & utilitati Ecclesiae viderit expedire. Datum Lugduni IIII. Non. Maii anno sexto.

Archiepiscopo Coloniensi apostolicae sedis Legato.

ILlius, licèt immeriti, vicarii constituti qui pro salute humani generis de supernis caelorum ad ima mundi descendens, discipulos quos elegit in universum mundum transmisit omni creaturae evangelium praedicare, nonnunquam viros providos & discretos, cùm nequeamus locis singulis corporali praesentia imminere, instructi ejus exemplo, in partem sollicitudinis evocamus, pro negotiorum urgentium qualitate, qui prava in directa & aspera convertentes in plana rectas faciant semitas Dei nostri, populumque acceptabilem sibi reddant. Sanè inter caetera desiderabilia cordis nostri animarum salutem libertatis ecclesiasticae incrementum, & pacem cunctis Christi fidelibus potissimè cupientes, sedula vigilamus solertia & quod possumus diligentiae studium adhibemus ut possimus laudabiliter, submotis impedimentis quibuslibet, juxta nostri desiderii plenitudinem auctore Domino pervenire, ac eo ardentius ut in Alamaniae partibus animabus profectus adveniat, libertas Ecclesiae vigeat, & pacis servetur tranquillitas affectamus, quo ferventius bonum statum partium appetimus earundem. Ut igitur ipsae partes eo magis in Dei & Ecclesiae devotione proficiant quo se specialius per Legati apostolicae sedis praesentiam senserint confoveri, ecce tibi, de cujus probitate & industria plenam in Domino fiduciam obtinemus, in praedictis partibus, ut evellas & destruas, dissipes & disperdas, aedifices & plantes, sicut expedire videris, plenae legationis officium duximus committendum. Quocirca mandamus quatenus legationem ipsam sic studeas juxta datam tibi à Domino gratiam laudabiliter exercere quòd exinde apud Deum meritum & apud homines tibi compares nomen bonum, nosque diligentiam tuam dignis in Domino laudibus commendemus. Datum Lugduni II. Idus Martii anno sexto.

Archiepiscopo Burdegalensi.

EX parte dilecti filii Prioris & conventus monasterii Silvae majoris ordinis sancti Benedicti tuae dioecesis fuit propositum coram nobis quòd dilectus filius B. ejusdem monasterii Abbas olim proponens quòd tanta debilitate ac infirmitate corporis gravabatur quod ad regimen ipsius monasterii penè penitùs inutilis erat effectus, propter quod idem monasterium patiebatur in spiritualibus laesionem, sibi dari obtinuit nostris litteris in mandatis ut cessionem ejus reciperes vice nostra & sibi in futuri Abbatis obedientia moraturo de bonis dicti monasterii pro sua sustentatione quoad viveret faceres provisionem congruam assignari; sed ipse, quia provisionem nequit juxta suum desiderium obtinere, licèt decens & honorabilis offeratur eidem, mutata in contrarium voluntate, quamquam solita debilitate ac infirmitate laboret, cedere praetermittit in ipsius monasterii praejudicium non modicum & gravamen, mandamus quatenus, si est ita, Abbatem eundem ut ipsius regimini monasterii cedere non omittat, monitione praemissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, faciens ei provisionem congruam assignari juxta priorum continentiam litterarum. Datum Lugduni III. Nonas Maii anno sexto.

Patriarchae Constantinopolitano apostolicae sedis Legato.

INdubitata nobis anteactae vitae tua testimonia quid de subsequenti videri debeat protestantur & certissimam nobis exhibent confidentiam quo tuae industriae ampliorem committimus nostrae sollicitudinis portionem, ut fidei tuae probata constantia, quo sibi majora creduntur, eo irrefragabilioribus eluceat argumentis. Hinc est quod personam tuam speciali honorificentia tuis exigentibus meritis prosequentes, tibi plenum legationis officium in imperio Constantinopolitano, etiam in exercitu Christiano pro subsidio ejusdem imperii ubicunque in eodem imperio fuerit, duximus committendum. Rogamus itaque fraternitatem tuam & hortamur in Domino Jesu Christo, mandantes quatenus officium ipsum juxta illam quam de tua gerimus circumspectione fiduciam secundùm Deum lau-

laudabiliter studeas exercere, ita tamen quod si ad partes illas Legatum de latere nostro destinari contigerit, executionem ipsius officii, quandiu Legatus ipse ibi fuerit, pro sedis apostolice reverentia omnino dimittas, eam in omnibus cautelam & diligentiam ad redemptoris gloriam habiturus quod sicut dignitatis officio crevisse dinosceris, sic piae vitae studiis ad aeternae claritatis proficiens praemia, insignioribus interim ad profectum aliorum famae titulis decoreris. Datum Lugduni v. Kal. Junii anno sexto.

Archidiacono Constantinopolitano, officialibus & vicariis venerabilis fratris nostri Patriarchae Constantinopolitani.

VEnerabilis frater noster N. Patriarcha Constantinopolitanus apostolicae sedis Legatus pro utilitate universalis Ecclesiae ac imperii Constantinopolitani de mandato nostro apud sedem apostolicam moram trahens, non solùm ordinaria potestate, verum etiam auctoritate legationis, quam ex indulgentia sedis apostolicae noscitur obtinere, & qua ipsum, etiam in absentia, de speciali gratia uti concessimus in hac parte, vos in partibus Constantinopolitanis officiales & vicarios suos constituit generales. Quocirca mandamus quatenus officium & vices vobis commissas tam ejusdem Patriarchae auctoritate quàm nostra intrepidè prosequi studeatis. Nos enim universis clericis regionis illius tam exemptis quàm non exemptis scripta nostra dirigimus ut vobis humiliter obediant & intendant, non obstantibus aliquibus sedis ejusdem privilegiis vel indulgentiis quibuscunque personis aut Ecclesiis ab eadem sede concessis vel consuetudinibus introductis, per qua vestrum posset officium impediri. Alioquin sententiam quam vos rite &c. *usque* observari. Datum Lugduni III. Idus Junii anno sexto.

Episcopo Caesaraugustanensi.

CUm decorem domus Domini teneamur diligere cum Propheta, ea quae honestatis vigorem ac decorem deformant & probantur sacris canonibus obviare debemus ab ea prorsus avellere ac falce apostolici moderaminis resecare. Sanè fraternitas tua nobis exposuit quod tempore felicis recordationis Eugenii Papae praedecessoris nostri orta in Ecclesia Caesaraugustanensi inter saeculares qui tunc erant in ea & regulares ordinis sancti Augustini, quos bonae memoriae B. Caesaraugustanensis Episcopus invitis saecularibus ibidem instituerat Canonicos, materia quaestionis, & de utriusque partis assensu, ipso praedecessore mandante, per quosdam tunc temporis Cardinales statuto edicto de substituendis solis regularibus de caetero decedentibus regularibus sive saecularibus, in eorum locis, officiis, beneficiis, & dignitatibus in Ecclesia memorata, idem Episcopus secundum statutum hujusmodi quosdam regulares Canonicos ejusdem ordinis instituit in eadem, sed Canonici nunc existentes ibidem, volentes censeri solo nomine regulares, se asserunt non professos nec vidisse aliquem in ipsa Ecclesia profitentem, dicentes se tenere juxta quandam ejusdem Ecclesiae consuetudinem quasdam regulares observantias, per quas ad abdicationem proprii non tenentur. Et licèt olim venerabilis frater noster Archiepiscopus Tarraconensis quod tales erant praefati Canonici nobis exponens sibi & bonae memoriae Episcopo Caesaraugustanensi praedecessori tuo à nobis dari obtinuerit in mandatis ut cedentibus vel decedentibus Canonicis Ecclesiae supradictae, alios ibidem inducerent saeculares, in nullo tamen super hoc per easdem litteras habitus est processus. De tua igitur circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus quatenus ad Ecclesiae praefatae reformationem diligenter intendens, eam de personis litteratis & idoneis in ordine ipso, si fieri poterit, studeas reformare, alioquin ipsius Ecclesiae Canonicos in aliis locis dicti ordinis, si commodè poterit fieri, collocare procures, aut ipsos tolerans in Ecclesia saepedicta, instituas in ea Canonicos saeculares secundum numerum olim in eadem Ecclesia institutum, ac eis qui nunc sunt cedentibus vel decedentibus, substituas ibidem auctoritate nostra Canonicos saeculares idoneos & honestos, contradictores &c. Datum Lugduni II. Idus Junii anno sexto.

Electo Giennensi & magistro Manfrido Capellano nostro.

EXultationis multae materiam in eo virtutum dominus Ecclesiae suae sanctae dedisse conspicitur quod carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Castellae ac Legionis sibi devotum constituit & attentum, ad illa sollicitè per quae honoris augmentum eidem valeat provenire, gaudentibus hinc inde, & praecipuè in partibus Hispaniae, fidelium populis quod idem Rex inter mundi Principes nominis claritate praefulgidus civitates famosas & loca munitissima olim damnatae gentis & spurcidae dominio subjugata cultui divino subjecerit brachio potentiae triumphalis. De hujusmodi quidem ipsius Ecclesiae jocunditate procedit quod habetur in ejus voto promptissimum ut quae dignè dicto Regi sunt placita compleat affectu benivolo & ipsum ac suos magnifico semper prosequatur honore, ita quod idem se ab ipsa Ecclesia inter caros reputari carissimum per evidentiam operis agnoscere delectetur, & etiam id ipsum orbis terrae latitudo percipiat, ac exinde sua posteritas circa sedem apostolicam materiam laudis & devotionis assumat. Ut autem quod ex praesentibus verbis innuitur per facti testimonium solemniter approbetur, ecce audito voto Regis ejusdem quod ipsa circa promotionem dilecti filii Johannis nati sui Abbatis Vallis Oleti nobis non expressit per litteras, sed per nuntium specialem, fratrum nostrorum communicato consilio providendum duximus quod jamdicto Abbati, licèt defectum patiatur aetatis, & non sit in sacris ordinibus constitutus, procuratio Hispalensis Ecclesiae in spiritualibus & temporalibus de speciali gratia sedis apostolicae committatur. Ex hoc enim grandis & secura fiducia consurgit in nobis quod eadem Ecclesia prae aliis per affluentem gratiam dicti Regis ac ipsius Abbatis diligentiam & virtutem reddi honore conspicua & constitui divitiis debeat opulenta. Nos itaque de vestra circumspectione confisi mandamus quatenus praefato Abbati auctoritate nostra procurationem hujusmodi committatis, saepedictum Regem secundum datam vobis à Deo prudentiam piis monitis inducentes quod memoratam Ecclesiam dotibus insignem constituat & diversitate beneficiorum attollat, ut praedictus Johannes & successores ipsius ac ministri qui divinis in ipsa laudibus futuris temporibus desudabunt vitam ibi ducant honorabilem & spiritualibus gaudiis redundantem; ita quod sicut nomen saepedicti Regis celebre occurrit in gentibus pro triumpho mirabili quem supernae virtutis auxilium de acquisitione Hispalis noscitur habuisse, sic etiam sit in conspectu Dei & hominum gloriosum si eadem Ecclesia per suae magnificentiae largitatem ubertate desiderata praepolleat & sub protectionis regiae felici munimine jocunda consistat. Datum Lugduni VIII. Kal. Junii anno sexto.

Illustri Regi Castellae.

EXultationis multae materiam in eo virtutum dominus Ecclesiae suae sanctae dedisse conspicitur quod te &c. ut suprà *usque* approbatur. Ecce, fili carissime, voto tuae serenitatis audito &c. *usque* fratrum nostrorum communicato consilio dilecto filii electo Giennensi & magistro Manfredo Capellano nostro dedimus nostris litteris in mandatis ut eidem Abbati, licèt defectum patiatur aetatis & non sit in sacris ordinibus constitutus, procurationem Hispalensis Ecclesiae in spiritualibus & temporalibus auctoritate nostra committant. Ex hoc enim grandis &c. *usque* opulenta. Cùm itaque, Rex egregie, non so-

solùm in caelestibus, sed in tuis quodam modo videatur cumulare thesauris quod Ecclesiis & aliis piis locis liberaliter impertiris, maximè quia illis semper habetur expositum tuae beneplacito voluntatis, ac tutius fit in dotem Hispalensis Ecclesiae munificentiae tuae dona refundere quàm ipsa personis saecularibus saepe vergentibus ad ingratitudinis vitium exhibere, celsitudinem tuam rogandam in Domino duximus attentius & monendam, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus Ecclesiam ipsam insignire dotibus & beneficiorum studeas diversitate fulcire, ut praedictus Johannes &c. *usque* jocunda consistat. Datum Lugduni VIII. Kal. * Julii anno sexto. * Junii

VVillelmo Abbati monasterii sancti Trudonis ordinis sancti Benedicti Leodiensis diocesis.

APostolicae sedis benignitas, quae nonnullos prosequitur suae abundantia largitatis, illos praerogativa honoris amplioris attollit qui per fidem & devotionis merita ejus gratiae se coaptant, ut eo amplius teneantur eidem quo specialius ab ea se noverint honoratos. Sanè in nostra proposuisti praesentia constitutus quod nos olim attendentes devotionem & fidem quam quondam Thomas Abbas & alii praedecessores tui ad Romanam Ecclesiam hactenus habuerunt, eidem Thomae suisque successoribus usum mitrae, anuli, cirothecarum, & baltei intra Missarum solemnia, in synodo episcopali, & aliàs quotiens opportunum fuerit, necnon potestatem faciendi solemnem benedictionem, dummodo aliquis Episcopus vel Legatus sedis apostolicae non fuerit praesens, ac benedicendi pallas altaris & corporalia, in perpetuum duximus concedendum. Nos igitur personae tuae, quam exigentibus tuae devotionis meritis speciali favore prosequimur, volentes facere gratiam ampliorem, utendi, non solùm praedictis, verùm etiam aliis pontificalibus ac potestate praemissa, sed & benedicendi sacerdotalia vestimenta & conferendi primam tonsuram monachis & clericis tui monasterii specialiter tibi auctoritate praesentium facultatem liberam indulgemus, priori concessione nihilominus in suo robore duratura. Nulli ergo &c. nostrae concessionis &c. Datum Lugduni XVI. Kal. Junii anno sexto.

Episcopo Osiliensi.

QUia perversi difficile corriguntur si eorum perversitas remanserit incorrecta, oportet nos, ne sui exempli pernicie alios provocent ad peccandum, ad castigandum illos insurgere ac duros flagellis durioribus flagellare. Ad audientiam siquidem nostram te referente didicimus quod nonnulli de Livoniae partibus propriae salutis immemores paganis Christianae fidei inimicis arma, ferrum, lignamina, equos, & victualia, necnon & alia quibus Christianos impugnant, deferre praesumunt, latam in tales solemniter à sede apostolica excommunicationis sententiam in animarum suarum periculum contemnentes. Ut igitur severior pœna pungat quos pœnitudo hactenus non compunxit, auctoritate praesentium duximus statuendum ut quicunque Christianorum aliquos praedicta deferentes de caetero paganis eisdem invenerint, eis liceat illos capere ac bona eorum sine pœna restitutionis in ea capientium usus cedant, ut sic temporaliter arctati hujusmodi praesumptores revocentur ad spiritualia quae contemnunt. Nulli ergo &c. nostrae constitutionis &c. Datum Lugduni III. Non. Octobris anno sexto.

Abbati sanctae Genevefae Parisiensi.

VOlentes dilectum filium Martinum scholarem nepotem dilecti filii H. tituli sanctae Sabinae Praesbyteri Cardinalis honorare gratis beneficiis & acceptis, ut nostra praeventus gratia studeat peramplius effici gratiosus, mandamus quatenus ei disciplinis scholasticis insistenti proventus suos usque ad triennium cum ea integritate, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, facias ministrari cum qua illos perciperet si in Ecclesiis in quibus eos obtinet residentiam faceret personalem, non obstante quod forsan residentiam non fecerit in Ecclesiis ipsis primam, aut quacunque dictarum Ecclesiarum consuetudine vel statuto juramento vel confirmatione sedis apostolicae seu qualibet alia firmitate vallatis & quavis indulgentia sedis ejusdem, per quam hujusmodi gratia impediri valeat vel differri, constitutione de duabus dictis &c. dummodo ultra tertiam vel quartam &c. Datum Lugduni X. Kalendas Aprilis anno sexto.

DE CONSTRUCTIONE
CASTRI SAPHET.

CUM sit nostrum firmum & salubre propositum iis quae sunt ad honorem Dei semper intendere ac in iis jugiter immorari, & praecipuè in iis quae ad exaltationem fidei & Ecclesiae, & quae ad aedificationem proximorum, quae ad salutem animarum, quae ad subsidium terrae sanctae, quae ad defensionem fidelium, quae ad confusionem & destructionem infidelium credimus pertinere, & propter hoc castrum Saphet specialiter sit constructum, quare & quando fieri incepit, & qualiter constructum fuerit, proposuimus declarare.

Quare & qualiter & quando incepit construi castrum Saphet.

Cùm igitur ad subsidium terræ sanctæ venisset magnus exercitus Christianorum, in quo erant Rex Navarræ & Comes Campaniæ, Dux Burgundiæ, Comes Britanniæ, Comes Nivernensis & Forenciæ, Comes Montisfortis, Comes Barensis, & Comes Masticonensis, & plures alii Comites & Barones, & in quo Milites apparatu militari plusquam mille & quingenti numerati sunt, præter alios quibus non erat apparatus sufficiens militaris, & balistariorum & peditum quasi innumerabilis multitudo, & venissent apud Jopen, & deliberassent qualiter procedere deberent, quidam nobiles de suis viribus præsumentes, & Templariorum & aliorum religiosorum ac nobilium de terra consilium contempnentes, de nocte ab exercitu recesserunt, & quia non dederunt gloriam Deo, cujus est victoria, sed eam sibi nisi sunt deputare, victi fuerunt ignominiosè, & plures capti ac mortui, & exercitus reversus est cum confusione maxima apud Jopen; ubi ad relevandum & mitigandum confusionem deliberatum fuit quod reædificarent castrum Saphet, quia non poterant ita bonum opus construere toti terræ; & ut magister Templi inciperet, promiserunt quòd darent ei ad subsidium construendi septem millia marcarum, & quòd esset exercitus ibi per duos menses ut securiùs & levius ædificaretur. Sed cùm reversi fuissent in sabulo Accon, obliti sunt promissorum, nec iverunt ad construendum, nec ad hoc faciendum aliquid contulerunt. Cùm autem facta treuga cum Soldano Damasci dictus Rex & exercitus magnus repatriasset, Episcopus Massiliæ re ac nomine Benedictus ivit ad sanctam Mariam de Sardinia pro peregrinatione cum competenti ducatu dicti Soldani. Et cum de mandato Soldani per aliquos dies expectasset in Damasco, frequenter veniebant ad eum plures quærentes ab eo si ædificaretur Saphet. Et cum ipse quæreret ab eis quare cum tanta instantia requirebant, respondebant quòd ædificato castro de Saphet, Damasci portalia essent clausa. Cùm ergo dictus Episcopus recessit à Damasco, Vide Spondanum an.
consideravit diligenter terram usque Saphet; & non 1238. §. 10.
vidit munitionem aliquam præter Subebam, quam tene-

Raynaldum an. 1239 § 79. Et. To. V. Duchesnii pag. 334. Mat. Sanct. Turselli. pag. 225. exit.

tenebat nepos dicti Soldani. Et cùm venissent apud Saphet, invenit ibi afertium fine ædificatione ubi quondam fuerat castrum nobile ac famosum. Ibi recepit eum eum magno gaudio frater Raymundus de Caro, qui erat tunc ibidem Castellanus; sed non habuerunt ubi caput reclinarent nisi garbelarias quas portant servientes fratrum, ubi faciunt lectos dominorum suorum. Cùm igitur Episcopus inquisiisset diligenter circumstantias & districtum dicti castri, & quare Sarraceni ædificationem ejus tantum formidarent, & invenisset quòd illud castrum fieret defensio & securitas & quasi scutum Christianorum usque Accon contra Sarracenos, & esset impugnatio fortis & formidabilis & facilitas & opportunitas faciendi insultus & discursus in terra Sarracenorum usque Damascum & propter ædificationem dicti castri amitteret Soldanus multam pecuniam & magnum succursum & servitium in hominibus & rebus illorum qui essent de feto dicti castri, amitteret etiam in terra sua propria casalia & agriculturam & pascua & alia consueta, quia non auderent terram excolere propter metum dicti castri, & inde verteretur in eremum & solitudinem sua terra, & iterum oporteret eum facere multas expensas & tenere multos stipendiarios pro defensione Damasci & pro terris circumadjacentibus, & breviter invenit per famam communem quòd non esset castrum tam fortissimum in terra illa unde possent Sarraceni tantum damnificari & Christiani tantum adjuvari & Christianitas dilatari. Cùm hæc & similia audivisset dictus Episcopus, venit Accon, & cùm visitaret magistrum Templi Armannum nomine, qui jacebat infirmus; quæsivit ab eo idem magister quid viderat & audierat apud Damascum. Et Episcopus respondit sibi quod videbatur sibi magnificentius quod viderat & audierat in quanto timore & tremore ac quærendi sollicitudine existerent Sarraceni super ædificatione castri Saphet. Sic referendo praedicta, cœpit persuadere diligenter & instanter quod intenderent totis viribus & celeriter, dum habebant treugas, ad illud ædificandum. Magister vero cum suspirio dixit: Domine Episcope, non est facilis ædificatio Saphet. Nonne vos audivistis quod Rex Navarræ, Dux Burgundiæ, Comites & Barones exercitus promiserunt quod venirent apud Saphet ut securius & citius ædificaretur, & starent ibi per duos menses, & darent septem millia marcarum pro faciendo ædificio, & tamen unde ad ædificium non dimiserunt; & vos dicitis quod ædificemus fine subsidio aliquorum. Tunc Episcopus dixit: Magister, quiescatis in lecto vestro, & dicatis voluntatem vestram bonam & efficax verbum vestrum fratribus; & ego confido in Domino quod plus facietis de lecto vestro quàm fecit totus exercitus cum multitudine armatorum & abundantia suarum divitiarum. Et cùm instaret Episcopus, dixerunt majores qui erant ibi: Domine Episcope, vos dicitis quod bonum vobis videtur; & magister habebit consilium, & respondebit vobis. Cùm autem recessisset Episcopus à magistro, vocavit eos qui erant majores in consilio, & persuasit eis illud quod Episcopus dixerat magistro; & placuit eis plenissimè, & dixerunt ei quòd sequenti die veniret & faceret tantum quod magister poneret hoc in consilio coram illis.

Qualiter Episcopus Marsiliæ suasit magistro Templi & ejus consilio quòd construerent castrum Saphet.

Sequenti verò die venit idem Episcopus ad magistrum, & rogavit illum ut vocaret consilium suum, quòd volebat sibi loqui aliqua sibi cara. Et cum venissent, dixit illis Episcopus: Domini, ego intellexi quod religio vestra fuit primo & principaliter instituta per sanctos Milites qui se totaliter devoverunt ad tuitionem Christianorum & ad impugnationem Sarracenorum; & quia in hoc se strenuè ac fideliter habuerunt, Dominus dilatavit & exaltavit religionem vestram apud se & apud Reges & Principes, & est coram Deo, & hominibus, vestra religio hodie plurimùm celebris ac famosa; & quod factum fuit tunc per illos sanctos Milites, modo videtur quod per vos sit similiter faciendum: quia cum ego essem apud Damascum, intellexi per plures quod non est aliquid quod Sarraceni tantum timeant quantum quod Saphet aedificaretur, quia aedificato illo castro, portale Damasci reputant esse clausum; & nos ipsi vidimus & consideravimus circumstantias dicti loci, & est fama publica quod non potest aedificari castrum vel fortalitium in terra ista per quod possit ita defendi Christianitas & Sarracenorum infidelitas impugnari sicut per castrum Saphet. Propter quod ego vester amicus, vester fidelis, attendens honorem Dei, salutem animarum, & promotionem religionis vestrae, rogo consulo, & requiro ut vos, tanquam Deo fideles ac devoti & strenui Milites, respiciatis ad exempla illorum priorum & exponatis vos & vestra ad aedificationem castri de Saphet, per quod tanta impugnatio infidelium semper fiat. Ego autem non habeo pecuniam quam vobis ad hoc offeram sufficientem; sed personam offero ad faciendam ibi peregrinationem, si vultis aedificare. Si autem volueritis, praedicabo peregrinis, & vadam ibi aedificare cum eis damacia, similiter ibi acervus magnus lapidum, & faciam murum in circuitu de siccis lapidibus ad defensionem Christianorum & ad impugnationem Sarracenorum. Quo audito, dixit quasi ridendo magister: Domine, habetis in corde quod fiat. Et Episcopus subjunxit: Habeatis & vos ad hoc bonum consilium, & Dominus sit vobiscum. Et tunc recessit ab eis. Dominus autem direxit eorum consilium, & concordaverunt unanimiter quod dictum castrum reaedificaretur fine mora, dum durabant treugae cum Soldano Damasci; quod si differretur, posset aedificatio de facili impediri.

Quòd gaudenter & magnificè inceptum fuit Saphet, & à quo, & quando.

Cùm autem deliberatum fuisset quod aedificaretur Saphet, laetitia magna fuit in domo Templi & in civitate Accon & in populo terrae sanctae; & sine mora electa est Militum, servientium balistariorum, & aliorum armatorum laudabilis comitiva, & saumarii multi ad portandum arma & victualia & alia necessaria, & aperta sunt granaria & cellaria & thesauraria & aliae officinae ad faciendas expensas magnificè ac gaudenter; & missa est multitudo operariorum & clavorum cum instrumentis & impensis sibi necessariis; & laetata est terra in adventu eorum, & elevavit naturam Christianitas terrae sanctae. Idem autem Episcopus Marsiliae ibi venit cum quibus potuit peregrinis, & posuit tentoria sua in parte ubi fuerat agora Judaeorum & mesquida Sarracenorum, ut per hoc innueret & apertè significaret quòd castrum de Saphet aedificabatur ad debellandas infidelitates infidelium & ad roborandam & defendendam fidem Domini nostri Jesu Christi. Cùm autem parata essent ea quae ad incipiendum tam praeclarum opus pertinebant, post celebrationem Missae venit idem Episcopus, & facto brevi sermone ad devotionem adstantium provocandam, invocata spiritus sancti gratia, cum benedictione & sollemnitate debita posuit primum lapidem ad honorem Domini nostri Jesu Christi & exaltationem fidei Christianae, & super lapidem obtulit cupam argenteam deauratam plenam pecunia in subsidium operis subsequentis anno Domini MCCXL. tertiò Idus Decembris.

Qualiter inventus fuit puteus aquae vivae infra castrum Saphet

Et cùm esset ibi defectus aquae & cum multis somariis, laboribus, & expensis afferretur à remotis, & Episcopus singulis diebus quaereret fonticulos ad facienda barquilia ubi colligerentur, quidam Sarracenus senex dixit dispensatori Episcopi: Si dominus vester daret mihi tunicam, ego ostenderem sibi fontem aquae vivae infra castrum. Qui cum ei

tuni-

tunicam promisisset, ostendit ei locum ubi est modo puteus, super quem erant ruinae rupium & murorum, & ob hoc multi acervi lapidum. Et cum quaereretur ab eo signum certum, dixit quod in ore putei invenireur calcem & capellum de ferro, & ita inventum est. Et propter hoc ibi attentios & fortius laboratum est donec aqua scaturiens optima inventa est in magna abundantia toti castro. Mansit autem ibi dictus Episcopus donec castrum firmatum fuit ita quod posset se defendere contra fidei inimicos; & cum repatriavit, dedit dicto castro tanquam filiolo Symon praeelecto omnes equitaturas suas & lectoria & superlectilia; & data sibi benedictione, tradidit operis & operantium custodiam & promotionem Domino Jesu Christo, ad cujus honorem inceptum fuit & ejus nomini dedicatum.

In qua brevitate temporis tam magnificè sit constructum, & quanta sint fortalicia castri.

Cum autem idem Episcopus reversus fuisset ad subsidium terrae sanctae contra Tartaros anno Domini MCCLX. IV. Non. Octobris, & venisset ad visitandum Saphet, invenit quod ab uno passagio quo rediit Episcopus apud Marsiliam usque ad aliud passagium quo reversus est apud Saphet per Dei gratiam & providentiam & strenuitatem & magnificentiam fratrum sanctae domus Templi dictum castrum cum tanta industria, tanta mirificentia & magnificentia est constructum quod ejus exquisita & excellens constructio non solum ab homine sed à Dei omnipotentia videatur potius esse facta. Ad quod sciendum plenius notandum quòd castrum Saphet situm est inter civitatem Accon & Damascum, quasi in medio Galileae, in quodam promontorio circumcluso montibus & collibus & praeruptis praecipitiis & scopulis ac rupibus, & propter viarum difficultates, arduitates, & angustias ex magna parte quasi inaccessibile & inexpugnabile. A parte vero Damasci quam pro vallo habet fluvium Jordanem & stagnum Genesaret & mare Galileae ac mare Tyberiadis; & haec sunt ei pro fortalitio naturaliter à remotis. Artificiosae vero sunt ibidem propè intus & extra munitiones & aedificia admiranda. Quot autem & quanta sint ibi aedificia, quae & quales, quot & quantae munitiones & fortalitia in fossatis quae habent in profundo rupis septem cannas & sex in lato, quae in muris, quae habent in altitudine viginti cannas & in latitudine decem cannas & in circuitu CCCLXXV. quae immensibus terra profundè in antemuralia & fossata cum crotis quae durus fossae coopertae quae super scarnas & sub antemuralibus, ubi possunt balistarii cum magnis balistis & defendere scarna & alia propinqua & remota & non ab aliis exterius videri, ubi possunt esse securè sine aliis armaturis, quae in turribus & propugnaculis, ubi sunt septem turres quarum quaelibet habet in altitudine duodecim cannas, in latitudine decem, in spissitudine duo in summo, quae in diversis officinis ad omnes usus necessarios, quae in balistarum & calenorum & machinarum & aliorum armorum multitudine ac magnitudine & varietate artificialium, & cum quantis laboribus & sumptibus haec sunt facta, quantae cotidianae custodiae, quanta praesidia armatorum ad custodiendum & defendendum & adversarios impugnandum sint ibi necessaria continuè, quot operarii diversorum operum, quae ac quantae expensae sint in iis cotidie faciendae, non est facile scriptura vel verbo explicare. Quod vero tam praeclara & tam eximia tamque excellentia & necessaria opera ad honorem Dei & exaltationem Christiani nominis, ad offensionem infidelium, & ad aedificationem fidelium haec sunt facta & etiam facienda, non convenit penitus sub silentio praeteriri, sed saltem aliqua ad devotionem & compassionem fidelium provocandam expedit recitari.

Quantis expensis sit constructum

Ad honorem igitur Domini nostri Jesu Christi & ad ostendendam devotam strenuitatem & immensam necessitatem sanctae religionis militiae Templi, & ad provocandam devotionem & compassionem & accendendam caritatem Christianorum fidelium erga dictam religionem & dictum castrum, referimus expensas quas fecit ibi in aedificiis domus Templi. In primis duobus annis & dimidiò expendit domus Templi in aedificando castro Saphet, praeter redditus & obventiones dicti castri, undecies centena millia bysantiorum Sarracenorum; & singulis sequentibus annis secundum magis & minus quadraginta millia bysantiorum Sarracenorum. In cotidianis expensis dantur victualia mille & septingentis personis & plus, & tempore guerrae duobus millibus & ducentis. In stabilimento cotidiano dicti castri sunt necessarii quinquaginta milites & triginta servientes fratres cum equis & armis, & quinquaginta Turcopoli cum equis & armis, & balistarii trecenti, in operibus & aliis officiis DCCC. & XX. sclavi quadringenti. Et expenduntur ibi annuatim secundum magis & minus plusquam duodecim millia muli onerati inter hordeum & frumentum, praeter alia victualia & stipendia quae dantur stipendiariis & personis adventitiis, & praeter equos & equitaturas & arma & alia necessaria. Quod non est facile computare.

De excellentia & sufficientia castri Saphet.

Ad ostendendum vero excellentiam dicti castri, ne videatur inutile, onerosum, & dispendiosum & insufficiens tantum opus, vel ad habitandum inhabitabile, notandum quod castrum Saphet est amoenitate aëris temperatum, & sanum ubertate, viridariorum, vinearum, arborum, & herbarum placitum ac jocundum, fœcunditate ac diversitate fructuum locuples & abundans, ubi crescunt & fructificant abundè ficus, malagranata, amygdala, & oliva; cui dedit Dominus de rore caeli & de pinguedine terrae benedictionem & abundantiam frumenti, vini, & olei, leguminum & olerum, & fructuum electorum, lactis & mellis copiam, pascua nutrimentis animalium congruentia, & nemora, arbores, ac arbusta pro faciendis furnis calcis & pro coquendis cibariis copiosè, & lapidicinas optimas ibidem ad opera facienda, & irrigua fontium, ac magna braquilia ad aquanda animalia & ad plantaria irriganda, non solum extra castrum, sed etiam infra. Ibi sunt aquae vivae optimae abundanter & plures magnae cisternae, secundum quod sunt necessariae cuilibet officinae. Sunt etiam ibi duodecim molendina de aqua extra, & infra plurima de animalibus & de vento, & furni etiam sofficientissimi, sicut decet. Ne quid autem desit nobilitati & necessitati dicti castri, ibi sunt venationes diversarum venationum, piscationes diversorum piscium copiosè de flumine Jordanis, de mari Galileae, de mari Genesareth, & de mari magno, de diversis locis unde pisces afferri possunt salsi cotidie ac recentes. Inter alias excellentias quas habet castrum Saphet, illud est notabile, quod per paucos potest defendi, & sub defensione in munitionem suam multos potest colligere, nec potest nisi per maximam multitudinem obsideri. Sed ista multitudo diù necessaria non haberet, quia nec aquam nec victualia inveniret; nec multitudo maxima potest ibi esse propè insimul; & si divideretur per loca remota, non posset se invicem adjuvare.

De utilitate praedicti castri Saphet.

Quantum autem necessarium & utile sit castrum Saphet toti terrae Christianorum, & infidelibus quantum nocivum, scire possunt per experientiam qui noverunt quot & quantos contra aedificationem dicti castri Sarraceni, Biduini, Coromini, & Turcomani

ni

ni faciebant insultus frequenter usque Accon & per terram aliam Christianorum. Sed aedificato castro Saphet, positum est repugnaculum & obstaculum ne ad nocendum publicè transire audeant à flumine Jordanis usque Accon, nisi esset maxima multitudo; & ab Accon usque ad Saphet vadunt securè onerati sagmarii & quadrigae & agriculturae & terrae coloni liberè. Ab omnibus exaltetur Deus. A flumine vero Jordanis usque Damascum remanet terra inculta & quasi vasta propter metum castri Saphet. Unde fiunt grandes insultus & depraedationes & vastationes usque Damascum; ubi factae sunt plures miraculosae victoriae per fratres contra fidei inimicos, quas non esset facile recitare, quia inde posset fieri magnus liber. Illud autem non est omittendum, quod à parte Accon sub castro Saphet in forti loco est burgus sive villa magna ubi est mercatum & . . . . . instituto, & potest defendi à castro. Habet etiam castrum Saphet sub dominio & districtu suo casalia quae in Gallico villae dicuntur plusquam CCLX. in quibus manent plusquam decem millia hominum cum arcubus & sagittis, praeter alios ex quibus haberi potest multa pecunia intus castrum Saphet, & alias regiones & Barones ac Milites ad quos pertinent dicta casalia, de quibus parum aut nihil habebant ante aedificationem Saphet, nec haberent hodie nisi castrum esset aedificatum, quia omnia haberet Soldanus & alii Sarraceni. Illa verò utilitas non est omittenda quae supergreditur universas, quia potest praedicari liberè in omnibus praedictis locis fides Domini nostri Jesu Christi, destrui ac reprobari publicè in sermonibus blasphemia Machometi. Quod non poterat fieri ante constructionem Saphet. Neque Sarraceni ausi sunt in publico proclamare, sicut antè faciebant, blasphemias Machometi contra fidem Domini nostri Jesu Christi. Possunt ibi modò visitari loca famosa quae sunt in districtu castri Saphet, ut cisterna Joseph, ubi fuit venditus à fratribus suis, & civitas Capharnaum, quae est in finibus Zabulon & Neptalim, ubi habitavit & incepit praedicare multa & operatus est mirabilia multa personaliter Dominus Jesus Christus, ubi Petrus solvit tributum de statere invento in ore
Marc. 17. piscis pro se & pro Domino Jesu Christo, & ubi Matthaeus sedebat ad theloneum, de quo sumptus est ad apostolatum. Item ibi in monte propè versus Tyberiadim est locus ubi Dominus de quinque panibus hordeaceis & duobus piscibus satiavit quinque millia hominum, & de quibus superfuerunt duodecim cophini pleni fragmentorum. Et est ibi propè locus ubi post resurrectionem se manifestavit Jesus discipulis suis & comedit cum eis, secundùm quod legitur in evangelio feria quarta post Pascha, & ille locus dicitur vulgariter Mensa Domini, ubi est Ecclesiae & peregrinatio solemnis. Item ibi propè juxta mare Tyberiadis est casale quod dicitur Bethsaida; ubi nati fuerunt Petrus & Andreas, Philippus & Jacobus minor, & ubi Christus elegit ad apostolatum Petrum & Andream & duos filios Zebedaei. Item ibi propè juxta mare Tyberiadis versùs Tabariam est locus qui dicitur Magdalon, ubi dicitur nata fuisse Magdalena. Loca etiam solemniora, scilicet Nazareth, mons Tabor, Cana Galilaeae, & alia plurima, propter constructionem castri Saphet possunt liberiùs & securiùs visitari. Et propter hoc potest sciri quantum minuitur & subtrahitur infidelibus Sarracenis & quantum adcrescit & additur Christianitati per constructionem & stabilimentum castri Saphet, quod factum est ad damnificandum & destituendum & reprimendum infideles & ad delectandum, multiplicandum, & confortandum fideles, ad honorem Domini nostri Jesu Christi, & ad exaltationem Ecclesiae & sanctae fidei Christianae.

Scriptor suum talis demonstrat litera qualis.

Ex Chronico Monasterii S. Martini Lemovicensis, auctore Petro Coral ejusdem loci Abbate.

MCCLXVI. Soldanus Babyloniae obsedit castrum du Cephet, quod tenebant Templarii; & illud obtinuit in festo beati Christophori proditione cujusdam fratris sui natione Syrii, qui Leo vocabatur, & fuerat frater per triginta annos. Hujus proditionis quidam Anglicus dicebatur esse particeps, quem obsessi interfecerunt. Iste maledictus Leo, qui Castellanus erat loci, non permittebat quod se defenderent Christiani, quia minabatur eis pejora. Tandem maledictus Soldanus affidavit per juramentum obsessos & quod cum armis & oneribus suis recederent securi, castro reddito: de quibus cum exisset interfecit & decapitavit septies viginti fratres & decem Templi, exceptis Hospitalariis, & septingentos & sexaginta septem viros bellatores, & quatuor fratres Minores, exceptis mulieribus & parvulis. Qui omnes aestimati fuerunt usque ad tria millia. Et maledictus Leo fidem nostram coram omnibus negavit. Dicebatur etiam quòd caput unius fratris Minoris abscissum consummavit antiphona beatae virginis quam cantabant, scilicet *Salve Regina*. Hac de causa Ludovicus Pius Rex Franciae omnes Barones regni qui habebant trecentas libras in redditibus Parisius in Annunciatione beatae virginis venire fecit, & ipsis praesentibus (ipse) & tres filii sui cruces sumpserunt, & Comes Atrebatensis, & Britanniae, & plures alii Archiepiscopi & Episcopi & Barones, quorum non erat numerus.

Vide Wadding ann. 1266 §. 9. & Odor. Raynald an. 1266. §. 41. 42.

SALLAS MALASPINAE

LIBRI VI. RERUM SICULARUM

Ab anno Christi MCCL. usque ad annum MCCLXXVI.

HOnorabili coetui & reverendae universitati officialium curiae Domini Papae ac metuendorum virorum procuratorum in audientia Sallas Malaspine Decanus Militensis ejusdem Domini Papae scriptor cum promptitudine serviendi se totum. Opus transmitto vobis quod forsan magis posteris quàm modernis erit ad aliquod oblectamen, in eo quod nuper, ne segnis otiositas praesentis vacationis indictae lubricum quid sub silentio pariat & quae antiqui hostis sunt arma pro hebetibus animabus illudendis & captivandis contra quietum spiritum moniant sedulum humani generis inimicum, volui seriosè opportuna otia voluntariis levare laboribus & pigritantis de more sensum, qui plerunque levibus oneribus expergiscitur, dictationis eloquio experiri. Cùmque non semper eorum quae dicuntur terminus quaerat laudem, sed nec colonum excitatum ad operas culturae virentis gloria refocillet, nemo improbè credat linguam & calamum tam cito ad laudis gloriam licentiatos ut currant, sed ut quaedam gesta Regum Siciliae memorata recenseant, & memoriae recensita commendent. Placuit ergo sine verbosae digressionis anfractibus à primis Manfredi natalibus usque ad tempora Karoli filii Ludovici catholici Regis Franciae gesta retexere nec ambages inserere aut incredibilia immiscere, sed vera vel similia quae aut vidi aut videre potui vel audivi communibus divulgata sermonibus stilo prosaico sub ordine contexta narrare. Haec quidem etsi forsitan usquequaque non prosint pro eo quod non semper ex dictis quibuslibet pro-

profectus exquiritur, sique etiam superstites non delectet aut non alliciat animos modernorum, ex eo videlicet quod eorum fortassis adhuc tanquam recentium memoriam retinent, sequentium tamen orientiumve posteritas aliquid sibi quod delectet inveniet in legendo. Consuevit enim ratio naturalis vestigare in rememoratione praeterita & antiqua digna veneratione praecolere vestigata. In assumpti ergo praesentis operis auxilium non deos alienos aut antiquos superos invoco ut assistant, sed illius primordialiter omnipotentiam trinitatis peto suppliciter assistricem, quam unit absque divisione divinitas & trinus complet numerus personarum. Flagito etiam & vos mihi fore propitios & exhibitores favoris, quorum volo ut in opere sit laus & gloria, & non mihi, & quibus sum ego minimus, nec dignus vocari socius, sed singulorum servitor, quibus & subesse volo & subjici & placere, cùm eorum cujuslibet non sufficiam calceamentorum solvere cingulum aut vestimentorum fimbriam contrectare. Parcite adhuc quaeso defectibus, & tales mei operis estote precor interpretra ut sub vestri promotione consilii non pereat vel negligatur res perquisita laboribus, sed perenni memoria observetur.

I. Olim de semine Frederici Lombardi quadam parturiente Manfredum prout hominum ad credendum quaeque relata tenet opinio quod formae geminae mulierum super Tusciam in acie nubigero comparuerunt humanis obtutibus pendentes ut nebula super terram, quarum nomina vox magni tonitrui quasi rauca concavitate crepitantis verisimiliter confundebat. Sed non vanè hominum conjiciunt intellectus alteram, secundum quod discerni potuit, vocari posse Gebelliam, alteram vero Guelfam. Eae, ut aiunt, junctis brachiis invicem colluctantes alterna corpora mutuo perurgebant; & dum ab aurorae rutilo usquequo sol tenuit in medio axe iter durante duello manuali pugna concertant, nunc illa desubtus ignominiosè depellitur, nunc eadem rediviva compulsu alteram premens pedibus victoriosa eminet & laeta triumphat. Modo illa videtur resupino corpore ruere, modo haec eadem facie accensa resultans caput gaudet secundae conterere frequentium inculcatione pugnorum. Sicque variatur utriusque victoria & mutuus demum nutat ascensus, neutra diù subest alteri conculcata, & altera alteri praelata vicissim in eminentiori stat modicum. Evanescunt alternatim metus & gloria victricis & victae, ac alterius ascensus & casus habet subsistentiam momentalem. Et adeo videntur victoriae vices aequae quod qui vidit colluctationes hujus impulsus, & repulsus alternos pari potuit dinumeratione metiri. Sed licèt praedictus Manfredus, tanquam ex damnato coitu derivatus, defectum natalium patiatur, nobilis tamen naturae, decus utriusque parentis, qua ortus ejus esse meruerat generosus, maculam ferè defectus hujus expiabat; ac decor tantus erat infantis quod non ex ancilla secundum carnem, sed pro repromissionem allegoricè natus videbatur ex libera: crescensque forma praestabili, & continua bonitatis recipiens incrementa, meruit accuratè ab Augusto tractari & custodiri pariter sicut filius legitimus diligendus. Profecit nimirum in liberalibus artibus, ac virtute magna & moribus magnificatus est inter nobiles, tanquam summis fuisset gymnasiis eruditus. Incomparabilem emit sedulo labore scientiam, & morum erudimenta non segnis attenta sollicitudine comparavit. Hunc jam adultum persona dotibusque personae grandaevum Fredericus ejus genitor, antè quàm fieret anathema, prius quàm esset etiam irrefragabili depositione percussus, filiis praeterens, eum tandem principatu Tarentino donavit, in quo nomen & decus Principis studebat laudabiliter promereri. Tradiditque sibi uxorem nobilem mulierem natam Amedei Comitis Sabaudiae nomine Beatricem.

II. Postquam vero coruscationes suas sedes apostolica coruscavit ut dissiparet Caesarem omnesque vitis ejus palmites obtruncaret, ac misit sagittas praepetra cum maledictionis suae violentia ut perenniter totam posteritatem Caesaream conturbaret, cordibus Frederici totiusque familiae variis contra Ecclesiam inebrians erroribus, erynnis saeva, quae est furia infernalis, cum sororibus baccatrix irrepsit, eumque antiqua serpentis latiùs momordit astutia, & propensiùs fraus diabolica circumvenit. Adeo enim praeconcepto veneno & fermento solitae malitiae ac nequitiae totam infecit Italiam quod votis ubique omnium divisis in partes, quicunque in terra propria poterat aliquid, necessario de parte imperii aut de parte nominatim Ecclesiae censebatur. Divisionis igitur error per universam Italiam coepit paulatim succrescere, & partium vitiosa dissensio in qualibet adeo provincia inolevit quod sub Gebellinitatis pallio sub favore partis imperii coeca pullulabat haeresis & foeda infidelitas germinabat. Et si quando saltus harum vulpium & cavernas sagax religiosorum industria per sedem apostolicam contra hujusmodi pessimos Christianos electa volebat industriorè perquirere ipsarumque vestigia perscrutari, nonnulli credentes & pravitatis tam insanae fautores aut lantantia tantae iniquitatis germina inoffensa fovebant, aut compertam frequenter sub latebris & ambulantem sub tenebris & umbra mortis superstitiositatis hujusmodi nequitiam defendebant, sicque sine cujusquam repressionis obice undique suos errores disseminabant haeretici & diffundebant impune venena. Verum ut ars praecipitiū de suo triumpharet actore, Dominus Innocentius Papa IV. in generali Concilio apud Lugdunum contra Fredericum Imperatorem, penes quem nulla salutis proficiebant consilia nec conatus apostolici studii proderat, tanta erat ejus execrabilis pertinacia pravitatis, justae damnationis sententiam eodem approbante Concilio promulgavit. Innocentio vero Italiam repetente & mandante contra Fredericum praedicari publicè verbum crucis, Fredericum praedictum apud quoddam castrum quod Florentinum dicitur prope Luceriam Sarracenorum mors inopinata momordit, & omnes ejus semitas sive diversoria in arto concludens, lubrica ejus vestigia decurtavit. Sed auditu mirabile, ille Caesar, qui fuerat in orbe Monarcha, & per universa mundi climata gloriosiùs coeperat venerari, credens fortassis suam cum superis per artis experientiam mathematicae coaequare naturam, qui mores ante lapsum erroris cum magnis aequarat, studuit rerum opiniones sollicita curiositate perquirere ac profundè caelestia perscrutari: sicque dum subtili indagatione naturalia vestigabat, astrologos & nigromanticos adeo venerabatur & auspices quod eorum divinationibus & auspiciis Frederici velocissima cogitatio ad similitudinem venti motu celeri demno vagabatur. Cumque hujusmodi aruspices dixissent se arte sortilega comperisse quod Fredericus debebat sub flore marcescere, per eorundem interpretationes Fredericus praedictus desiderans fieri contra naturam corporis immortalis, Florentiam & Florentinum in Campania quantum potuit evitavit. Sed dum frustra locum mortis evitat, qui nec tempus praevidere nec mortis terminum fugere poterat, quantalibet adjectione remedii lapsus est in laqueum improvisum qui omnem finaliter illaqueat creaturam.

Vide lib. 1. Miscellan. pag. 193. col. 1.

III. Postmodum autem, licèt regnum Siciliae foret ad dispositionem Ecclesiae Romanae, cujus juris & proprietatis extitit, liberè devolutum, Rex Corradus ejusdem Frederici filius regnum ipsum occupans, eo, non tanquam alieno, sed velut re patrimoniali, quem sibi credebat ex paterna successione competere, coepit uti. Et dum inter haec civitas Neapolitana, quam reddit amoenus loci situs & civium copiosa multitudo nobilium super omnes terrae Laboris metropoles generosam, non immemor sententiae depositionis & irrefragabilis privationis edicti contra Fredericum & successores suos per sedem apostolicam promulgatae, Corradum praedictum recipere tanquam Ecclesiae devota contemneret, ac in hujusmodi proposito inviolabiliter perdu-

raret

taret, spectam denuo sibi per sedem apostolicam potenti subsidio subveniri, angustata per mare ingenti navigio & per terram exercitu copioso, tamdiu Corrado praedicto parere agresti resistentia recusavit quandiu defensoribus victualia duraverunt; quibus omnino deficientibus, aliquandiu ad carnes morticinas animalium hebetum, quas palatus naturaliter aspernatur humanus, necnon ad herbas negligibiles, quibus vix brutum pascitur animal, urticas videlicet atque malvas, frondesque ficuum & aliorum arborum ora famelica converterunt. Iis autem postmodum, cum longa terrae vallatione consumptis nullum civitati praedictae sede apostolica destinante subsidium, urgenti jugo colla necessario fatigata submittit, antiquis mœnibus & muris altissimis funditus interdum propter hujusmodi pertinaciam desolata. Tandem idem Corradus ut regno praedicto plenum per violentiam & per amicitiam etiam sine obice principatum cœpit in olla paternae nequitae veneno ebulliente fervescere, ac succedens vitiosè vitio genitoris complices & fautores quondam Caesaris studuit excitare sepultos, & factos jam hebetes perdito capite contra redivivam Ecclesiam provocare; totamque partem Gebellinam adeo ostius est diversorum subsidiorum fovere vigore ac relevare qui ceciderant pene superbos quod nec in patrimonio Ecclesiae absque persecutionis durae jaculis summus Pontifex morari tutè valebat nec apud Italicos pro publicae salutis emolumento aliquid exercere. Unde Dominus Innocentius praedictus videns ex tempestatis tantae procella sentinam apostolicae naviculae aqua amaritudinis plenam Perusium naufragus usque perrexit, ibique, Rege Corrado agente in Apulia, morabatur. Sanè Manfredo in fraterna gratia persistente, quem nondum suae fortis fortuna tetigerat, sed necdum excogitatae in fratrem fraudis fomite revelato, Corradus praedictus in regali pompa deliciis affluens cum eodem Manfredo multisque proceribus Alamannis & regni Baronibus & nobilibus aliis in pacis tranquillitate saluberrima regni temperatione perfruitur, oculorum in rerum varietate grata speculatione depascitur, sonoris delectatur auditibus, & harmonicis delectationibus inaestimabili modulatione pacatur, suavissimis jocundatur odoribus, & epulatione gustui necessaria delinitur. Favet Manfredo affectatione fraterna, & eum honorat adeo ac si ambos unus uterus peperisset. Manfredus enim respectu vel lucifer dici poterat in tota posteritate Cæsarea, tum quia prastabili forma decorus & literaturæ dotibus redimitus alios meritis excellebat, tum etiam quia se industriose omnibus reddebat amabilem & Baronum sensus blandimentis noverat placibilibus demulcere & cæterorum se moribus conformare.

IV. Sed jam benivolentiæ omnium placibilitatis studio coaptatus, fraternæ factus impatiens dignitatis, cœpit intrinsecus latentis invidiæ nutrire fomenta & livoris occulti fervorem prææalti cordis magnitudine, machinationis igne supposito, detractionis flamma & oblocutricis murmurationis pruna succendere ac fovere, ita quòd fraterna nulla consideratione hujus fuit invidia quando primi urbis muri fraterno sanguine maduerunt, sed nec alia quae insidiata est fratri offerenti manipulum pinguiorem. Nihilominus tamen Manfredus fratri quantum poterat grato famulari nitebatur obsequio & obsequiositatis sedulo studio complacere, ita quòd quotiescunque Corradus equitare volebat, Manfredus promptus & agilis currebat ad scanilem seu streugam, ac modis aliis famulatus fratri tanquam præcellenti adulari didicerat & blandiri, hac consideratione commonitus quòd cum semper cresceret in gratia & amore majorum, potissime illorum de regno, cavebat sibi vehementer ne frater in eum manus sævas extenderet & vel occultè vel per fraudem vel dolum aut publicè per potentiam mortem ejus crudeliter intentaret. Corradus enim non advertens quòd in actorem sui consuevit fraus conversa plerunque redire pluries dixerat in propatulo verba ista. Princeps iste adeo se nobis obsequiosum exhibet & se adeo reddit gratum, sicque nostræ novit voluntati blandiri, quòd eum nec offendere possumus, nec aliquod præsumimus facere sibi malum. Postremò Rex Corradus in Apulia juxta montes socarios prope Melfiam & Venusium cum infinito exercitu castrametatus existens in campis, quatenus terram aliquam obsideret, dies suos in solatio transcurrebat, convenientibus ibi cum ipso fere omnibus regni Baronibus; inter quos Manfredus cum pulchra militum comitiva convenit, cui similis nulla loco convenerat in eodem. Corradus itaque in tentorio suo in campis sub autumnali tempore febrili cœpit accessione gravari. Et cum febres hujus temporis consueverint esse longævæ ac ægrotantem diù sub invalitudinis labore tenere frequenter, idem Corradus convalescentiæ metas attingens recidivabat regiminis per errorem. Custodiebatur exacta diligentia ne qua manus medicinis aut comestibilibus posset apponere aliquid nocivum; & ne sorbile aliquid lurida possent aconita fœdare, quamplures fuerant rerum prægustatores quarumlibet deputati, ita quòd per gustum non poterat veneno palatus infici nec venter. Verum dum in longum protrahitur ægritudo, nonnulli Manfredi complices magis ardebant ipsum per viam aliquam toxicare. Et volentes Manfredo adulari fallaciter invicem susurrabant. Et alii in tantum demissos susurros comprimebant in vocem quòd Manfredus vel audiebat vel debebat audire. O, aiunt, otinam Rex de iovatione præsentis infirmitatis occumbat. Velit Deus quòd nunquam de cætero convalescat, sed protinus moriatur. Nam Manfredum inungeremus in Regem, qui est longè dignior quàm Corradus. Iste diligeret nobiles, iste remuneraret obsequia. Est enim liberalior & humanior tota posteritate Cæsarea. Unde firmiter sua industria & magnanimitate totum sibi subigeret orbem terræ. Audiens sanè Manfredus quæ fallax Baronum regni susurrabat opinio, in necem fraternam plus solito aspirabat. Sicque quidam Salernitanus physicus, qui erat ad curam Corradi, quem Manfredus pluries ad dilectionis suæ gratiam verborum humilium blandimentis illexerat, fuit instantissimè per Manfredum & quosdam suos amatores inveteratos diebus malis sub sigillo pœnitentiae requisitus ut cùm per gustum Corradus venenari non posset, aliam excogitaret fraudis viam per quam idem Corradus omnino mortis discrimini traderetur. Salernitanus igitur praedictus, ut fertur, tritum adamantem cum pulvere dyagridii in aqua clysteris immiscuit & illa ventrem stipticum intrinsecus irrigavit. Adamas enim violentissimè fertur, esse nec sine ponderositatis fortitudine penetrando fortia quaeque frangens. Dyagridium verò, quod aliàs dicitur scamonea, resolvit omne quod tangit. Sicque violentia utriusque Corradus praedictus emisit laniata particulariter viscera per secessum, corporis & animae fœdere dissoluto. Constituit tamen bajulum in regno pro suo unigenito Corradino quendam Marchionem de Alemannia consanguineum uxoris suae: quae cum esset de stipite Frederici de stupha in Alemannia remanserat cum Corradino filio suo nondum pubere.

Manfredus verò cui favebant ut plurimùm regnicolae Comites & Lombardi, attendens quod multitudo nobilium Theutonicorum qui cum Corrado fuerat adhaerebat bajulo Corradini, cùm nonnulli & Barones ex hujusmodi multitudine ipsi Corradino tum per paternam tum per maternam lineam attinerent, qui dabant operam ad conservationem regni, ut in eo posset Corradinus suo tempore dominari, & considerans etiam quod ut regnaret nondum venerat hora ejus, non est tunc ausus quod conceperat aggredi & quod desideraverat attentare, sed in odium Theutonicorum excogitavit se beneplacitis apostolicae sedis adeo coaptare, adeo se humiliter Ecclesiae Romanae committere gremio quod enervaret omnino vires consanguineorum nepotis in regno & eorum potentiam cum favore ipsius Ecclesiae annullaret. Perveniente inter haec rumore de obitu Cor-

radi ad Dominum Innocentium, qui Perusii residens tanquam infra muorum ambitum circumseptus undique inimicis, cum jam factus in suo statu perplexus quod inde se in fugam accingeret ubi se numerus hostium brevior ingerebat, statim novi gaudii laetitia nova respersus versùs regnum dietis continuatis accessit, & Anaguiae aliquandiu substitit, expectans certos de regnicolarum conversione recipere nuntios, per quos sibi regnicolis è vicino jam posito civitates & loca regni signa devotionis & fidei debeant demonstrare. Eo igitur Anagniae cum tota curia sub expectato tranquillitatis tempore respirante, Manfredus, Marchio bajulus regni, & nonnullae communitates & Barones parituri praecisè mandatis summi Pontificis cum innumera multitudine accesserunt. Marchio vero in manibus Domini Papae bajulatui & Corradini tutelae cessit in totum, sed gratiae sedis apostolicae absentem recommendavit infantulum, eum & totam hereditatem suam protectioni Romanae Ecclesiae supponendo, & rogando suppliciter quod innocens infans non puniatur de avita & paterna malitia nec de eorum excessibus poenam reportet per eosdem contra Ecclesiam perpetratis. Dominus vero Innocentius omnes venientes ad gratiam apostolicae benignitatis brachiis apertis admisit, omniumque studebat animos quadam paterna mansuetudine demulcere. Manfredus sanè, qui propriis meritis electorum regni consortium videbatur aequare, immo cunctorum mores excellere omnesque praeire in spiritu & virtute paterna, ante omnia meruit à sententia excommunicationis qua tenebatur absolvi. Et quia omnia facta Caesaris annullarat Ecclesia & successionem damnaverat filiorum, dictus Manfredus absque nova sedis apostolicae concessione non poterat principatum Tarentinum licitè retinere, unde benignitas Ecclesiae, quae devotos & humiles promovere propensius consuevit, non obstante sententia depositionis Frederici & natorum à successione privationis, ratificavit & confirmavit dicto Principi omnem donationem sibi factam per patrem ante suam depositionem praedictam, concessitque sibi honorem montis sancti Angeli, & eum in Apulia Capitaneum pro Ecclesia stabilivit. Repetit ergo Manfredus Apuliam grandibus ab Ecclesiae liberalitate beneficiis honoratus. Qui licèt quantum ad communem opinionem in suscepto capitaneae officio nomen Ecclesiae profiteretur & omen, & verbo se officialem Ecclesiae appellaret, nihilominus tamen Apulorum corda, quae mobili semper rotatione vertuntur, ad devotionem & amicitiam suam quantum poterat attrahebat, in amore Sarracenorum de Luceria, qui judicia fidelium Ecclesiae mente semper dubia formidabant, potissimè se involvens, quorum voluntates in sui nominis devotione roborare toto non deses studii laboravit affectu. Hic adeo gratiosus crescebat in oculis Apulorum quod nonnulli dicebant eo audiente frequenter: Nolumus alium Regem, nec alterius dominium nisi illius Principis affectamus. Ille & nullus alius Rex proculdubio noster erit. Deus conservet eum pro libertate nostra. Non enim nobis competit clericorum dominium. Sufficiant Ecclesiae Romanae spiritualia. Principi autem nato Imperatoris temporalia libera derelinquat.

Interea Dominus Innocentius quendam de genere suo Capitaneum praemittit Neapolim. Ipse vero apud sanctum Germanum cum curia tota venit; ibique per Comites & Barones, qui sibi obviam tanquam regni domino occurrebant, reverenter & venerabiliter extitit visitatus. Cum quibusdam Baronibus quidam de majoribus ex iis nomine B. de Augione convenerat, qui vivente Corrado de orta Manfredi ejusque defectu in contumeliosa improperia contumeliosè proruperat. Contra hunc sanè Manfredus habens animum conturbatum inimicitiae jaculum, quo eum opportunitate captata posset offendere, demum gestabat occultum. Occurrens ergo Manfredus summo Pontifici praelibato, quadam vice prope sanctum Germanum B. de Augione praedictum inermem habuit obvium, ut volebat, & opprobiorum non immemor, sed ex eorum memoria cordis dolore tactus intrinsecus, suis illico armigeris quod in dictum B. irruerent gladiis eumque ignominiosè tractarent. Occubuit ergo Manfredinorum gladiis nobilis memoratus; & Manfredus judicium formidans Ecclesiae in hac parte fugit Acerras. Dominus vero Innocentius accessit usque Neapolim; ibique fuit ex Manfredi parte diversorum tractatuum sollicitatus instantiis, & quod sub certis pactis Manfredum ad sua mandata reciperet requisitus. Sed quia excessus gravitas magna erat tum ratione occisi, qui erat de primatibus regni unus, tum etiam ratione ejus quod in conspectu Romani Papae fuerat tantum maleficium perpetratum, necnon quia si facti tam gravis enormitas non sortiretur media justitia poenam suam, magnae turbationis scandalum inter regni majores, quibus ferè omnibus dictus B. consanguinitatis vel affinitatis linea attinebat, oriri poterat & moveri, Dominus Innocentius praefatum Manfredum sub conditione vel pacto recipere noluit ad mandata, sed in hoc semper proposito firmabatur ut Manfredus praedictus Marescalli sui mandata praecisè faceret ac de commisso facinore juri pareret omnino. Tractatus & tractus hinc inde fuit eximius. Sed Manfredus judicium fugiens noluit stare juri. Dubitabat enim se sine pactis Marescalli Papae committere potestati. Cùmque Manfredus non posset in terra Laboris tutè propter Ecclesiae potentiam remanere, animasque suus semper ad gaudia tenderet, qui nec ad humile flecti poterat, nec in humili remanere didicerat, in Apuliam sua continuavit effugia. Ubi cum nulla civitas vellet ipsum contra Ecclesiam receptare, nec posset etiam tutus in aliqua remanere, quia sunt imbecillia corda ferè omnium Apulorum, consultè petiit Sarracenorum tutamina, quorum audaciam formidolosa illorum de ducatu Apuliae consuevit segnities formidare. Fuit ergo per eos in Luceria receptatus & Frederici veneratus ut heres. Cùm enim Sarraceni, potissimè qui sunt in civitate praedicta, imperiales esse dicantur, quique aliàs de ritus more abhorrent Ecclesiam, quae consuevit & debet eos exacto sollicitudinis studio persequi & omnino delere, cogitare merito poterant quod si regnum, sicut credebatur, ad manus Ecclesiae pervenisset, vastasset eorum in Apulia proculdubio incolatum, & eos tanquam proditionis filios dispersisset. Et ideo causam non mirum exquisitè quaerebant qua se qualitercunque possent ab Ecclesiae potestate subducere & se sub alicujus dissimulatae fictionis colore alterius subjicere ditioni. Postquam igitur Manfredus contra Ecclesiam erecto inobedientiae & rebellionis calcaneo se pervertit & sua cum Sarracenis foedera roboravit, nonnulla loca & quamplures nobiles Apulos ad se convertit aut spontaneos aut coactos. Dominus enim Innocentius, qui tam contra eundem Manfredum quàm contra receptatores & complices ejus exercitum indixerat per contradam, morte praeventus, votum Ecclesiae adimplere non potuit: sicque eo mortis morsibus apud Neapolim expirante, sedis apostolicae propositum expiravit. Dilatat ergo Manfredus sicut infernus os suum, & dilentat suas per Apuliam phylaterias, Barones & terras callida seductione sollicitat. Volat audax aquila, quae nondum aetate plenè coeperat adulta pennescere, & rapaces ungulas assuefacit ad praedas, suarumque alarum robore Apuliam totam concutit, quorum jam sentiebat strepitum principatus.

Odor. Raynald. ann. 1254. §. 67.

VI. Sed mira illius potentia cujus dextera beatum Petrum ambulantem in fluctibus ne mergeretur erexit, quae licèt permittat Ecclesiam temporalibus aliquando turbationibus affici & ventosis quassari plerumque procellis, ejus tamen naufragium omnino non patitur, adeo tunc fratrum cita concordia unoque conciliavit affectu quod sine magnae morae praeter morem dispendio Dominum R. Ostiensem Episcopum natione Campanum, oriundum de quodam castro quod Genua dicitur Anagninae dioecesis, in summum Pontificem concorditer assumpserunt. Et ut no-

nova de more nominis impoſitio ſequeretur beatitudinis tantae faſtigia ipſum nomen ad litteram aequaret ſua interpretatione, praecellentiae tantae omen vocari meruit Alexander. Hic namque poſt aſſumptionem ſuam ductus ſaniori conſilio, volens anchoram regendae naviculae in tuo portus ſtatione locare & rudentem mandatorum ſuorum ad terram firmam extendere, ut per hoc ſuo & Eccleſiae diſcrimini praecaveret, quod propter volubilitatem illorum de regno & frequentem variationem votorum poterat in regno non immerito formidare, amotis à quibuſdam officiis Lombardis, & eorum Campanis loco praefectis, Anagniam retroceſſit. Interea vero Dominum Octavianum de Ubaldinis ſanctae Mariae in via lata Diaconum Cardinalem conſtituit in regno Legatum, cui praedicandi contra Manfredum & Sarracenos publicè verbum crucis plenam tradidit auctoritate ſedis apoſtolicae poteſtatem. Congregavit ergo Dominus Octavianus gentes innumeras, & copioſum exercitum apud Fogiam congregavit, cujus major & melior pars Tuſci dicebantur, qui maximè obtentu Cardinalis ejuſdem ſigno crucis aſſumpto convenerant & ſtipendiis etiamque nummis receptis, ut non propriis expendiis in Eccleſiae Romanae ſervitiis militarent Campani quoque cum iis quos ſuo ejuſdem ſtipendiis in regnum deſtinaverat Dominus Alexander. Cum ergo exercitus pompoſus Eccleſiae in magna bellatorum multitudine totam contratam Fogiae complevisset, & crederetur omnino quod poſſet ac deberet juxta Luceriam obſidionis validae caſtra firmare, Manfredus, qui omnino gentibus inaequalis & viribus impar erat, aſſociatis ſibi Sarracenis, Theutonicis, & regnicolis quibuſdam ſuis complicibus, juxta Fogiam poſuit ſe in campis; & diu eram nondum bellorum expertus, eos in bellis, quod modo obſidione paucorum militum circumdedit, à quibus debebat & poterat obſideri. Verum quidam Comites & nobiles Tuſci & Campani, qui erant agminibus exercitus praeſidentes, dum attenderent Manfredinos viribus & numero pauciores, ardebant inire bellum & cum propinquis hoſtibus concertare. Immo extranea inter ſe furiae concitatione fremebant prae nimio affectu confligendi & pugnam attentandi cum adverſariis manualem. Sed juſſu Cardinalis, qui conflictum animo deteſtabatur & verbo, accenſas magnanimitatibus in adverſarios voluntates prohibentur contra tantam hoſtium audaciam experiri. Demum vero ſine pugna praevalentibus hoſtibus ſola fortunali praeſumptionis audacia, quae contra eccleſiaſticos vigoris cotidie plus habebat, Cardinalis praedictus ſponte vertit terga Manfredo, & Apulia derelicta, uſque Beneventum fuga continuata perrexit. Manfredus vero inſequebatur denuo è veſtigio fugientes. Sed eo appropinquante finibus Beneventi, Cardinalis fugam reſumpſit verſus Aliphium properando. Cum enim arma non ſedeant humeris clericorum, nec expediebat nec tutum erat quod praeferretur in tanto negotio Cardinalis gentibus bellicoſis & quod praeeſſet exercitui bellatori. Clericus quidem nec ſe poteſt ad pugnam nec alios animare, cujus exercitium liber eſt tantum. Et ideo imprudenter capitaneae recipit praeſidium, & minus providè ſibi militia regenda committitur. Quod ſi quandoque talibus quorum uſus ſpiritualia & iis annexa cenſentur ſubiiciatur regendus exercitus, non eſt mirum ſi ſub eorum magiſtratu multitudo fiat debilis induſtriis animationis vocibus non adjuta, & tanquam exanimis & imbecillitate regentis occumbat & corruat paucitati. Verum adhuc habet relatio plurimorum & quorundam divulgata opinio quod quando Manfredus Romanam curiam viſitavit, Dominus Octovianus propter plura merita quibus Manfredus alios praecellebat in ejus adeo exarſit amorem quod pro eodem ardua ſtuduiſſet liberaliter exercere. Unde aſſeritur quod illius amoris inſtantia quem in eo conceperat & dilectionis etiam inſtigatus quam dominus Cardinalis praedicti ad Fredericum habuerat, cui ſub Gebellinitatis nomine quantum poterat adhaerebat, idem Cardinalis ſtatum Manfredi affectans ad ſublime tranſcendere, ſibi ceſſit in regno, & cum potuiſſet proculdubio feliciter habuiſſe triumphum, ſi congregationem tantam fidelium cum gente Manfredi permiſiſſet pariter commiſceri, regnum demum & fines regni Manfredo ſpontanea liberalitate dimiſit, rediitque in Campaniam quaſi victus. Manfredus ſanè, ut de ejus generoſitate, quae per ſuperiora patet, jam calamus conquieſcat, fuit in ſui ſtatu benignus, cujus forma decora eum benignum neceſſario demonſtrabat. Fuit etiam virtuoſus. Nam moribus & ſcientia decorare ſtuduit animum antè quàm eum regni cupido perverteret ac orbaret. Fuitque magnanimus. Quod evidenter apparet ex eo quod tantum negotium eſt aggreſſus. Nec minus ſe familiaribus exhibuit gratioſum, qui gratiarum erat in ſe dotibus circumfultus. Unde tot perſonae ſuae meritis propenſanis, ut fertur, Dominus Octovianus volens ardua praeſumere pro eodem, cauſam dedit propter quam, exercitu Eccleſiae cedente Manfredo, Manfredus ipſe totius regni dominus remaneret. Sed ut cedat opinio veritati, ſanius eſt credere quod idem Cardinalis potius ex ſui exercitus debilitate diffiſus, attendens ſuorum armatorum numero ſemper detrahi, exercitum vero Manfredi continuè adaugeri, dimiſſo regno cum incolumitate ſuorum celerit Manfredinis quàm ſimulata fuga, ut Manfredi conditionem erigeret, regno abſceſſerit fraudulenter. Iniquum eſt enim quod aliena vi conſtat impoſitum trahere ad delictum, & quod homini vitio deputetur quod ejus voluntate non regitur, ac illud periclitanti quis imputet unde evadere raro detur.

Manfredus igitur ex tam amicae proſperitatis arriſu, affluentibus undique commodis, laetabatur. Sed cum ejus tanta proſperitas recens eſſet, nec haberet Corradino ſuperſtite colorem aliquem ſub cujus ſaltem fictitio tegumento aſſumptum ad dominandum toti regno animum occultaret, ſe tutorem nepotis ſui Corradini eſſe confinxit & hereditatis ſuae legitimum protectorem. Praetendens igitur ſibi, quo nullus de genere paterno ſupererat propinquior Corradino, hujus tutelae curam ineſſe ac protectionis ejuſdem onera ſuis ſcapulis imminere, Siciliam & Calabriam regnumque totum, cujus incolas ut cogitationes conceptas . . . . . explicaret quando poſſet ſemper agitat motu arundineo mobilitas naturalis, ſub alarum ſuarum invaleſcenti jugiter principatu ſine diſpendio bellicoſo & abſque ſumptuoſo labore concluſit. Nondum enim dolum quem ſub tenebroſis fraudibus geſtabat interius, & quem ſtudebat providè tegere ſub coloratae imagine ſpeciei, ſimulata pietas propalarat, ſed mentita Corradini protectione tutoria univerſa deludens ut regnicolarum corda fragilia concitaret ad deſideria promiſſorum libertatis & munerum inderentur praemia promittebat. Verum totius jam difficultatis in regno cacumine deplanato, ſumpta inhumaniter audacia malignandi, non ſervavit poſtmodum congruentiam nec modum, ſed totam regni nobilitatem tyrannide furibunda depreſſit. Et dum in eo temperantia mediatrix denuo prophanam carnis ſuſpicabatur offenſam, nec ejus delectationes illicitas nec voluptates fervidas potuit refrenare, nec moderata dominatio adverſus libidinem alios non rectos impetus animi compeſcere potuit nec motus ejus. Namque invaleſcente ſaevitia ſanguinis atrocitas & libidinis incentivum jam eidem adimere coeperant quicquid ſtudioſus virtutibus compararat; & à ſe ipſo priore vita & moribus diſſidens, virumque mutatus in alterum, univerſos regni magnates in quorum animis eccleſiaſtica fervere devotio credebatur aut perpetuo relegavit exilio aut horribilibus mortis poenis tum per inſidias clandeſtinas maceravit, tum aliis ſaevis & apertis debacchationibus interemit. Sed nec pepercit illis qui erga factum infantis zelo pietatis accenſi & eum in Alemannia feliciter vivere ipſumque regni fore legitimum ſucceſſorem quoquo modo praetendere videbantur. Hos enim non ſolum infra regni fines ſed etiam ubicumque uſque perſe-

qui ad fata exitialia nisus sub. Nam Comitem Petrum de Calabria, virum olim in curia Corradi & Frederici etiam praepotentem, qui Corradini aliquandiu coeperat administrare tutelam, apud Terracinensem civitatem exilio profugum, per quendam Petrum de Castellionata civem Salernitanum Domicellum & familiarem ejusdem Comitis procuravit interfici, & fratrem ipsius Comitis Jordanum Rubeum nomine oculorum amissione confecit. Civem vero praedictum confugientem ad eum nece sui domini tam crudeliter perpetrata militiae cingulo decoravit. Deinde per totum regnum mandavit edictum generale proponi quod nullus Corradinum de caetero nominaret, sed Manfredum ipsum omnis regni praedicarent heredem & hereditatis paternae pariter successorem, & qui contra faceret esset sibi merito proditione suspectus & ut suus proditor puniretur. Sicque frequenter fecit litteras in personis aliquorum nobilium de Alemania fabricari, quarum simulata relatio praeteritum proximè obitum mentiebatur infantis; quas litteras tamquam certissima nuntiantes faciebat denuo in civitatibus divulgari. Cum autem erronea regnicolarum credulitas fictam mortem Corradini supponeret esse veram, totamque regni nobilitatem saeva tyrannidis astutia momordisset, immo diris excidiorum faucibus sorbuisset comitatus, baronias, & feuda exulum & occisorum, Lombardis quampluribus, quorum quosdam extrema paupertas devehebat in regnum, nonnullos vero proscriptos à propriis partialis dissensio impellebat, liberaliter distribuit & dispersit. Sed non mansit propterea ejus justitia in aeternum. Advocavit etiam hujus largificae dispersionis in sortem quosdam de Sicilia de domo illorum de Malecta, & alios quamplures de regno, quos nova devotio vel actus pestifer & nefandus sibi gratos & familiares effecerat, ab ejusdem liberalitatis participio non exclusit. Verum Lombardi praecipuè sub consanguinitatis & affinitatis imagine ultronei ad Manfredum elationis assumptae fastigio gloriantem in paupertatis habitu confluebant. Sed dum civitates & loca Tusciae & Lombardiae quae Frederico & Corrado jam mortuis viribus tepescebant, & quas felix fortuna Manfredi sola fama calefecerat, à remotis per nuntios & litteras ipsi Manfredo signa fidelitatis & devotionis offerrent, & contra viciniam inimicam ab eo militum subsidia flagitarent, Manfredus ipse non ad subveniendum exteris nec ad offendendum loca extra regnum intendere voluit, sed curiosè coepit de coronatione sua indefessae sollicitudinis studio cogitare. Haec enim erat curarum cura, quae ferventer suo pectori inhaerebat, & arduo cogitatu fluctuantem in successionibus placidis spiritum coarctabat. Interea vero Domino Alexandro Anagniae commorante, cum jam per universa mundi climata firmiter crederetur quod Manfredi felicitas odiosa nimium facta esset Ecclesiae ac infesta, ex parte Corradini agentis sub annis in Alemannia pubertatis duo nobiles Alemanni, quorum unus Croccus, alter Bonscianus vocabatur, ad ejusdem Domini Alexandri praesentiam imploraturi pro Corradino veniam hereditatis avitae mittuntur. Ecclesia namque tunc, pro eo quod Manfredus eidem plurimum reddiderat se ingratum, & ejus beneficia minimè recognoscens, eam privignali odio coeperat lacessere, regnum Siciliae fideli cuiquam potenti pro ipsius Manfredi exterminio concessisset. Sanè de fine praedictorum Crocci & Bonsciani libenter ulteriora non dicerem, ne forsitan patrium crimen detegam quod deceret mente silentiosa, currente ad reliqua calamo, pertransire. Sed ordo accurrentium rerum instat ut labia parata sermonibus, quae subsequentium series cupit esse rectiloqua, concivium notoria scelera veridica locutione depingant, ne fortè major vero volans ad longinquos ut plurimum infamia referatur. Erat igitur Romae quidam nobilis de domo Surdorum nomine Raulus. Hic profecto more Romano magnanimus & strenuus putabatur. Sed cum jam ferè sibi tota proprietatis substantia defecisset, cum aliena sequi necessario oportebat. Plus enim praeter Romanum morem in suis voluptatibus expendebat quàm possent bonorum suorum redditus sustinere. Fuerat quippe sub multa lubricae delectationis libertate nutritus, & ex eo maximè quod nepos erat Domini Richardi de Aniballis sancti Angeli Diaconi Cardinalis, cujus industria penè in urbe sibi vendicaverat inter omnes nobiles primatiam. Luxuriabat excessibus, & ex avunculi potentia sumpto vigore vitam agebat protinus dissolutam. Hunc autem Manfredus, qui eum audierat fore praesumptuosum pariter & audacem, postquam multos de urbe nobiles pro interficiendis dictis nuntiis Corradini ad ampla praemia invitarat, excitavit contra eosdem nuntios pollicitatione solemni magna munera offerendo. Memoratis ergo nuntiis versus Anagniam ad Dominum Alexandrum prosequentibus iter suum, praelibatus Raulus inter castrum Molariae & silvam Algiari, quorum tenementa & districtus dicti Domini Richardi & nullius alterius existebant, eosdem nuntios invasione subita intercepit inermes, quibus aliàs Romae spoponderat liberaliter auxilium personale. Croccus ergo improviso Rauli gladio periit, & Bonscianus fuit letaliter vulneratus. Sicque factum Corradini cum Ecclesia nuntiorum impedimento suspensum, deficientibus tractatoribus & internuntiis, ulterius non processit. Raulus adhuc maleficens, qui sub tempore pacis dictis nobilibus Alemannis cladem tantae crudelitatis intulerat, ad recipiendum pretium sanguinis versus Manfredum diffugio continuato perrexit. Cui Manfredus in remunerationem ejus quod sub suorum egerat audenter obedientia mandatorum comitatum tradidit Catacensem. Sed nec ipsum nec alios quos ad comitatuum excellentiam evocaverat potuit per vexillum, ut moris est, de ipsis comitatibus investire, cum nondum unctionem & coronam recepisset. Indicit ergo diem coronationis suae, quam apud civitatem Panormitanam Regum Siciliae sequens vestigia promulgaverat celebrandam. Ad cujus tantae celebritatis honorem non solum nobiles, sed Archiepiscopos & Episcopos, aliosque Praelatos, & viros famosos è regno jussit die ac loco praefixis absque ullo excusationis suffugio congregari. Demum adveniente die coronationis indictae magnates omnes apud Panormum cum Manfredo unanimes convenerunt. Sed de praelatis quidam promptè, minustamen providè, ad coronationem praedictam maturis gressibus properarunt, alii praetensa excusationis causa in propriis Ecclesiis substiterunt. Nonnulli vero iter veniendi Panormum continuaverunt usque Messanam, qui aut lentè aut pedetentim pergebant ut fieret coronatio sine eis, aut in aliquo loco de Sicilia, confingentes se fatigatos in itinere ac defectos, quaesita requie remanebant. Aliqui vero in die coronationis hujusmodi simulabant Panormi alicujus mole discrasiae se gravatos, ut saltem Missam coronationis & horam unctionis regiae evitarent. Ac quilibet Praelatus regni secundum quod magis minusve conscientiosus erat & devotus Ecclesiae se solemnitatis illius obsequiis remissius aut promptius ingerebat. In Ecclesia tandem Panormitana, quam Regum Siciliae porphyrea & anabathrica monumenta materia & arte pretiosa decorant, in Regem Siciliae per quosdam Praesules Manfredus inungitur, & per regni Barones assistentes Praelatis regali diademate coronatur. In testimonium autem unctionis & coronationis hujusmodi jussit chirographum confici rhetorico stilo contextum sub sigillis & subscriptionibus Praesulum & Baronum qui solemnitatis illius festiva gaudia fuerant comitati.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

I. DIGNITATIS regiae celebriter honore susceptο novus Rex partes Apuliae feliciter repetit. Et cùm ubique per regnum seditio tumultuosa quiesceret, & spes jam probabilis quietis gratae delitias propinaret, generale colloquium Baronum cele-

lebravit, multis ibi per eum decoratis honore militiae, & nonnullis per investituram vexilli ad comitatus excellentiam sublevatis. Post haec solemnem curiam apud Fogiam universis citra portum Rosseti nobilibus & locorum nuntiis convocatis indixit; ubi, ad honoris regii clarificanda fastigia, tam de conservatione justitiae quam de aliis publici boni compendiis statutis utilibus publicatis, de diversis partibus diversorum generum gaudia festiva conveniunt, ludentium choros & agmina distinerio purpurata laetificat. Quamplures ibi regenerantur honore militiae, nonnulli magnificantur excellentium fascibus dignitatum. Dies totus solemniter agitur; & post diei cursum flammificis facibus hinc inde lucentibus, ponderosa cerae concervata compagine, in agone ludentium convertitur nox in diem. Ne autem quietis & pacis longis laboribus quaesita compendia occasio potentatus exterioris infringeret, Rex Manfredus curas exercituales aggrediens, cum magnifico & praepotenti exercitu versus regni confinia consilio deliberato procedit. Erat in extremis regni partibus olim Rege Corrado favente civitas Aquilae in odium Baronum de illa contrata per ipsorum villanos de novo constructa, in qua de diversis castrorum circum adjacentium incolis, non absque quamplurium ex provincialium jactura nobilium & praedictorum Baronum, rusticorum adunata congeries in tantam jam multitudinem populosa concreverat quod de suarum virium temeritate superbiens se vicinis exhibebat horribilem & dominantis in regno dominio suis operibus indevotam, quin potius velut pars universo non congruens generalibus regni statutis reputabat indecens colla submittere, & singulares sibi vivendi formulas conficere praesumebat. Sperabat enim in praesumptae libertatis statu contra eorum dominos apostolicae sedis auxilio confoveri. Et ideo contra Manfredum etiam post suae coronationis tempora pertinax in rebellione jam facta, sub velamine devotionis Ecclesiae Regi parere contumaciter contemnebat. Ad rusticorum inquam domandam protervitam & per haec restituenda tactis quampluribus jura sua Manfredus victoriosus accingitur. Sed antè quàm civitatis moenibus ejus se vicinaret exercitus, tanquam populorum difformibus erecta particulis maceria ruinosa dispergitur, & dum volare super vicinos nititur, aquila plumis nudata solo deprimitur, universis habitatoribus, quibus tutelae veniam in personis & rebus clementia regalis indulsit, subito vacuata deseritur, & quae dudum plena populo stare nescierat, in combustionem & cibum ignis illico tradita sola sedet. Ea sic itaque redacta in nihilum, Rex Manfredus in Apuliam exercitu dissoluto revertitur, ut membra bellicis fatigata laboribus quietis gratae dulcedine placidissime solatiis restauraret.

II. Interea Regis Manfredi animum imperialis sanguinis fastigiis conjunctum & à primis naturae vestibulis assuetactum desiderare magnalia, de remotis partibus honoris & gloriae cupido sollicitat aut semper plus appetens noxius appetitus quo humana quies atteritur, & bonum libertatis pulcherrimae sugillatur, inducit eum ut plura cupiat quo plus habet. Nam cum posset ejus affectibus tam nobilis regni blandiri possessio & copiosa tantarum rerum opulentia delectare, ad curas negotiorum Italiae, ubi quondam dignitatis paternae praefulsit auctoritas, mentis suae dirigit intellectum. Qui utinam terras Ecclesiae non vexasset. Extendit enim potentiae suae robur ad Ligures, fimbrias dilatat ad Tuscos, & vicinitate suarum virium miserabiles concutit Marchianos. Per universas namque provincias de antiqua & erronea consuetudine à temporibus Frederici votis hominum divisis in partes, remanserat in Liguria Ubertus Marchio Palavicinus, vir utique prudens & nobilis, quamquam Gebellinus & partis Ecclesiae persecutor. Qui propter fidem imperialem & sua servitia Caesari quondam impensa de Frederici munificentia beneficia multa receperat, & Augusti quoad vixit ac posterorum suorum honorem prompta cordis affectione zelabat. Remanserat etiam in Tuscia pars Gebellinorum, & civitas Senensis praecipuè, quae cum tempore senescens Gebellinitatis in fide semper erga Imperatorem & heredes suos in servitiis innumeris & devota manebat, ac è contrario sedi apostolicae indevota. Erat quoque in Marchia Anconitana partium obstinata dissensio, quae, dum haec unum, illa vero aliud appetunt, inter se rediviva semper alteratione concertant. Ab illarum itaque regionum partibus tam ob fidem imperii quam erga Fredericum habuisse praetendunt, tam ad ultionem injuriarum quam de suorum hostium depressione concipiunt, Rex Manfredus instanter requiritur. Offertur sibi per nuntios eorum antiqua devotio, & vires auxiliares ipsius ad regionum earundem regimina postulantur. Favet iis inter diversa consilia Regis affectus, ut successorem se paternae dilectionis exhibeat, & ne oblatae sibi victoriae gloriam negligenter abnuere videatur, ad provincias ipsas vires suas porrigit in suorum subsidia devotorum. Habita itaque deliberatione consilii praedictum Marchionem Palavicinum in Lombardia Capitaneum & magistrum Gebellinorum statuit, Jordanum de Anglano consanguineum suum, cui comitatum sancti Severini concesserat exulante Rogerio Comite comitatus ejusdem, transmisit in Tusciam, Percivallum de Oria affinem & familiarem suum in Marchiam, generales loco sui vicarios destinavit, deputata eorum cuilibet equitum quantitate non modica, quibus stipendia menstrua providit assiduè de aerarii sui sumptibus eroganda. Sub horumque vicariorum manibus & arduis praefecturis coepit continuè Regis honor augeri & Ecclesiae injuria crescere ac Guelforum depressio augmentari. Crescebat etiam favor Gebellinorum & Regis ejusdem, & rumores prosperi successivè de singulis cor Regis exhilarant & potentiae suae vires illustrant. In Marchia namque cum sola civitas Camerinensis aliquandiu dicto Percivallo parere pertinaciter recusasset, ac per districtum suum, quem collium & montium inaccessibilium quoad equites praerupta convallant, Theutonicorum & Sarracenorum agmina frequenter currentia per contratam graviter offendisset, tandem assumpto in Potestatem quodam nobili de Camerinensi districtu nomine Raynerio Hugolini, qui à popularibus civitatis ejusdem dispendiosè aliquando fuerat provocatus, Percivallum praedictum cum tota ejus militia civitas ipsa recepit. Verum incolae, qui & Percivallum & nobiles vicinos offensis innumeris non expaverant lacessere, illico post Theutonicorum ingressum plurimum expavescere, forsitan meritò, inceperunt. Et dum vicarius Regis praedictus quosdam archipopulares & protorusticos ad se vocari fecisset, qui tam deformis populi ductores & capita dicebantur, modo ille, modo alius, secundum quod credebat se quis magis dictum vicarium & vicinos nobiles offendisse, interdum omnes subita fuga succincti velut examen apum quod valido vento dispergitur, civitate relicta, per diversa convallium loca & montium cacumina dispergunter. Hanc itaque civitatem, quam solam populus suus sponte dimiserat, dictus Percivallus redegit protinus in ruinam. In Lombardia quoque sub Marchione praedicto magnificentiae regiae viribus ampliatis, sic ejus arrisit prospera fortuna successibus quod in eodem quoque loco ubi olim Parmensis audacia imperialia castra combusserat ignominiosae cladis exitia amissione carrocii & expugnationis validae pertulit detrimenta. Sicque vindicata viriliter injuria patris à filio, locus ille, qui nominatus nominatione victoriae visus fuerat Imperatori illusisse, grandem Regi praedicto de hostibus gloriam victoriae reservavit. Civitates etiam Cremonae, Papiae, Placentiae, Brixiae, & plures aliae sibi reverenter obediunt, & nomen ejus ultra quam credi posset triumphabiliter exaltatur.

III. Sub ejus quoque felicitate fortunae cecidit pestifer ille tyrannus Azolinus de Romangia quolibet fevero crudelior, cujus impietatis rigidae, severitatis horridae, & vindictae inexorabilis acta describere longum Odor Raynald. ann. 1259. §. 2.

per

per ſe tempus exigerent, magnique complexu voluminis indigerent. Sed primò neceſſarium videretur pectus armare duritia quàm rebus tam aſperis, tam nephandis, tam triſtibus apponere calamum vel auditorum animos applicare. Hic ſiquidem ab Imperatore Frederico ditatus & promotus in altum, cujus nutibus tota ferè Teruiſina Marchia ſerviebat, poſt infinita & inuſitata pœnarum genera, quorum narrari poteſt à poſteris nephandae crudelitatis exemplum, jam Regi Manfredo devotionis ſolitae ſigna non exhibens, dum collectis undique viribus contra Mediolanenſes infeſtis auguriis proceſſiſſet, prope caſtrum Caſſani in manibus Cremonenſium, qui ſub praeſidatu Marchionis praedicti in auxilium Mediolanenſium potenter exierant, prope flumen Adae miſerabiliter incidit; ubi lethaliter vulneratus, ductuſque Sintinum, morti ſuccubuit, qui raptor fuerat vitae meliorum.

IV. Eodem quoque tempore civitas Florentina cum parte Guelforum non minus vitiis quàm deliciis affluens ſic ſuperſtitioſa jam cœperat tam multitudine populi quàm ſuperbiae vento plena conſurgere quod de ſuarum virium temeritate laſciviens, & de elati ſpiritus ſuperfluitate confidens, dedignabatur parificare ſe aliis, quae ſuppeditare ſibi vicinos multipliciter ſatagebat; ac in tantam jam venerat arrogantiae inflaturam quod aliquando cogitare non metuit uſque ad Romanos ſui alas extendere potentatus. Hujuſmodi itaque temeritas actibus faſtuoſis incumbens, nec futuros eventus debita circumſpectione praemeditans, ſuis omnibus fautorum ſuorum & complicum viribus congregatis ad obſidionem civitatis Senenſis, commorante ibi memorato Jordano Comite cum ſtipendiariis regiis, viriliter attentavit accedere; factaque ibi mora quam voluit, & uſque ad civitatis ejuſdem mœnia depopulatione peracta, exercitu diſſoluto receſſit. Cumque poſt modicum temporis Florentinorum ipſorum audacia cum Lucenſibus, Placentinis, Piſtorienſibus, & aliis complicibus ſuis de Tuſcia, quos in contumaciam ſuam non minus coactos quàm ſpontaneos attrahebant, cum exercitu numeroſo, qui armatorum triginta millia continebat, ad muniendum caſtrum Montis Alcini victualibus & aliis opportunis, quod Florentini praedicti tunc in eorum poteſtate tenebant, per territorium Senarum prope civitatem eandem ad duo ferè milliaria ſuperbè procederent, qui per aliam tutiorem viam illuc indemnes accedere potuiſſent, contigit quòd dictus Jordanus Comes cum Theutonicis ſecum morantibus & Senenſibus populis cum parte Gebellinorum ſub felicibus Regis auſpiciis in Florentinos eoſdem & fautores eorum viriliter irruentes, ipſos commiſſis hinc inde conflictibus expugnarunt. In cujus expugnationis eventu ſic Florentinorum potentia deflorata commarcuit quòd ex eis eorumque complicibus, praeter occiſos gladio, quorum non fuit numerus praefinitus, captivorum ſolummodo quos Senenſis carcer aſtrinxit quindecim millia & ultra numero computantur. Verſi ſunt inquam ſubitò dies ſolemnitatis ejus in luctum, ſallia in opprobrium, honores in nihilum, ita quod eorum ſuperſtitione depoſita, qui dum in honore eſſent non intellexerunt, jam ſumentes à vexationis jaculis intellectum, Regis Manfredi mandata devotè ſuſcipiunt, & reverenter ejuſdem placitis colla ſubmittunt. Igitur Regina Beatrice naturae debitum perſolvente, Rex cum Vatazo viro in Graecia magnifico & illuſtri habens de parentela tractatum, tandem M. filiam ejuſdem Vatazi, puellam jam nubilem, in annis tamen juvenilibus, illuſtrem & prudentem, ſuis nuptiis adoptavit, ex qua poſtmodum filios ſuſcepit & filias, ex quibus non niſi una filia ſupervixit.

V. Medio autem tempore, papali curia morante Viterbii, ibique Alexandro IV. ſummo Pontifice viam univerſae carnis ingreſſo, dum collegium Cardinalium, in quibus velut in montibus ſanctis Eccleſiae fundamenta ſunt poſita, habere inciperet de paſtoris ſubſtitutione tractatum, & inter eos vertiginis ſpiritu & invidiae livore ſuffuſo, non poſſent in aliquem de gremio convenire, contigit quòd Hieroſolymitanus Patriarcha natione Burgundus, qui tunc ad curiam ipſam pro Eccleſiae ſuae negotiis promovendis acceſſerat, concorditer eſt ad apicem apoſtolicae dignitatis aſſumptus. Sic itaque factus de petitore conceſſor, de ſubdito dominus, de filio pater patrum, Urbanus IV. meruit nominari. Cùmque poſt haec viderentur jam omnia regni negotia ſic firmiter, ſic tutè diſpoſita ut ex nullo videretur angulo dubitandum, Rex Manfredus deliberato conſilio Fredericum Malecta Comitem Bizani conſanguineum ſuum cum quadam quantitate Theutonicorum ad gubernandam Siciliam Capitaneum deſtinavit. Qui dum in partibus illis contingentia quaelibet prudenter & cautè diſponeret, dum ſe verſus montem Trapani, de cujus habitatoribus aliquid fortè contrarium fama referente praeſenſerat, ſe cum ſua familia vicinaret ac moraretur in campis, accidit quòd deſcendentibus ad eundem Comitem decem viris ex incolis dictae terrae, qui pro parte totius univerſitatis verba devotionis offerrent, cum ex longa ſed vitioſa potius conſuetudine nullius officialis ad montem incolae libenter paterentur aſcenſum, dum Comes ipſe familiaris inimicitiae, qua nulla peſtis occurrit proclivior ad nocendum, praecavere non poſſet inſidias, quidam inſolens juvenis nomine Goblus natione Theutonicus, qui Marchionis Bertholdi familiaris & intimus quondam fuerat, quem etiam dictus Comes Comeſtabulum Theutonicorum ex confidentia multa praefecerat, & in familiarium negotiorum conſortium admittebat, nacta tunc forſitan occaſione qua poſſet praeconceptum malitiae ſuae votum in actum producere, proditoria temeritate tentatus, cum quibuſdam ſequacibus ſuis in eundem Comitem ſub tentorii velo jacentem inopinatus inſiliit, ipſumque temerarius interemit. De cujus obitu cum rumor veniret in publicum, homicida praedictus & complices ejus ad montis ejuſdem excelſa unà cum praedictis nuntiis confugerunt, fruſtra credentes inter eos commiſſi facinoris invenire tutelam. Sicque montis ejuſdem habitatoribus in ſuae rebellionis malignitate detectis, ne ſcelus hujuſmodi remaneret inultum, & montis perverſitas in ſua ulterius obſtinatione perſiſteret, Fredericus Lancea Comes Squillacii, qui inſolentias regionis ejuſdem ab experto calcare praenoverat, de beneplacito Regis Manfredi Capitaneus in Sicilia ſubrogatur. Qui ſub fortuna regia viribus inſtauratis perurgens obſidionis inſtantia ſuperbiam montis ejuſdem per extremae deſolationis & exhabitationis excidium potenter edomuit, & ejuſdem facinoris patratores cruenti ſupplicii qua dignè meruerant caede confecit. De cujus minutis incolis juſſit Rex conſtrui civitatem novam quae vocatur regalis prope Bonreparium, in loco videlicet ubi veteris civitatis Apollinis veſtigia ſubſiſtebant.

VI. Jam tota Sicilia in pacis reformatione diſpoſita, & Frederico praedicto domeſticis reſtituto ſolatiis, Richardus Filangerius Comes Marſici ad ejuſdem regimen deliberatione provida deſtinatur. Dum autem Ricardus idem officii ſui partes impleret, & Rex Manfredus in Apulia feliciter ageret, credens ſic omnia in regno diſpoſita ut ex nulla timeri poſſet parte turbatio, novus & inopinatus in Siciliae partibus ignaviae morbus invaluit & erroris mirabilis ſtupor irrepſit. Dum enim quidam pauper Johannes de Cocleria nomine infimae conditionis & abjectae fortunae mole depreſſus ac inopiae ſqualore mendicus per civitates & loca cotidianum ſibi victum oſtiatim quaerendo diſcurreret, ex concordibus forſitan vultus & aetatis indiciis, per quae fallax opinio in uno eodemque ſubjecto diverſas plerunque formas ſimilitudinis conformitate mentitur, audivit pauper ab aliquibus obviis qui eleemoſynarum ſibi ſuffragia porrigebant Imperatori praemortuo ſe fore conſimilem. Cùmque videret in opinantium ore verba crebreſcere, mutavit repentè mendicus animum, & quaeſitus eatenus ſuper iis reſponſa negativa diſſimulabat, quate-

tenus verisimilia faciat quae dicuntur. Oritur ex ejus negatione suspicio; & cum nitatur hominis appetitus in vetitum, eo magis insurgebat de ipsius ambiguitate credulitas quo major inficientia tradebatur. Jam rumor de verbo in verbum mutua confabulatione dispergitur. Discedit pauper à frequentia hominum, barbam nutrit; & ut concepta liberius valeat fabricare mendacia, loca petit vicina silvestria, firmat in monte Gibellio, qui aliàs Æthna dicitur, dolosè latibulum, & imperiales sibi mores & verba quae veritas & natura non dabant adultera fictione componit. Jam falsus per Siciliam rumor increbuit. Visitatur pauper in tenebris, honoratur plus solito, & rerum victualium, quarum pressus priùs inopia fuerat, copiosa per aliquos opportunitate fulcitur. Adhuc plures exules, quos perfidiae aut invidiae macula de naturalibus terris vicinis ejecerat & in nemoribus latitabant, praecipuè Bartholomaeus de Mileto & fratres nepotes quondam veteris Petri de Calabria-Comitis apud Tarracenam perempti, ad simulachrum audito rumore concurrunt, falsitatis causas explorant, quaesitas inveniunt, & velut qui fluminis impetu prolabentes apprehensa jam stipula turgidas credunt undas evadere, adhaeserunt exules monstro mendacii, & quas solus fortè formare non poterat, jam plures sibi additi fomites falsas roborant fictiones. Ecce jam plenum falsitate portentum Imperatorem intitulant, colunt ut praesidem, reverentur ut dominum. Et ut securiora dent incrementa principiis, excelsum montem Conturbii, quem olim exhabitari fecerat Imperator, pro tutiori statione conscendunt; per quos imperiali sigillo vitiosè conflato sub consueto titulo Caesaris litteras per diversas partes Imperator phantasticus subdola formatione conscribit. Et ut facilius audientium animos novae fraudis adinventione corrumperet, indicat se olim habitu simulato ut divinae permissionis oraculo ad expianda delicta novum annum in peregrinationis exercitio peregisse. Sicque plures regni civitates & nobiles de fidelitate sollicitat, & sub isto colore requirere non formidat. Hoc quippe fraudis & erroris involucro multa confinia loca Siciliae callida machinatione corrupta; necnon & remota etiam, nisi necessarium praevenisset antidotum, surrepens morbus occiduus infecisset, cum essent quamplures quos ad credendum simplicitas incauta conduceret, & nonnulli quos, si super hoc scientia certa non falleret. simulantes se tamen nescire quod noverant, ad aliorum sequelam violatae jam mentis contra Regem Manfredum invidia trahebantur. Cumque super hoc Regis ejusdem aures relatio inopinata perstreperet, & ad longioquas quoque provincias figmenti hujus novitas pervenisset, ad subvertendum idolum & cultores ejus dictus Richardus praeses provinciae instanter accingitur. Et cum ad summitatem montis ipsius, in quo jam Domini Regis aemulorum quantitas convenerat, tum ex praeruptis saxosae rupis objectibus, tum ex viarum artissimis intervallis, sibi & suis impugnare volentibus facilis non pateret ascensus, obsidionem ibi satis urgente exercitu congregato firmavit, inclusosque coercuit, ut nulla victualium quantitas quibus miseram regere possent mediam ad eos more solito portaretur. Cum autem nimis esset inelegans, nec etiam regia fortuna permitteret ut ejusdem rei perniciosa temeritas, quae turpe nimis habuerat in sui fictione principium, non absque multorum jactura concresceret, & horridi figmenti convicium ulterius transiret inultum, contigit quòd dum senex ille versutus apud Castrum Johannis cum suorum comitiva sequacium per devia fruteta procederet & honorificè fuisset à civibus in illa vana pompositate receptus, dum frustra crederet suis tempus inantea servire versutiis, dictus R. Comes illuc cum suorum equitum comitiva procedens, conspirantibus contra senem praedictum postmodum tanto errore detecto Guillelmo Malucocina & Andrea de Bartholucio habitatoribus castri praedicti, conflictu cum hostibus violento praehabito, praefatos senem & complices ejus ibidem prudenter & strenuè intercipi procuravit. De quorum captionis eventu Rege consulto, licet in spectaculum servari res opprobriosa potuerit, quia tamen dignus non erat vitae residuo, qui tam sibi quàm pluribus aliis fuerat causa mortis, poenas dignè sortitur quas justè meruerat, furcarum patibulo suspensus interiit; & sequaces suos numero undecim, quos figmenti participes & officiorum jam assumptorum collegas habuerat, ejusdem supplicii non dimisit expertes. Ad haec Rex Manfredus firmato consilio post supplicia praedictorum partes Siciliae personaliter repetit ut provinciam ipsam ab omni contagio perversitatis expurget & in statu pacifico suae praesentiae visitatione confoveat. Veniensque Messanam, ante omnia praedictos Guillelmum & Andream, quorum proditione Imperator ille phantasticus & sui collegae capti fuerant in conflictu, ultimo supplicio, priùs oculis evulsis, affecit, ut eis de caetero perniciosae proditionis innata nequitia, quam ferè uno eodemque tempore tam contra honorem Regis quam postea contra praefatum senem miserabilem exercuerant, non prosit ad tutamina personarum. Apud Panormum verò multa Regi & varia donaria praesentantur. Sed in uno exenio potissimè hominum admirabantur obtutus. Henricus enim de Albe vis dives agri & auri ac abundans pecoribus in villa Mazariae centum mulos singulos singulis insidentibus centum sclavis in suae naturalis nigredinis deformitate formosis Regi Manfredo pro devotionis & fidelitatis pignore praesentavit. Sic igitur regione ipsa disposita, Rex Manfredus ad consueta solatia lacus pensulis, quae copiosa venationis habilitas, originalium fontium amoena frigiditas & placidi situs numerosa temperies grata reddunt, aestate succedente revertitur. Dumque toto jam regno in statu tranquillo salubriter stabilito Regem ipsum de remotis & exteris ad quae jam suarum virium habenas extenderat studium debitae curiositatis accingeret, parentelam cum Rege Arragonum tractatus hinc inde per nuntios praemisso primordio contrahit, & filiam suam Constantiam, quam ex prima consorte sua Beatrice filia quondam A. Comitis Sabaudiae Imperatore vivente susceperat, Domino Petro primogenito dicti Regis Arragonum solemni matrimonio copulavit.

VII. Post haec Rex ipse Manfredus, quem papalis curia, etsi per se calcare non valeat, diffamare propter ingratitudinem meritò lacessita contendit, cui etiam temporis & rerum eventus invidiae zelum cotidie sua crescente felicitate concumulant, citatur ad praesentiam Domini Urbani summi Pontificis, citatione videlicet publica, ut est moris, quae alloquio tantùm papalis praedicationis expressa & inscripta cedulis affixis prae foribus majoris Ecclesiae Urbis veteris, ubi tunc sedes apostolica morabatur, ad eundem Regem nec litterarum nec nuntii alicujus, cum non consueverit hoc Ecclesia facere, visione pervenit. Cumque nollet Rex ipse super hoc de arrogantiae seu contumaciae culpa videri culpabilis, quem papalis curia temporis opportunitate captata satagebat in quantum poterat & debebat infamiae nota lacessere, nuntios suos ad sedem apostolicam consulta deliberatione praemisit. Et quia jam Ecclesia tractatum cum Karolo filio Regis Franciae Provinciae Comite per idoneos nuntios de concedendo sibi regnum habuerat, Rex Manfredus credens praecavere futura, praeter mores quibus erat imbutus ab ipsis cunabulis, se humilians, per nominatos nuntios fecit summo Pontifici supplicari ut ex quo ipse Rex personaliter jubebatur accedere, de securo & habili loco, in quo cum familia & gente sua posset commode juxta suae dignitatis exigentiam hospitari, benignè sibi pater apostolicus provideret. Paravit tamen se Rex ipse magnificè, ut, si expediret, non solum curiales, sed & posset terrigenas casu accidente viribus superare ac usque ad regni confinia cum maxima equitum & peditum comitiva processit, considerans quod ex vicinitate locorum poterat habilius super iis nuntiorum expectare responsa & ibi de ulteriori processu vel mora quod sibi melius expediret

con-

consulta deliberatione pensare. Cùmque non deceret Ecclesiam quae processerant de labiis summi Pontificis irritare, qui cum Comite Provinciae concessionis regni oblatione praeambula, cui super hoc non expediebat illudi, solemnem per nuntios faciebat teneri tractatum, excusantium praedictorum allegationes pro Rege idem summus Pontifex non admisit: quia dum Ecclesia voluit, idemque Rex potuit sedi se reconciliare praedictae, consilio & suasione quorundam Comitum, quos ipse Rex bonis nobilium exulum non jure praefecerat, quibus exulibus restitui per Regem integrè bona sua inter alia pacta Ecclesia contendebat, Rex praedictus ipsius Ecclesiae beneplacita parvi pendit, nec annuit postulatis. Cùm autem postmodum visus est velle sub exquisitis eum omni diligentia pactis sedis ejusdem se subjicere voluntati, ejus humilitatem tunc repudiavit Ecclesia, quae se sibi tempore congruo humiliare nequivit. Sicque ipsum Regem, cuem novorum Comitum reddebant non recta consilia pertinacem, tamquam jam praescitum ad malum summus Pontifex excommunicationis vinculo innodavit. Cùm igitur super hoc nihil sibi devotio simulata prodesset, quem de caetero nitebatur Ecclesia omni qua posset impugnatione concutere, repetit Rex fremens contra Ecclesiam partes Apuliae sic ligatus, ut circa alia negotiorum suorum studia & circa demoliendam Ecclesiam curas liberius suae provisionis impendat.

VIII. Interea Corradus de Antiochia Comes Albae Regis ejusdem nepos, qui pro capitaneo fuerat destinatus in Marchiam, dum ad castrum Monticuli habitatorum copia & montuosi situs eminentia communitum sub confidentia solita & spe securitatis accederet, fuit ibi cum aliquibus familiaribus suis per incolas loci subita & inopinata proditione detentus. In cujus subsidium ad mandatum Regis magno & praepotenti exercitu congregato Galvanus Lancea Comes Principatus & Fundorum Marescallum regni socer ejusdem Corradi, cujus cordis intrinseca gravi captio violenta pupugerat, pluribus aliis Comitibus aliisque regni nobilibus sociatus accessit; sicque per eum juxta castrum Monticuli exercitus obsidione firmata, & ingenti depopulatione peracta, ibique protracta mora usque ad urgentissimam hyemis instantiam tempestatis, dimissa quoque in Macerata magna equitum comitiva ad impugnationem Monticuli, & captis quampluribus ipsius regionis nobilibus, qui factionis ejusdem capita dicebantur, dictus Galvanus & alii de comitiva sua soluto exercitu, cum castrum ipsum habere non posset, nec mora sua esset ulterius utilis, revertuntur. Contigit autem quòd idem Corradus, quem proditores sui ante depopulationis illatae dispendia liberare noluerunt, procurante solertia quorundam devotorum suorum qui circa ejus custodiam assistebant, somno vinoque sepultis excubiis, intempestae noctis silentio de carcere compeditus evasit, & fugientibus custodibus cum eodem, restitutus est beneficio libertatis.

IX. Dum Regi praedicto undique ad votum universa succederent, Dominus Richardus de Anibaldis sancti Angeli Diaconus Cardinalis, natione Romanus, nescitur quo spiritu ductus, quave intentione commotus, indefessae sollicitudinis studio vehementer instabat quòd praedictus Comes Provinciae negotium regni contra Regem eundem mora qualibet aggrederetur abjecta, offerens magna de suo peculio pro expensis dicti Comitis mutuare. Sed in eo mirari quis poterat quod cùm tota domus Cardinalis ejusdem nomen Gebellinitatis ab antiquo sortita Regi jamdicto studeret sincera devotione placere, idem Cardinalis, quo animo discute lector, adventum praefati Comitis procurabat, quasi suorum vetaretur excidia, quorum periculosa dispendia sub ejusdem Comitis secutura felicitate praevidere poterat & tueri. Hujus igitur Cardinalis pars Guelfa urbis sedulum vel potiùs subdolum praesentiens studium, exclusis pro majori parte nobilibus Gebellinis ab urbe, de quorum numero quidam ipsius Cardinalis nepotes erant, procuraverunt sagaciter & providè ordinarunt quod populus urbis, quem ex hoc in illud exilis quandoque versat occasio, quique frequenter consuevit illius modicae libertatis reliquias quas in eum proscripta veterum transfudit auctoritas prodigaliter ac impudicè distrahere, praedictum Provinciae Comitem elegerunt in Dominum, & Senatorem urbis perpetuum vocarunt. Hunc etiam Comitem dictus summus Pontifex, ut habeat operarium per quem temporalem gladium seculariter exerceat, non absque Gebellinorum jactura multorum Regi praedicto procurabat opponere. Nam frequenter eidem Comiti regni Siciliae, cujus ipse Rex pacifica, licèt violenta, possessione gaudebat, certas per apostolica scripta & per nuntios etiam direxerat sponsiones.

X. Interea dictus Karolus ad requisitionem & instantiam Guelforum de urbe vicarium suum mittit ad regnum Romanorum, qui civitatem ipsam in ipsius absentia regat & dirigat loco sui. Cùm autem vicarius ipse rector in urbe praeesset, & nobilibus quos ejectos invenerat civitatis ipsius introitum denegaret, nobilis quidam urbis Proconsul nomine Petrus de Vico, qui in maritimae partibus urbi vicinis & alibi per districtum urbis plura castra tenebat, & qui Regi Manfredo jamdudum ex zelo devotionis inhaeserat, guerram cum quibusdam adversariis suis & specialiter cum Pandulfo Comite Anguillariae cotidianis conflictibus agitabat. Hujus autem Comitis pater multum fuerat Imperatori Frederico devotus quamdiu Fredericus ipse in Ecclesiae gratia perstitit. Sed hic Comes paternam devotionem non sequens quoad Regis praedicti personam, quem Frederici legitimum non reputabat heredem, cùm adhuc Corradinus Corradi filius superesset, Regi Manfredo praefato consideratione sedis apostolicae, cui totus adhaerebat, signa reverentiae, per quae fortè multa vitasset dispendia, non ostendit. Illis quoque diebus Jordanus Comes praedictus exercebat in Marchia pro parte Regis officium vicariae, & cum agminibus illorum Theutonicorum qui secum contra Florentinos fuerant conflictu habito, cum eisdem potenter in obsidione Monticuli existebat. Post paucos autem dies ad petitionem & instantiam dicti Petri provisio regia, quae Gebellinis proximis & remotis opportuna de more porrigere suffragia nitebatur, quandam quantitatem ex praedictis Theutonicis sub capitanea cujusdam nobilis familiaris sui nomine Francisci Trigisii in ejusdem Petri subsidium destinavit. *Infrà pag. 241. col. 1. in fine vocatur Travisius.* Cùm autem dictus Petrus tam gentis illius auxilio quàm partis suae favore confisus contra hostes suos animum roborasset, civitatem Sutrinam, cujus idem Petrus majorem partem tunc habere videbatur, violenter intravit, eamque dominio regio subdidit, ac fidelitatis fecit juramenta praestare. Medio autem tempore Rex, intermissis solatiis suis, profectus est in terram Laboris, ut de negotiis spectantibus ad pacificum statum regni, tam de resistendo viriliter Comiti Provinciae, si veniendi per eum, sicut communis tenebat opinio, casus incideret, quàm de obstando quibuslibet aliis qui regni vellent turbare quietem deliberationis debitae consilio provideret. Generali ergo propterea apud Neapolim celebrato colloquio Comitum & Baronum aliorumque regni nobilium animos & vires examinat, & servitium quod eorum quilibet debet & posset singulari discussione requirit, jam notatis singulorum servitiis & feudatariis omnibus apparatis, provida deliberatione statuit ut Percivallus de Oria familiaris & affinis Regis ad partes Ducatus cum magna militum & arceriorum quantitate procedat.

XI. Interea vicarius urbis populusque Romanus pro recuperanda civitate Sutrina communiter exeunt, & cùm civitatis moenibus appropinquant, prius quam ad impugnationis & conflictus signa perveniant, civitatem ipsam propter subitam revolutionem civium, quorum magna pars erat Guelfa, quae statim Romanis venientibus contra Theutonicos vigoris sumplit audaciam, ad manus suas & urbis dominium re-

vo-

vocarunt, exeuntibus exinde per fugae subsidium dicto Petro & aliis de comitiva sua, qui non potuerunt sic omnes illaesi discedere quin plures ex Theutonicis fuissent equis spoliati & armis, & quin plures ex eis in Sutrinorum manibus remansissent. Deinde castrum Vici, quod est ejusdem Petri, ad quod Theutonici se receptaverant, cum eodem populus Romanus urgenti obsidione circumdat, & machinis, caveis, aliisque impugnationis modis valida perurget instantia & molestat. Cùmque Rege Manfredo morante Capuae, haec omnia ad ipsius notitiam pervenissent, mutato consilio in continenti memoratum Percevallum de Oria, qui versus partes Ducatus gressus direxerat cum exercitu suo versùs Vicum in ejusdem Petri subsidium, properè mandavit accedere, aliumque exercitum in regni confinibus sub magistratu Richardi Philangerii jussit illico congregari, ut Romanis eisdem, nisi à praedicti castri obsidione discederent, omni quo posset hinc inde conamine detrimenta continuae offensionis inferrent. Romani longa obsidione fatigati, cum recolligendarum frugum tempus instaret, audito quòd tantus succursus Petro de Vico contra eos ibat, & Rex Manfredus etiam famosè dicebatur iturus, osi consilio saniori, ab ejusdem castri obsidione discedunt & in urbem properè revertuntur. Eorum etiam obstinata dissensio & natura semper invicem ad dissentiendum proclivior, quam nunquam commune commodum sed proprium duntaxat affectat, dum jam expugnationis & devictionis ipsius castri hora procul dubio appropinquat, dum obsidentium animi nutare incipiunt & jam in vota contraria dividi, rei tam viriliter coeptae ac votivae depopulationi paratae non expectat eventum. Vicarius enim urbis, Jacobus videlicet de Gancelmo, de Provincia oriundus, qui secundus Karoli Comitis praedicti vicarius erat, primo, qui Gallicus fuerat, naturae debitum persolvente, praesentiens vota exercitus multa divisione nutare & majoris partis ejusdem exercitus animos, qui ad finalem dicti Petri exterminium nolebant operam exhibere, sic intra se perpendens quadam seditiosa machinatione corruptos quod Theutonicis infra septa burgi ejusdem castri morantibus de se videbantur victoriam polliceri, generalem populo dedit licentiam discedendi, & reditum militaribus catervis indulsit. Sicque hujusmodi exercitu dissoluto & obsidione dimissa, versùs urbem populus & vicarius revertuntur.

XII. Deinde cùm de mandato Regis Percivallus praefatus gressus suos versùs partes Ducatus repeteret ut loca fidelium Romanae Ecclesiae totis inquietaret viribus & sedem apostolicam usque ad extremos suae receptationis angulos molestaret, & apostolatu etiam juxta posse privaret eandem, contigit illo volente qui tandem depressit obstinatam superbiae malitiam Pharaonis quòd dum ad cujusdam aquae transitum quae dicitur Nigra de Narco prope castrum Arronis tempore invadoso idem Percivallus cum infinito exercitu Sarracenorum & peditum & equitum excommunicatorum concitatus contra ipsam Ecclesiam pervenisset, in ipsius aquae passagio, quam multitudo gentis praeviae illaesa transierat, cujusdam praecedentis alterius relevare volens occasum, fuit ipse solus equo succumbente submersus, substituto sibi statim in capitaneae officio juxta Regis edictum Johanne de Manerio ut eidem exercitui praesideret. Sed cum ex inopinato casu dicti Percivalli totus exercitus fuerit terrore concussus, & Dominus Urbanus multos fideles quos apud Urbem veterem cruce signaverat contra Percivallum & exercitum supradictos illuc obviam jam misisset, dictus Johannes & exercitus hujusmodi ausi non fuerunt ultra procedere. Unde tunc Ecclesia novo quasi jubilo concinit: *Cantemus Domino. Gloriosè enim honorificatus est, & ascensorem projecit in amnem.* Post modicum verò temporis Rege in Apuliam redeunte, dum Petrus de Vico & Franciscus Trevisius cum stipendiariis regiis in quodam castro ipsius P. quod Blevium dicitur morarentur, & Comes Anguillariæ cum comitiva sua & copiosa equitum multitudine Lombardorum, quam Dominus Urbanus summus Pontifex sub magistratu cujusdam Pipionis nomine de Liguria & Vicarius urbis etiam eidem Comiti destinarant, apud castrum Vetralle, quod tribus ferè millibus distat à Blevio, pervenisset, dum non possent se hostes præ nimia collium oppositione recte respicere nec alter in alterum insilire, contigit quod cum dictus Comes & sui de strenuitate & multitudine confidentes in quadam media plana procederent, memorati Franciscus & Petrus cum Theutonicis secum morantibus, qui pridem ab ipsis hostibus fuerant lacessiti, & ultionis tempus promptis animis expectabant in eos viriliter irruerunt; conflictuque magno inter eos hinc inde commixto, fugit dictus Pipionus & comitiva sua; relictisque Comite ac Romanis in ipso conflictu, bellum fuit asperrimum, diùque duravit. Tandem praevalentibus Theutonicis, captus est dictus Comes & plures Romani nobiles cum eodem, multis ex suis, quibus maximè Theutonicorum gladius non parcebat, occisis, multisque in aestus ardore & armorum valida oppressione peremptis. Ubi Stephanus Accaricia cives Romanus vexillifer exercitus Comitis, vir inquam in bellorum exercitio strenuus & famosus, interius aestuans siti, ut referunt, oppressus & suffocatus interiit, quamquam nihilominus tempus ex multis percussionum receptarum concussionibus deficere potuisset. Cum eodem Stephano nepos suus occubuit Palamides nomine, cujus animositas tunc maximè claruit, qui in annis juventutis multa strenuitatis industria se probarat.

XIII. Adhuc memorato vicario Karoli Romae prosecutionem sui regiminis agente feliciter, non solum Rex Manfredus ad impediendum adventum ipsius Karoli, sed & Gebellini de urbe nobiles vigilanter intendunt. Parant sollicitè undique sibi bella. Jam per maris excubias multitudo galearum invigilat, & velut pirata aemulus classes freta circumeunt numerosae. Jam Theutonicorum voluntatis impetus fremescit effraenis, & eorum signa, velut ex eventu forent futuro victricia, in partibus Tiburtinis prope Cellas citra regni confinia pomposè distenta praefulgent. Verùm cum per Romanam Ecclesiam dicto Karolo ad prosequendum regni negotium esset in ipsius regni concessione terminus stabilitus quo ipse personaliter Romae deberet adesse, Rex praedictus principiis nitens obstare sollicitus tam per mare quam per aridam terram impedire ac omnino praecidere, si valeat, ipsius Karoli tentat adventum, ut per lapsum temporis praefiniti Karolus ipse concessionis praedictæ cadat à jure, ac Rex Manfredus postea ejusdem Ecclesiae, cujus jam eum poenitebat non paruisse mandatis, reconciliare se posset affectibus. Unde sub ipsius Regis nomine, eo ministrante subsidia, Petrus Romanae Proconsul urbis, qui sub Gebellinitatis abusione vocabuli Regis ejusdem toto conamine favebat honoribus, ab urbe cum quibusdam nobilibus Gebellinis ejectus condixit & ordinavit cum Gebellinis eisdem quod ad impediendum memorati vicarii regimen & Karoli dominium subvertendum quilibet ex ipsis Gebellinis nobilibus cum equitum comitiva suorum, quibus dictus Rex stipendia ministrarat, urbem certa deberent hora repetere ac subitò subintrare, ea intentione commoniti ut non solum contra vicarium praedictum, sed contra nobiles Guelfos urbis qui Karoli promovebant excellentiam toto posse captata opportunitate contingerent & collectis eorum viribus offensarent. Sicque apud castrum Cerveteris dictus Petrus quantitatem equitum congregavit; & solus cupiens placendo Regi Manfredo munera praevenire fortunae, qui potius postmodum infortunii calicem praegustavit, versus urbem continuata nocte festinat, ne fortè sibi mora posset ad imbecillitatem animi computari, promptus & audax, praeveniens alios, intrat urbem, domos quas quondam tenebat, quas tunc faciebat vicarius custodiri, in aurorae rutilo animosus aggreditur & invadit. Est enim Romae locus quem alvei dividentes Ty-

Tyberini latere circumsepium ab utroque, ad quem praestant aditum pontium monumenta conformia. Hic ab antiquo insula Lycaonia nuncupatus absque montuosa eminentia & sine munitione mœnium est per se valde tutus & fortis, ita quod longo posset tempore ab insultatione quorumlibet defensari. Adhuc autem cùm idem Petrus cum suorum equitum comitiva procederet, praesentitus ab ipsius loci custodibus intra ejusdem loci claustra nequiens se reducere, ut credebat, se & suos citra eundem locum in quadam contrata quae Piscinula dicitur receptavit, & quasdam domos inibi statim defensoribus muniens, ac viae communis seu publicae passus trabium & tabularum oppositione fortificans, credebat ab imminentibus inimicorum incursibus, qui jam accincti contra eum ad veniendum fuerant, se tueri. Cùmque Jacobus de Gaucelmo vicarius urbis praedictus cum quibusdam Provincialibus, Guelforum terrae non expectato subsidio, ad repellendum dictum P. & gentem suam equis, sicut decebat, communitus & armis accederet, conflictus primordia reportavit adversa. Nam licèt hinc inde Provinciales praedicti ac Gebellini Romani cum dicto P. asperè nimis & fortiter conflixissent, vicarius tamen & ipsi Provinciales bello fracti tanquam viribus impares impelluntur.

XIV. Succurrente Provincialibus per insulam supradictam Domino Johanne de Sabello, qui erat homo securi cordis & animi, honorem Karoli zelans mentis affectione sincera, vicarius & Provinciales resumunt animum contra hostes, & eis ab alia parte illius contratae resumentibus bellum viriliter, dictus Dominus Johannes ex parte insulae contra eosdem Gebellinos animosè perurget insultum. Et dum hostes à duabus partibus instantissimo bello perusti se in fugam convertunt, dictus Dominus Johannes versùs personam tantum dicti Petri se dirigebat, ut idem Petrus posset intercipi & teneri. Fugit ergo extra urbem dictus Petrus & ad castrum suum Cerveteris, tota cumitiva dimissa, per viam aliam est regressus. Capiuntur omnes commilitones sui & carceribus Capitolii mancipantur. Dictusque vicarius tam gloriosum & victoriosissimum triumphum ex dictis Gebellinis assequitur quod totam comitivam dicti Petri, excepto ipso Petro cum tribus sociis quos fugae praesidium ab ejusdem vicarii potestate subduxit, alios crudelis gladius excidiosè contrivit & Capitolii carcer astrinxit. Ex hac itaque debellione quamplurima Gebellinorum fuerunt corda concussa, & eorum maximè qui secundùm deliberata & proposita cum dicto Petro urbem non fuerunt ingressi adeo animi perterrentur quòd ad turbandum urbis quietem, quam demoliri conabantur .... suos regressus ulteriùs non attentant, sed in urbis circuitu per castra eorum anxii, tanquam aper confossus à venatore, discurrunt.

XV. Cùmque agerentur praedicta, Dominus Urbanus apud Perusium caecae mortis morsibus expiravit. Et dum Ecclesiae Deo volente celeri provisione succurritur, eligitur in summum Pontificem Dominus Goido Fulcodii Sabinensis Episcopus; qui quondam expertus conjugales amplexus, in advocationis officio Parisius tempus juventutis expenderat, tandem vitam clericalem assumens, Regis Franciae Consiliarius & postmodum Narbonensis Archiepiscopus esse promeruit, & de hujusmodi praesulatu successivè fuit, ejus crescentibus in honestate meritis, per dictum Dominum Urbanum ad cardinalatus apicem evocatus. Demum verò summus Pontifex jam creatus vocari voluit Clemens quartus. Hic namque universalis antistes, cùm esset Provincialis, de sancto Ægidio scilicet oriundus, & à domo Franciae, sub cujus favore creverat, multa & magna beneficia per bonorum incrementa continua suscepisset, favet Karolo quantum potest, & bonorum ecclesiasticorum in Francia & Provincia decimatione recepta, multos de ipsa decima equites cum dicto Karolo venturos in regnum soldat, aliisque concedit crucesignatorum veniam quam concedere consuevit Ecclesia transfretantibus ultra mare. Sicque tota ferè Gallia

Vide Notas ad Concilia Galliae Narbon. p. 41.

& Provincia pro dicto Karolo, favente Clemente postmodum, quia antea per Urbanum de regni dominio perpetuam receperat cessionem, ad mactandum Regem Manfredum tanquam vitulum saginatum, quem ejusdem regni delitiae delicatè nutrierant, sollicitatione provida concitatur, & quidem gratuito animo quidam mellifiua Karoli suasione perurgii, nonnulli stipendiati de decimatione praedicta, alii verò crucesignati contra dictum Regem venire se parant. Jam per montes & citra fulgentia signorum lilia vernant. Jam pro conservatione urbis ad praeparandas Karoli vias quamplures milites praemittuntur. Et quia dictus Dominus Clemens erga praedictum Karolum teneritate multa cordis accensus, & de statu suo tanquam de filii honore sollicitus, ipsius quinimmo Ecclesiae negotium indefessa sollicitudine vocis & operis ferventer assumpserat, & dicto Karolo multa de bonis Ecclesiae praeter decimationem praedictam fecerat mutuari, omnia quae sub caeli tegmine reguntur quaeque ambitus terrae claudit Karoli felicitati futurae serenis auspiciis obsecundant.

XVI. Praemittitur igitur ad urbem cum aliquibus militibus ultramontanis quidam Ferrerius nomine, statura magnus, corde ferreus, qui verisimiliter corde nomen aequet: qui Romam perveniens statim versus partes Tiburtinas ad loca quae Cellas nominant, ubi agmina Theutonicorum sub ducatu Domini Jacobi Neapoleonis ad passuum regni custodiam & pro favore ipsius morabantur, cum quodam promptitudinis fervore processit. Ibi enim dictus Jacobus Neapoleon, qui erat caput Gebellinorum urbis, & ab urbe Gebellinitatis praetextu fuerat violenter ejectus, habet prope dictas Cellas castrum Vicovarii valde forte, in quo Theutonicorum agmina praedictorum, cum volebant, membra fatigata discursibus quietis otio restaurabant. Quorum Theutonicorum idem Jacobus pro eo dux erat & ductor quòd dictus Rex ipsos Theutonicos ad partes illas maximè in ipsius Jacobi subsidium ex callida provisione transmiserat. Cum iis sanè dictus Ferrerius credens in illo sui fervoris impetu ex eis & Romanis exulibus triumphum proculdubio consequi, ex improviso bellum durissimum absque commilitonum Latinorum consilio inchoavit, quamquam à Campanis militibus, quos summus Pontifex praedictos in ejusdem Ferrerii subsidium soldari fecerat, fuisset ei ne tunc iniret bellum cum Theutonicis instantissimè persuasum. Verùm non sine superno mysterio fortunae Karoli patiebantur auspicia quòd primum campestre bellum perderetur à suis, ut ex hoc fortè recipiant pro subsequentibus negotiis intellectum. Fortuna quoque plerunque seu volubilis fortunae rotatus actibus humanis illudens nonnunquam praecedentia signa victoriae ultima fatetur cùm felicitate mentitur, & quodam anticipato favore primordialiter exhibet remunerationis gratae primitias, ut incautos demum in exterminii finalis abyssum demergat liberius & adducat: quae hoc continuo deceptionis ludo ludendo volens Regi Manfredo favisse videri, dat sibi, ut ita loquar, morcellum cerberi, ut non possit ex talibus ultra sumere vel ampliùs deglutire. Sicque jam dictum Ferrerium, qui ex nimio impetu fervoris incautus prorumpere cum Theutonicis & Romanis exulibus inchoarat, in praecipiti discrimen eadem fortuna perduxit. Nam bello totaliter perdito, remansit in campo manibus hostium interceptus. Memoratus autem Jacobus ex hac novi triumphi successione novo respersus gaudio dictum Ferrerium captivum ad Regis praesentiam sub fideli custodia destinavit. Hujus captionis diem Rex praedictus constituens celebrem, ipsamque felicium futurorum successuum grande praeambulum solemnizat & festiva celebratione commemorat. Veniunt igitur ad Regem augures, assistunt astrologi, assunt harioli, currunt haruspices, & festinant divini; ac veluti qui eorum dicta ut volentibus applaudant dominois & dissimulantibus adulentur, soliti sunt subornare mendacia, certam spem Regi de prosperis successibus pollicentur.

XVII,

XVII. Interea terminus peremptorius, qui tanquam praejudicialis Karolum eximiè coartabat, ex decursione tempor s paulatimque serpens appropinquat. Et dum de adventu ipsius vota fidelium desperarent, subitò juxta fauces urbis galearum caterva velut vernale fulgor miraculosè detegitur & videtur. Sed cum fuisset per Regem Manfredum immensum galearum stolium ex gente in mari pugnabili ad impediendum Karoli marinas semitas destinatum, ante omnia stolium ipsum fauces Tyberis ecspinibus, trabibus, palis, & magna lapidum mole turbavit in tantum quod galeis aditus de facili non patebat ad Tyberim. Per hoc enim Admiratus Regis credebat galeas Karoli saltem inibi juxta fauces taliter intercipere quod nullatenus posset effugere manus suas nec suae potestatis judicium evitare. Quo facto, cum jam mare procellis inundantibus inciperet conturbari, dictus Admiratus procellas metuens imminentium tempestatum quibus ad terram invitus & naufragus ex ventorum violentia poterat deportari, alta petiit aequora, & freta spatiosa pererrare delegit. Propter quod cum galeae quae Karolum devehebant ad terram ventorum impetu fuissent impulsae, galeis Regis Manfredi nequaquam obviaverunt, sed usque ad Romanam plagiam pervenerunt illaesae; ibique fixis anchoris, & extensis ad terram rudentibus, vix hora modica sine fractionis discrimine potuerunt subsistere. Sed sicut Deo placuit, cujus est solius gressus dirigere hominis, eadem durante procella Karolus quandam sagittariam ascendens, imminente sibi periculo personali terram petiit, cupiens forsitan vel extinctus adimplere quod jurando spoponderat quàm ignominiosè à regni concessione cadere vel repelli. Sicque in descensu ad terram, cùm non crederetur evadere, sed omninò submergi, terra Romana ipsum miraculosè habuit redivivum. Tandemque maris impetu tranquillato, galeae ipsius Karoli procedentes ad fauces singula quae objecta fuerant obstacula spatiosè submovent, Tyberis alveos liberè intrant, ac deinde, sicut moris est, trahuntur ad urbem. Karolo autem, qui ad terram antè descenderat, Deo volente, qui hominum dirigit vias & vota, omnes Romani nobiles veniunt obviam, & eum cum reverentiae honore multo suscipiunt, ipsumque apud monasterium sancti Pauli prope urbem conducunt. Hinc turba Romanorum popularium plebs infinita generis utriusque, masculus & femella, senex & juvenis, laicus & clericus, ac religiosus ordinum diversorum cum palmis processionalibus occurrendo promptit Osanna pium. Sumensque ex animo gaudia, & aggressus proinde festiva tripudia, chorees saltantium & psallentium cantica modulationis variae noviter exinde adinventa de more dispositis, urbis tandem plateas & vicos tripudiantibus pedibus circuire non cessat. Ac quilibet nobilis secundum suarum facultatum potentiam secum quorundam equitum Comitivam signanter induit ad ludendum, & omnes excipiunt plausu pavidos, gaudentque videntes Francigenae.

XVIII. Postquam omnes laeti Francos oculosque suorum lustravere in equis, signum clamore paratis dabat militiae praecursor. Caeteri statim discurrebant pares, & alii terni agmina solvebant deductis choris; rursusque vocati convertere vias, hastas è contrà ferebant. Inde alios cursus aliosque recursus alternis spatiis frequentabant, nec alternos cessabant orbes orbibus impedire, nec terga fugae nudant. Nunc vertunt hostilia inoffensi. Ac sicut labyrinthus quondam, velut fertur, in alta Creta caecis parietibus habuit textum iter & viam ancipitem mille dolis, non aliter Romana girata vestigia cursu impediunt pluries repetito. Hunc autem morem cursus Ascanius, cum muris cingeret Albam, priscos Latios edocuit celebrare. Non est ergo sanum memoria quòd pro aliquo domino Romani usque ad illa tempora tam magnalia ostentamenta congesserint quae diserti oratoris officium non posset brevi hora temporis enarrare. Memoratus ergo Karolus, qui mille fortè Milites electissimos & in exercitio bellico viribus multis expertos per mare conduxerat, dura maris tempestate confractus fatigata membra in Ecclesia sancti Pauli praedicti requie votiva restaurat, exercitum inibi copiosum quiescendo moratur, qui per terram de ultramontanis partibus veniebat, & interim equis optimis Milites suos munit.

XIX. Verum cum Admiratus stolii galearum Regis, quas usque in districtum Januae valida tempestas impulerat, Karolum & galeas suas audisset Romam venisse prosperè, mente turbatus spirituque confusus ac medullitus stupefactus illico retrocessit; & repetens fauces urbis comperit ex ipsis faucibus omnia obstacula quae objecerat provida oppositione dejecta. Sicque non sine multa cordis erubescentia ob hoc à Rege praedicto de incauta & neglecta sollicitudine redargutus, passus est condignas contumelias & terrores. Rex itaque Manfredus audito quod Karolus Romam sub tantae fortunae discrimine venerat, coepit mente fremescere & animo conturbari. Sed dum vix posset admirandi rumoris hujus narrationem credere, quae ex continua sollicitudine nuntiorum velut caldarerii malleus, qui ad cudendum socii verba non expectat, regium demum perstrepebat auditum, non solum veniendi admiratur modum, sed qualiter stolium galearum suarum classes Karoli sic praeterire potuisset invisas vehementissimè obstupescit.

XX. Ex iis & aliis signorum praesagiis & portentis quae caelum, terra, mareque praetenderant intellectus Manfredi recipere poterat quod ex divino judicio, cui suis fortuna cedit incursibus, singula hujusmodi erant quaedam praeambula praeparatoria contra eum. Illis enim temporibus cometa apparens, quae per plura lustra clausa sub caeli velamine in sui apertione didicit regna mutare ac utplurimum subsistentia cassare dominia, suos usque ad terram lucidissimos crines velut radios solares extendit. Sed quamquam Regi praefato sua & suorum ex iis praecedentibus signis proxima desolatio daretur intelligi, ipse tamen suos consulens augures & requirens astrologos, mentiebantur se sibi cum quodam palliato solamine per longa tempora regnaturum. Edicit ergo generale colloquium apud Beneventum, & Barones ac feudatarios omnes de regno toto, necnon aliquos bonos viros de singulis magnis locis, districtius evocat, & ad se revocat Theutonicorum & aliorum stipendiariorum cohortes, quas per Italiam in Gebellinorum subsidia sparserat. Congregatisque universis quos è terris regni fecerat edicto publico accersiri, ad Comites principaliter tanquam ad electos suos se dirigens, talis sermonis verba verborumque propositiones orditur.

XXI. Ecce, inquit, ignis urens, de longinquo motu fulmineo veniens, jam prae foribus nostris astat. Unusquisque ergo, ut ab hujusmodi incendiis suam domum provida tuitione defendat, aquam de caetero sine excusatione manibus suis excipiat, & viribus totis obsistat, ne dum ab igne, qui sine rerum & personarum acceptione de sui natura violenta consumit, domus cujuslibet absque obicis obsistentia incendatur. Ecce incurata ulcera quae corporis nostri pudor huc usque sub contemptus dissimulatione celavit sine remedio parantur ad fistulam; jamque incurabilis quodammodo despectus morbus incubuit & concrevit. Quilibet ergo propria manu acuto gladio morbi tam pestilentiosi tamque lethiferi venas & vias toto posse praecidat, ne dum usque ad cordis interiora pervenerit ex nostra incuria & neglectu medullas inficiat, & nos in desperationem curationis adducat. Gens quippe ista, Domini Comites & Barones, quae nunc regnum & patrimonium nostrum acriter festinat invadere ferocissima dicitur & austera. Haec inquam pietatem & misericordiam dimisit, infr..... cor durum, mentem feram, & animum inexorabilem contra nos ex proposito secum deliberato congestans. Audivistis forsitan aliquando de benignitate ac mansuetudine illorum de domo Regis Franciae aliqua enarrari. Sed tales non credatis

esse qui nos volunt aggredi. Hos quidem nec amicae preces vel affectionis zelus in regnum concitavere venturos, sed auri sola cupido, necnon rerum affluentia grata regni, quam pompa regnicularum desiderabilem fecit esse, illos ut fiant in nos violenti praedones allicit, rerumque nostrarum velut sitibundos ad regnum attrahit & nostra spolia desiderare compellit. Et sicut ipse Comes Provinciae Karolus filius Regis Franciae illa in regnum intentione festinat ut bona nostra sua faciat & personas, si posset, extinxisset, ita immo avidius ejus milites eo animo veniunt cum eodem ut nostra diripiant nec dimittant personas. Sed ô praesumptuosa crudelitas nostris inaudita temporibus, quae nobis & imperio etiam injuriari non metuit, quos offendere titubat totus orbis. Non enim habet vestra memoria quod se..... bonae memoriae ..... vestrorum temporibus tanta regiminis & tam grata pacis requie frueretur. Nunc autem gentes ignotae, gentes exterae & effraenes, quae nonnisi ad crudelia manus habent execrabiles atque aptas ad ferocitates promptas & .... rapinas, quaerentes semper quid devorent quidque praedentur, tranquillum statum regni audent concutere ac nostra otia perturbare. Credunt enim solo sui furoris impetu subjugare caetera & regnum ac nos suae subjicere ditioni. Sed quia cum ferocitate deproperant, ferocius resistere nos paremus. Firmiter enim credere possumus quod cum pro....... destitutione nostrorum & pro conservatione nostrae justitiae, si expediat, dimicemus, mater ipsa justitia nos fovebit. Unum quidem attendite, quod si futori . ..... aut lentè obsistamus, sive nos audiant quoquo modo in aliquo vacillantes, Gallici.. vos impellent. Animosi enim sunt aggressores. Verum cum resistitur eis viriliter, finaliter consueverunt succumbere consuetudine superborum. Cum ergo haec injuria tangat omnes nostros fideles & illos magis quos abundare magis regni delitiae concesserunt, & qui terram à nobis obtinent ampliorem, universi & singuli qui honorem zelant nostrae majestatis & commodum nostraeque celsitudinis affectant gloriam, armis, equis, & expertorum virorum comitiva se muniant juxta suarum potentiam facultatum, ut cum venientium nostrorum hostium turba confinia regni pulsaverit, illis & eorum audaciae sic potenter & viriliter obsistatur quod doleant se in ultramontanis partibus sua in pace non fixisse vestigia, lugeantque finaliter Italiam petivisse, & qui manus poterunt copiosae nostrae gentis effugere confusi more solito, si valeant, retrocedant.

XXII. Postquam igitur Rex Manfredus astantibus turmis votum totaliter suae mentis aperuit & propositum sui cordis fando deprompsit, universi collocutioni regiae annuunt; divisoque parlamento, & quibuslibet ad propria redeuntibus, sub eo colore maximè ut contra venientes Gallicos unusquisque se praemuniat secundum suae potentiam facultatis, jam promissa fides Comitum violatur interius, jam terrefactus regnicolarum animus incipit dubitare. Sed hos sola imbecillitas animi ac mentis falsae perfidia, & non metus, violatores debitae fidei faciebat. Nondum enim quemquam timere poterant; sed ejus formidine quod verebantur accidere & futuri casus praemeditatione perterriti tractatum per nuntios tam cum Comite Provinciae praedicto quàm cum apostolica sede dolosius ineunt, & eorum vota Comitis ejusdem beneplacitis nuntiorum & litterarum multiplici destinatione confoederant, ac ipsius mandaris se placida significatione coaptant. Rex tamen Manfredus in Alamanniam post haec pro duobus millibus equitum, quibus pro sex mensibus stipendia duplicata transmisit, cum multa voluntatis anxietate nuntium praepetem destinavit.

INCIPIT TERTIUS LIBER.

I. INTERRA Karolus in basilica principis Apostolorum apud urbem per quatuor Cardinales illuc per Dominum Clementem agentem apud Urbem veterem propterea destinatos in Regem Siciliae delinitur & regali, prout moris est, diademate coronatur. In cujus coronatione memoranda solemnitatum festa sunt facta & nova gaudiorum tripudia festivaque solemnia celebrata. Ludunt enim more quo suprà generaliter omnes equites, maximè nobiles Romanorum. Ac quilibet secundum quod ei bonorum temporalium plus copiae suppetit distinctius vestitus & certa equitum comitiva uniformiter sociatus per diversa tripudiantium agmina pomposius & superbius se ostentat & celebriora constituit illius diei gaudia, ut tantae rei negotium memoriter effluat & perenniter memoretur. Jam Gallicorum post haec superveniens multitudo circumfluit, jam totus Regis Karoli expectatus exercitus Romam venit. Veniunt quidem inopes & laboribus oppressi ac ex ipsis plurimum fatigati. Unde ob hoc promptitudo fatigatorum spirituum quadam appetitus violentia illos ad bella celerare compellit, & verbo ac opere acerbiores eos efficit & ad amicitias tardiores. Propter quod vel extingui celeriter anxiant in propria furia, vel caedis occasione aut sperati auri copia saturari, aut praedonis more furari amplo voto cogitant & affectant. Contrahunt ergo tam ipse Rex Karolus quàm alii majores de suo exercitu mutua quae mercatores Romani pro eo liberalitate quadam ultronea mutuabant, quod sperabant in regno Siciliae solitae libertatis immunitate gaudere, prout & ipsi Gallici promittebant.

II. Reconciliantur insuper per Regem Karolum quamplures Gebellini Romani, quibus regressus ad urbem fuerat interdictus; & ad ejusdem Regis gratiam cum quadam promptitudine redeuntes, benignè per regiam clementiam admittuntur. Ex quibus Petrus Romani jam dictus, qui Regis ejusdem quondam persequebatur honores, nunc majestati regiae devotus efficitur & ipsius fidem promptius profitetur. Hic sanè, ut idem Rex de suae fidei conversione pignora certa reciperet, contra Manfredum in regnum cum Gallicis ultro se offert iturum.

III. Profecto, quia exercitus nescit esse jejunus, modica supellex, rerum penuria, & carentia pecuniae Gallicos instantissimè impellebat ad regnum. Sicque Rex praedictus à Cardinalibus supradictis suscepta cum devotione omnium venia peccatorum, quam sibi Cardinales ipsi auctoritate summi Pontificis poterant indulgere, versus Ceperanum, ubi flavius quidam regni & Campaniae confinia dividit & distinguit, avida voluntate festinat. Cardinales vero praedicti extra urbem tantum Regem traducendo comitantur euntem; ibique juxta formas ipsum alternatim pacificè osculantes, & demum crucis eum signantes signaculo, abire licentia data permittunt. Pater tamen ille magnificus Dominus Richardus sancti Angeli Diaconus Cardinalis natione Romanus usque ad castrum Molariae, quod idem Cardinalis proprio impenso peculio pro sua & suorum perpetua hereditate quaesierat, Regem conducit eundem. Manfredus vero, qui status sui hujusmodi ventura flagella praesenserat, velut in ecstasi ac alteratae mentis involucro positus, ignorans quaerit protinus ubi venientibus hostibus se opponat, ubi etiam eis obstacula praeparet, ubi obsistat eisdem; & dum ad resistendum praerupta fluminum flagitat, quae per se fortia obstacula facientes hostes in oppositum constitutos non patiantur sine magnis viribus manualiter jungere, nunc Capuam, nunc Ceperanum, & tandem Beneventum festinus discurrendo congressibus repetit & revolvit. Quamlibet enim terrarum hujusmodi alta fluminis ripa fortificat & roborat agens profundi defossum. Sed praescitus ad malum obstinatus corde Manfredus, cum debuisset apud Ceperanum copiosae gentis

tis

tis suae resistentiam ordinare, passus regni vacuos & sine custodum pervigilum munitione reliquit, ita quod libet ad regnum patebat aditus inimicis. Veruntamen in castro sancti Germani duo millia Sarracenorum & mille equites jussit pro tuitione morari. Sicque Rex Karolus cum victorioso exercitu regnum sine obice liber ingreditur. De cujus amoenitate laetitia jam nova respergitur, jamque gaudio votivo completur. Propter quod diem quamlibet sibi pro anno computabat effluere donec resistentium adversariorum posset facies intueri.

IV. Venit Rex Karolus ad quoddam inexpugnabile castrum quod sui altitudine aliquid commune videretur habere cum superis appellatum Rocca arcis à vulgo. Hac enim rocca, quam rupes montuosae circumdant & quasi de medio petrarum conscissam saxosa montium praerupta convallant, vix posset fortior inveniri. Hanc Gallici pedites, quasi lene quid esset, miraculosè conscendunt, ad quam nisi novas altum mutarentur in formas, aut lacertos haberent monstruosè Daedalica fictione pennatos, vix crederentur posse per longa tempora devenire. Sed demum omnipotentia divina volente Castellanus ejusdem roccae violentis perterritus Gallicorum insultibus & prae multitudine copiosi exercitus castrametantis per castri circuitum stupefactus personae veniam imploravit. Cui mandatis Regis Karoli coacta quodam modo voluntate parenti Rex ipse misericordiam in persona Castellani ejusdem benignus indulsit & mobilium rerum quas habebat in castro praedicto omnimodam plus tutelam promissam inviolabiliter conservavit. Fama itaque deferente per regnum quod gentes ultramontanae tam fortissimum & quasi inexpugnabile castrum belli subjugarant insultu, quaelibet universitas vicinarum terrarum quanto se debiliorem minusve munitam esse putabat & debilius poterat ab insultibus se tueri, tanto magis titubat diem expectare supervenientis insultus. Unde quaecunque civitas seu castrum, casale vel burgus sita sunt usque ad valvas burgi sancti Germani praedicti, abjurato Manfredi dominio, & Regis Karoli mandatis devotè parendo, signa subjectionis & fidei ultro voce profitentur & opere. Cumque disciplinam servare nesciat jejunus exercitus, & si non habeat unde emat, cogitur cogitare quod auferat, cumque etiam cogente necessitate, quae non diligit aut non sequitur moderamen, quod deest quasi licenter praesumat armatus, jam praedicta loca sub ipsis plurimum propterea dubitantia famelicis & fatigatis Gallicis de suorum victualium foecunditate subveniunt. Jam quaeque pretiosa de more pro libertatis commodo assequendo Regi offerunt & Militibus regiis. Sed haec modica pars regni nec tanta nec tam abundans erat aut esse poterat quae de sua quantacunque substantia replere posset vacuum Gallicorum seu eorum resarcire penurias vel anxietates appetentium extinguere voluntatum. Qua de re habitus ea suorum laborum primitiis modicus ille triumphus, succedentibus aliàs eis, ut videbatur, ad votum, Gallicos vigorosiores & magis voluntarios effecit ad spolia magisque ad hostium excidia provocavit. Ac velut austur, quae jam firmatis plumis de firma suscipitur, ad capiendos teneros perdicum aestivo tempore pullos, quos debilis volatus nondum defendere rapacibus valet ab ungulis, per doctum aucupem provida instructione dirigitur, captaque praeda tenera, ipsiusque sanguine praegustato, deplumare jam didicit, efficitur postmodum magis rapax & magis avida in volando, Gallicorum non aliter naturata complexio, quae per se multa ferocitate suffulta sine metu mortis infert & recipit exitiales jaculorum ictus, ad lethiferas illationes accenditur, & tam praematurè, tam feliciter capta votiva praeda, & delitiarum regni praegustata dulcedine, ad reliqua spolia tanquam praedo securus ducitur & ad violentias excitatur. Hujusmodi ergo primordialis successu felicitatis accensi ad castrum sancti Germani, ubi magnam partem resistentiae opponendae credebant invenire, properè nimis pergunt. Verum cum omnes machinas nobilium urbis, quae alias dicuntur vulgariter trabucheti, quarum suffragio uti consueverunt Romani in obsidione castrorum, secum fecisset Rex Karolus per curruum multitudinem deportari apud sanctum Germanum, quasi non sint ultra necessariae, de curribus deponuntur, & currus pariter & aurigae subsistunt. Ex aurigis tum curruum praedictorum erant pauci superstites pro eo quod pridie apud casale, Barranerii habito inter ipsos aurigas & quosdam equites Gallicos deputatos ad machinarum ipsarum custodiam manuali conflictu, plusquam centum ex ipsis aurigis pro verbis levibus Gallorum gladio perierunt. Iis autem machinis non est opus ad insultandum contra eos qui sanctum Germanum defendere credebantur nec aliis similibus generibus oppugnandi. Nam quanto animosa invalescebat demuo audacia Gallicorum, tanto amplius regnicolarum imbecillis pusillanimitas expavebat auditu solo Gallicae feritatis & inhumanis ultramontanorum operibus terrefacta.

V. Insultum manualis pugnae juxta muros burgi ad portam quae est à latere fluminis totus Regis exercitus ferventer incipit & attentat, & quia Latini de more plusquam Gallici & industriùs etiam consueverunt impugnationes castrorum gerere ac movere, nonnulli nobiles citramontani corporis & animi virtutes & vires cum quodam anticipato fervore moliuntur ostendere in ipso impugnationis insultu; inter quos Petrus Romani Romanorum proconsul saepe dictus cupiens Regis ejusdem gratiam redimere meritis, quam apud eum quondam demerendo perdiderat, locum & horam pugnae cum quibusdam commilitonibus suis anticipans ipsius burgi muris absque metu *discriminis imminentis se confibulavit impavidus. Sicque ipsum jactus innumerabilium lapidum quos emittebant illi qui muros tuebantur eosdem adeo usque ad mediam corporis partem obsedit quod nullo modo sine compugnantium succursu poterat se movere. Eum tamen quasi perditum Latinorum & Gallicorum succurrentium promptitudo à periculo imminente praeripuit. Ex cujus audacia ii qui aderant corda fortificantes & animos, inceptumque viriliter continuantes insultum, ita fortiter dimicarunt quod per vim & metum qui cadere poterat in constantes, fugatis murorum defensoribus, portam occupaverunt praedictam. Sarraceni autem & alii qui pro ingenti exercitu per Manfredum ad custodiam passus sancti Germani fuerant destinati tam insulsum urgentissimum intuentes, & majorem illo longae mentis oculo pavidè contemplantes, se fugae praesidio commiserunt, cum non ad resistendum aut impellendum, sed ad fugiendum potius ex timoris deliberatione concepti continuo se pararent. Sed iis fugae ceptae remedium usquequaque non profuit. Nam majorem partem Gallicorum gladius sine misericordiae venia trucidavit. Occubuerunt inibi sine numero Sarraceni, quibus non parcebat Gallicus nec Latinus, ipsorumque corpora, quae prae vulnerum confusione crudelium in campo discerni non poterant, ut escam rapacium animalium jacebant exposita super terram & famelicis avibus derelicti. Nonnulli tamen manus Gallicas evadentes fugamque continuantes usque Beneventum, ubi Manfredus cum magno Theutonicorum, Lombardorum, regnicolarum, & Sarracenorum etiam exercitu aderat, de strage hujusmodi miranda & terribilia retulerunt. Cumque felix denuo, successus & votiva Gallicorum prosperitas cresceret, eo ipso ipsorum invalescebat audacia, & augmentabatur voluntatis anxiae promptitudo. Unde quolibet sublato quietis & morae diffugio ad Manfredum venire desiderant amplo voto. Ideoque cum Manfredi militibus contigere anxiantes, adversariorum reliquias, quos in dicto conflictu eorum nequaquam gladius apprehendit, usque ferè ad valvas civitatis Beneventanae non cessant insequi acta continuo & impulsu. Et dum nec sibi nec equis parcunt, qui erant de-

prae longo itinere fatigati, omnino quasi deficere videbantur. Sed tanta erat spoliorum aviditas, succedentibus eis undique prosperis, quod totius laboris & discriminis onera levia reputabant.

VI. Postquam igitur Gallici continuis defecti laboribus, & velut arcerius Siculus qui de mane ad vesperas damum sequitur fatigati, ad quendam campum terrae Beneventi adveniunt, in quodam colle qui respicit ex oppido civitatem, quem tantum alveus fluminis ab ipsa terra sejungit, figunt accelerata vestigia. Dumque in ipso colle taliter sunt castrametati, aliquandiu sub quiete subsistunt. Rex Karolus inquietus omnino per circuitum sicut aper discurrendo continuo motu frendens nonnullos ad perpetuam rei memoriam militari cingulo decoravit, ut singuli magis animarentur ad bellum. Sed dum sic terribilis discurrebat per castra, clamore quasi continuo has voces Gallicorum catervis per medium exercitum emittebat. Hic clarius apparebit quales hic Gallici Milites, & si in societate nostra est aliquis bonus Miles qui militiae velit honorem. Sanè post primatibus exercitus congregatis juxta Regis tentorium in loco campi, ubi qui voluit potuit interesse, iis eos Rex Karolus verbis alloquitur. Scitis certissimè, Domini Milites, quod de loco isto in Franciam longos habet fuga protractus. Ut pugnemus deliberato animo venimus. Si, quod absit, hostibus succumbamus, sine spe misericordiae moriemur. Fugae praesidium nullum tutelae compendium nobis impenderet, nullumque vitae patrocinium superesset. Nam etsi gentes per quas venimus nos venientes huc honorabiliter tractaverint & reverenter impenderint nobis gratum multipliciter obsequii famulatum, tamen si redire fugiendo compererint, statim eorum animi proculdubio quadam contra nos consueta aemulatione convertentur in pravitatem quaesitam, & nos usque ad interimm persequentur. Resistamus ergo viriliter, & pugnemus audacter, ut vel omnes una hora concludat, vel speratum triumphum ex hostibus consequamur. Tolerabilius est enim mori quàm fugere. Fuga namque multiplicis mortis, inter odientes maximè, lethifera discrimina secum habet. Nos quidem confidentius possumus dimicare quàm hostes. Cum enim adversarii, quos anathematis & excommunicationis sententia perculit, sub illius nomine, scilicet sathanae, cujus manibus per sententiam sunt sedis apostolicae mancipati, cum aeternae vitae desperatione confligant, nos solum sub illius celebritate vocabuli qui pro nobis usque ad interitum pati voluit & affligi, cum spe immo cum certitudine misericordiae ab ipsius vicario peccatorum omnium obtenta venia concertamus. Reddite igitur vos cautos, sollicitos, & attentos, ut cum ad pugnam, quam non possumus evitare, veneritis, potius equos quàm homines offendatis, feriatis & cum gladii cuspide, non cum acie, ita quod equis hostium vestris ictibus succumbentibus, nostrorum peditum prompta manus sessores equorum taliter prostratos ad terram & prae armorum gravedine lentos liberius excipiat & trucidet. Reguletur & aliter in primo conflictu probitas vestra. Singuli Milites singulos juxta se pedites habeant, aut duo quilibet, si valeat, etiamsi non possit habere alios quàm ribaldos. Hos enim tum pro interficiendis equis hostium, tum pro conterendis iis qui excutientur ab equis, experientia pugnae valde necessarios & utiles esse probat. Nostri quidem prae labore continuo extenuati macie non sunt adeo potentes & fortes quod nisi cum hostibus tempore pugnae sagaciter vos juvemus, valeant cum equis ipsorum hostium pari labore concurrere & longa cum eis in bello, si expediat, mora durare. His igitur regulis omnibus generaliter praemunitis, quilibet Gallicus velut canis domini sui vocibus in venerationibus excitatus ad praedam campum voluntario passu circuit, & dum quaerit quid devoret non inveniens, cibum anxius sicut famelicus catulus leonis expectat.

VII. Interea nonnulli Barones regni, quos propter suspiciones fortè aliasque causas factos à regno exules aliena diu foverat patria, castra & terras quamplures quarum dominium justus titulus dabat eis de ipsius Regis Karoli licentia, quam in ipso ingressu regni obtinuerant ab eodem, per diversas regni provincias sine bello recuperant. Propter quod regnicolarum corda coeperunt intra se mutare non modicum & contra Manfredum corrumpi ac gaudere generaliter populares. Credebant enim quod regnum jam esset votivae tranquillitati paratum & ex adventu Regis Karoli libertati omnimodae restitutum. Dum igitur trepidant usquequaque regnicolae robore nullo firmati, parantur hinc inde belli discrimina, & exercitus quilibet ut fortius & robustius dimicet se accingit.

VIII. Manfredus, qui semper de instabilitate ac voto contrario varioque affectu illorum de regno merito dubitabat, accersitis Comitibus & Baronibus ac aliis nobilibus qui secum aderant Beneventi, hos in generali colloquio sermones eructavit. Hostes nostros, quos jamdiu famae acclamatio praenuntiavit contra nos esse venturos, videtis in oppositum existentes. Sed per Dei gratiam tantos & tales esse visio vestra non judicat quantos & quales fore fama referente credidimus. Malos inquam equos, macilentos, & utplurimum parvos habent. Et si habeant aliquos magnos equos, extenuati prae labore nimio parum valent. Igitur dum sic sunt laboris fatigatione confecti, prius quàm quaesita requie convalescant & aliquo fortificati otio invalescant, properemus conflictum & cum eis in media arma ruamus, & si inevitabile fuerit, moriamur. Gallici enim in primo instanti videntur audaces. Sed nec sunt stabiles, nec habent durabilem animum neque fortem. Immo sunt omnino plus quàm credi valeat pavidi quando inveniunt oppositionis resistentiam aliqualis. Sed ô bona posteritas, memoremur nostrorum gesta praeteritorum. Nonne Ausoniae gentes istas priscis temporibus vilissimas reputabant? Nonne hos & alios ferociores populos propria potentia conquirebant Italici & eorum mero dominio multifariè submittebant? Fortiores quidem sumus patribus nostris & majori etiam personarum & rerum potentia praediti. Quid ergo veremur, quid formidamus? Certè nihil aliud cogitemus quàm in exterminium hostes adducere ac eos à facie nostra delere. His & aliis verbis Manfredus Gallicorum mores & facta vilificans, suos viriliter animabat. Sed quidam de Comitibus suis juxta magnitudinem cordis aut imbecillitatem animi naturalem vel simulatam, necnon secundum quod magis minusve fidelitatem Manfredo servare intra se disposuerat, voluntatem tunc suae mentis aperuit, & suadebat vel dissuadebat pugnam secundum quod virtus propria vitiumve debilis animi suggerebat. Veruntamen Manfredus de hora conflictus consilio cujusdam astrologi regebatur. Unde cum jam deliberatione praehabita compertum esset per artem quod felici omine tali hora bellum poterat Manfredus cum Gallicis inchoare, quidam ex Comitibus ipsis proditoria machinatione corrupti & obstinatione nequissima mentaliter violati sibi displicere si Manfredus pugnet tunc cum Gallicis confingentes, & praetendentes animo simulato commodum fore solum ipsius Manfredi si tunc maximè praelium evitaret, dedignato spiritu Manfredum & ejus exercitum dimiserunt. Quidam etiam nobiles quos idem Manfredus ad se tunc temporis fecerat cum aliis evocari sumpta causa vel occasione potiùs quam quaerunt volentes recedere ab amicis in locis propriis remanserunt, ultimos successus morantes potentiae utriusque. Sed qui pares censeri poterant in crimine Judae furis simulabant se ad terrarum suarum custodiam remanere.

IX. Inter haec Manfredus cum Comitibus suis Lombardis, scilicet Galvano, Jordano, Frederico, & Bartholomaeo, & cum quodam Domino Theobaldo de Aniballis cive Romano secretum init consilium, & ab eis ut prudenter ac intrepidè statim inten-

tendant contra hostes irruere sciscitatur, ac quid de attentanda pugna videatur eisdem diligenter interrogat & exquirit. Hi sanè, cùm essent homines bellicosi, quibus aliquando famosius triumphus ex bello successerat, & fortuna prospera in eorum plerunque sibi primitiis arriserat, quodam motu voluntario regebantur ut animo videlicet plus quàm viribus confidere crederentur, & furore plus quàm virtute se vincere posse sperarent. Unde viva & prompta voce admirantes quodam modo de eo quid Manfredus, eorum jam in multis probitatem & fidem expertus, ab eis quasi dubius indagabat, aiunt ad Manfredum: Et si statim nos oporteat mori tecum, non te negabimus. En personam tuam principaliter, ex cujus vita & obitu nostrae felicitatis subsistentia & ultimus infelicitatis dependet occasus, è vestigio sequimur, & te nihilominus feliciter vivere nosque sub militaris honore fortunae fideliter pro te mori, si contingat, volumus & optamus. Et ut fidem quam pro defendenda regalis nominis libertate congerimus testificentur opera nostra, statim primus in hostes, si placeat, noster erit aggressus.

X. Cum in hujusmodi voluntatum examinatione persisterent, & militiae agmina necnon & agminum praepositos recenserent, clamor in aethere tantus insonuit quòd, sicut fertur, usque ad Aliphium ventus impulit crepitantia per aere vocum murmura, & veluti cùm freta fervent valida ventorum concita tempestate, omnium de contrata perstrepebat auditum. Sarraceni namque de Luceria, qui non aliis armis quàm arcubus sunt accincti, numero fortitan decem millia, nnes furiosè transgredientes mandati, quibus nondum aggressus erat indictus, dum sic cogitant Gallicos arcuum percutere militibus quòd postea Theutonicis & Lombardis ad expugnandum Gallicos ipsos nullius vel modicae difficultatis ultra parari posset obstaculum, veniunt citra flumen. Sed Gallicorum ferocitatem eo plus concitant, ignemque magis Gallici furoris accendunt. Quo militum magis cohortibus appropinquant, clamant de more; ac credentes Gallicos vocibus perterrere, clamore continuo invalescunt. His occurrunt primò ribaldi qui gregatim de Francia venerant; & comperto quòd Sarraceni erant qui contra exercitum Gallicorum cum clamoribus festinabant, clamitant & ipsi dicentes, Porci ne sunt illi qui contra nos cum tanto clamore descendunt, propter quod inermes, quòd absque magistri conductu relicta solita concitu furia velut autumnales sturni, quando in multitudine nubifica de loco moventur ad locum, Sarracenorum turmae obviant venienti. Verum Sarraceni de more priùs quàm se jungant manualiter hostibus ex pharetris tela promunt, & sagittantes subitò ribaldos sine numero sauciant, emissaeque plus vel minùs, prout ex lacertis fortioribus prodeunt, post terga sagittae serpentis ad instar sibilant inter siccas stipulas & vimina gradientis, feriuntque inopinatè ac irremediabiliter ex hoc in illum velut fulgura super terram. Et dum frequentius emittuntur nonnullae, in diversis corporum partibus violentae subsistunt; modòque in capite, modò in facie geminae residentes nova cornua configurant; ac affixae circum pectus & scapulas siccos ramos aut extraneos propaginum palmites mentiuntur, recipiunt hujusmodi figuratos ramos innumerabilia corpora ribaldorum, ac prosternuntur innumeri. Et velut greges ovium in campis Apuliae, quando derivatum de Dalmatiae montibus Boream patiuntur, caduco quasi morbo confectae simul & subitò in multitudine concidunt moriendo, non aliter ribaldorum infinitas, quorum casus parum vel nihil Regis Karoli laedebat exercitum, redditur ex sagittis frequentibus exanimis & expirans. Milites autem Gallici stragem ribaldorum tam subitò pereuntium factam dolentes, & verentes ne Sarraceni ex hujusmodi primitivae stragis gloria sumant vigoris audaciam contra eos & fortius invalescant, quandam aciem equitum servientium ribaldis deputant subventuram, quae Sarracenos adhuc vociferantes in campo excat congressura. Irruunt igitur in Sarracenos praedictos servientes equites numero fortè mille, qui tam fortiter, tam asperè Sarracenorum aggrediuntur multitudinem debacchantem quod Sarracenorum ipsorum universaliter mortificatis artubus & lacertis, immo quodam modo singuli facti exanimes, solo metu se ipsos, nemine adhuc percutiente, prosternunt, facti sunt velut passeres quando milvus in eos ab aëre inopinatè dilapsus insiluit, ac sicut aves gregales, quas audax aquila de caelo subito corruens super eas in arbore considens obsedit in nemore. Trucidantur ergo canes, ac eorum corpora, quae Gallicus gladius sine pietate aliqua trucidabat, sicut venales carnes carnificum lanista canibus relinquuntur & avibus super terram. Ad haec Comes Jordanus ab experto promptus & audax, cujus aliquando fortuna juvit audaciam, non expectata deliberatione Manfredi, statim cum mille Theutonicis prosilivit in campum, & dato signo inter comestabulorum catervas bellum fortissimum cum illis servientibus Gallicis inchoavit. Hi quidem servientes ex multa Sarracenorum occisione plurimum fatigati, cùm etiam non essent tales aut equis talibus insidentes quod occurrentibus Theutonicis possent obsistere, perdito bello succumbunt, paucique possunt Theutonicorum manus effugere. Omnes enim ferè Theutonicos gladius devorat, omnesque abjecta misericordia lacerat & trucidat. Erant namque praedicti mille Theutonici quasi melior pars exercitus totius Manfredi. Hoc autem Rex Karolus intuens, fremens & furens ut ferox animal provocatum, modo personaliter in Theutonicos volebat irruere, modo usus saniori consilio subsistebat. Tandem vero banneriis ordinatis, & magistris militiae ac praepositis agminum stabilitis, Theutonicos, qui campum jam vicerant, mille Milites suos electos jubet invadere. Fortes igitur contra fortes fortissimè irruerunt. Sed Theutonicis finaliter succumbentibus, assunt Galvanus & Bartholomaeus & plures alii Comites associati Lombardis, Theutonicis, ac aliis catervatim bellum subintrant & confligunt durissimè & asperè quantum possunt. Belli sic durante conflictu, & ex utraque parte deficientibus multis quos vel labor vel gladius comprimebat, Rex Karolus aliam comitivam in conflictum tam fortissimum edicit ituram. Haec quidem bello superveniens comitiva fortificavit adeo pro parte Regis Karoli bellum quod omnino visi sunt Gallici praevalere, immo protinus praevalebant. Ab ah! Manfredus praedestinatus ad malum totam pugnam pugnaeque modum oculis intuetur corporis, & corde animoso dijudicat, jamjam omnino volens irruere, denuo sollicitus & attentus sicut leporarius quem tenet venator, sollicitatis braccetis per excubias nemoris lassiatum fremebat, anxiabatur aggredi bellum. Mandat caeteris Capitaneis & praepositis sui exercitus quod illico descendant ad pugnam. Sed cum nonnulli de regno, qui quosdam falsos Comites, cum quibus miser Manfredus sub colorato patrimonialis successionis titulo diviserat regni spolia, sequebantur, ingredi noluissent bellum, sed proditoriè abscessissent, Manfredus cum reliquis mori potius eligens quàm quod suis morientibus alienam profugus terram petat, quasi desperatus cum praedicto Milite Romano Domino Theobaldo, qui eum è vestigio sequebatur, & in quantum poterat suadebat quòd omnino statim aggrederentur bellum & suis qui pugnabant cito succurrerent, ut vel omnes suos, quos unus jungebat affectus, una hora unusque gladius devoret vel exaltet, inimicorum suorum ruit in medium, pugnat, percutit, percutitur, & expugnatur, proh dolor, à suis sic proditus. Invalescit ergo violentia Gallicorum. Circumeunt agmina totum campum. Nulli parcit Gallicus, sed singulos necat & trucidat immaniter Gallica promptitudo. Lavat saevitia manus victrices in sanguine occisorum. Veruntamen quamplures attendentes tantam in Gallicis inhumanitatem, quae nec prostratis parcebat, nec miserebatur captis, demergi potius eligentes in flumine

quàm

quàm sic sine misericordia trucidari, armati cum equis in ipsius fluvialis ripae praecipitium promergebant. Propter quod eos quos non attigit gladius flumen absorbuit & submersit.

XI. Facta est igitur pugnantium tanta strages quod in campo pugnae, quem omnino tegebant corpora occisorum, aliquid vacuum non remansit. Equorum corpora super hominum cadavera quiescebant. Vix cadaver integrum poterat inveniri, cùm jacerent singula magnorum ictuum violentia mutilata, starentque sine figura propria indistincta corpora diversorum.

XII. Rex inquam Karolus, qui nondum de Manfredi obitu certus erat, post devictum bellum statim civitatem Beneventanam grandi triumpho victoriosus ascendit, & spolia pretiosa, quae diu anxiè affectarat, magis anxiè complexatur, perfusus undique gaudio, gazas innumeras comperit, & laetabundus excipit pretiosa nonnulla quae non solum Manfredus in proprio gazophylacio congregarat, sed & Corradus frater & Fredericus ejus genitor in non modica congesserant quantitate, ac ex diversis veteribusque thesauris compositis monstruosis acervis idem Manfredus adunarat. Nihilominus tamen Rex, quem faciebat sola rerum indigentia & diuturna penuria sitibundum, thesauros multorum Comitum intactos reperit & recondit. Replentur & ditantur undique Gallici. Nec tamen sitis extinguitur aut insatiabilis repletur esuries eorundem. Non enim solummodo spolia hostium occisorum sua faciunt occupando, sed & civitatem miseram Beneventum sine personarum acceptione distrobant, &, quod pessimum est, innocentes incolas caedunt, & inventis ibi exteris non indulgent. Continua caedes jugiter fit; & quanto magis caedunt Gallici, tanto majori ad caedendum furia concitantur, magis ardent Beneventanos adducere singulos in exterminium & in praedam. Sed, ô tantae crudelitatis impietas, ô immanis saevitia praeter humanam naturam, immo contra conditionem creaturae cujuslibet, quae nec parcit sexui nec indulget aetati promereri. Profecto etenim credebant Gallici quod noxium vel innoxium Latinum poterant cruorem effundere. O utinam ad sacra duntaxat quae conservabant Ecclesiae manus execrabiles minimè relaxassent. Nam praetextu bonorum laicalium, quae celata sub Ecclesiarum velamine vel confusa cum ecclesiasticis fore putabant, res ipsas ecclesiasticas non expavebant eripere & proinde ipsas Ecclesias prophanare. En clericus, proh dolor, simul cum laico corruit, & indistinctè omnes Latinos quos furor Gallicus censebat haereticos, mares & feminas, clericos & laicos, interemisse laetatur. Dolet si videat aliquas reliquias Latinas superstites. Et si publicè nequeant, vel modo aliquo jam quiescentibus caedibus erubescat, evaginato gladio clam exenterat occurrentem. Unde pauci vel nulli potuerunt evadere crudeles gladios bellatorum. Vox quidem ploratus & ululatus vehemens cum frequenti & lamentabili ejulatione emissa ad miserendum & compatiendum poterat cujuslibet audientis pia viscera commovere. Heu proh pudor, filius inter maternas ulnas occiditur, & alius in patris gremio jugulatur. Maritus ad pedes uxorios & uxor interimitur juxta virum, nec uxori vel uxorato propterea parcitur, & filiis praesentibus impiè saevitur in matres. Et utinam sororis, uxoris, aut matris miserorum Latinorum pudicitiam, quam impudenter ardebant, fuissent veriti attentare. Sed haec pejora iis attentantes, Ecclesiarum immunitate per diversarum illationum ausus temerè violata, eos omnes quos de antiqua & approbata libertatis ecclesiasticae consuetudine debebant dominica templa tueri, infra Ecclesiarum ambitus fugientes saevitiosè comprimit impetus Gallicorum. Caedes caesorumque praedatio vix adhuc die quiescit octava. Tota terra intus & extra per marginum spatia & parietes etiam perfusi sanguinis frequentia rubricantur. Verùm propter Manfredi personam quamplures nobiles captus praeservat vivos miraculosè quodam modo immoderata voluntas & effraenis Gallicae impetuositatis excessus. Qualiter enim continere gladios poterant qui exenterare, scindere, jugulare, ac ferra in expugnatorum experiri corpora meritorium fore putabant? Galvanus inquam & Fredericus, qui fugae petentes auxilia versus Aprutium & Anconitanam Marchiam clade facta deproperant, Henricus etiam, qui Gallicorum faciem expavescens in Siciliam profugus applicat, necnon Bartholomaeus & Jordanus ac Petrus Asini Florentinus, quos dirus & durus Gallicus carcer exceperat, de Manfredino exercitu toto superfunt. Hos enim belli aut debellationis instantis felicius deglutisset eventus. Bartholomaeum etenim, Jordanum, & Petrum Asini captivos Rex Karolus ad quoddam castrum Provinciae, quae est dos uxoris suae natae magnifici viri quondam Berengarii olim ejusdem Provinciae Comitis, ut in ipso castro macerentur squalore perpetui carceris, destinavit.

XIII. Interea quidam Miles Picardus sedens super Manfredi dextrarium, quem ipse Manfredus pridie bellando contederat, praevisus ab illis suprà captis Comitibus & accersitus ab ipsis ex loco ubi Comites tenebantur, idem contra morem substitit patienter. Et cum lacrymarum etiam fusione ac singultuosis suspiriis subsistentem Militem Picardum interrogant, & ubi sit ille Miles cujus dictus dextrarius fuerat quem sedebat, & an bello corruerit, fueritque peremptus, an captus vivat & valeat, sciscitantur. Ad haec certificatus primò qui & quales forent sciscitatores hujusmodi, Miles ipse respondit: Verum est, Domini, quod hostium nostrorum durante conflictu, ecce equi hujus sessor vocem exaltans ad æthera, inculcata clamoribus murmura emittendo, cum quodam parvo Milite belli ruit in medium; & tam se animoso genti nostrae conjungit animo quòd si strenuos & fideles habuisset compugiles, vel majorem nostrae gentis partem victorius subegisset, vel coegisset omnes plurimùm laborare. Occurri ego inquam Militi tam animosè praelium invadenti, & à casu & fortuna caput hujus dextrarii vulneravi cum lancea quam gestabam. Ex hoc quidem vulnere se in altum dextrarius erigens sessorem casualiter excussit ad terram, quem illico ribaldi exutum armis innumeris ictibus mallearunt. Pretiosum etiam strophaeum quem cingebat en cum illo sonipede habui de ipsius spoliis & portavi. Tunc intra se gementes & quasi dementes audiendo facta dicti Comites cogitabant. Heu heu, occisus est agnus, Rex, Dux, & Dominus noster, qui elegit cum suis mori potius quàm vivere sine ipsis. Amodo vita nostra mors est dicenda, non vita. O utinam unus nos eum ipso gladius peremisset. Et haec intra se murmura intonantes nunquam potuerunt ultra clamorum spiritus continere. Quaerunt tum & iterum à Milite supradicto an sciret locum ubi sessor ille corruerat. Et respondit Miles quod & locum sciret ac hominem recognosceret, licèt jam dies effluxerat tertius ab eo quo ceciderat ille homo. Erat, inquit, homo flavus, amoena facie, aspectu placibilis, in maxillis rubeus, oculis sydereis, per totum niveus, statura mediocri. Ha ha, infelices Comites quomodo ad haec infelicia narrata non terrerentur. Verum dum haec simul sollicita indagatione disquirunt, exiit communis & vulgaris sermo dicentium: Mortuus est Manfredus, mortuus est Manfredus. Volavit igitur rumor ad Regem quod Comites asseverassent praedicti Manfredum fuisse peremptum bello. Jubet Rex Comites ipsos ad se venire ac memoratum Militem Picardum, cum quo de Manfredi obitu invicem contendebant. Et coram Rege ipso praedictis omnibus & singulis repetitis, mandat Rex Comites accedere cum Picardo ad locum ubi Manfredum Picardus praedictus corruisse dicebat. Comites igitur praedicti ad locum pugnae recentis ducti sunt compediti, & multis occisorum cadaveribus recensitis, ô ô ô cum quanta lacrymarum profusione compertum cadaver Manfredi manus trepidantes revolvunt, pedes & manus sui domini Comites osculantur. Vix possunt hoc solum dicere: Hic est innocens qui mortuus est pro no-

nobis: Hic est qui suos dilexit in finem. Juxta cadaver Manfredi compertum est corpus Theobaldi de Aniballis, qui semper in pugna Manfredum è vestigio sequebatur. Formosum igitur corpus Manfredi examine sublatum est de loco exitus, & ibi de prope juxta quandam Ecclesiam ruinosam in eodem campo triumphi cum gloria depositum Gallicorum magno lapillorum & lapidum acervo congeritur, conditur, & sine tumulo taliter sepelitur.

XIV. Ut autem Rex Karolus de copiosa & pretiosa quae jam in ejus dominii cesserat potestatem matrem & dominum honoret Ecclesiam & de primitiis & laborum suorum participem faciat patrem patrum & de sua venatione pater ipse praegustet, duos ceroferarios aureos seu idola manu facta comparata candelabris materia & opere, pondere quoque & arte pares, necnon faciftorium Caesaris sedem imperialem aurea massa conflatam margaritis coruscantibus undique circumseptam, quae diu Augusti ad laudis & gloriae fastigia imperialia ostendenda servarat aerarium, Domino Clementi sanctae memoriae summo Pontifici pro grandis & cari muneris oblatione transmittit.

XV. Post desolationem Beneventanae civitatis & successum tam grandis & tam felicis victoriae memorandum Rex Karolus apud Neapolim, quo primum post consummationem triomphi processerat, parlamento inito generali, omnibus & singulis regni Baronibus & aliis quibuscunque qui nomen & omen secuti fuerant Manfredi benignus indulsit. Et ut eos ad suam fidelitatem alliceret, quos inimicos forsitan viribus & ferro subegerat, singulorum culpas abolens, edicto veniae generalis poenas remisit omnino, beneficiaque spopondit, dummodo eos de caetero sibi contrarios majestas regia non haberet. Et volens ad tranquillandum subjugalis regni statum intendere, cujuslibet hostis resistentia jam cessante, mittit in Siciliam Dominum Philippum de Monteforti, ac quaslibet regni provincias visitat per officiales & nuntios. Verum propter Gallicorum multitudinem, quorum frequentia singulae regni partis complentur, quaelibet terra sua deplorat incommoda, & quae cladis praeteritae non palpavit incendia, ex jogi & continuo Gallicorum transitu violentos incursus ex afflictionum jaculis offenditur imprævisis. Namque cum iis qui castra sequuntur fides & pietas nulla insit, naturam sapiunt ignis & fulguris, ut videlicet omnia per quae transeunt loca contaminent, & quos ita subito nequeant incinerare subactos ad instar ignitae materiae denuo partes contiguas comprehendentis adurant.

XVI. Ad haec Rex praedictus de tam glorifico triumpho magnificus, ut de regnicolarum moribus regnique consuetudinibus se informet, quosdam regnicolas qui penes Manfredum officiorum administrationes & justitiam ministeriosè congesserant in sui familiaritatem advocat & recepat; inter quos quidam Barolanus praecipuè nomine Gezolinus de Marra, cujus progenitores de montibus Amalfiae traxerunt originem, ad tractatus rerum domesticarum regalium familiaris admittitur. Hunc ratiociniorum experientia & longa multarum commissionum regalium officiositas Regi reddebat acceptum. Hic regestra proventuum regni & singulorum officiorum ac officialium & per diversa ipsius regni loca particulariter ponendorum habebat; in quibus non solum jurisdictiones & jura regia, per quae felices Reges, contenti duntaxat eisdem, suos feliciter conservabant honores, memoriter erant inserta, sed omnes angariae, parangariae, collectae, talliae, daciae, contributiones, & modi exactionum innumeri quibus Regum nefandorum impietas miseros regnicolas opprimere ac necare didicerat, studiosius fuerant rubricati. Hujus Gezolini consilio & suggesta Rex, quem Regum praedecessorum suorum vitam & vivendi modum sequi ac mores eorum probabiles non pudebat habere, legem ponit regnicolis, novosque secretos Justiciarios, Admiratos, Prothontios, & Comites, portularios, duanerios, & fundicarios, magistros fiscarios, magistros juratos, Bajulos, Judices, & Notarios ubique per regnum, & supra hos majores praepositos statuit. Hi, religione juramenti quod in officiorum susceptione consueverunt praestare praesumptuosis ausibus violata, ubilibet subjectos gravant indebitè, ac eis importabilia onera imponentes, emungendo plus debito cruorem eliciunt & medullas. Provocantur regnicolae duris & diris oppressi flagitiis, & jam mente corrupta violantur interius, ac quilibet inter se specialis excogitata fraudis machinatione corrumpitur, & prae novi timore dominii plus nutibus quàm verbis alter alteri tactus dolore cordis intrinsecus conceptionis suae pandit arcana, & lamentabilibus saltem conquestibus suae mentis reserat voluntatem, atque mutos volvens in pectore questus, semisonora ejulatione, quasi nesciens loqui, clamat: O Rex Manfrede, te vivum non cognovimus, quem nunc mortuum deploramus. Te lupum credebamus rapacem inter oves pascuae hujus regni. Sed praesentis respectu dominii, quod de nostrae volubilitatis & inconstantiae more sub magnorum professione gaudiorum anxiè morabamur, agnum mansuetum te fuisse cognoscimus. Jam fuisse dulcia tuae potestatis mandata sentimus, dum alterius amariora gustamus. Conquerebamur frequentius nostrae substantiae partem in dominium tuae majestatis adduci. Nunc autem omnia bona nostra, quod pejus est, & personas alienigenarum converti videmus in praedam. Regnicolis igitur ubique per regnum murmurationes emittentibus & lamenta, nonnulli de regno ipso haec & deteriora perpessi Comitibus exiticiis & Baronibus exteris & ejectis ac profugis, necnon & universis in Lombardia & Tuscia Gebellinorum capitibus intimare procurant de aspero & agresti ac importabili dominio Gallicorum.

XVII. Quamplures igitur viri magnifici, videlicet Galvanus & Fredericus fratres Comitis praelibati, Corradus Capicius & Marinus ejus frater de Neapoli, quibus Rex praedictus ad preces B. de Pignatellis Archiepiscopi Messanensis vitae veniam post eventum praeteritae debellationis indulserat, in Alamanniam ad suscitandum catulum dormientem & pullum aquilae, qui nondum aetate coeperat adulta pennescere, properè se convertunt. Ibi enim de tota Frederici posteritate solus Corradinus natus quondam Regis Corradi ejusdem Frederici filii, qui tam Frederico de Stuffa quàm Duci Austriae ac multis de Theutonia magnis viris linea consanguinitatis attinuit, tanquam quoddam memoriale supererat. Ad hunc sanè vanis licèt allectivis suasionibus excitandum non solum praedicti exules & alii quamplures è regno perveniunt, sed ab omnibus Gebellinis praedictis & à civitatibus etiam imperialibus de provinciis supradictis, quae quondam sub devotione Frederici & filiorum suorum fuerant, solemnes nuntii destinantur, qui sibi tamquam Regi venturo aurum, thus offerebant & myrrham, ac ei de propriis peculiis, etiam civitatum ipsarum thesauris, promittentes pro expendiis necessariis ampliores, non tantum ipsum, qui corpus & cor aetatis juvenilis habebat, sed alios eo majores virtutibus & aetate amicos & consanguineos suos ad delitiosas & fertiles regni epulas invitarunt, quos illico illuc festinis gressibus concitavere venturos. Conflato igitur & sculpto sigillo sub Regis Siciliae titulo Corradinus per Italiam litteras spargit & nuntios, & suum adventum celerem fore praenuntiat. Corradus autem Capicius de generali capitania & vicariatu Siciliae fabricatas sub ipsius Corradini sigillo litteras, in quibus se Regem Siciliae confingebat, studuit obtinere, dicens quod ad parandas domino suo vias & ejus in regnum citum praedicandum adventum volebat ut praecursor sublato morae dispendio properare. Sicque obtenta superioris licentia Pisas usque pervenit; ibique totius deliberationis Corradini propositum voluntates quoque Principum Alamanniae, ac oblata per eos ipsi Corradino juvamina voce praenuntia promulgavit. Po-

stulat inter haec à Pisanis aliquod per mare subsidium quo possit ad praesens in Tunisium transfretare. Et quia Pisani jam disposuerant prosequi factum & causam favorabiliter Corradini, concedunt Corrado praedicto unam galeam armatam qua in Tunisium devehatur, suaeque subserviat voluntati.

XVIII. Applicans igitur in Tunisium Corradus Capicius praelibatus cum Domino Frederico nato Regis Hispaniae cogitatu callido de invadenda Sicilia machinatur; factumque Corradini justificans, suorum magnificans potentiam amicorum, oblato sibi per magnificos viros Italiae ac confinia loca subsidio plus quàm in re foret veritas. Praedictus verò Domnus Fredericus & Domnus Henricus germanus ejus, quos propter impatientiam quam habebant de magnitudine ac prosperitate fraterna ejectos, & absen- Odor. Raynald ann. 1267. §. 14. tes à propria diu patria foverat aliena, pinguia pro se ac quibusdam Militibus de Hispania stipendia recipiebant à Rege Tunisii, qui cotidianis cavalcatis & assiduae guerrae sollicitudine angebatur per alios Sarracenos. Hi sanè fratres Hispani prae Sarracenorum conversatione diuturna actibus Agarenorum imbuti, & ferè Christianae religionis obliti, à Sarracenis ipsis vita parum & moribus differebant. Verum Domnus Henricus à praefato Tunisii Rege habitus ex sua superstitiosa superbia de proditoria machinatione suspectus, ad seducendam & concitandam Romanam provinciam cum trecentis fortè Militibus de Tunisio citra inopinatè convenerat: qui dum Romanam curiam, adhuc non praecisus ab Ecclesia, sequeretur, ab apostolicae dignitatis auctoritate magnae liberalitatis & gratiae immensae dona poposcerat. Cujus nobilitatis & schematis fama adeo Ecclesiae Romanae ministros videbatur inebriasse repentè quod frequenter ut ei deberet de regno Sardiniae provideri conditum fuerit instrumentum in consistorio tractatum.

XIX. Sed dum quidam nobilis civis Romanus Angelus Capucia nuncupatus seditionem in Romano populo suscitasset, per quam contra urbis magnates Capitaneus populi, quibusdam bonis viris de qualibet regione binis electis secum adjunctis, sub pacis specie motibus ultroneis est ereptus ex tradita sibi per dictum populum potestate qua quem vellet posset eligere senatorem, Domnum Henricum praefatum contra plurium nobilium repugnantiam & obstaculum etiam Cardinalium aliquorum, qui jam aliquid de ipsius Domni Henrici fraudulenta voluntate conceperant, ad urbis regimen evocavit. Cujus vocationis solemnitas, etsi fuisset ante publicationem à pluribus impugnata, & multorum corda non immeritò durius pupugisset, tamen sub quadam fuit gratitudine generaliter ab omnibus acceptata. Venit ergo de Romana curia factus senator ad urbem, & aliquandiu stateram justitiae sub aequitatis libra manibus suae potestatis appendens, tandem corde & voluntate perversus, via & moribus protinus regnantis abjectis, in arcum repentè convertitur inopinabilis pravitatis. Guelfis quidem urbis & amicis Ecclesiae ac devotis in abundantia mollis promissi verbo tenus felliturn & venenosum poculum actualiter subministrat. Concepit iste singulariter odia contra praedictum Regem Siciliae, cui gradu attinebat consanguinitatis secundo; & suorum successuum felicium actibus invidens quaerebat opportunitatem ut eum per viam aliquam posset perenniter exterminare vel laedere aut in regni possessione turbare. Praetendebat enim inimicitiae causam adversus eundem Regem se habere legitimam & motum sui animi fore justum, pro eo quod eidem Regi, quando primo contra Manfredum inops & substantia tenuis veniebat, asserebat se non modicam pecuniae quantitatem de proprio peculio mutuasse, quam dictus Rex ad fortunam veniens pinguiorem sibi, ut bona fide spoponderat, reddere contemnebat. Iis contra praefatum Regem, immo ex cordis iniquitate ac invidia provocatus, Corradino in Italiam venire disposito & parato se litterarum & nuntiorum destinatione confoederat, & ei posse suum ac Romanorum potentiam subsidiosè spondens contra Regem Karolum experiri, multis ipsum inductionibus ad celeriter veniendum reddit attentum, ostendens sibi mendaciter quod adventum suum citum & Roma & tota Italia suspirabat, & asserens ei Gebellinorum saltem subsidia non posse deficere, astruebat eum omnino & infallibiliter Gallicos fore victurum. Ad hujusmodi igitur grandi exhortatione factum ac pollicitatione suggestum statim Corradinus, sollicitatis omnibus instantissimè qui ultro se promiserant venturos esse in Italiam cum ipso, gressus accitos magis accelerat.

XX. Interea perfidus Christianus Domnus Henricus vanè cogitans & attentans omnes nobiles urbis Guelfos una hora simul in Capitolio ad instar pi- Odor. Raynald anno 1267. §. 19. scium, quando plures numero uno tractu retium capiuntur, fecit ad se praedictos nobiles prodironè accersiri. Cumque nobilium ipsorum alter alterius vocationem protinus ignoraret, quamplures intrepidi, sed decepti, Capitolium ascenderunt. Sunt autem praedicti nobiles Dominus Neapoleon & Matthaeus frater ejus de filiis Ursi, Dominus Johannes de Sabello, Petrus Stephani, & Angelus Malabranca. Hos tantum, qui nihil de excogitata fraude praesenserant, ad vocationem praedictam purè & simpliciter venientes statim Domnus Henricus cepit, exprofque jussit in Capitolio pernoctare. Quibus in ipso exceptionis initio nullam vultu vel gestu formam turbationis aut alicujus asperitatis ostendit, immo praeconceptae contra eos fraudis pocula lenitate verborum sagaciter temperabat, verens, & meritò, ne propter hujusmodi captorum detentionem tam subitam seditiosus contra eum tumultus commoveretur in populo. Postquam verò dictos captos verbis assecuravit mellifluis, & pro certo perpendit quod concitata propterea populi corda quieverant, ex eis aliquos, videlicet Dominum Neapoleonem & fratrem suum apud Monticellum, quod est castrum fortissimum prope Tybur, inibi moraturos in carcere ad suum beneplacitum destinavit. Et tandem, ut eos de stricta urbis extraheret, eosque posset liberius servare, apud Sarracinescum, quod est castrum Corradi de Antiochia nepotis quondam Frederici praedicti, jubet exacta custodia in arto carcere detineri. Verum reliquis in Capitolio sic detentis, praelibatum Dominum Johannem de Sabello, de quo, cum esset homo probatae fidei, zelans pacem & tranquillitatem urbis toto mentis affectu, nulla sinistra poterat oriri suspicio, receptis primò ad cautelam pro eo quibusdam fidejussoribus, & Luca ejus filio dato obside pro excambio, à carcere Capitolii relaxavit. Sed quia Dominus Rainaldus de filiis Ursi vocatus Capitolium non conscendit, immo se in castro Marini non sine audaci promptitudine receptavit, jamdictus pseudochristianus contra eundem Dominum Rainaldum duxit copiosum exercitum Romanorum, & castrum ipsum dura obsidione circumdat. Cumque nequiret castrum ipsum, quod quamplures de urbe strenui Milites & pedites tuebantur, sicut firmiter credidit expugnare, redit ad urbem furibundus & fremens. At in urbe Odor. Raynald an. 1268. §. 25. commorans, se non contentans in viros ecclesiasticos & Ecclesiae Romanae devotos manus immaniter injicere violentas, ad thesauros innumeros quos servabant Ecclesiae sceleratas manus execrabiliter extendere non expavescit. Sunt enim Romae diuturni mores quibus non solum Romani qui aliquas pecuniarum summas modo quolibet aggregant, vel habent res alias pretiosas, quas propter latronum hostiumve incursus in domibus propriis conservare formidant, sed quamplures exteri & vicini libertatis petentes Romanae suffragia, in monasteriis & Ecclesiis magna & multa deponunt pecula, quae quandoque per longum tempus non requiruntur à dominis, considerato quod in locis ipsis cum integritate ac tutela consueverunt deposita conservari. Ad haec itaque diripienda deposita contra ipsarum Ecclesiarum privilegia libertatum praedictus Domnus Henricus anxiis instat conatibus totoque incenditur mentis ardore;

sic-

neque praedo securus Deum, Ecclesiam, & homines non verens offendere, loca depositorum hujusmodi quadam audet promptitudine temeritatis invadere. Hinc confringit sacrilegus ostia, hinc sacristias violat sceleratus. Hinc fur violentus aperit cavernas clericorum. Inde argentea vasa & aurea, inde sacras vestes & quaeque pretiosa diripit & asportat. Proh dolor, Lateranensis, sancti Pauli, sancti Sabae, sancti Basilii Aventini, sanctae Sabinae, ac aliorum monasteriorum & Ecclesiarum loca dolent & lugent suis dirobata depositis; & altis clamoribus conquerendo, pro voce dant gemitum, & pro illati doloris incendio suspiria & singultus. Orant ecclesiastici viri suppliciter, & has voces sub eulogio lugubris infelicitatis emittunt.

XXI. O infelix urbs urbium Roma, tot sanctorum patrum glorificis dotata reliquiis, tantaque gentium alienarum frequentia in tuis venerabilibus sanctuariis honorata, facta es nunc vicinis opprobrium & subsannationis illusio gentibus quae circumstant. Venerunt utquam gentes in hanc sanctorum hereditatem, quae in cordis insipientia Deum in sanctis suis esse non cogitant, dum diva templa polluere non formidant. Comederunt Ecclesiarum peculia, & loca desolaverunt ipsarum. Precamur ergo suppliciter nos peculiaris Christi & Ecclesiae suae populus, nos grex dominicus, & pascuae boni pastoris oves, ut tu Deus ultionum dominus hanc tuam & Ecclesiae tuae temporibus nostris ulciscaris injuriam. In conspectu tuo sic gemitus expoliatorum introeat sicque oppressorum clamor ad sedem tuae majestatis ascendat ut iniquitates illas, quas fidelis populus tuus à gentibus patitur quae te non noverunt, provida clementia tuae propitiationis aboleat & miseratio tuae pietatis abstergat.

INCIPIT LIBER QUARTUS.

I. JAM inter haec Corradinus unà cum filio Ducis Austriae quodam modo sibi aequaevo cum Theutonicorum manu in Lombardiam de Alamannia venerat; ubi aliquantulum moram trahens, omnium fautorum quondam Manfredi patrui sui tam de Tuscia quàm de Lombardia recepit tunc & recepta meditatione diligenter recensuit quondam per litteras oblata subsidia. Demum vero, licet oculo posset meditationis attendere quod ad invadendum regnum & Gallicos in regno morantes illorum comitiva Theutonicorum qui sequebantur eundem non posset etiam triplicata sufficere, consideravit tamen quod Gebellinorum usquequaque subsidiis, quae tam à civitatibus & locis provinciarum ipsarum, quarum contra Regem Karolum videbatur pariter agi negotium, quam etiam à personis spiritualibus, quas vel vicinorum invidia vel temporalium bonorum cupido coarctabat ad arma sumenda, & oblata & destinata demum fuerant Corradino praefato in uno & eodem exercitu contra Regem ipsum unanimiter animatis poterat cum Gallicis, qualibet succumbendi sublata formidine, victoriosè pugnare. Unde contra monitiones, mandata, & inhibitiones tandem expressas Romanae sedis antistitis, cujus anathematis & excommunicationis sententias mente juvenili temerè in hac parte contempsit, Romam quantum potest citius venire festinat. Et ut fautoribus & complicibus suis ejus adventum expectantibus celerem motum animi sui promat, plus verbosis litteris plusque praeconiis quàm pedibus molitur in jam deliberata vestigia. Cum enim improbè suggerentium suasiones & stimuli fortius ad ultima fatorum judicia impellebant, eundemque incautum sub delusoria sponsione belli detrahebant ad nubilum tenebrarum, ac sub felicitatis ostentamento futurae debilem & infaustum in medium procellarum fluctuantium adducebant.

Odor. Raynald. ann. 1268 §. 17.

II. Fama igitur de praedictis ad Corradum Capucium & Dominum Fredericum, qui adhuc erant apud Tunisium, evolante, statim sub favore illius Regis Tunisii cum ducentis Hispanis, totidem Theutonicis, & quadringentis Tuscis stipendariis, quos in Tunisio ad Regis ejusdem stipendia commorantes avidos & spolia Siculorum alias huc expertos temporibus retroactis esse repererant, in duabus navibus, in quas tantum viginti duos equos induxerunt cum eis, multis tamen sellis & fraenis muniti, in Siciliam transfretarunt. Hos quaedam terra quae vocatur Sciacta, regalis dominii fide abjurata, primordialiter receptavit, ipsisque à nonnullis Siculis, quos tanquam frequenti susceptione occasionis exilis aversos adhuc spes vana fovebat, grandia exenia praesentantur, per quae non modicum eorum debilis fortificatur adventus. Corradus igitur Capucius per totam Siciliam spargit litteras, & se illustris Regis Corradini vicarium in Sicilia generalem litterali fictione describit, tales litterarum tenores inter alia intimando. Ecce Rex vester cito veniet in celebri magnae potentiae majestate, in manu potenti & brachio excelso nimis. Veniet inquam verax dominus, verus Rex, & vera successio ad hereditatis suae populum & patrimonii sui gentem, quam immaniter opprimi à personis exteris & ignotis compatiens, de manibus adulterini Regis, qui regni non sui possessione possessor violentus abutitur, eripere disposuit, & ereptam in antiquis felicium progenitorum suorum libertatibus confovere. Hujus sanè Corradi Capucii nuntios & litteras quamplura loca & nonnullae personae devotè recipiunt & Corradini adventum gratificant & acceptant: quae quidem pervertentes illico mentis instabilis voluntates, jam ad Corradini nominis & honoris magnificationem aspirant. Sicque tota vallis Mazariae, totaque vallis Noti, & ferè tota Sicilia, exceptis quibusdam locis insignibus, ut sunt Panormum, Messana, & Syracusia civitates, dictorum Corradi & Frederici beneplacitis, saltem nutibus, obtemperare videntur. Cum quidam Fulco de Podio Ricardi, Provincialis natione, vicarius tunc in Sicilia Regis Karoli generalis cerneret Siciliam tam subitò seditiosa machinatione commotam, contra praedictos Corradum & Dominum Fredericum adhuc in Sciacta propter equorum paucitatem multum debiles existentes amicorum & aliorum de contrata, quorum fraudulentae voluntatis propositum & dolosi propositi machinatio detegi nondum poterat, exercitum per totam Siciliam congregavit. Verum contra praedictos multi convenerant in ipsius Fulconis auxilium: qui violata mente condictum morantes intenti eum subacta denuo suasione confortant, hac consideratione potissimè ut ipsum sagacius & liberius pro voto possint adducere in praecipitium & ruinam, ac eundem & gentem suam in cibum & praedam esurientium hostium praeparare. Ex iis profectò quamplures extranens proditoriè fabricaverunt bannerias & falsa vexilla, ut descendentibus hostibus ad conflictum, ea in ipsorum hostium auxilium & exterminium reliquorum terga vertentes erigerent, & banneriis ac vexillis erectis, de amicis nova quadam mutatione facti subito inimici gladios & lanceas converterent in amicos.

Odor. Raynald. ann. 1268. §. 2.

Hist. Siciliana de Buonfiglio pag. 282.

III. Factum est itaque quod dum praelibatus vicarius prope Sciactam magnum Siculorum exercitum congregasset, illorum potissimè qui vocati in partibus illis Ferracani contra reliquos appellatos vulgari linguositate foetentes videntur fidem Regis Karoli profiteri, jamdicti Corradus & Dominus Fredericus cum equis & equabus quos & quas invenire tunc poterant in illo modici temporis intervallo versus exercitum contra eos adductum quasi familiares hostes & inimici domestici appropinquant. Iis igitur infra ejusdem exercitus ambitum audacter subintrantibus loca castrorum, statim in ipso debili eorum aggressu, nullius tutela defensionis adhibita, Siculorum agmina fugam simulant & sparguntur, ac Provinciales in escam hostium derelinquunt; ex quibus aliqui erectis falsis & fabricatis hostium ipsorum in ipsa fuga banneriis & vexillis, post ipsam simulatam fugam, cui se videbantur propter impugnantium formidinem commisisse, post commixtionem hinc inde jam fa-

etam intrant suorum agmina pedetentim, conversique repentè in arcum pravae malitiae, couvertunt manus & dimicant contra suos. Vicarius autem se conspiciens sic subitò proditum & dolosè deceptum, dimissis papilionibus & tentoriis, sarcitis harnesiis, fugae non improvide petit remedia, nec se voluit discriminoso certamini conscientia gravata committere, sed se suosque Provinciales à manibus invalescentium hostium eripere studuit fugiendo. Pauci demum ex omnibus lethaliter corruunt, quamquam & interfici & capi potuerint multi tam ex Provincialibus quàm ex Siculis supradictis. Sed hostes advenae plus ad spolia, maximè ad capiendos equos, studebant quàm ad extinguendum morte taliter debellatos. Et quia inter exercituales catervas amicos ab inimicis distinguere non valebant, cùm essent in loco ipsius exercitus pariter confusi & commixti cum aliis, quadam parcentes simulata pietate prostratos paucos vel nullos ad ultimum interitum adducebant. Verum ablatis equis, quorum sessores sine personarum acceptione, viriliter excutiebant à sellis ad terram, personas abire liberè permittebant. Replentur igitur advenae spoliis, & qui res esuriebant refocillantur ad votum, qui erant pauperes fiunt dites, & pedites conscendunt equos ex debellatione sublatos. Jam nomen Corradini apud Siculos praeclarum & celebre divulgatur, ac ipsius & sequacium suorum vires virendo cotidie invalescunt. Discurrunt equitum contubernia per montana Siciliae, & patentes ac parentes devotè sibi terras gloriosè subintrant. Inter famosas sanè terras & fortes ac utiles quas dictus Corradus Capucii subegit dominio Corradini sunt istae praecipuae, Agrigentum, Terra nova, Licata, Notum, Calata scilicet & Nicosia, Cathania, Augusta, Castrum sancti Johannis, Conturbium, Placia, & ultimo Lentinum, pro eo quod Ferracanorum pars se in Turone ac castro Lentino in aliis partibus perdito receptarunt. Qui tandem Turonem ipsum, quod finaliter defendere non poterant, dimittentes, diù castrum jamdictum contra impugnantes cateros defenderunt. Interdum autem propter machinas & caveas subterraneas quibus effodiebatur funditus castrum ipsum, aqua perdita cisternali, castrum compulsi sunt reddere, salvis personis & rebus, instantibus inimicis. Iis itaque sic victoriosè agentibus, miserisque Siculis non sine dubia cordis perplexitate confusis, gravatisque ab amicis, & ab inimicis oppressis, meritò intra se nutantibus, cùm non invenirent quibus fiduciosè adhaerere possent amicos, nisi quatenus anima peccatris ad tartara tendens & patrem sub pietatis specie impium diabolum habens sub amicitiae simulatione cruciantes eam reperit daemones & tortores.

IV. Pisani interea Romam viginti quatuor galeas
Hist. Siciliana di Buonfiglio p. 263. praemittunt armatas in subsidium Corradini, quibus Comes Fredericus Lancea praeerat, Capitaneus institutus. Hae quidem galeae nonnullos regni Barones & exules in regnum devehendos excipiunt; fretaque petentes Gaietam obsident & circumdant ac damnificant quantum possunt. Multa enim Gaietanorum viridaria devastarunt, & apud Molas praecipuè arbores sine fine pomificas & fructiferas securibus, bipennibus, & asciis exciderunt. Tandemque in Siciliam remigantes, quam jam ferè totam praedicti Corradus Capucius & Dominus Fredericus hostiliter occuparant, apud Milatium primordialiter applicarunt; ibique dictus Comes figens anchoras, rudentibus extensis, ad terram descendit ad aridam, & quamplura castra in plano Milatii intercepit & munivit pro velle. Sed quia Comes ipse Corradini se vicarium appellabat. Corradus Capucius, qui ejusdem Corradini vicariatus nomen usque tunc gesserat, & Dominus Fredericus etiam, inter quos latens invidia ex sociae potestatis impatientia bulliebat, dolere vehementer ac invidere coeperunt & in pugnando tepescere, ac intra se nullis impellentibus aut praevalentibus contra eos debilitari segniùs & avelli. Cùmque praedictos & gentem ipsorum dictus Comes in sui subsidium peteret adventuros, hac intentione commonitus ut se cum eo in plano Milatii jungerent & Messanensem civitatem, ubi vicarius Regis praedictus cum multis Baronibus Calabriae & nonnullis fratribus hospitalis sancti Johannis Hierosolymitani convenientibus ibi de toto regno Siciliae morabatur, perterritam variis insultibus invaderent & per mare, Comitis ejusdem vocationem non attendunt improvidi, & invidi plus quàm expediat, se cum eo jungere aspernantur. Interea galeae de Provincia viginti duae Messanam jam veniunt, quarum dux & rector est Dominus Robertus de Lavena juris civilis professor; cum quibus Messanenses novem alias galeas armarunt illico, quarum fecerunt præpositum quendam Matthæum de Riso civem Messanae, nautam audacem & securum in mari inter omnes alios de civitate prædicta. Sicque dum in auribus Militum qui erant Messanae pro Rege prædictorum Corradi & Comitis Frederici plurimorum relatibus invidiæ nota jam crebresceret, confortantur regii contra hostes, aliquali propterea animositate resumpta, qui ferè prae timore facti erant exanimes, dum se perdituros finaliter autumant & perdendos. Propter quod consilio inito Milites numero fortè septingenti, computatis Provincialibus, Calabris, Messanensibus, & fratribus prælibatis, de Messana pergunt ad planum Milatii contra Pisanos & Comitem memoratum; cum quibus Militibus una quasi hora galeae Provincialium & Messanensium supradictæ junctae simul illuc remo trahente festinant.

V. Cùmque jam utrinque galeae Pisanorum & Provincialium ac Messanensium per æquora plana de propinquo se cernerent, Pisani cursu hostes praevenientes audaci galeis obviant praedictorum; & ut meliùs inimicis obsistant dimicentque securius, in altitudine maris supra galeas adversariorum aliquantulum se impellunt. Contra hos Pisanos, qui videbantur jam fugere, galeae Messanensium fatuè se convertunt. Verùm Pisani galearum proras dirigentes ad terram per continuum violentumque remorum impulsum, galeis tantum Messanensium se conjungunt, & ferè illas in ipso lacertorum impulsu confringunt. Messanenses autem credentes quod Provinciales in hostes animosos irruerent, quamvis concussi fortiter, se tamen conantur defendere ac resistere sicut possunt. Galeis autem Provincialium nescio quo vano timore perterritis petentibus altum mare, ac nullis eos insequentibus ad subsidia fugæ conversis, Messanensium praedicti necessario terga dant hostibus, & quasi naufragi versis puppibus obici terrae velut præcipitio voluntario se committunt. Unde Pisani novem galeas Messanensium personis vacuas & octodecim in eis tantùm homines abjectæ conditionis & infimae capiunt. Ex quo tantam sumunt audaciam quòd non minus intrepidè quàm superbè ad terram cum Militibus adversariis pugnam quærunt. Milites autem prædicti attendentes quòd galeae Provincialium fugerant, Messanenses vero jam captae erant, non immerito tremescunt & dubitant, cum ipsi tantum de tota Regis parte in Sicilia superessent, uno nequaquam alterum expectante, nec suam banneriam subsequente, cursu continuo quasi debellati, Messanensem repetunt civitatem, mortificatis fugiunt artubus, & campum hostibus peditibus & marinariis derelinquunt, plus forsitan de civibus Messanensibus dubitantes quàm de Pisanis praedictis, qui eos ausu temerario & non sano insequi pedites præsumebant. Demum Pisanis ipsis cum galeis suis trahentibus usque ad portum civitatis præfatae galeas sic captas, Messanenses prædicti, mentibus interius jam corruptis, mutuo sibi invicem loquebantur, disponentes in animo firmiter Militum prædictorum spolia, quorum occasione galeas suas fore perditas occasionaliter praetendebant, magnis ausibus occupare. Sed dum Pisani ex improvidi deliberatione consilii galeas Messanensium pridie captas in medio portus tentant igne succendere ac eas succensas igne acutissimo & volante unatim impellunt ad terram, ut per hoc naves
exi-

existentes anchoratas in portu & domos ligneas in littore fabricatas comburerent, ac demum civitatem ipsam, cujus decor est abietum levigata lignamina & constructa, darent facilius in combustionem & cibum ignis, exiit subitus rumor in terra quod Pisani Messanam student, si possint, incendere, ac quod se, mulieres, & quaeque pretiosa jactassent de terra ipsa sublaturos ad Pisas. Propter quod non solùm mares, sed & mulieres ipsae, verbo rumoris invalescentis audito, ad portum properè pergunt quadam ferina furia comitati, & naves ac domos inchoant sic viriliter defensare quod ex multis & variis Pisanorum contra ipsos Messanenses offendiculis praeparatis summo studio non laeduntur.

VI. Verùm dum multa turpia & obscoena horribiliaque ac lethalia etiam undique per Siciliam peraguntur, dumque tota Calabria usque ad portam Roffetti rebellat, Corradini nomine invocato, Corradinus ipse jam per faciem summi Pontificis & Dominorum Cardinalium, qui in Tibure residebant, non erubescit cum copiosa Gebellinorum multitudine pertransire. Veniens igitur per Tuscanellam & Vetrallam, Viterbiensem exercitualiter calcando districtum, cum immensa honoris & magnitudinis gloria pomposè ductus est Romam. Priùs quàm tamen urbem Corradinus introeat, ejusdem urbis populus, qui naturaliter imperialis existit, adventus Corradini diem constituit celebrem & solemnem; & Domni Henrici senatoris ordinata persuasione devictus eidem Corradino extra urbem adeo munitus occurrit quod contra venientem exercitum velle pugnare ac ei obviare hostiliter potiùs videbatur quam pacificè intra terram admittere seu cum exultationis gaudio introducere, sicut per dictum populum fuerat ordinatum. Ora tamen quilibet relaxabat in jubilum & in laudem, armata capita herbis & floribus adornantur. Milites ad haec omnes se accinctos similiter stimulantes ad pugnam cum senatore praedicto distincti more confligentium per cohortes ex tunc extra muros & in pratis sancti Petri sub monte malo cum dicto populo subsistentes ordinati per acies singuli novis & festivis tripudiis exultantes Corradinum venientem expectant. Quod autem populus Corradino exiret obviam sic armatus, senator praedictus non sine praemeditata astutia ordinarat. Intendebat enim per populum ipsum militiam urbis quantam in urbe posset ostendere, quodque universaliter daret credere quod Romanos omnes promptos & paratos fidelibus & devotis animis habere senator ipse poterat contra Regem, ac per hujusmodi ostentamenta pomposa & fallacia Romanorum praedictorum dicto Corradino patefaceret voluntatem. Nihilominus tamen tripudiantium militum agmina vestium pretiosarum diversorumque colorum desuper arma varius habitus distinguebat. Quodque magnum est & auditu mirabile, mulierum choreae ludentium intra urbem in cymbalis & tympanis, lituis, & viellis, & in omni musicorum genere concinunt. Volentesque suarum pretiosarum rerum abundantiam, quam plerumque sequitur voluptas, ostendere, de domo in domum in oppositum consistentem jactatis ad modum arcus aut pontis chordis & funibus, vias mediar desuper, non lauro vel ramis arboreis, sed caris vestibus & pellibus variis velaverunt, suspensis ad chordas strophaeis, flectis, dextrocheriis, periscelidibus, arbitris, grammatis, armillis, frisiis, & diversorum ac pretiosorum anulorum appensione, diadematum etiam & fibularum seu monilium, in quibus gemmae fulgentissimae relucebant, bursis sericis, cultris tectis de piancavo samito, bysso, & purpura, cortinis, toualiis, & linteaminibus contextis auro sericoque per totum, junctis velis & palliis deauratis, quae doctus opifex citra & ultra mare de diversa & operosa materia caraque texuerat. His igitur ornamentis omnes ferè urbis viae per quas Corradinus erat vadens ad Capitolium transiturus taliter adornantur. Nec fuit aliqua illius pompositatis & gloriae comparatio quando Romam Regem Karolum venientem universaliter exceperunt. Nunc enim altera partium ejecta erat ab urbe. Propter quod ab iis qui remanserant quicquid factum est solemnitatis & laetitiae die illa & cordis affectu & ex animi liberalitate seu mera voluntate processit.

VII. Ecce jam Corradinus in pratis Ecclesiae. Ecce venalis gens urbis plebs Gebellanica non sine impressione fastuosa & aestuoso compulsu ad lora dextrarii Corradini festinat, & quilibet in hoc, ut major appareat, nitens alium praevenire, eundem Corradinum è vestigio pedes dextrare satiscitur, & cum intra terram conducere satagit, sperans laudis plus aliquid promeriri. Ingressus est itaque cum suis pompancè Caveam civitatem, quae frequenter libertatis antiquae pudicitiam violando, actu meretricali verisimiliter prostans adulteranda cuilibet venienti domino impudenter se exhibet ac ultroneam se exponit; ibique adversùs Regem Karolum de tota Italia convenientibus Gebellinis, Corradinus ipse, Domnus Henricus Dux Austriae, Comes Galvanus, Comes Gerardus de Pisis, Comes Guido de Monteferetro, Corradus de Antiochia, & capita Gebellinorum urbis, videlicet Jacobus Neapoleonis, frater & filii Anniballensis, Comes Alkeruccius de sancto Eustachio, Stephanus Normanni, Petrus Romani, Johannes Atlacti, & Surdi omnes, etiam quorum Raulus per Manfredum quondam Comes fuerat factus Cathanensium, necnon & multi Milites & Barones Theutonici, Lombardi, Tusci, Romani, & exules regnicolae viri famosi, pluresque quos fama celabat obscura, consilium contra Gallicos inierunt. Sed & juvenilis mens casus incauta futuros praevidere, tanquam familiarites decepta, non poterat qualiter ille iniquitatis filius auctor totius sceleris & nequitiae perfidus pseudo Domnus Henricus senator immo veriùs prophanator urbis clam & fraudulenter condita deliberatione proposuerat cum Galvano & quampluribus optimatibus fraudulentis, qui hac intentione Corradini sequebantur exercitum ut Rege Karolo, sicut tenebat firmiter, expugnato, & Gallicis juxta Gebellinorum vana figmenta devictis, infelicem Corradinum, qui per omnem modum tendebat ad interitum & ad malum, ad Ducem Austriae cum quibusdam magnis viris de Alamannia comitibus & custodibus dicti Corradini proditoria insultatione perimerent, & tanquam familiares hostes improvisos, miseros, & incautos immaniter adnullarent, sicque praedictis crudelis ausus improvisa peste peremptis, Domnum Henricum praedictum in Siciliae Regem inungerent, totiusque regni sibi traderent dominatum. Hac igitur machinatione dolosis per totum fabricata propositis habere per Cellas in regnum duces exercitus Corradini primum disposuere congressum. Sed antè quàm rem optatam se obtinuisse laetentur, fiunt in rebus dubiis Barones, & Comites distribuuntur, victoriae nondum habitae vel possessae fit perpetua comitatuum & feudorum concessio, & in sortem propriam quilibet ex Gebellinis gratiam sibi de regni possessionibus pragmate concesso receptam ante horam dinumerat & recenset. Haec est ambitio cupida, quae & exorbitat in virtute propria, & perenniter cruciat quemlibet ambientem.

VIII. Egreditur jam urbem plebeia multitudo, ac nonnulli magnates & equites alii cum eadem; & per duas dietas quibus tantus potuit ire conventus plebs Gebellinica exercitum sequitur Corradini. Sed ex condicto & deliberato inter duces exercitus majorem partem Romani populi commeat eis data licentia, iis duntaxat retentis qui magis videbantur sub Gebellinicae devotionis zelo fervere de magnatibus urbis. Ii secuti sunt usque ad ultima facta casualia Corradinum, Petrus Romani praedictus, qui pridie Regi Karolo adhaerebat, nunc verò opportunitate captata magnae & apparentis potentiae Corradini, quae videbatur usquequaque perpetuo valitura, occasionaliter mutato proposito, sic rupto fidelitatis foedere, quo se Regi connexerat praelibato, ad devotionem fuerat Corradini conversus. Cum hoc quidam Al-

Ke-

per silvas, aliique per montes, alii ad nota, nonnulli per ignota devia fugientes; & dum quidam extranea petunt divortia, ii per silentia loca errant; illos nigra salvat horriditas, alios incalcata semita calles devehit per occultos; nonnullos vero per ignotam viarum regionem pavor obduxit. Verum si convertant se aliquando fugientes, dum densitatem insequentium conspiciunt, retrocedunt frequenter auctores vulnerum propter manuum spissitudinem non videntes. Fugiens inquam Jacobus de Gaucelmo Aquilae substitit, & alii per loca diversa excedentes à castris, tuta capessunt receptacula, si qua possunt, plenaque vasis argenteis, armis, tapetibus, & rebus decoris innumeris tentoria Theutonicis derelinquunt. Omni ergo Corradini exercitu per apertos campos effuso, per castra pavida fama volavit quod primatibus exercitus Regis Karoli una caede peremptis, Rex ipse Karolus captus erat. Tunc enim Marescalcus suus erat manibus hostium interceptus, qui sub eisdem regiis armaturis eximias induebat, quem Corradinus contra honestos mores pugnantium, qui prostratis & captis sibi invicem parcere didicerunt, de Comitum Lombardorum consilio infra septa castrorum fecit durante certamine capite mutilari. Ex quo verisimilis fama resultans faciles aures mendacio magno replevit, immo ut publicum & notorium deferebat quod Rex capite fuerat mutilatus. His & aliis vanò replentur castra mendaciis. Ingentique caede peracta Corradini des. . . . . quaesitis spoliis & tanquam victores spoliis gratulantur & praeda.

XI. Verum legione quasi tota Germanorum sub triumpho campis castrametante, staretque hujusmodi concertatione sopita peditum multitudo hastis in medio castrorum & campi longis innixa, quibusdam nihilominus qui fuerant per plana diffusi castra repetentibus hostium propter robam, quidam immani corpore Miles nomine Erardus de Valeri latos habens humeros & membra nervis compacta fortissimis caput in altum extulit circum colles, Regique proloquitur, & electos quos collium occultabat curvitas non exclusit. Ait enim. Nunc videndum est nostra si fortis sit dextera. Nunc castra sunt inimica petenda. Ipsa namque res facti nos ad bella vocat. Ad praesens ergo agmina secura hostium invadamus. Nam campus nobis hodie triumphantibus remanebit. Nulla discrimina video in pugnando. Sed neque in fuga spem vivendi suppono. Tu enim, Rex, hic tot es electis Militibus comitatus quod dummodo ampla pugnandi trahamur deliberatè cupidine, leve est audere quod placeat. In hostes ergo statim medios irruamus. Rex vero novo aspiciens hostes tripudio congaudere, suosque partim caesos, partim extra castra fugatos, nulla suorum signa superesse discernens, quamquam illius Militis grata voce confotus, mentis robur sub ambiguitatis tantae perplexitate reciperet, vultum tamen & ora lacrymis defluentibus irrigabat, voce orans hoc modo submissa. Deus, sub cujus numine gens Gallica semper pugnat, non patiaris nunc Gallicos tuus animo dejeri, sed exhibe nobis ex his improbis hostibus hanc tantam miraculosè victoriam ut jugiter, sicut solemus, in tuis possimus laudibus delectari. Sed, ô vos praesentis fortunae comites, sine quibus nec volo nec possum nancisci gloriam, habete pro constanti quod si nos hostes hos agrestes hac vice superare contigerit & sceptrorum solitis fascibus repotiri, non solum ad participium laudis & gloriae conquisitae, sed in virilem sortem vos recipiam obtentorum. Tremefacti sunt igitur nutu Regis astantes, & aiunt. Mori hodie pro justitia regia magnum pretium reputamus. Honorem hunc vita nostra bene emi credimus, si contingat. Animos enim habemus pro hac re lucis, si expediat, contemptores. Te Regem usque ad interitum prosequemur. Verum si quis, quod absit, casus nos praecipitet, rapiat in adversum, te tantum optamus, cujus est vita dignior, superesse.

XII. Confestim igitur jussu Regis, cujus praesentia nimirum Comites urgebat electos, conceleranr simul invadere jam securos, Regemque horrifico fremitu consequuntur. Hic in omnem casum pergens audacior, premendo vocem, & fremendo, vestigiis ad castra currebat adversa, & fulmineum ensem non segnis educens, veluti lupus impastus, cui famis impatientia jubet fauces sanguine cruentare, plens haedis & manibus turbat ovilia, ea parte prosilit & aggreditur hostes qua ingens adversariorum globus super recensendis solus imminebat. Ruunt & electi cum ipso, ac ingentem molem hostium volvere & subvertere collectis viribus subnituntur. Cogit ergo Rex socios galeatos in praelia & galeis coruscantibus cristata capita simul angit in hostes. Tendunt electi quà densissima hostium coassantium agmina juncta vident. Superbum ad haec Galvanum, cujus aviditas tantum ad spolia intendebat, Rex juxta tentoria regalia subsistentem & mirantem varietatem & multitudinem spoliorum adducto ense congreditur. Sed quia Rex de casu sinistro denuo metuebat, voce pressa dicebat ad Comites. Vos autem ne aliqua manus vobis se à tergo possit attollere custodite. Latè igitur Corradinides consternuntur, nec tamen electis sufficiunt saepefatis, eorumque arma resolvuntur & tegmina, & terra madet atro ipsorum sanguine tepefacta. Trunci jacent acephali, manante cruore lethaliter singultantes. Ferro gens exscinditur scelerata, & transadiit ultra costas. Alterius pectus ad terram tepidum singultibus longis pulsat. Sed dum frustra quidam in excidio fugam tentant, est qui post eos acclamet. State viri. Ad quid venistis, quidve in armis estis assumpti? Quae fuit causa viae, & quae est causa fugae tam subitae? Sed fugientes nihil è contra reddunt. Immo celerioris fugae praesidio se committunt. Relinquunt inviti occupata spolia, & propria non reportant. Fugit & ipse pseudochristianus Henricus. Sed frustra tentat in malis fugam. Nam licet pugna relicta fugerit à facie hostium inermis, tamen latitans capitur per quendam Abbatem monasterii sancti Salvatoris prope Reate; quem ipse Abbas tradidit Romanae Ecclesiae, quam idem Henricus lacessere vanè studuerat & turbare. Demum tenendus citra mortis periculum Regi Karolo assignatur Galvanum & filium, Corradum etiam de Antiochia, Gallica manus victoriosius apprehendit. Tandem Galvani filius, patre praesente ac similem sententiam expectante, capite mutilatur, ut filialibus poenis aspectis, paterna viscera moeroris magis crucientur angustia, majorique cruciamine comprimantur, parque mors vel sententia expectata sola consideratione paternum animum magis affligat magisque terreat & conturbet. Corrado vero de Antiochia post tempus ad magnam reverendi patris S. Gaietani sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconi Cardinalis instantiam vitae beneficium indulgetur, & pro excambio Domini Neapoleonis & Domini Matthaei fratrum Cardinalis praedicti, qui apud castrum Sarracinesci sub uxoris ejusdem Corradi custodia tenebantur, à Gallica potestate subducitur & Ecclesiae Romanae donatur.

XIII. Corradinus infelix, cujus ante annos animi virilis satis cura premebat, ducatu quorumdam de urbe nobilium levis immo rebus quibuslibet vacuus vel evacuatus potius & exhaustus unà cum Duce Austriae, Comite Geraldo de Pisis, & quampluribus suae gentis primatibus versus Romam attonitis sensibus accierat fugiendo. Ibi enim Comes Guido de Monteferetro remanserat vicarius ordinatus. Sic itaque post fugatam partim partimque caesam legionem Corradini secundam, nonnulli de prima acie, qui Provinciales & alios de manipulis duobus exercitus regii fuerant insecuti, ad castra miseri redeunt vana cogitatione decepti, nescientes adhuc quod campus Gallicis remansisset. Hos enim catervatim non creditam incaute redeuntes ad mortem Gallica manus intercipiebat immaniter, nulli vitae veniam indulgendo, sed extrema aequando, fata repetentis castra cujuslibet pari poena & redeuntes quoslibet aequo cruciamine exscindendo. Quosdam vero ex Romanis

Achl-

Achivis, qui nonnunquam delirantibus dominis varia poenarum indictione plectuntur, postquàm in ferocitatem concitatam saeve Gallicam inciderunt, Rex in signum & memoriale ejus quod pervertis volubiliter animis, fide abjurata qua Ecclesiae tenebantur & sibi, attentaverant temerariè contra eum, fecit obtruncari pedibus. Et tandem considerans quod ex hujusmodi aspectione opprobrii Romani poterant provocari, usus consilio saniori glomeratos reductosque infra septa cujusdam clausurae murorum fabrica circumquaque vallatae incendio tradidit & igne consumpsit. Coepit igitur de victorioso Regis triumpho fama crebrescere, quae volando denuo succrescebat. Unde rei veritate urbis patefacta magnatibus & inferioribus etiam reserata, Gebellini suos deplorant amissos, caesosque recensent qui fuerunt pridie bello perempti. Hos enim praeter alios praedictos cara ulterius uxoris non expectet affectio, nec thoros ultra repetat conjugalis. Videlicet Stephanum de Alberto, Alkerucium & Johannem de Caporella, cum quibus in bello sine nomine multitudo peditum Romanorum irrevocabiliter est collapsa. Petrus vero Romani Romam rediens non incolumis, sed Gallicorum ingentibus ictibus malleatus, per modica vivens tempora, praetexta receptorum munerum & illa occasione ante fatalem diem mortis morsibus expiravit. Quidam etiam Cinthius de Cerinis, quem una fides, una perfidia, unaque passio eidem Petro conjunxerat, contusus membra per totum recuperare nunquam potuit sanitatem, sed ex eo lucis omnino factus est expers, continua valetudine maceratus.

XIV. Corradino itaque, cui nullum post devictum à Gallicis bellum remansit amicus, urbis petente tutamina, Dominus Johannes & Dominus Pandulfus de Sabello, Dominus Bertholdus, qui tunc de bello redierat, intrant hostiliter urbem, multis paribus & imparibus sequentibus illos Guelfis, & Gebellinorum trepidantia & infestis rumoribus corda turbant contra hostes bella, inter cives vero seditionem studentes ex deliberatione movere, nihilominus tamen Corradinus, qui pridie patenter & pompaticè cum immensa urbem occurrentis populi gloria introierat, deposita pompa potentiae, non ut praeses, sed ut praedo relicta praeda diffugiens, latenter ingreditur mente captus. Sed Gebellinis considerantibus quod eorum jam posse concusso, de facili Corradinus poterat Romae capi, quodque ibi vires nullas resumere poterat, suasione suorum, quibus nihil de animositatis virtute remanserat, sed nec de viribus quicquam, marina diffugit ad littora, credens pervenire usque Pisas incolumis, ibique aliquibus viribus restaurari. Sed multos sua fallit intentio, & spes quandoque consuevit evanescere praeconcepta. Comes namque Gerardus praefatus in urbe latitans incidit in laqueum quem timebat. Hunc enim manus Guelfa comprehendit & tandem exhibet dicto Regi.

XV. Corradinus ad haec cum Duce Austriae sibi fortassis aequaevo, quos forsitan & aequabat justitia, cum quibusdam etiam aliis proceribus, quos à belli discrimine una fuga subduxerat, quandam apud Asturam saguntiam, fortuna undique sibi non vetante, conscendit, & vitae suae volens experiri residua, remeat versùs Pisas. Verum dum quilibet de more struit insidias & parat offendicula debellatis, ac sicut canis grege praeposito cervum sagittatum duntaxat latratibus impetit fugientem, sic nonnulli, qua nescio ducti cupidine quove spiritu vel affectu, dum non absque dolo student semper victricia signa sequi, ardent potius in afflictos ab atrocitate insequentium jam seductos. Inde est quod infelices & incauti, jam credentes hostium evitasse saevitiam, quadam extranea pietate vel impietate potius novos inveniunt denuo inimicos. Sicque quidem de magnatibus urbis nomine Johannes de Frangipanis dominus praedicti castri Asturae credens non rectè fecisse quod Corradinum sic impune abire liberè permisisset, dum sibi & Regi placere desiderat, à quo magna sperabat pro magnis ausibus obtinere, armat aliam saguntiam, & Corradinum multipliciter fatigatum multoque metu confectum insequitur & invadit, capit, & reduxit ad terram. Sed heu inquam ubique periculum expugnato. Vitans enim terrarum discrimina, in vastitate maris foveam reperit ubi cadat. Johannes itaque praedictus ad terram rediens nova sicut venator gaudet laetitia capta praeda, sperans, sive tendat ad dexteram sive ad sinistram declinet, affectatis in omnem eventum repleri muneribus & pretio propterea magno dotari, sive Regi placitam & perquisitam velit praedam assignare quam ceperat, seu suae restituere libertati. Verum Robertus de Lavena Capitaneus galearum Provincialium, quae pridie, sicut vidi, & duraturum testimonium profero proloquendi veritate suasus, satis viriliter fugerant, quoniam ad eundem Robertum captionem hujusmodi novae praedae fama perduxerat, comites galearum totumque stolium cogit ad terram, volens saltem per vim, si valeat, ab eodem Johanne subducere & extorquere conceptos. Ipse vero Johannes, qui nec liberare nec tradere praedam disposuerat nisi magna prius foret mercede dotatus; Corradinum & alios illaqueatos taliter ab eodem ut exhibere praedam hujusmodi dicto Roberto cogi sine grata & sperata pactione non posset invitus ad quoddam castrum de prope forte transvexit. Angitur ergo in castris & angustatur obsidione nautarum. Ad quam obsidionem fortius perurgendam Dominus Jordanus de Tarracena Cardinalis, qui officio rectoriae comitatus Campaniae per sedem apostolicam fungebatur, cum equitum & peditum comitiva convenit. Demum vero dictus Johannes, tum pollicitationibus amplis illectus, tum inductionibus terroreque devictus, nec minus interea morem gerens, non propriam restituit praedam venatoribus venantibus praedam suam. Tunc sanè, sicut creditur, dictus Robertus abolevit infamiam qua de fuga Siciliae turpiter poterat annotari, tunc maculam infamis annotationis extersit, & regium meruit rehabere favorem, quem aliter credebatur forsitan perdidisse. Excepit ergo captos saeva manus Regis & dira cupido, manditque pro voto de venatione quaesita, & pro libito vescitur rebus optatis; ac dum omnes reputat inimicos in ejus potentiam jam conclusos, jubilo confunditur gaudiorum. Ut autem sine dilationis mora, quae parit plerumque periculum, faciat Rex de vitulo superstite victimam, Corradinum recognoscentem saepius contra suam matrem Ecclesiam deliquisse, nec minus contra Regem ipsum vehementer errasse, procuravit per quosdam Ecclesiae Romanae Cardinales illuc propterea per sedem apostolicam destinatos absolvi, & tandem vinctum perducit usque Neapolim, ut ibi secundùm legem eum faciat judicari. Corradinus sanè terrore motus & metu nihil audet palam temere proloqui nec secum infelici dolere de casu, sed tantum pia matris recenset viscera, & futurum in eo gemitum matris deplorat. Ha ha, inquit, ô genitrix, me missum ad tanta pericula quasi casus filialis praenuntia deplorabas. O sola mea requies senectutis. O unica vitae ulterioris fiducia. Me solam qualiter derelinquis. O cara mater. Utinam, si supersunt aliqua de avulsa felicitate reliquiae; misera miserae simul fandi copia traderetur. Sed heu infelix ex casu tam gravissimo Corradinus oppressus motu & sensu penitus destitutus, ejus quod egerat illico poenitens, vultus colore mutato, quasi sentiens sibi vicinae mortis periculum imminere, dolet se lethiferum recepisse morcellum, quem adhaerentem jam gutturi non potuit deglutire.

XVI. Rex autem ex generosis civitatibus terrae Laboris & principatus syndicos duos bonos viros ex qualibet terra pro Corradini sententia Neapolim convocavit, ut non suum quod acturus erat de Corradino judicium videretur, sed potius hominum de contrata. Fortassis enim circa hoc conscientia mordebatur, quod eum captum de jure non posset ultimo damnare supplicio, qui ejusdem Regis hostis fuerat manifestus. Sed volebat quod praedictorum periret judicio, & eorum sententia sanciretur quorum

spo-

ſpolia occupare & temerariè arripere intentarat. Factumque eſt ita quod contra Corradinum, Ducem Auſtriae, & Comitem Gerardum de Piſis apud Neapolim mortis eſt ſententia promulgata; ibique in campo fori juxta Eremitarum locum, cujus à ſiniſtris via media ſunt cimiteria Judaeorum, capitibus obtruncantur. Corradinus inquam antè quam hujus mortis calice potaretur, exiſtens juxta paſſionis locum damnatus, dum ſaeva moraretur in manu lictoris, non voce querula . . . . Sed ad caelum jungebat palmas, mortemque inevitabilem patienter expectans ſuum Domino ſpiritum commendabat, nec divertebat caput, ſed exhibebat ſe quaſi victimam, & caeſoris truces ictus in patientia expectabat. Juvenili ergo ſanguine in poculo crudelitatis abſorto, ad terram dejicitur pueritia, & perdita eſt juventus. Inſignes trunci jacent exanimes, & dilapſae cervices & capita ſine voce. Madet terra pulchro cruore diffuſo, tabetque juvenili ſanguine cruentata. Jacent veluti flos purpureus improvida falce ſucciſus. Decori artus acephali non tumulantur, ſed humantur corpora ſic obtruncata. Lapidum cumulus objicitur loco tumuli, cujus eminentia uſque hodie ſubterratorum oſtendit cuilibet ſepulturam. Quamquam habet opinio plurimorum quod fratres illius loci vel ex devotione vel pietate materna ducti, ſeu prece pretiove commoti, oſſa Corradini clandeſtino exhumaverunt, matri miſerabili deſtinarunt. Poſteritas igitur Frederici, cujus aemula quaſi fuit tranſgreſſio genitoris, tanquam ſuccedens criminibus avitis, evanuit, nullo de ſuo ſatellitio ſuperſtite remanente. Infecerat enim ſuae propagationis rivulos Frederici dira contagione nequitia, & in traducem generationis ſuae materiam ſceleris originale traduxerat & exquiſitae malitiae incentivum. Pereunt aquilae pulli, & eorum pullulatio, locuſque confidentiae perenniter deſolatur. Radix non generat ulterius Frederici, nec ſerpens ulterius ſibilat nec abſorbet ſuae commentationis effectum, nec vitioſa cupidus frendet amplius detentione poſſeſſor. Arbor hujuſmodi non facit plus ſurculos, neve floret, nec fructus producit ulterius valituros. Ruit irreparabiliter domus, & machina tota convellitur, ejuſque ſucceſſio ſuae perennis deſolationis incommoda perenniter deplorabit.

XVII. Poſt conſummationem multi laboris & utilis, poſt devictos & triumphatos Eccleſiae inimicos, aſcita Regis proſperitas apud Neapolim ſedentis in ſuae ſolio majeſtatis fulgoribus undique victoriae glorioſo, ipſius fidelitatis devotione totum jam relucente per regnum, novis victoriis, novis ac gratis ſucceſſionibus eſt adaucta. Urbis enim ſtatim recuperat ſine grandi fatigatione ſenatum, & in ſenatorem victorioſus aſſumptus ſenatoriae titulum caeteris ſuarum dignitatum inſcriptionibus aggregat & conſcribit. Verum inter alia aequitatis opera, hoc ſui principio temporibus in urbe potiſſimum actum fuit, quod cum inibi adeo latronum audacia pullulaſſet, adeo manus invaleſcerent denuo praeſumptrices, quod & Romipetas & quoslibet etiam viatores audendi taliter nequiter ſibi praeſumpta licentia latronica ſecuritas depraedaret, & dormientium quieta ſilentia, qui exercitiis fatigati diurnis ſomno jam coeperant ſepulti quieſcere, avida eorum anxietas perturbaret, & non ſolum confringere oſtiorum repagula nocturno tempore molirentur, ſed tectorum ad interiora domus aditum intentarent, latrunculos hujuſmodi provida Regis juſtitia, quam rectitudinis manus tunc in ſtatera librae geſtabat appenſam, ſic compeſcere ſtuduit ſicque poena media caſtigare quod pluſquam ducenta fruſta funium ſuſpenſorum in ſuperiori ligno patibuli anni revoluto circulo ſunt comperta. Sic nibi res taliter agitur & felicitati regiae totus orbis applaudit, nonnulli Barones de Calabria, quorum rebellionis error obduxerat, cum jam non poſſent fidelium de contrata validae inſtantiae repugnare nec ſquamas vellent ab oculis abjicere caecitatis, nec ad regiae lucem fidei de ſui erroris nubilo redire curarent, apud quoddam caſtrum in Apulia quod Gallipolis dicitur, ea intentione praemoniti ut quando vellent valerent in Romaniam, cujus montes caſtrum illud reſpicit, convolare, pro ſuarum perſonarum tutamine ſe receptant; quos demum dura obſidione fidelium circumſeptos & tandem ſicut lupos in ſubterranea cavea captos puteus ille judicii & interitus qui conſuevit alios abſorbere conſimiles ad ſe traxit, & illorum cuique numero XXIV. mortis ſupplicium intulit & ingeſſit. Hinc eſt quod geminatur ubilibet ſubditorum fidelitas, & dum ubique per regnum quilibet trititur per fidelitatis officia concuſſo rebellantium capite complacere, ultro ſe contra nondum reverſos ad fidem parat, & in eos quos modica infidelitatis infamia forte notabat uſurpat ſibi gladii poteſtatem; quo imprudenter aſſumpto vel praeſumpto potius, quilibet habens vel reſumens jam potentiam aliqualem abuti non metuit, ſed hos abſque prolatione ſententiae damnat & perdit, illos exorbat, alios mutilat motu proprio voluntatis, quoſdam ſpoliat, quoſdam revendit & fugat audax praeſumptio plurimorum, omneſque ſibi jus in propria cauſa dicunt, & bona fugentium & caeſorum quaſi licenter occupant, & uſque hodie nonnulli taliter ita detinent occupata. Proinde majeſtas regia diu quondam & varia infidelium perſecutione jactata, conſiderans quod ad laudem trahi non poterat vindicta mediocrium & minorum, tum pietatis remedio, tum indulgentiae beneficio & lenitate juſſionum revocat ad ſe, ſi valeat, uſquequaque rebelles; ac volens dignitatis ſuae potentiam parere humanitati & juſtitiae, non dolori, ne odiorum livor edax, qui totam contratam ſedula corroſione vaſtabat, luxuriaret ulterius inſolenter, ſubjectos, quos ſpontaneos poterat ſine bellico labore ſubigere, ad miſericordiae gratiam admittebat. Contra eos vero qui erroris in caecitate contumaciter & voluntariae perſiſtentes, corruptae mentis experiri conabantur proclivem ad pejora prioribus voluntatem, quoſque non poterat benignitas, manſuetudine cohibere, taliter ſuae magnificentiae reſiſtebat objectu quod rebellium obſtinata protervia & furor ferventium animorum denuo in ſuis cautibus tundebantur.

XVIII. Deſtinat regalis providentia Capitaneum in Siciliam quendam Guillelmum dictum Standardum cum electa comitiva equitum Gallicorum. Talem enim exigebat praelatum Siculorum docta nequitia, quibus jam ineſt à natura rebellio & facilitas querelarum. Hic enim Guillelmus vir erat ſanguinis, Miles atrox, ferox pugil, ſaevuſque pugnator, contra infideles regios omni crudelitate crudelior, & totius pietatis & miſericordiae vilipenſor; coepitque hiante gula, velut lethifer hydrus, lacus ranarum Siciliae circuire. Sed etſi merito infidelium ſanguinem ſitiebat, nonnullos tamen immeritos vel non demeritos ſine diſcretione ſexus & aetatis ultimo immaniter ſupplicio comprimebat. Poſtquam ſanè in Sicilia dictus Guillelmus multitudinem fidelium adunavit, Auguſtam quondam Caeſaris civitatem, quam inter Cathaniam & Syracuſiam juxta maris littus inſtructam undique aquae marinae anguſtat circuitus, ea partem dum obſidione perurget qua per modicum terrae ſpatium patet aditus ipſi terrae, ubi caſtrum quoddam intercidit aditum ipſum, adeo quod ad terram ipſam accedi non poteſt, juxta muros ejuſdem caſtri vel per poſtem ſeu poſterulam partis poſterioris ejus per quam ad caſtrum ipſum quis ingreditur & ad terram. Hanc quidem civitatem plus quàm mille bonis viris incolis habitatam ducenti equites Tuſci, ex iis qui cum Domno Frederico & Corrado Capucio de Tuniſio venerant, pervigili cuſtodia conſervabant. Verùm quidam ex majoribus terrae praedictae, qui ſe infra ejuſdem caſtri, quod jam expugnabatur ab exteris, munimenta reduxerant, doloſae fraudis excogitantes commentum, quo vitam ſuam multorumque poſſent mortibus ſub grata pactione redimere, cum foris vaſtaret eos gladius, intus timor, tractatum de aperienda hoſtibus poſterula ſupradicta & de concedendo eis per caſtrum ipſum liberum ad terram ingreſſum cum exteris habuere.

Recepta igitur firma de personarum salute ac rerum conservatione ab obsidentibus sponsione, Tuscis & aliis miseris ignorantibus, sex majores de recollectis in castro in castrum ipsum aliquos animosos de exercitu exterorum reserata posterula introducunt; illisque animosis taliter introductis, singuli de castro & omnes alii intra terram qui arma sumpserant vel poterant se armare, proditione hujusmodi jam detecta, per diversoria terrae diffugiunt, & fugientes per vicos terrae cum grandine dispergantur, latitant armis depositis sub stillicidiis, in foveis, & cisternis. Frequenter tamen nonnulli, cùm omnibus jam deessent terrarum omnino remedia, quae non poterant aliter petere nisi per medios hostiles gladios pertransirent, maris praecipitia intendebant. Sed frustra, dum latitant, vitae quaerunt sub quadam prorogatione diffugia. Nam in omnem eventum erant necessariò morte crudelissima perituri. Nihilominus tamen ibi se quilibet in fugam praecipitat ubi casus levior apparebat. Aggreditur ergo castrum & terram, dato taliter aditu, totus exercitus & Standardus. Hi inquam, tanquam leo furens, qui feritate praeconcepta superbiam, praevisam ardens in praedam, postquam eam saevis ungulis tenet, anxiè laniat & trucidat, totam discurrentes fremendo per terram, omnes nos in biviis aut quadriviis vel in domibus inveniunt seu palantes seu nondum etiam latitantes sine qualibet pietate dilacerant & extinguunt. Cùmque majori parte incolarum, ut praemittitur, latitante, paucos obviam gladius Gallicus inveniret, Gallici non aliter quàm canes ad cervos odoratibus eruditi latitantium, hauriunt sicut aquas homines ex cisternis, & de foveis sicut granum; hosque compertos ad locum judicii, ubi supra ripam maris saeva lictoris manus ense lato & curto singulos adductos contingere non pavescit, binos, ternos, senos, & quandoque denos, nullos vestitos vestibus, sed tantùm propria indutos coria, vel potiùs quemlibet sua pelle coopertum, secundum occurrentium numerum conducebant, quos prompta lictoris atrocitas unatim adducto gladio comprimebat. Et si quando uno ictu caput non statim labitur à cervice, immanis lictoris audacia caput recipit cum sinistra collapsum. Cùm dextra vero latum cultrum accipiens & acutum, tamdiù nervos secat & corium non incisum donec avulsu capite à cervice fiunt à corpore duo frusta. Caput & truncum acris lictoris jactus sub ripam ipsam in arenam maris dejicit & acervat. Sed aequitatis ad haec & rectitudinis dignum audite judicium. Quando dictos sex viros, qui pro comparanda patriae salute tot excidia concivium proditoriè procurarant, quasi procurati amaritudinis calicis praerogativa donatos gladiatoris ensis, cujus aciem inibi nondum rubigo sanguinis macularat, vivos excipit & excidit ac restituit obtruncatos, sicque una die sub eodem carnifice pereunt cum proditis proditores. Sicque pereat omnis ille qui fraude vel dolo prodere nititur patriam & concives. Æstuat inquam lictor in caede tot immanibus ictibus fatigatus. Sed nondum caede peracta, tribus stomachum aestuantem magnis potibus humectavit. Non remansit in terra vir, quia omnes terrae incolas & Tuscos praedictos unus ejusdem lictoris gladius interemit, exceptis quibusdam, quos una sagittina XXIV. remorum ereptos ab hostium gladiis vivos excepit. Tandem cùm multorum confluentia gravaretur, nec molem possent confugientium reportare, illus Neptuno & piscium agminibus commendavit. Quae autem mors reputari possit immanior & pestilentior, aut gratior vel acceptior, aut quam hostium infert saevitia, vel quam maris habet improvisa turbatio, scilicet ut loquar brevius, mori sub gladio vel sub aquis, non mecum sed cum aliis disceptate legentes. Ego vanis frequenter utrique vicinus, & expertus utriusque pericula, per ejus gratiae misericordiam qui cuncta creata conservat, usque nunc per discrimina multa infelicitatis evasi. Augusta itaque ubique angustatur angustia, ut non ulterius ab augendo, vel à Caesare Augusto, sed ab iis quibus angustata est angustiis nomen trahat. Hæc Naim usque hodie caris habitationibus desolata, ne tamen lucus fertilis & amoenus omnino redderetur incultus & inutilis Regi suo, rehabitari cœpit ab antiquis inquilinis.

XIX. Augusta in viduitatis vestibus lugubre commurante in vastitate moesta, tantorumque mortes deplorante concivium, Standardus praedictus ex praeterita cæde superbus, de modu felicis successus elatus, versus castrum Conturbii, quod frequenter propter inhabitantium inconstantiam & volubilem voluntatem rebellionis contra quemlibet Regem Siciliae calcaneum erigens jam pluries decorem habitationis amisit, cum toto exercitu memorato anxius ad ulteriora festinat. In dicto namque castro Corradus Capucius, certus jam de interitu Corradini, cum quatuor Tuscorum Comestabulis & aliquibus Theutonicis propter loci fortitudinem, qui nec aggressu nec obsidione faciliter expugnari poterat, se reduxit. Quo quidem valida hominum instantia seu densis sepibus angustato per girum, cùm jam interiores obsessi de omni succursu & subsidio desperassent, nec haberent vires perdito capite de cætero valituras, Comestabuli Tuscorum & duodecim majores castri de prodendu Corrado praedicto & tradendo Gallicorum judicio machinationis fraudem invicem cogitarunt, ac conspirationis inter se fœdere roborato, tractatum cum Standardo pro personarum suarum salute, quarum nullam misericordiam expectabant, si eos alter manus Gallica comprehendisset, saepefato Corrado inscio per dies aliquos tenuerunt. Demum quibusdam pactis, quibus nonnunquam fides infringitur vel pollicita non servantur, hinc inde vallatis, praedicti conspiratores ad porticum Ecclesiae, ubi memoratus Corradus pro eo stupefactus animo & corpore morabatur, quod jam omnimodam certitudinem de conspiratione receperat, & machinatae praesagia proditionis habebat, ac casum gravem imminere sibi ex judiciis autumabat, succincti gladiis accesserunt. Verum Corradus praedictus ante quàm sui conspiratores in eum manus injicerent, videns eorum mutatas facies, quibus mos est praeconceptum crimen saltem pandere vultibus, dum iidem conspiratores vellent eum quibusdam verbis excusationis in peccatis excusandae perungere & tyndiaca palliationis frustra propinatum abolere venenum, non passus eos praeloqui, surgens ait. O socii, ô Domini, verbis, ut video, non est opus ultra. Scio quid in me cogitaveritis, scio quid estis acturi. Unum oro, quod si pro exhibitione personae meae tantum omnes potestis evadere, & de personarum vestrarum & rerum salute promissa cautum est vobis, ecce in mortem statim ibo libentiùs. Sed debetis firmiter credere & tenere quod si ego dux & caput excidio peream, vos sine dubio peribitis unà mecum, nec vos fides promissa tuabitur, nec servabuntur vobis stipulata fœdera pactionis, sed rupto libello polliciti, experta fraus Gallica caetera violabit. Nescitis quoniam ii quibus favere multiplicium triumphorum fortuna jam cœpit, cùm denuo expectent ulterioris incrementa victoriae, sive dolo, sive fraude, cùm possint, amplis seducunt pollicitationibus inimicos. Non enim refert quocunque modo suum ex hostibus habere quis possit intentum. Vestris ergo cautè providete compendiis. Et si ita est quod omnino credatis mihi mortuo supervivere ac propter unius mortem salutem redimere plurimorum, iterum dico, de persona mea ordinate quod placeat, & de me vestros exequimini cogitatus. Illi ad haec. Domine, licèt nos taedeat, inevitabile tamen est quod sumus acturi. Vobis autem displicere non debet, si per quamcunque viam salutis nostrae remedia procuramus. Forsitan & vos ipsi salvi eritis Domino favente, quia Standardus multa nobis cum benignitate promisit, si absque labore sui exercitus nos suis beneplacitis supponamus. Equiteris ergo, si placet, & cum humilitate ad eum nobiscum descendite, nec de ejus gratia desperetis. Considerans igitur dictus Corradus quod sic eum pati necessario oporteret, & attendens quod omnes stipendiarii sui,

pro

pro quibus ſimiliter inita pacta erant, mentis & jurisjurandi religione violata intendebant ad Conſtabulos & ad alios factionis actores, adductum ſibi ronc num metu hebes aſcendit & mutus incedit, & ad tentorium Standardi, veluti quando bos unicus eligitur de toto grege mactandus, & cum ipſo grege ad macellum, qui alias ſolus non accederet comminatus, ſic idem Corradus conducitur non ligatus. Hujus itaque oculos ſtatim Standardus abſque ullo judicio mandavit evelli; evulſiſque oculis, Cathanae in altis praeter morem furcis juxta littus maris ſolitarius alligatus dimiſit in aëre vitam ſuam. In ſignum autem ejus quod fuerat miliciae cingulo decoratus, ſcutum ſuum ſplendeſcens coloribus fulgorotis vitri perlucentis ad inſtar ſuppenditur cum eodem. Martinus quoque ac Jacobus Capucii Milites fratres ejuſdem Corradi pulchritudine ac ſtatura decori apud Neapolim via Capuana eodem ſupplicio per Regis ſententiam perierunt. Sicque illos unus uterus, una fides & paſſio verè fecit eſſe germanos. Cumque inter haec Dominus Fredericus, qui unus ex principalibus impetitoribus Siciliae tum ſupererat, nondum tamen expurgata Sicilia tribulis Hiſpanorum, cautelosè ſibi & ſuis providens apud Agrigentum ea intentione relictis terris quae ſibi adhuc reſpondebant ſine munimine & cuſtodia perſonarum, cum omnibus Hiſpanis & ſuperſtitibus Theutonicis confugiſſet, ut cùm vellet poſſet per mare fugere in Tuniſium, unde venerat, Standardus praedictus non ſine Regis connivenia cum eo habuit abſque ulla ſuae gentis fatigatione tractatum. Ultimo inter eos ventum eſt ad hanc pactorum concordiam quod domno Frederico praedicto una de pacto tantùm galea conceditur, & donatae ſunt ſibi ducentae unciae pro expenſis. Sed iſtas forſitan uncias pro equis receperat quos de pacto ipſo dimiſit & cum iis rebus quas potuit aſportare, aſſumptis ſibi Theutonicis & Hiſpanis, in ejus nomine cui praeſtabat obſequia in Tuniſium remeavit. Tandemque Regis Hiſpaniae fratris ſui damnatus judicio, morte crudeliſſima expiravit. Tendebat enim vita ſua ſemper ad malum. Et ideo ſuis ejus, malis eum inſequentibus, malus finis.

XX. Sed dum undique grata Regi ſelici proſperitate luxuriant, & civitates & loca nonnulla totamque Siciliam motus ſpontaneus ad devotionem regiam abſque bellico labore converrit, Regina Neapoli curſum naturae conſummavit, & terminum dierum ſuorum attingens, debitum humanitatis exſolvit, & utriuſque ſexus decora prole relicta in majori Neapolitana Eccleſia tumulatur. Ex filiabus ſanè ſuis una tradita eſt filio Comitis Flandriae in uxorem. Secunda demum Philippo nato Imperatoris Conſtantinopolitani matrimonio copulatur. Cùmque nobilium Gallicorum ſint mores quod unica contenti, non ſuae pudicitiam non intentant, nec ſe utplurimum cum aliis mulieribus dehoneſtant, ſtatim Rex praedictus, quamquam de cara conſorte nuper conjugali deperdita tanquam in carnis abſciſſione doleret, conſiderans tamen quod Regina dies ejus in fœcundae ſobolis propagatione compleverit & vitam in ſobolis fœcunditate dimiſerat, ſunerum uxoris oblitus, per nuntios firmat cum Duce Burgundiae parentelam, & de filia Ducis regio copulanda conjugio fœdera per literas invicem roborantur: quam praedictus Burgundiae Dux, multis in ſubſidium Regis aſſociatus equitibus, poſtmodum Regi perſonaliter tranſduxit in regnum. Interea ſanctiſſimus pater Dominus Clemens Papa quartus, cujus favor & gratia in omnibus actibus Regem Karolum tutabatur, apud Viterbium vitae chirographo reſignato, creditum naturae reddidit quod mutuo receperat ab eadem. Sub illius ſanè tempore creverunt facta Regis denuo ſub triumphis; & eo victoriae palmam ex hoſtibus Eccleſiae ſeliciter conſecuto, fuerunt ejus primordia proſpera, ſecunda, finis variis & innumeris ſelicitatibus uſque ad multa tempora glorioſus. Eoque ſublato de medio qui Regis negotia proſequebatur affectione paterna, cum adhuc nidus & cavea Sarracenorum Luceria in rebellione perſiſteret, ac totam ferè Apuliam ſubitis & improviſis curſibus moleſtaret, Rex praedictus demum perſonaliter civitatem ipſam obſidione circumſeptit & anguſtat, & obſidione firmata, tot aggreſſibus, tot inſtrumentorum generibus, totque impugnatoriis machinis tamdiu, tam dirè, & tam durè Sarracenos coercuit & reſtrinxit quod eorum majori parti victus & ferè vita defecerat. Sicque dum multi ad colligendum herbas frequenter, quibus ſicut beſtiae paſcebantur, exirent, nonnullos qui prae jejuniorum & famis ſqualore jam hebetes infra terrae ambitum ſe non poterant pedibus praepetibus receptare trucidabant inſidiae Gallicorum; nonnullos etiam, ut eos pro ſervis venderent, conſervabant. Verum dum aliquando occiſorum viſcera ſtudioſae invadentium manus immaniter rimarentur, plena tantum herbis reperiebantur corporum inteſtina. Tandem cum pauci juxta conſuetum numerum quem docta manus exercitus cotidie detalcabat infra civitatis ejuſdem mœnia remanſiſſent, & iis extantibus victualium rerum & perſonarum etiam non creſcerent ſed deficerent ſemper exforcia, qui ſupererant per vim & metum qui ſatis poteſt conſtantes afficere ſe omnimodis Regis beneplacitis commiſerunt. Mittitur poſtmodum vicarius in Siciliam Dominus Philippus de Monteforti, homo bellicoſus & ſtatura placibilis. Adhuc enim, eo in Siciliam properante, Comes Fredericus Lancea germanus quondam Galvani caſtrum Sali, quod eſt in Calabria, ſini fortiſſimum contra fideles regios defendebat; quod demum multitudine fidelium exacta obſidionis inſtantia circumſeptum Comes praedictus fidelibus regiis ſub pactis reſtituit & dimiſit, & ad mare incolumis de pacto conductus in Romaniam poſtmodum transfretavit.

INCIPIT LIBER QUINTUS.

I. MEDIO vero tempore, cum nondum eſſet Eccleſiae Romanae de paſtore proviſum, Ludovicus Rex Francorum, vir inclitus, dotatus bonitatibus multis à Deo, Regum candela fidelium, ſigno ab olim vivificae crucis aſſumpto, collectis Chriſtianorum undique viribus, generale in terrae ſanctae ſubſidium paſſagium ſtabilivit. Hic namque pro tuitione & exaltatione fidei, pro conſervatione obedientiae ſedis apoſtolicae, quae perſecutionibus Deo volente non minuitur, ſed augetur, paratus ſemper ad acerrima ſuſtinenda pericula, potentiam ſuam terra marique diſtendens, alias barbaras nationes fidelibus odioſas impetere conſuevit. Nunc autem idem Rex, quem ſolum Dominus pro Eccleſiae ſuae cuſtodia collocaverat, ad inimicos crucis denuo ſe convertens geminatis viribus & multitudine fidelium congregata, pro libertate illius terrae ſanctae quam redemptor humani generis propriis calcavit pedibus, pro redemptione quoque ſepulchri ubi fuit redemptor ipſe reconditus, mari ſe cum navigio copioſo commiſit: qui dum freta circuit claſſibus fidelium numeroſis, & cœptum iter principio ſecundo concelerat, exercitu moto ſelici dato navigio, vota multitudinis verſus orientalem plagam, ubi terra ſancta caninis manibus ancillata comprimitur, ſuſpirabant. Sed contra omnium vota, contra cœptorum facta, perverſo numine verſus meridionalem axem fatigat exequi votum ſuum. Sicque fideles inviti tendentes ad Arabes, non ad Indos, dum cœptum ſuperandi conſilium poteſtas nulla conceditur, illius diſpoſitione cujus nutu res eunt, ſatis fatigantur adverſis, & proceloſis fluctibus feriuntur. Collecti tamen undique apud Tuniſium coëunt; ibique cœpto Marte fruſtra fatigantur & bello. Dum enim multa circa haec dementia eorum animi erant capti, non ſentientes primas vires mutatas, nec advertentes perverſa jam fore numina contra ipſos, nec cedentes numinibus provocatis, accenſos inſano Martis amore, cum nullam poſſent proſperam ex laboribus deferre fortunam, animos fatigabant. Fama igitur Regi Karolo deferrur quod claſſis Regis Franciae totuſque crucesigna-

gnatorum exercitus jam in Tunisium tota convenerat, quodque prope Tunisium castrametati fuerant Christiani, Rex ipse Karolus, solutis morae vinculis, cum moderato numero galearum, non qualem Regem fortè decebat, sed qualem illa imminens necessitas ac festinantia requirebat, illuc alis praepetibus convolavit. Res enim agebatur sua, ejusque praetextu, seu eo suggerente vel dante causam, Rex Franciae tantum Christianorum exercitum contra barbaros & Arabes compulerat sub tanto discrimine laborare. Res quidem Tunisii propter proximam rebellionem Siciliae multis mortibus consopitam quendam annuum redditum sive censum, quem Regi Siciliae pro eo exhibet annuatim ut victualia in Tunisium liberè comportentur & mare Siculum remigare licitè valeant Arabes quando volunt, quodque barbari per Siculos piraticis non vexentur insidiis, Regi Karolo per tres annos subtrahens denegabat. Ideoque Rex Karolus affectans visitare ac visere partes illas & haerentem profundae caveae colubrum virtute aliena convellere, tantum exercitum coire Tunisium sagaci studio procuravit. Verum dum Gallici tunc frustra invito numine confidunt totis cotidie campis densantes agmina clypeata & armis populos instruentes instant cotidie assiduè, ac cum infidelibus bellum ducunt, saepe certat in Tunisii muros circumstum. Sed canina progenies, nescio numine quo favente, velut pelagi rupes immotae resilientiam adhibent undequaque. Cumque omnia superna dispositione regantur, & Regis aeterni caetera beneplacitis obsecundent, Ludovicus praedictus catholicae legis amator, propagator fidei, custos fidelium, & defensor ecclesiasticae libertatis, peccatis non suis forsitan exigentibus, in quo, secundum quod potest circa hoc humana fragilitas contemplari, vis peccati labes fecerat stationem, soluto interea vitae foedere, datoque mundi pompis libello repudii, de valle miseriae ad caelestem patriam transmigravit. Per talem quidem obitum culpam ejus qui tantorum sancta proposita fecerat, & pia vota suspenderat plurimorum, omnipotens misericors Dominus forsitan abolevit, pro votorum irritatione poenam inferens temporalem, expiavit aeternam, ut ulterius propterea spiritualiter non plectatur, ut poena temporalis hujusmodi pro tantae transgressionis incuria gravior inferretur, & nec culpa nec poena traducatur ad posteros, sed perenniter expietur, quidam ex filiis ejusdem Ludovici nimis properè cruda morte devictus fuit, intempestivè paterna funera subsecutus. Nec minus cum eo nonnullae procerum & magnatum, ignotae quoque multitudinis animae infinitae mortis impellente violentia naturalis, propria corpora frigida diviserunt.

II. Extantibus ergo duobus liberis ex Ludovico praedicto, videlicet Philippo primogenito, qui patri successerat in onere & honore, ac Petro Comite Alansonis, Rege Karolo cum eisdem caeterisque primatibus exercitus cum Rege Tunisii in amicitiam coeuntibus & foedera jungentibus similiter pacis, crucesignatorum exercitus dispendiosè dissolvitur, & facit rimulas & scissuras turris tantae fortitudinis Christianorum columna concussa, ex auro bibit Arabico qui sitivit, & venundatis fidelium laboribus ac opprobriosè distractis, turba multa, quae dinumerari non poterat, praeparata juxta littus navigia repetens, ponto propriis exhibitis cum Karolo & Philippo littoribus applicuere Siciliae remeando. Verum Odoardus Rex Angliae volens adimplere quod voverat & terrae sanctae spe frustratae totius succursus & auxilii subvenire, quamquam venerit juxta Trapanum, sua tamen tantum classica quae de procellarum periculo evaserat recollecta, ad Acconensem civitatem, quae Christianorum fota subsidio in illis partibus sola respirat in fide, remigio toto festinat. Sed ut pro tantae saltem damnosae praevaricationis assensu aliquid de poena juxta culpae modulum potissaret, apud Trapanum, quando in Siciliam venit, maris naufragio penè periit ex procella. Sed eo propter vicinitatem terrae personam è naufragio educente, omnibus fogè tum naufrago facto rebus, multi de conserva seu de caterva sua confectis abietibus & costis apertis, è quovis inundationum concussionibus perierunt, pro eo videlicet forsitan quod excessu exigente culparum autumnus asperae hyemis jam vicinus eos ibidem introcluserat austro flante.

III. Philippo itaque, qui post patris obitum jam fuerat regalis magnificentiae titulis decoratus, exercitui dissoluto & disperso praestante, tota gens de Sicilia petit citra fretando. Sed instante hyeme uxor ipsius Philippi filia Regis Arragonum, quae licèt vir suus non esset inunctus, Regina tamen Franciae dici poterat, volens sub Marturanensi civitate superexcrescentem pluvialibus imbribus fluvium utero gravido pertransire, praesumpta quadam virili audacia percundi, equo corruit procumbente de sella, praevia tum multitudine militum occurrente submersa non extitit, sed propter metum casus offensa lethaliter & in ipso casu confracta, laesusque fuit uterus antè quàm perveniret ad lucem, & offensus graviter partus nondum à maternis visceribus segregatus. Aium enim partum fuisse semestrem, & ideo genitricis alvum à conceptionis hora semestri tempore laborantem ex casu gravius fore laesum. Quapropter Cusentiam semiviva traducitur, ubi tandem masculino abortivit in partu. Nam viro cum multitudine suorum procerum convalescentiam ejus ibi studiosius expectante vel mortem, Regina ipsa demum persolvit quod à natura receperat post abortum, & cum partu quem à maternis visceribus casus violentia secuerat non completum in majori tumulatur Ecclesia Cusentina. Ossa tamen elixa prius & qualibet carnositate mundata more majorum in Franciam, relictis in tumulo putribilibus, quae servando servari non poterant, demandentur. Fit sibi sepultura perpulchra digna memoriae, materiae ac artis concertatione glorifica; & ad serviendum altari continuè, juxta quod est hujusmodi regalis sepultura constructa, ordinatur perpetuus Capellanus, centumque uncias auri dictus Francorum Dominus pro emendis possessionibus de quarum usufructu possit idem vivere Capellanus Cusentino Capitulo elargitur. Transiens post haec Philippus praedictus per Romanam Ecclesiam, quae adhuc erat in viduitatis solitudine constituta, gressus in Franciam properat, ut Francorum corda Ludovici obitu forsitan alterata confoveat & sacram Regis recipiat unctionem.

IV. Jam requie data certa laboribus, Rex Karolus bellorum cura nequaquam, sicut videbatur, ulterius fluctuans, cum jam infinito coacervato thesauro & pretiosis quibusque compositis cotidie cerneret regales redditus ampliari, ut filios militiae unda renasceret cogitavit, & ramum verisimiliter olivae paciferae manu gestans, & viam studens subjectis variis laboribus aperire, regali mandat edicto ut officiales ubique per regnum merita causarum in statera justitiae metiantur; & exhibens singulis gratum sermonis xenium & dulce verborum omnibus blandimentum, quasi modo regni coronam acceperit eminentioribus contextam titulis dignitatum, se totum in alveum sanctae meditationis includit. Aestuantibus ergo regiis ad digna praecordiis & flagrantibus votis ad justa, dum omnia quodam jocunditatis applausu secum felicitatis auspicia sortirentur, ex nobilioribus totius regni deligit juventutem cui subserviat aptitudo militiae & quae dignè possit cum filiis honore tantae militiae decorari. Sicque apud Neapolim celebrandae per totum regnum de tantae solemnitatis indicto & multa propterea pecunia recollecta quam in militiis & conjugiis filiorum Regum Regeque movente bella contribuere consueverunt regnicolae, in apertis campis juxta monasterium sancti Petri ad aram fit apparatus solemnis qualem decet Dominum triumphantem. Ambitus enim ampli spatii circularis murorum vallatur sepibus & structuris, fiuntque diversa spectacula circumquaque variaeque sedes & stationes in gyrum dignitates distinguentes & sexum & in statu magnificentiae suae quemlibet annotantes. Convenientibus igitur ad novam tripudiorum laetitiam caeteris regni nobi-

nobilibus per multos dies militiae tempus gaudia festiva percurrunt, multaeque vigiliae, non in jejuniis, sed in parilitate solatii, praeveniunt diem festum, & cum anticipata solemnia solemnizant. Rex autem magnificentiae corona sublimis, aureo vero diademate coronatus, ad throni fastigium, ad apicem excellentis dignitatis assumptus, sublimiora spectacula insidebat, qui omnem joculatorum aspectum in jubilatione, transcurrens ad singulos respicit & officinsa notat obsequia singulorum. Et dum stat super tribunalia Comitum, super fastigia nobilium & Baronum propter magnificentiae titulos solemnius collocatus, sedet aliunde à dextris suis Regina in vestitu deaurato circumamicta varietatibus; & non solum maritatae, sed virgines, quas simulabant gemmata serta Reginae, in speculum Regis quandoque adducuntur in laetitia & exultatione post eam. Frequenter enim disposita processione psallentium in medio campi & circuitus tota suo jure curia praecedente, Rex Reginaque sequuntur cum multis agminibus, quas vestes tegebant splendidae ac diversis coloribus radiosae. Cum nobilissima etiam & praeclara familia Rex ipse nonnunquam psallentibus festivus occurrit. Exeunt in campum nunc proceres, nunc Barones, & aequati euntes numero Regem canunt, totaque obviat multitudo distincta gemmis & auro, purpura & bysso suscipiunt indumenta. Nonnulli sanè nobiles singulis diebus solemnitatis hujus exuunt vestes quas ceperunt histrionibus donatas, aut relictis exuviis in ipso tripudii strepitu magis pretiosa denuo sumunt & nova mutatoria indumenta. Sicque redimitus uterque sexus occurrit, per joculatorum quoque varia obsequia cantus ubique concrepant. Modulantur & organa. Ibi lituus, eletaria, & viella, omniumque genera musicorum hymnum concinunt triumphalem, & cujuscunque cetilis officium jubilationis cantica modulatur. Verum dum omnium jocunditatis & laetitiae specie totus ambitus murorum applaudit, quorum intrinseca facies nihilominus sericis pannis erat operta per vicissitudinem graduum omnium, si fuisses, mirareris incessum. Haec sunt vexilla victoriae insignia titulorum & gloriae certitudo, quorum abyssu Rex Reginaque adeo velabantur quod ipsa tripudii magnitudo Regem & Reginam cantus movebat in vocem sibi invicem complaudentes. Celebrantur ergo dies in jubilo & sumptuosi defluunt gaudiorum, ac quicquid potest gaudii mens discreta conjicere, totum hic cogitet, totum hic arbitretur impendi. Cingitur demum militiae cingulo post tyrocinii lavacrum Karolus, velut annis majusculus, prius cum centum juvenibus subsequentibus. Karolo quidem, tanquam decoro & excrescenti filio, qui cum esset elegantioris formae juvenis, ad tenendum fuerat locum patris ascitus, Rex praedictus principatum Salerni extra fraternae sortis funiculos peculiari liberalitate concessit. Qui cum crevisset in annos, mansuetudinis & innocentiae bonum de fontis puritate conservans, mentis juvenilis hospitium virtutum denuo studuit familiaritate replere. Nutrivit animum rebus honestis, & fœcundatus est adeo bonitatibus quod ejus dotes virtutum claudi sub numero nesciverunt.

V. Ut autem regiae propaginis funiculus extendatur in aevum & sua erescat in ramos propugnatio successura, filiam Regis Ungariae Principis connubio Rex conjungit & in thorum procurat filialem adduci. Sicque Princeps & filia Regis Ungariae individuis nexibus connectuntur, cum vix egregius sanguis in orbe tunc esset qui non eundem ex derivatione . . . . linea contingeret aliquali. Igitur Reges absentes hac de causa se invicem honore praeveniunt, & gratis hinc inde sibi muneribus blandiuntur. Regique Ungariae, qui bellorum sollicitudine premebatur, aliquando Rex Siciliae propterea militum subsidia destinavit.

VI. Verum Ecclesia Romana nondum suae viduitatis consolata gemitibus, cum sua quisque regat diverso flamina tractu, quin lanient mundum, tanta est discordia fratrum, dum metuit velut navis in pelago sine remige, quamvis aura tranquillitatis aspiret, constituit Regem Karolum vicarium imperii in Tuscia generalem. Hinc nempe sedatis cujuslibet amaritudinis fluctibus, regnoque disposito in statu summae tranquillitatis & pacis, ad reprimendos Gebellinos Tusciae nondum domitos, sed contra partem Ecclesiae solito plus superbos suae sedulitatis vota direxit. Gebellini namque in Tuscia monachorum ad instar Abbate carentium capite perdito extra suos limites crassabantur, & evagantes sine correctore per Tusciam adhuc extranea conventicula faciebant. In tota enim Tuscia civitas Lucana sola supererat, ubi erat fortior pars Guelforum. In aliis vero locis adeo invaluerat Gebellinitatis gibbus, adeo iniquitas abundarat quod Gebellini denuo in expectatione novi temporis exardentes, nunc ingeniosa virtutum seu vitiorum potius assiduitate non modicarum concervatione virium, nunc dolo vel fraude sub pacis & treugae specie perquisitis totam Tusciam malorum operum crepitantibus flammis igne consumptionis bellicae subvertere nitebantur. Verum inscrutabilem divinae justitiae libramentum Ecclesiam suam non patiens radicitus omnino convelli, sed disponens eam taliter quod semper radices contrahat in temporis amaritudine firmiores, Ecclesiae athletam & fidei pugilem destinavit. Misit Karolum sicut fulmen, qui montes constructos ad demoliendum Ecclesiam & gigantes etiam constructores cum viris ecclesiasticis bella moventes una hora fulminet & subvertat. Rex ergo Karolus copiosam ex suis eligens comitivam, Principe in regno vicario tanquam primogenito & herede dimisso, Romam primo repetens, rupem Tarpeiam & Capitolii saxa victoriosus ascendit; fungensque vice senatus quasdam contra Gebellinos urbis dignas ultiones illatas gratificatione regia comprobavit. Jacobus namque Neapoleon dux & magister Gebellinorum sub favore Domni Henrici quandam fortericiam in campo de flore construxerat, quae Arpscata vulgari eloquio vocabatur. Hanc quidem forteriam turrificatam circulariter per ejusdem Regis vicarium Guelfi urbis dirui funditus procurarunt. Quaedam etiam turres quas Petrus Romani in capite pontium Judaeorum & trans Tyberim pro fortificatione insulae Licaoniae fecerat similiter ejusdem vicarii sententia, Guelfis sibi assistentibus, corruerunt. His & aliis modis multae Gebellinis fuerunt illatae jacturae, quas Regis providentia conniventibus oculis pertransivit. Sed volens statum urbis post Gebellinorum verbera tranquillare, cum de more faciat pactum post verbera stolidus, Gebellinos ipsos sub pactis ad mandata recepit, & eis de regia benignitate pepercit. Tunc etiam consideratione reverendi patris Domini R. sancti Angeli Diaconi Cardinalis quendam Ricardellum Militem civem Romanum nepotem Cardinalis ejusdem, qui tempore dispendiosae viduitatis Ecclesiae castrum Ariani, quod est sedis apostolicae, occuparat, & sub castro illo in nemore famoso Algiarii multos jugulaverat Gallicos, & per quosdam suos latrunculos, quos fovebat, fecerat jugulari, suis parentem omnino mandatis regia mansuetudo recepit.

VII. At demum Rex praedictus ad Gebellinos Tusciae se convertens, corda partis ejusdem adeo in ejus terrefecit accessu, adeo Guelforum animos roboravit antequam Rex fines attingeret Tusciae, Guelfi de Florentia de adventu Regis propinquo securi animorum fortitudinem assumentes, resumptis contra Gebellinos viribus eos ejecerunt à terra & per totam quasi diocesim fugaverunt. Tandem Regi sub vexillo Ecclesiae in Tuscia vicariae aggredienti officium tota ferè Tuscia tanquam vicario imperii se submisit. Pisana etiam civitas, quae per triginta sex annos & amplius inobediens & indevota Ecclesiae Romanae persliterat & in infidelitatis devio & caecitatis errore per tempora multa duraverat, coacta quodam modo rediit ad Ecclesiae unitatem, ac tandem Ecclesiæ Romanæ beneplacitis se subjiciens quandam societatis confœderationem cum Re-

ge

ge prædicto variis pactorum vallatam fœderibus & solemnibus stipulationibus compromissam. Pacem vero seu treugam cum Lucensibus, quibus post Regis triumphum fortuna contra Pisanos jam triumphaliter arridere cœperat, celebravit. Venatore interea sanctae Romanae Ecclesiae per saltus & nemora Tusciae inobedientium vestigia passibus agrestibus insequente, nonnulli Gebellini de diversis partibus Tusciae, quos Delphinus noster imperii mare famelicis faucibus gulaque hiante discurrens velut agmina piscium ca diversis vadis in unam coëuntia massam fugitivos & pavidos coëgerat glomerari, in castro Podii Bonizi tanquam in vase firmo sua receptacula firmaverunt. Qui cum propter castri fortitudinem, necnon & propter Senensium favorem, quibus castrum ipsum vicinum existit, nidum Gebellinitatis inibi componere studuissent, palliare suae superstitionis errores, si Rex Karolus in Tuscia moraretur, sub temporis expectatione credebant. Contra hos itaque sic collectos Rex praedictus, ut totius Gebellinitatis finaliter bellantie vasa retunderet, quodque castrum ipsum fiat ultimum talis generis praecipitium & vorago, nec fictitiae superstitionis caligo suis ulterius tenebrescat erroribus, totius partis Guelfae, Lucensium scilicet, Florentinorum, & aliorum de Tuscia nomen Ecclesiae profitentium exercitum innumerabilem coacervat. Obsidione sanè hujusmodi per sex menses & amplius continuè non sine sumptuosis laboribus perdurante, cum jam illius castri populus stolidus rerum victualium penuria premeretur, nec expectaret aliunde subventum, præter alias sponsiones & pacta, de pacto quod satis habitatoribus loci, qui non poterant ulterius se tueri, potuit esse grata montis illius habitatio, in habitantium pœnam facta est omnino deserta & podium suis civibus desolatum; fuitque edicto perpetuo stabilitum quod in colle illius podii, qui quanto mons se eminentem erigebat in tumulum, tanto in vanum tumorem supercilii vehebantur resumere quoquo modo habitationes in ipso podio, perpetuo non valerent, sed sub montis collibus & in plano novum pro se & successoribus suis facerent incolatum. Igitur Rex praedictus Gebellinis usquequaque devictis & dura recipientibus fræna maxillis, totum Italiae regnum in Ecclesiae redegit imperium & sedis apostolicae districtioni submisit.

VIII. Pluribus ergo temporum curriculis evolatis, divina potentia, quae suis incircumscripta finibus omnem intellectum transcendit humanum, volens periturі mundi quae praecurrerant mala devincere, hac sedavit fratrum unitate discordiam quod quendam nomine tunc Theobaldum Leodiensem Archidiaconum, qui ultra mare in terrae sanctae favorem peregrinus accesserat, & cum Domino Odoardo inibi morabatur, ad summi apostolatus apicem, ad sanctitatis fastigium, beatitudinis solium, dicti fratres per electionem concordem unanimiter evocarunt. Hic namque singularitate virtutum & spiritualibus vitae stipendiis Deo militans nomen ex re complevit, ut ex officio nominis sequeretur titulus dignitatis. Ex theo namque Graecè Latinè Deus, & daldus, quod sequitur, prodit interpretatio gloriosa, ut videlicet Theodaldus dicatur ex sanctae voluntatis fragrantia Deo datus, vel ad Dei servitium dedicatus. Ecclesiam enim Dei, contra quam denuo tyrannidis novo satellitio ex humana fragilitate pugnatur, & extraneis vexata stimulis semper invenit contra quos pugnet, in multis laudabilibus beneficiis restauravit. Quae cum propter pastoris diuturnum defectum divinis quodam modo extenuata doctrinis, necnon & propter cognatam humanae imbecillitati malitiam in suis concussa parietibus vacillaret, dum sanctus de terra sanctitatis advenit, quem devota fidelium desideria suspirabant, ex hostibus occultis & patentibus feliciter triumphavit. Sub ejus namque tempore, qui fuit non sine Dei ministerio Gregorius decimus nuncupatus, id est, gregis dominici Rex & pastor, saecula ferè facta sunt aurea, latèque per universum orbem fidei religio coruscavit. In eo sanè, qui tanquam nitidus puritatis rivulus de fonte fordium primi parentis arida mundi climata rigaturus advenit, quandiu in apostolatu vixit, nihil torpens otiositas vindicavit, nihil suo tempore inanitas curiosa praesumpsit. Hujus etiam patris sanctissimi favor Regi praelibato non defuit, sed semper affuit gratiosus. Nam cum inniteretur nimium strenuitati regiae, Lugdunum accedens, ubi Concilium generale, in quo Papa malorum consilia multa solus poterat praevenire, maximè pro succursu terrae sanctae, per universum orbem christianitatis indixerat, totam regiae providentiae commisit Italiam & sub ejus directione dimisit, ut impleret totum sibi commissum vicariatus officium sicut prius.

INCIPIT LIBER SEXTUS.

I. CUM autem inter haec crederemur quod Regi, qui ferro tot dierum millibus dimicarat, totum sui desiderii pondus circa reparationem regni & suorum fidelium immineret, illudque in libra utilitatis appenderet, armisque deinceps justitiae concertaret, ac sedatis fluctibus subjectorum, sub juris tramitibus in pace conquiesceret, duo secum bella durissima & inexpugnabilia inchoavit. Ex quorum altero, cum non sit tam sanae mentis aliquis aut adquisitae probitatis quem tenebrae cæcae cupidinis non confundant, se suis non contentans assisis, factus est cupiditate prompta & in extorquendi promptitudine cupidus & avarus. Sicque affectu thesaurizandi forsitan ardens manus ad exactiones illapsat & flagore concupiscentiae inexplicabilis necessario tyrannizat. Habet enim hoc secum illa sitis hydropica, illa famis abyssus, ut quanto plus bibat, tanto amplius stomachus insatiabiliter aestuet ad bibendum. Quid enim non mortalia pectora cogit auri sacra fames? Ex altero vero, dum quadam permissiva licentia seu licentiosa permissione Gallicorum opera, officialium maximè, quae pro eo quod tot simul bellorum fuerant experti discrimina, sub dissimulatione transibat, correctionis adhibitae moderamine non mordebat, quamquam nonnumquam deferret accusatio querula veritatem, torpore negligentiae premitur, & crassa supinaque lentitudinis circa haec ignorantia diffamatur. Jam tota sedulitate vis & violentia refertur impune regnicolis; & dum sola vis quaeque litigia terminat, parum pacis expectata tranquillitas videtur à proxima bellica confusione distare. Verum cum in ipsis initiis sit subditorum comprimendus excessus, ne fœda imitatio quasi turpis scabies paulatim reliquos comprehendat, iste triumphans ex hostibus nec in ipso tantae corruptionis initio, neque medio, neque fine Gallicorum mentes jam omni cessante adversitate dementes debitarum illatione pœnarum aliquatenus coercebat, & ne praesumptionis antiquae corruptio regnum iterata fœdaret, varios & non aequos excessus officialium non compressit. Igitur dum totum anxiè sollicitudo subripit sumptuosa, totumque curiosa vexat anxietas, bonae spei clauditur aditus, & desudantium querela satisfactionis compensatione non tollitur, sed malis cotidie ingravescentibus augmentatur. Cumque de jurata promissione totius regni reparatio deberetur & crederetur firmiter quod prodesset, si quando quis meritorum suorum cunctis inter tot angustias triumpharet, labores omnium regius sibi vendicat potentatus. Super possessionis suae titulo etiam antiquus possessor impetitur, & cuilibet interrumpitur extranea vexatione possessio, quantavis praescriptione longi temporis & justo titulo sit vallata. Ex hoc enim secutum est gravamen arduum & nephandum, quod vix baroniam seu feudum aliquod diversorum inquisitorum pertransivit oblivio quod non semel aut bis & ter aliquando merces extorta redemerit possidentis. Rex enim & Gallici, quos fortassis illorum de regno malitia blandiebat, quibus quotiens de commodis agebatur aures faciles & ad mala dociles commodabant omnium ubique felicitate repleti, nullam sibi viam difficilem esse credebant,

nullum

nullum aditum intervallo vel obstaculo iter interclusum, totum astruebant suis accrevisse laboribus, totumque proprium reputabant quicquid alii possidebant. Auferunt ergo pro voto quae volunt, & quae nolunt dimittunt.

II. Ipsae quoque Ecclesiae, praeter omnia quae clericis & eorum familiis ac Ecclesiarum vassallis nova condie novae exactionis adinventio imponebat, sub servitutis insolitae calcaribus angustatae magnam rerum jacturam temporalium lamentantur, quasi non minus illas conterat impressio dominii urgentis eas ad onera insueta quàm olim filios Israël inclementia presserat Pharaonis. Verum ut de persona Regis, qui tanquam à communi lege viventium meritorum eminentia sequestratus per colles totius rectitudinis & justitiae finaliter incedebat, vanè non inficiatur auditus, nec de ipso aliquid foetidum credi possit nisi quatenus regnicolarum quorundam pravis consiliis, qui denuo coram ipso prava officialium opera detendebant, ex multo voluntatis haerebat lubrico, & fructus contemplatione futuri talium consiliariorum consilia sequebatur, nova contra terras Ecclesiae interdicti & excommunicationis species per ipsos regios consiliarios est inventa, haec videlicet, ut in portubus terrarum ecclesiasticarum regni nullum applicet lignum nullaque barcha, vel vas marinum aliud oneretur; horumque portuum auxiliaria littora censuit odiosa districtio in sua solitudine remanere deserta & inapplicabilia navigantibus ordinavit. Pactensis, Cathanensis, & Cephaludensis Ecclesiae, quibus in Sicilia jura portuum civitatum ipsarum ex privilegio competunt felicium Augustorum, necnon & quibus civitates ipsae temporaliter & spiritualiter sunt subjectae, ipse fructus dictorum portuum sunt privatae. Cusentina etiam in Calabria & nonnullae aliae quae habent castra aliqua juxta mare seu in littore maris navigabilis eisdem dominantur gravaminibus & jacturis similibus opprimuntur. Nec potest tam pravi consilii deliberatio excusari ex eo quod interdictum hujusmodi fuisse dicitur generale, cum sit similiter ardentium par incendiorum & malorum ardentium similiter incendia non ad imparia judicentur. Magistros quoque juratos qui maleficiis praesum sanguinis in terris Ecclesiarum usque ad ultimam desolationem anxit.

III. Ad exponenda ergo in pleno Concilio haec & alia gravamina quamvis plures Praelati regni animositatis promptitudine viderentur ardere, illos tamen pejorum contuitio, quibus alias postmodum metuere poterant, compescebat, eligentes potius mutis labiis fustibus increpari & oppressionis virga mente silentiosa contundi quam gladiis trucibus lingua murmurante perire. Verum, ut taceatur de laicis, quorum nullus tantae audebat delationis inferre clamorem, inter caeteros regni Praelatos, quos premebat similis morbi moles, Marinus Capuanus Archiepiscopus, vir facundissimus & elegantis sermonis foecundus scientia, & hominum mores expertus, quaedam capitula, in quibus singulariter omnia regnicolarum exprimebantur gravamina, summarie eliciens, magis praejudicialia recollegit, & tandem ea Lugduni in plena concione Concilii voce querula propalavit. Quibus solemniter nunciatis, quamquam audientium horresceret animus & mentalis obstupesceret intellectus, nullum tamen successit propterea levimentum, nec adhibitum fuit remedium competens, nec morbo crescenti obviavit opportunae repressio medicinae. Fuit tamen pro repallatione tam gravis excessus de mandato Domini Gregorii ordinatum quod duo ex Praelatis regni soluto Concilio redeuntes in regnum Regem super corrigendis oppressionibus quas continebant capitula supradicta requirerent & monerent. Obstat tamen & regni negotio nimium absentia Domini * M. Salernitani Archiepiscopi, qui temporibus illis, postquam deliberaverat ad Concilium properare vocatus, eo videlicet animo ut oppressiones regni singulas firma voce depromeret ac regni statum ipsius instanter peteret reformari, ultimum amaritudinis diem clausit. Tunc audita est vox ploratus & ululatus multus. Salernitana enim Ecclesia voce turturea laniata clamabat. Quo progrederis pater, quo sacerdos sancte properas, à dilectis regni filiis ulterius non videndus? Pater mi, pater mi, regnicolarum currus, & Praelatorum auriga. Quid facient oppressi regnicolae, quid Ecclesiae ancillatae, quae fortem perdiderunt pugilem & athletam securum, cujus industria, cujus animositate servitutes indebitae, oppressiones insolitae, angariae & parangariae insuetae, quae viduis & maritatis regni, Ecclesiis ac personis ecclesiasticis irremediabiliter infliguntur, in conspectu tanti Concilii providè fuissent propositae ac expressae robustè?

* Matthaei.

IV. Sanè Dominus Gregorius Papa ad Concilium Ecclesiae Lugdunum properando Regem Karolum in Tuscia super regni gravaminibus affectu patris alloquitur in haec verba. Super oppressione multiplici & innumeris novitatibus, fili carissime, quibus sub tuo felici dominio regnicolas opprimi fama clamat, validus frequenter clamos perculit aures nostras. Profecto credidimus per te illa debitis restaurationibus emendari statumque illius regni brachio tuo commissi promptè in melius reformari. Revoces igitur pro Deo talia quae Regi pio non congruunt, sed potius regiam celsitudinem dehonestant, ita quod tua grandis adeo felicitas adaugeat, non minuat, subditis libertatem. Ad haec inquam, cùm regium Rex non fecisset in hac parte responsum, cujus animus videbatur ad ulteriora proclivior, dictus Dominus Gregorius subdidit. Veniet, veniet illa dies qua super te tuosque filios & heredes tyrannus inopinatus adveniet. Rex autem ad Papam mente provocata quodam modo ipsisque turbato tunc replicat. Nescio quid sit tyrannus. Scio tamen quod ille Deus qui semitas corporis pedumque meorum sumpta vestigia huc usque direxit velut auxiliator, in posterum mecum erit. Post haec, cum Rex praedictus quasdam naves Hospitalariorum & Templariorum oneratas frumento in Sicilia & transfretare paratas fecisset exonerari frumentaque deponi, pro eo videlicet quod praeter jura fundicaria & duanae pro extractiva cujuslibet salmae perpetuo edicto statuerat unum augustalem aureum fisco regio componendum, quem augustalem dicti fratres, cum contra eorum immunitatem & regni libertatem ac consuetudinem peteretur immo extorqueretur exactè, contendebant secretis regiis exhibere, fama de iis ad Dominum Gregorium Lugdunum usque perrexit, quasi Rex praedictus terrae sanctae, quam idem Dominus Gregorius apostolico zelo puraque mentis intentione fovebat, auxiliaria victualium subsidia, quibus plurimum indiget, impediret. Propter quod conscientia mala gravatus, considerans quod paterna & caritativa monita non possent penes Regem Karolum in revocatione tantarum novitatum adinventarum in regno proficere, doctrinam in hoc evangelicam servans Regi Franciae Philippo praesenti haec voce lugubri moestaque mente denuntiat dicens quòd significatio praedictorum sua & fratrum suorum, si vera sunt, laedit viscera, nimirum eum statum illius terrae sanctae Christi sanguine consecratae jaculo verisimilis laesionis offendat. Quare rogat & mandat ut Rex Franciae dicto Regi Siciliae hujusmodi praemissa significet ac quicquid in hac parte responderit ad notitiam sedis apostolicae perferat, quae circa talia intendebat apponere consilii remedium opportuni. Praeterea super eo quòd Graeci nuntios ad Concilium miserant, per quos se velle redire ad unitatem Ecclesiae ac commutatis in melius ritibus unionem cum gente Latina facere astruebant, pater apostolicus similiter Regem Franciae consuluit memoratum dicens quod Graecis ad mandata Ecclesiae redire volentibus & parere non videbatur gremium debere apostolicae sedis claudi, sed recipiendi erant, ut prima facie videbatur, ad misericordiam Romanae Ecclesiae gratiosè, ut de caetero juxta evangelica vaticinia unus in mundo sit pastor, erroris cujuslibet abdicata caligine,

gine, unumque ovile fidei orthodoxae. Sed nescio quis, Deus scit, qui novit occulta, tantam Graecorum & Latinorum paratae ac petitae unitatis concordiam zizania damnosae dissolutionis infecit & fermento malitiae ac excogitatae nequitiae impedivit. Ad ligandum sanè Praelatorum alas decurtandumque volatus ac clericorum passus novis constitutionibus compescendos & per consequens jurisdictionem sedis apostolicae ampliandam, ut quae cunctu potest cunctu operetur immediatè, qui viderit aut videre poterit, & sola totaque sit in omnibus peragendis quae mater est omnium & magistra, quamplures decretales seu decreta vel sanctiones poenales valituras perpetuo promulgavit. Pro subsidio autem terrae sanctae praedictae, ut de redditibus ecclesiasticis generalis passagii sumptus abundè ac liberaliter fieri valeant, decima sex annorum universaliter de omnibus Ecclesiarum proventibus edicitur, colligenda in toto orbe terrarum, & demum collectores per singulas provincias statuuntur.

V. Concilio igitur dissoluto, de quo nulla vel modica universitatis fructuositas est progressa, nisi quatenus sedes apostolica devotionem continentium ad synodum generalem & evocatorum obedientiam est experta, Dominus Gregorius redit in Italiam, Romam festinans, immo ad passagium celeri festinantia devotè suspirans. Sed quia non sunt in homine viae ejus, immo Deus tantum, qui moderatur & vota dirigit gressus humanos, dictus Dominus Gregorius apud civitatem Aretinam squalore itineris fatigatus adveniens, moleque propterea tandem morbi febrilis arreptus, viam omnis carnis ingreditur, nomenque sanctitatis apud homines indelebile promeretur. Huic autem celeri provisione substituitur in honore Dominus frater Petrus de Burgundia Episcopus Ostiensis, qui mutato Petri vocabulo, cujus adeo plenitudinem potestatis assumpserat, Innocentius V. voluit nominari. Hic volens episcopatum suum visitationis debitae praesentia honorare sedique propriae reverenter & devotè sua visitatione deferre, abjecta mora Romam itinere continuato se dirigit. Tempore autem Domini Innocentii V. Rex Karolus regnum Hierosololymitanum ex concessione cujusdam Domicellae, quae filia J. quondam Regis Hierusalem dicebatur & heres, sive pretio sive amore aut permutatione seu compensatione alicujus excambii est adeptus, Regemque se Hierusalem & Siciliae postmodum titulavit. Infra sex autem menses Dominus Innocentius apud Lateranense palatium Romae fatalibus devictus viribus, diffinitiva mortis sententia, resignato vitae chirographo, cessit mundo.

VI. Cum praedictus Dominus Gregorius Papa bonae memoriae attendens gravia dictae sedis dispendia & probrosam infamiam quae propter vacationem diutinam sedis ejusdem, quam vota contraria Cardinalium & in electione summi Pontificis omnino divisa trahebant, universalis proveniebat Ecclesiae, quandam constitutionem contra Cardinalium duritiem edidisset, per quam rectoribus civitatum & locorum in quorum districtibus summum Pontificem obire contingeret reducendi Cardinales ipsos sub unius clausurae concluvi & eos certo modo ad electionem celerem compescendi plenam ex rationibus tradiderat potestatem, Rex praedictus, qui erat tunc urbis senator ad vitam, Cardinales praedictos in palatio Lateranensi praedicto adeo coartavit quod contra voluntatem & repugnantiam majoris & sanioris partis collegii obturatis quibuslibet foraminibus, muratisque fenestris altissimis, per quas solum animal pennatum, apertis remanentibus, ingredi poterat ad conclusos, multa & dura fecit personaliter instans coertionis & coactionis operibus, per quae nonnullos ex ipsis Cardinalibus provocavit & se suspectum eis reddidit & pariter odiosum. Credensque per coertionem hujusmodi habere summum Pontificem forsitan sicut vellet, non incedens per viam regiam, sinistram declinavit in partem. Post octo namque dies ipsi substractis cibariis, panis & aqua tantum debebant, secundum praedictam constitutionem Gregorii, Cardinalibus omnibus in reclusorio ministrari. Cardinales Gallici diversitatem ciborum ac varietatem potuum latenter in abundantia per ministros regios porrectorum gula stomachante fastidiunt. Tunc sanè Dominus Johannes Gaietanus sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis, Argus & argutus in Ecclesia Dei, omnisque ipsius Cardinalis sequela contra Regem Karolum non immerito causam & materiam conceperunt odii & rancoris pro eo quod erga constrictos reductosque infra murorum ambitum compulsa inaequali & impari superbè non minus regere se studebat. Demum ille cujus dextera beatum Petrum ambulantem in fluctibus ne mergeretur erexit, non passus longae vacationis Ecclesiae suae sanctae stipendia, qui voluit esse Dei mediator & hominis, discrepantes Dominorum Cardinalium spiritus ad illius reduxit monocordium unitatis quod properè nimis ultra quàm tunc credi posset Dominus Ottobonus sancti Adriani Diaconus Cardinalis ad summi apostolatus apicem, consulto prius Rege à Cardinalibus Gallicis praeter jus & consuetudinem, concorditer evocatus, mutatoque proprio nomine vocari voluit Adrianus. Hic, pro eo quod aestiva tempora imminebant, quibus, nescio qua suspicione de aere corrupto concepta, Romana Ecclesia vitare urbis Romanae didicit incolatum, Viterbium statim pergit quasi praescitam festinantiam ad mortem; ibique infra quadraginta dies debitum naturae persolvit invitus. Post cujus obitum Domini Cardinales reducti more solito in palatio sub conclavi in cordis duritia & animi obstinatione praeterita validiores effecti, sed diversitatem corporum notis utriusque diversis diversitatem induunt animorum. Nihilominus tamen ex industria & sagacitate praedicti Domini Johannis Gaietani magister Petrus Hispanus Tusculanus Episcopus ad apicem apostolicae dignitatis assumitur & Johannes XXI. mutato nomine proprio nominatur.

VII. Sub istius tempore Karolus Rex praefatus aliàs impresso gravi pondere onus addens & de perversorum suorum consilio novos novorum gravaminum modos invenit & imposuit. Quidam enim ex suis subdola suggestione susurrant, & aures regias vento nitentes adulationis implere, dum nil aliud cogitant nisi cum alterius Regi placere jactura, dicunt in aures. Domine mi Rex, forestas innumeras camposque diversos & nemora subdefensa necnon alia infinita hodie regium habet dominium; è quibus, quod est satis mirabile, consideratis expensis quas pro iis curia vestra subit, nulla provenit ut deberet utilitas fisco vestro. Totum forsan commodum omnisque fructus & usus est magistrorum massariorum aliorumque custodum & credentiariorum curiae. Unde massarias vestras, Domine, per terras regni cum bonis viris qui massariis utuntur communiceris in totum & societates inite cum eisdem. Multiplicabuntur enim sine sumptibus curiae tunc regiae massariae; semperque salva rerum substantia multa camerae vestrae emolumenta provenient. Dividantur animalia vestra per subditos opulentos, & eis imponatur reddendum curiae vestrae, salva semper sorte, certum quid annuatim. Subditi quippe vestri propter consequendam in bonis & animalibus suis praetextu societatis regiae libertatem & habenda pascua libera libenter ad participium fructuum recipient sub suo periculo & fortuna qualibet massariam. Falsa igitur & fallaci suasione recepta & pariter approbata, per totam Siciliam, quae terra est fertilis & foecunda, segetibus apta, & accommoda massariis, viros habentes aliquid, maximè archivillanos locorum & protorusticos, eligis ad hujusmodi officiorum onera officialium docta malitia. Huic invito sues in numero, alii retinenti boves, illi compulso vaccas, alii repugnanti pecora sive oves & equas custodiendas assignat, legem ponens caeteris, ac si naturae dominaretur & aeri, aut esset humana virtus super

omni-

omnipotentia deitatis. Haec est enim lex, hic est modus impositus caeteris talibus, hoc statutum curiae officialium mala fraude vallatum; ut ille videlicet cui societatis nomine sues custodiendae traduntur assignet fisco curiae anni circulo revoluto parturisse suem quamlibet bis quinque capita foetus, duos scilicet foetus masculos & tres feminas, foetusque primos femineos eodem anno quinque similiter quamlibet generasse, ita quod de qualibet porca in omnem eventum viginti capita in universo post annum, velit nolit, de bona & aequa, ut aiunt, ratione resignet, secundo vero anno & deinceps quolibet XXX. salinas frumenti & totidem ordei magistro massario curiae repraesentet, receptis pro expensis & mercede servitii & laboris duobus tantum augustalibus per singulos duos boves. Alteri vero, cui bidentes ad participium fructus dantur, talis est rationis compulsio ad rapetum ut pro singulis centum ovibus sibi datis, de decem cantaris casei, & de duobus reccocae, ac quatuor cantarii lanae, venditoque caseo, de duodecim tarenis auri pro quolibet cantaro casei, & de sex tarenis pro cantaro, soluta omnino integrè pecunia curiae anno revoluto faciat rationem. Si quae sint oves foetae portantes, nonaginta. Saltem ex quolibet centenario foetus, sexaginta videlicet feminas, & triginta masculos anniculos, easdemque feminas secundo anno suos pariter foetus habere in sui tempore ratiocinii omnino deponet. Pro stereotibus vero bidentium de terris impinguatis ab eis in quibus die stabulantur & nocte duas salinatas pinguis novalis procuret haberi; ex quibus duabus salinatis duodecim salinas victualium de suo, si novalis casu pereat, fisco componat. Equarius vero per singulas duodecim equas suae custodiae assignatas quolibet anno decem foetus, quatuor masculos, & sex feminas, necessario sub omni suo periculo repraesentet. His & aliis gravaminibus, praeter collectas & exactiones..... *Caetera desunt*.

Postea legendus est Nicolaus Specialis editus in appendice Marcae Hispanicae pag. 597.

CHRONICON KEMPERLEGIENSE.

Anno Domini DCCCXLIII. civitas Nannetensis à Normannis sub Lamberto capitur, & Episcopus ejus, nomine Gunhardus, ab ipsis Missam dicens occiditur.

DCCCLI. Obijt Numeoneus Rex Britonum. Successit in regnum Erispoe filius ejus. Hic expulit Normannos à civitate Nannetica.

DCCCLVII. Erispoë Rex Britonum à Salomone occiditur. Tempore hujus Salomonis corpus sancti Matthaei Evangelistæ ab Æthiopia in minorem Britanniam delatum est.

DCCCLXX. His diebus Salomon Rex Britonum direxit Romam, Adriano Pontifici statuam auream cum multis donarijs dedit.

DCCCLXXIV. Occisus est Rex Britonum Salomon.

DCCCLXXVII. Carolus Calvus Imperator obijt. Successit Ludovicus filius ejus in regnum.

DCCCLXXIX. Obijt Ludovicus. Successit in regnum Carolus qui dictus est sollus.

DCCCCXXIX. Obijt Carolus Rex qui dictus est sollus. Ludovicus filius ejus successit in regnum.

DCCCCXXXI. Britones qui remanserant, Normannos omnes occiderunt in solemnitate sancti Michaelis, cæso primùm Duce illorum, Feleca nomine.

DCCCCXXXVI. Britones à transmarinis partibus Adelstani Regis Angliæ praesidio revertentes, terram suam repetunt.

DCCCCXCII. Obijt Conanus Comes, filius Iudicaelis Berengarij Comitis Redonensis. In bello Concurruc occisus est v. Kal. Iulij.

DCCCCXCVI. Obijt Hugo Rex, pater Roberti Regis.

MVIII. Obijt Gauffridus Dux Britanniæ, filius Conani filij Iuhaelis Berengarij, dum pergeret Romam gratia orationis. Successit Alanus filius ejus. Hic Bertham filiam Odonis Comitis Carnotensis duxit uxorem consilio & auxilio Alani Cornubiæ Comitis, qui eam insequentibus Francis ad praedictum Ducem per vim sui exercitus adduxit. Deinde celebratis in urbe Redonensi ex more nuptijs, cùm multis pretiosa donaria distribuerentur, ille Cornubiensis nihil horum apprecians, solam sibi paternam hæreditatem, quam prius juvenis amiserat, petijt reddi. Quod audiens Dux Redonensis, libenter assensit coram optimatibus totius Britanniæ, reddens ei insulam Guzel, cum pago qui dicitur Bel, quam noverat ipse Dux ex dotalitio ejus matris, nomine Guinoedon, suam esse. Quam insulam nominatus Cornubiensis concessit & dedit Ecclesiæ sanctæ crucis Kemperlegiensis in abbatiam sempiternam.

MXXIX. Cœnobium sanctae crucis Kemperlegij ab Alano Cornugalliae Comite aedificatur, atque inibi Guorloësius Abbas ab Orscando Pontifice benedicitur.

MXXXIV. Hadulsa Comitissa Britanniae, vidua Gauffridi, & mater Alani, & Eudonis, IX. Kal. Martij obijt.

MXXXVIII. Depositio Felicis Abbatis sancti Gildasij.

MXXXIX. Obitus Alani Redonensis Ducis Britanniae. Hic regnum suum filio suo Conano Trimensi reliquit Kalendis Octobris.

MXLI. Transitus Caduallonі Abbatis Rotonensis.

MXLVII. Conanus puer de custodia patrui sui elabitur Redonis.

MXLVIII. Redonenses Conanum recipiunt Romae apud sanctum Petrum XII. Februarij.

MXLIX. Leo IX. consecratur & coronatur Papa XIII. Aprilis, confirmat Bellam insulam Cadualono Abbati Rotonensi, qui eodem anno obijt. Successit Perenesius.

ML. Vercellensis synodus sub Leone Papa nono celebratur.

MLIV. Domnus Leo Papa transit III. Kal. Maij XXIX. Aprilis, cui successit Victor.

Hoel principatum Nannetensium adipiscitur Cornubiae Comes.

MLV. Eliseus Abbas sancti Gnengololei obijt.

MLVI. Rilla Abbas sancti Guengololei praeficitur.

MLVII. Transitus sancti Guorloesij Abbatis Monasterij sanctae crucis Kemperlegiensis.

Conanus Comes Eudonem patruum suum bello cepit.

MLVIII. Alanus Comes Cornugalliae, Kemperlegiensis monasterij fundator & pater, migrat ab hac vita.

MLIX. Jungumarius Abbas praeficitur.

MLX. Gauffridus Comes Andegavorum obijt.

MLXII. Herbertus Cenomanensis Comes moritur, uterinus frater Conani Ducis.

MLXIII. Iudith Comitissa Cornugalliae obijt.

MLXIV. Orscandus Episcopus Cornugalliae vitam finit. Successit ei Benedictus filius.

MLXVI. Stella visa est, quae cometa dicitur, ferè per quindecim dies in occiduis partibus.

Conanus, Alani Ducis Britanniae filius, obijt.

Guillelmus Normannorum Dux cum magna classe Britanniam invasit insulam.

Praelatus est Abba Benedictus, frater Hoeli Comitis monasterij Cemperlegiensis.

Haraldus Rex Anglorum à Guillelmo devictus interficitur.

MLXVIII. Baldoinus Flandronensis Comes obijt.

MLXXII. Hardengius Comitissa moritur XII. Augusti.

MLXXIII. Alexander Papa moritur. Cui successit Aldebrandus, cui nomen Gregorius.

Monasterium inchoatur sancti Melanij.

MLXXVII. Hoël à Vicecomite Eudone capitur, & infra undecim dies ab exercitu suo vi reddimr.

MLXXVIII. Quiriacus Nannetensis Episcopus moritur.

MLXXIX. Amatus Olorij Legatus mittitur in Britanniam.

MLXXXI. Benedictus Abbas sanctae crucis, frater Hoeli Comitis, Nannetensis Episcopus efficitur.

Ioannes quondam Abbas sanctae Crucis moritur.

MLXXXIII. Beati Guorlocij corpus de tumulo erigitur.

Restauratio Ecclesiae sanctae crucis.

MLXXXIV. Hoel Comes moritur Idibus April.

Gauffridus Comes Redonensis nothus in captione apud sanctum Courentinum moritur XXV. Octobris.

MLXXXV. Hilla sancti Guingaloei Abbas obijt. Kalendis Iunij obijt Bertha Comitissa Britanniae, mater Conani Ducis, soror Fulconis.

Fames orta est dira & pestifera per totam Europam.

MLXXXVII. Alanus Hoëli Consulis filius duxit uxorem Constantiam Guillelmi Regis Anglorum filiam.

MLXXXVIII. Hic transit Guillelmus Rex Anglorum.

Iungomarus quondam Abbas sanctae Crucis finit.

Vrbanus Papa ordinatur.

MLXXXIX. Dedicatio Ecclesiae sancti Gorthierni à Benedicto Corisopitensi Episcopo facta.

MXC. Constantia Comitissa obijt, Regis Anglorum filia.

MXCI. Obijt Budic, frater Hoëlis Comitis.

MXCVIII. Eudonus, Deriani filius, proditione Tauri occiditur.

MXCIX. Vrbanus Papa finit vitam III. Kalend. Augusti.

MCIII. Matthias Nannetensis Consul, Hoëlis Consulis filius, moritur.

MCVI. Mense Februario & Martio cometa apparuit; & Concilium Pictavis rexit Bruno, in quo fuit Boimundus.

MCVII. Paschalis Papa in Francia apud Trecas concilium tenuit.

MCXI. Henricus Imperator Romam veniens, Paschalem Papam tenuit per traditionem, & eum coegit facere sacramentum.

Boemundus vitae finem fecit.

MCXIII. Benedictus, Alani Cornugalliae Consulis filius, Nanneticae Ecclesiae sedem & abbatiae Kemperelegiensis regimen confectus senio sponte dimisit; & in hoc anno unum de suis monachis, nomine Gurchandum, ad Radulphum Turonorum Archiepiscopum ordinandum transmisit, & eidem abbatiae praefecit.

MCXV. Radulphus Turonensis Archiepiscopus moritur. Successit ei (Gislebertus.) Benedictus Episcopus Nannetensis & Abbas sanctae crucis transit.

MCXVII. In hoc anno, X. Kal. Ianuarij, ventus vehementissimus inhorruit.

MCXVIII. Paschalis II. Papa obijt XVIII. Ianuarij.

MCXIX. Concilium Remis celebratum est sub Calixto secundo Papa, in quo Ludovicus Francorum Rex interfuit.

MCXX. Obijt Alanus Fergant junior filius Hoeli Comitis III. Idus Octobris

MCXXII. Romae praesidente Calixto secundo Papa celebratur generale Concilium, in quo reformata est pax inter imperatorem Henricum & Dominum.

MCXXVIII. Girardus Engolismensis Episcopus & sanctae Romanae Ecclesiae Legatus in monasterio sancti Gildae Dolensi Concilium rexit.

MCXXX. Obijt Robertus Corisopitensis Episcopus. Successit ei Radulphus.

Obijt Hemericus Abbas sanctae crucis Kemperelegiensis III. Non. Iulij. Adonias Abbas efficitur.

MCXXXI. Obijt Gurhandus Abbas sanctae crucis Kemperelegiensis.

MCXLIII. Obijt Innocentius Papa. Successit Caelestinus. Eodem anno moritur.

MCXLIV. Lucius Papa defunctus est.

MCXLVI. Obijt Alanus niger, Conani Ducis gener.

MCXLVII. Ordinatio Rodandi Abbatis sanctae crucis.

MCXLVIII. Obijt Conanus grossus, Dux Britanniae.

MCLVIII. Obijt Radulphus Corisopitensis Episcopus.

MCLIX. Ordinatio Bernardi Corisopitensis Episcopi.

MCLX. Obijt Rioeus Abbas sanctae crucis.

Ordinatio Donguali Abbatis sanctae crucis.

MCLXII. Fit valida fames.

MCLXIII. Dongualonus Abbas obijt. Rinvalonus Abbas benedicitur.

MCLXVII. Obijt Bernardus Corisopitensis Episcopus. Successit Gaufridus.

MCLXX. Leonenses à Conano versi in fugam excutiuntur, & ad millia capiuntur.

MCLXXI. Aymo Leonensis Episcopus occisus est.

Conanus Dux Britanniae & Comes Richemundiae obijt XX. Februarij.

MCLXXIV. Obiit Ioffius Turonensis Archiepiscopus.

MCLXXV. Obijt Guillelmus Episcopus de Treguier. Cui successit Ivo Brito, Archipresbyter Turonensis.

MCLXXVI. Bartholomaeus Archiepiscopus Turonensis Concilium habuit cum Episcopis Britanniae Redonis.

MCLXXVII. Ædificatum est monasterium sancti Mauricij.

MCLXXXVI. Obijt Gauffridus Dux Britanniae, Comes Richemondiae, filius Regis Angliae, XIV. Kal. Septembris.

Benedicitur Abbas Evenus.

MCLXXXVII. Arturus Nannetis nascitur, filius ejusdem. Et eodem anno Rivalonus Abbas Kemperelegiencis obijt.

MCXCI. Obijt beatus Mauricius Abbas

MCCIX. Benedicitur Abbas Savaricus.

MCCX. Obijt Evenus Abbas sanctae crucis.

MCCXII. Benedictio Danielis Abbatis.

MCCXXXV. Fames valida.

MCCXXXVII. Occisi fuerunt Iudaei in Britannia à cruce signatis.

MCCXXXVIII. Resignavit Abbas Daniel, & Rivalonus Abbas benedicitur. Et Iohannes filius Petri de Brenes Comes efficitur.

MCCXXXIX. Obijt Rivalonus Abbas dictus Saligog., & Henric..... Bern.....

MCCXL. Die Martis infra Octavam sanctorum Innocentium natus Iohannes primogenitus Iohannis Comitis Britanniae.

MCCXLI. Die Martis post Resurrectionem Domini natus est Petrus secundus filius ejusdem Iohannis apud castrum Lini.

MCCLXII. Octavo Kal. Augusti nascitur Arturus primogenitus Iohannis Ducis Britanniae ex Beatrice filia Regis Angliae.

MCCLXIX. Die festo beati Matthaei Apostoli fuit electus Blanchart.

Decimo quinto Kal. Aprilis, die Mercurij in ferijs Paschae, movit de Pucinnon Iohannes Dux Britanniae ad arripiendum iter ultra mare, & filius ejus primogenitus.

MCCLXXVII. Fuit depositus Blanchart. Appellavit, Ei successit Cadiocus.

MCCLXXIX. Obijt Blanchart apud Viterbium.

ACTA

ACTA VISITATIONIS PROVINCIARUM BURDEGALENSIS ET BITURICENSIS,

FACTA A SIMONE DE BELLO-LOCO ARCHIEPISCOPO

Bituricensi, Aquitaniæ Primate,

Ab anno Christi MCCLXXXIV. usque ad annum MCCXCI.

VISITATIO PROVINCIÆ Burdegalensis.

HIc habetur qualiter Reverendus Pater Dominus Simon Bituricensis Archiepiscopus, Aquitaniae Primas, primo anno Domini MCCLXXXIV. mense Septembri, dominica die post festum beati Matthaei Apostoli & Evangelistae, Burdegalensem provinciam jure primatiae suae causa visitationis intravit. In cujus societate erant religiosi viri, Iohannes Abbas monasterij sancti Sulpitij Bituricensis, frater Gilo ejus socius, fratres Simon dictus Patru, & I. de sancta Severa ordinis fratrum Minorum, magister Guillelmus de Medunta Officialis & Canonicus Bituricensis, Iohannes ejus Clericus, Dominus Guido de Noyalhes Capicerius Pictavensis, Dominus Helias Porta Abbas secularis Ecclesiae sancti Asterij Petragoricensis diocesis Conservator provisionis seu ordinationis à sede apostolica super jure primatiae praedictae. Helias ejus Clericus, Dominus Otho de salinis Canonicus Magdunensis, Dominus Cono Capellanus Virsionensis capituli, Domini I. Belechiere Notarius publicus, Guido de Rans Clericus Domini, Bertrandus Gosse serviens Domini Regis, & plures alij.

Et notandum quod cum dictus Dominus Bituricensis concepisset & proposuisset Burdegalensem provinciam causa visitationis intrare, considerans quod Ecclesia sua Bituricensis in justis suis possessionibus & ceteris juribus semper defensorem habeat & habuerit serenissimum Regem Francorum, eundem Regem rogavit ut unum de familiaribus suis committeret eidem iturum cum ipso in provinciam praedictam. Cujus precibus benigniter inclinatus dictus Rex virum providum, morigeratum, ordinatum, & facundum de familia sua concessit eidem cum suis literis continentibus haec verba.

PHILIPPVS *Dei gratia Francorum Rex Bertrando Cosse servienti suo salutem. Mandamus tibi quatenus non permittas quod in senescalliis seu baulus Petragoricensi, Pictavensi, Xanctonensi, Agenensi, Vasconiae, Arverniae indebita gravamina vel violentiae aut injuriae inferantur dilecto & fideli nostro Archiepiscopo Bituricensi Aquitaniae Primati, aut gentibus vel nuntiis suis in personis vel bonis eorum, cum pro juribus provinciae vel primatiae suae exercendis ad partes provinciae vel primatiae earundem ipsum vel eorum aliquem contigerit declinare, & ipsum Archiepiscopum & quemlibet praedictorum in suis justis saisinis ab omni injuria necnon gravaminibus & violentiis manifestis in locis ipsis defendas ex parte nostra, quotiens opus fuerit tibi & de hoc fueris requisitus. Nos enim tenore praesentium praecipimus Senescallis & Iustitiariis locorum praedictorum ut tibi ad executionem praemissorum, si eos inde requisieris, auxilium subministrent. Actum Parisius die Lunae post festum nativitatis beati Iohannis Baptistae anno Domini* MCCLXXXIV.

Dictus vero Dominus Bituricensis antequam dictam Burdegalensem provinciam, ut praemittitur, intraret, volens consultè & cum maturitate procedere, salvo tamen jure suae Bituricensis Ecclesiae & honestate sua, dictum Regis servientem, ut in tuto procederet, ita quod à magistris suis reprehendi non deberet, & quod de commissis sibi nihil omitteret super juribus poss. justis Ecclesiae suae Bituricensis & sui ipsius & praedecessorum suorum in primatia & provincia Burdegalensi, & de cognitionibus causarum Burdegal. tam sedibus vacantibus quàm non vacantibus, & de cohercionibus quas habet in Clericos, potissimè Burdegalenses & Burdegalensis provinciae, per litteras apostolicas, per acta judicialia, & per testes informavit, & super informatione praedicta & de modo informandi praecepit dictus Dominus Bituricensis fieri ex superabundanti cautela publicum instrumentum, unum in Gallico, quod haberet dictus Bertrandus suis ostensurum magistris, si esset necesse, & aliud in Latino penes Dominum remansurum, quorum tenor inferius annotatur.

Post haec dictus Dominus Bituricensis suas mandavit procurationes in hunc modum.

SIMON *Dei gratia Bituricensis Archiepiscopus, Aquitaniae Primas, dilectis in Christo filiis Abbati & conventui de Anglia Pictavensis diocesis salutem in Domino. Burdegalensem provinciam jure nostrae primatiae visitantes, hac instanti die dominica post festum beati Matthaei Apostoli & Evangelistae ad locum vestrum intendimus declinare. Unde vobis mandamus ut nobis & familiae nostrae dicta die necessaria praeparetis. Datum die Martis praecedenti anno Domini* MCCLXXXIV.

Die igitur dominica post festum beati Matthæi Apostoli & Evangelistae dictus Dominus Bituricensis Archiepiscopus veniens de abbatia Fontis Gombaudi parrochiae de Fongombaut Buturicensis diocesis, ubi sabbato praecedenti sacros, celebraverat ordines & praedicaverat, Burdegalensem intravit provinciam, Abbate Angliae se quinto in equitaturis veniente obviam Domino per leucam & amplius, & salutante Dominum cum hilaritate vultus. Et cum modicum cum Domino dictus Abbas equitasset, cum festinatione praecessit, ut se praepararet, & suos fratres & concanonicos ad recipiendum Dominum modo debito faceret praeparari. Veniente igitur Domino, dictus Abbas cum sociis suis processionaliter in capis sericis, campanis pulsatis, honorifice receperunt cantantes responsorium *Deum time*. Abbate praedicto in introitu Ecclesiae praesentante Domino aquam benedictam, & induto capam sericam, cambucam sive baculum pastoralem tenente; crucem, textum evangeliorum, & reliquias Ecclesiae ceteris tenentibus in processione, Dicto vero responsorio cantato & finito cum versu & Gloria, surrexit Dominus ab oratione sua, dicens alta voce: *Sit nomen Domini benedictum*, responso, *Ex hoc nunc & usque in saeculum. Adjutorium nostrum in nomine Domini*: responso, *Qui fecit cælum & terram. Benedicat vos omnipotens Deus pater & filius & spiritus sanctus.* Responso, *Amen*. His factis, reliquias sanctorum super altare positas deosculatus est, & postea suam cameram introivit, sua cruce semper & ubique deportata ante ipsum. Cum vero dictus Dominus Bituricensis suam cameram, ut dictum est, intravisset in abbatia praedicta de Anglia Pictavensis diocesis, venit quidam Archipresbyter venerabilis & discretus ex parte Domini Pictavensis cum litteris excusatoriis super eo quod Domino non venerat obviam, quarum tenor sequitur in haec verba.

Reverendo Patri in Christo ac Domino, Domino

Simoni Dei gratia Archiepiscopo Bituricensi, Aquitaniae Primati, frater Galterus permissione divina Pictavensis Episcopus salutem cum omni reverentia & honore se paratum ad ejus beneplacita & mandata. Litteras vestras recepimus in finibus dioecesis nostrae versus Andegaviam. Quibus receptis, mandavimus magistro Guillelmo Archipresbytero de Ambernaco ut vobis occurrat apud Fontem Gombaudi, pariturus vestris beneplacitis ac mandatis. Dictus enim Clericus, ex quo fuimus in isto officio, in visitando dioecesim Pictavensem nobiscum fuit, & prae aliis viam novit. Ceterum si vobis obviam non venimus ita citò ut vellemus, nos excusatos habeatis. Nam octo diebus antequam litteras vestras recepimus publicari feceramus quòd apud Mauritaniam ordines faceremus, quae villa est prope Andegaviam, distans ab illa parte dioecesis nostrae per quam intrabitis, ut dicitur, ad xxxv. leucas Pictavinas; quae quales sint experientia vos docebit. Veniemus etiam ad vos cum Dei auxilio quamcitius poterimus. Bono modo valeat & proficiat semper in Domino vestra paternitas reverenda. Datum die Lunae ante festum beati Matthaei.

Item cum literis credentiae, quarum tenor talis est.

Reverendo in Christo Patri ac Domino, Domino Simoni Dei gratia Bituric. Archiepiscopo, Aquitaniae Primati, frater Galterus eadem permissione Pictavensis Episcopus salutem cum omni reverentia & honore & paratam ad ejus beneplacita voluntatem. Rogamus vos ut magistro Guillelmo de Cypra Archipresb. de Ambernaco Clerico nostro latori praesentium velitis fidem adhibere. Valeat vestra reverenda paternitas in Domino Iesu Christo. Datum apud Tresdecim ventos juxta Andegaviam die Iovis in festo beati Matthaei Apostoli.

Quibus litteris lectis, & dicto Archipresbytero suum Dominum Pictavensem Episcopum curialiter & discretè excusante, & cum affectu Dominum Bituricensem rogante ex parte sui Domini Pictavensis Episcopi ut ad hospitia & maneria ipsius Domini Pictavensis fiducialiter declinaret & quiesceret in eisdem pro voluntate sua, Dominus Bituricensis, excusatione praedicta admissa, benigniter & curialiter super ipsa regratiatus est eidem, excusans se quod ad ejus hospitia declinare non poterat ista vice. Quibus, ut praemittitur, peractis, dictus Abbas & multi de fratribus suis cum Domino comederunt & in mane & in sero, Abbate praedicto Dominum & suos sequaces peroptimè & splendidè procurante in bono pane, bono vino, bonis cibariis & pluribus, & in aliis necessariis quibuscunque. In sero vero post coenam, praesente Archipresbytero praedicto praemisso ab Episcopo Pictavensi, & illo qui pro Abbate & nomine suo & abbatiae praedictae fecerat expensas, necessaria ministraverat, & praesentibus officialibus Domini Bituricensis, fuit de expensis diligenter computatum; & omnibus computatis, videlicet pane, vino, coquina grossa & parva, equis in freno, in avena, in lectisternio, ferratura, lumine pro equis, harnasio, cera, factura candelae, salario portantis procurationes, lignis, sale, salariis servitorum in coquina & extra, palea, foeno pro lectis, quia non sufficiebat palea, gagiis garcionum, & omnibus aliis habitis pro expensis tam solutis vel receptis per familiam Domini quàm per familiam Abbatis praedicti, summa fuit expensarum xii. libr. Turon. tribus solidis minus; excepto quod Abbas avenam quam manè & sero ministraverat noluit computari. Omnia computata dictus Archipresbyter, nec qui pro dicto Abbate praesentes erant, non impugnarunt, nec verbo, nec signo, nisi solum pro gagiis garcionum, & pro harnasio, & pro cera. Pro gagiis garcionum fuit computatum xi. solid. vel circiter, pro harnasio v. solid. pro cera xii. solid. pro factura iv. den. Tum curialiter fuit computatum quicquid familia Domini voluit computare, & qualitercunque voluit computare. Summam autem praedictarum expensarum arrestavit dictus Archipresbyter in sex ce. & minister posuit Domini in tabulis suis.

Die verò Lunae sequenti in mane Dominus audita Missa sua celebrata per suum Capellanum de defunctis, & cum nota, sermonem inceptum per quendam suum Poenitentiarium fratrem Hugonem nomine monachum sancti Sulpitii Bituricensis finivit, & in fine sermonis sui tetigit negotium Arragoniae: & hymno *Veni creator spiritus* incepto, dum cantaretur, plures à Domino signum crucis receperunt. Quo facto, auctoritate Domini Papae & Legati centum dies indulgentiae contulit, & auctoritate sua quadraginta. Postea Dominus intravit capitulum, Abbate & fratribus aliis praesentibus in eodem. Et visitationis fungens officio, primò de statu spiritualium & officio divino & observatione regulae loci ejusdem, & de temporalitate diligenter inquisivit. Cui respondit ut ceteri. Et per Dei gratiam omnia tam spiritualia quàm temporalia in statu debito & prospero satis erant. Super quibus Bituricensis Domino gratias referens, & se ipsorum orationibus recommendans, se & quicquid posset facere utilitatis & salutis Ecclesiae & personis tam ex debito quàm ex dilectione & affectione. Super quo regratiati sunt ipsi Dominus Abbas & conventus. Haec autem notanda sunt, quòd Dominus audita Missa sua ad majus altare in vestimentis & libris satis decentibus ipsius abbatiae fundatae in honore sanctae crucis finivit sermonem, ut dictum est, facto clero & populo plebe multa cum devotione astante, quamvis die profesto. Est autem abbatia Angliae bene sita, satis domificata ad recipiendum Praelatum & suos sequaces. Ibi Dominus Bituricensis nec confirmavit, nec tonsuravit, nec benedixit, quoniam ipsi non fuit oblatum aliquid confirmandum, tonsurandum, benedicendum.

Domino recedente ab Anglia praedicta distante ab abbatia de Fongombaut per duas leucas tantùm satis mediocres, dictus Abbas Angliae Dominum Bituricensem euntem apud abbatiam sancti Savini ordinis sancti Benedicti distantem ab abbatia Angliae per quatuor leucas satis mediocres conduxit per duas leucas & ampliùs vel circiter.

Nota distributionem seu divisionem procurationum Domini Bituric. in provincia Burdegalensi, quae sequitur in his verbis.

Frater Iacobus miseratione divina Praenestinensis Episcopus, apostolicae sedis Legatus, licet indignus, dilectis filiis Decano & Archipresbytero Turon. salutem in Domino. Cùm nos juxta mandatum apostolicum ad nos directum quinquaginta procurationes quas venerabilis Pater Bituricensis Archiepiscopus in provincia Burdeg. secundùm provisionem Domini Papae habere (dinoscitur) taliter duxerimus dividendas quòd Burdeg. dioecesi sex, Agennensi tres, Angolismensi tres, Petrogoricensi quatuor, Xanctonensi novem, Pictavensi viginti quinque decreverimus assignari, discretioni vestrae qua fungimur auctoritate praecipiendo mandamus quod divisionem à nobis factam vice nostra faciatis inviolabiliter observari, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo. Quod si non ambo his exequendis poteritis interesse alter vestrum ea nihilominus exequatur. Actum apud Rothomagum iv. Nonas Iunii anno Domini MCCXL.

Die Lunae sequenti jam dicto Domino veniente ad abbatiam sancti Savini ordinis sancti Benedicti distantem ab Anglia per quatuor leucas satis mediocres, Abbas sancti Savini venit obviam in equitatura se sexto per duas leucas vel magis. Et Domino salutato cum hilaritate, cùm aliquantulum Dominus & ipse pariter super multis communibus fuissent collocuti, recessit à Domino, & processit ut ad recipiendum Dominum se pararet, & alios commonachos faceret praeparari. Et cùm venit Dominus, Abbas praedictus & conventus Dominum honorificè receperunt modo quo suprà. Hoc responsorium cantatum, *Sint lumbi vestri praecincti*. Et Dominum & suos sequaces modo quo supra procurantes in necessariis quibuscunque. Et in sero post coenam de expensis

pensis computato modo quo suprà, summa fuit expensarum xii. libr. Turon. & xvi. solid.

Est autem notandum quòd sero quolibet in primatia computabantur sex librae cerae; scilicet quatuor pro hospitio, & duae pro camerariis sub nomine cereorum poncadorum cum lumine ante crucem. Computabantur etiam de harnasio quinque solidi. Etiam computabantur sex denarij pro salario portantis procurationes. Computabantur similiter pro quolibet garcione non habente lectum duo denarii. Etiam panes cum sale & panes ad candelas erant illius de familia Domini qui serviebat de pane.

Item notandum est quòd Eleemosynarius Domini ubique in primatia dabat eleemosynam. Et ubi frumentum non suppetebat, illi qui procurabant Dominum Eleemosynario panem ministrabant pauperibus erogandum. Et fuit in abbatia de Anglia computatum pro pane ministrato Eleemosynario & pauperibus erogato quinque solidi.

Die Martis sequenti in mane Dominus audita Missa sua ad majus altare in indumentis & libris ipsius abbatiae, intravit capitulum Abbate & conventu praesentibus, & praedicavit Latinè. Sermone finito, visitavit (modo) quo suprà. Interrogatus Dominus si complaceret aliquos tonsurare, respondit quòd donec Pictavis fuisset, nullos tonsuraret. Post haec, Domino redeunte, dictus Abbas ipsum per duas leucas vel circiter conduxit. Item notandum est quòd Dominus quosdam de Bituricensi dioecesi apud S. Savinum Pictavensis dioecesis vocari fecit in judicium coram ipso, videlicet Gaudinum Dominum de Comefort ipsi Domino super tangentibus executionem patris dicti Gaudini testamenti responsurum, & quosdam alios quamplures, quos in camera Abbatis praedicti ante prandium & post expedivit.

Eadem siquidem die Martis post festum beati Matthaei Apostoli & Evangelistae venit Dominus Bituricensis apud Mortuum mare, Gallicè *Mortemer*, distans ab abbatia sancti Savini praedicta per sex leucas medioceres, nullo sibi obviàm veniente. Receptus processionaliter, campanis pulsantibus, Priore caeterisque Canonicis loci ejusdem capas sericas indutis, crucem, reliquias Ecclesiae, thuribulum cum incenso, & benedictam aquam portantibus, & cantantibus hoc responsorium, *Deum time*. Ibidem sunt Canonici saeculares, & in procuratione mittenda ipsis scribitur, *Priori & capitulo*. Ibi siquidem est Ecclesia satis decens, hospitia minùs decentia. Et ibidem à Priore & capitulo fuit Dominus satis laudabiliter procuratus & ejus sequaces. Et computato de expensis modo quo suprà, summa fuit expensarum xiii. libræ & xii. denarii Turonenses.

Die Mercurii sequenti in mane Dominus audivit Missam suam ad majus altare ipsius Ecclesiae, in vestimentis & libris ejusdem Ecclesiae, praesentibus Priore & capitulo. Post Missam, requisitus Dominus si quos de choro tonsurare placeret, respondit quod antea responderat, addens quod Dominus Pictavensis Episcopus satis vicinus ipsis est, ad quem faciliter pro talibus poterant habere recursum. Post haec Dominus Bituricensis diligenter quaesivit ab ipsis si ipsi vel in personis aut in Ecclesia & ad spiritualia vel temporalia aliquo vel aliquibus indigerent quod posset facere vel deberet, offerens se personis & Ecclesiae in quantum ex officii debito & dilectione & affectione teneretur. Super quo dicti Prior & capitulum Domino regratiantes, ipsi Domino conquesti sunt de familia sua, eo quod expensas factas non ita rigidè computaverant ut debuisset, & prout ipsi computaverant secundum ipsorum assertionem, & ita gravabantur ut in grossis carnibus & pollarura & palea & in fœno: quibus, post multorum responsa, finaliter Dominus respondit quod si crederent minus fideliter computatum fuisse, venirent ipsi vel mitterent Pictavis dum ipse praesens esset, & ipse libentissimè faceret fideliter computari; praesertim cum sua familia, cujus intererat computare, jam praecessisset. Post haec, ipsis salutatis, recessit & ivit Pictavim. Et est sciendum quod in omnibus suprascriptis à principio quaterni praesens fuit Capicerius Pictavensis, & Canonicus Levomicensis, qui Domino Bituricensi venit obviam die Veneris praecedente apud Bruel dioecesis Bituricensis, cujus nomen est magister Guido de Noelles, & fuit præsens dictus magister Guillelmus de Chipra, Archipresbyter praedictus à praedicto Domino Pictavensi praemissus.

Eodem die Mercurii sequenti venit Dominus Pictavis distantem à Mortuo mari per quinque leucas satis medioceres, Decano, praeposito, Priore sanctae Radegundis, Abbate beatae Mariae Pictavis, Officiali, Succentore, & Cantore, in dignitatibus & personatibus constitutis in majori Ecclesia Pictavensi, necnon Abbate Aureae vallis, Abbate sancti Cypriani, & pluribus Canonicis ecclesiasticis ipsi Domino obviam venientibus per duas leucas & amplius. Et post modicum ipsis à Domino salutato recedentibus, & Capicerio Pictavensi recedente cum ipsis, ut ad Dominum honorificè recipiendum se pararent: qui Dominum venientem processionaliter in capis sericis, campanis pulsatis, crucem, thuribulum, aquam benedictam, textus evangeliorum, & multa alia pretiosa deportantes, receperunt cantando hoc responsorium, *Deum time*, Decano à sinistris & Cantore à dextris Dominum ab introitu Ecclesiae per portam majorem ducentibus usque ad altare majus, & ipsi Domino, ut dictum est, assistentibus, donec Ecclesiam exivit. Et licèt Dominum honorificè recepissent, dictus Decanus Domino supplicavit ut pro malo non haberet, sed pro excusatis, eo quod in processione praedicta non fuerant tot quot voluissent, cum absentes occupati essent tam in vindemiis quàm pluribus aliis. Post haec Domino volente intrare capitulum, ut suum expleret officium, inter ipsum & Canonicos extitit finaliter concordatum quod Dominus differret intrare capitulum usque mane crastinum. Quo facto, conduxerunt Dominum in domum suam, scilicet in domos Domini Episcopi Pictavensis; & ibidem splendidè cum opulentia Dominum procurarunt, & comederunt cum Domino praedicti Decanus, Cantor, Praepositus, & Abbas beatae Mariae, Prior sanctae Radegundis, Capicerius, Officialis, Succentor, & quamplures alii de Ecclesia tam Canonici quàm Capellani & Clerici, in expensis capituli & in mane & in sero; & Domino quamdiu fuit Pictavis praedicti superiores bonam & venerabilem societatem & solatium tenuerunt, & vina multa in comestionibus in potis & barillis, ut moris est, praesentarunt. Computato de expensis hujus diei modo quo supra, summa fuit expensarum xx. libr. & xii. den. Toron.

Die Iovis sequenti, scilicet ante festum beati Michaelis archangeli, comedit Dominus & socii ejus & plures de domicellis suis in domo Capicerii Pictavensis, invitatus & rogatus affectuosè ab ipso Capicerio, & die Veneris praecedenti apud Loruel, quando Domino primo venit obviam, licèt Dominus cum difficultate maxima concessisset. Ceteri de familia Domini, ut plures domicelli & garciones, comederunt in domo Domini in expensis Domini. In sero Dominus & sui sequentes in expensis Domini fuerunt.

Eodem die Iovis in mane Dominus intravit capitulum, & praedicavit ibi, Decano & Capitulo, ceterisque multis aliis praesentibus. Et post sermonem ostenso discretè & eleganter quanta sit utilitas Pictavensibus & Pictavensi dioecesi necnon, ipsis Canonicis Pictavensibus habere tam vicinum refugium ut Biturim, cum per Bituricensem curiam suam justitiam facilius & citius consequantur, ostenso etiam qualiter Decanus & capitulum Burdegalense minus sano ducti consilio malitiosè jurisdictionem Bituricensis, quam in provincia Burdegalensi Dominus jure primatiae dignoscitur habere & habuisse, impediunt & nituntur impedire, rogavit Dominus praesentes Canonicos ut si scirent in quascumque causas praefuisse quae per appellationem ad curiam Bituricensem

sem delatae fuerunt & ibidem terminatae, recitarent in publico, praesentibus astantibus, scilicet duobus, tabellionibus, dicto Bertrando famulo Regis, & pluribus aliis fide dignis, prout omnia in instrumento publico inferius annotato dilucidè continentur. Et haec omnia faciebat Dominus ad dictum Bertrandum informandum, ut de jure suo facilius doceret tempore opportuno. Ipso die Iovis recepit Dominus litteras à Senescallo Vasconiae continentes ista verba.

Iohannes de Greilly Miles illustris Regis Angliae Ducis Aquitaniae, Senescallus in ipso ducatu, dilectis suis Iohanni de sancto Ergondo Militi in Burdegalensi & Vasconiae curiis & Bertrando de Campania Militi in Xanctonensi locum suum tenentibus, & omnibus aliis Ballivis suis, salutem. Cùm Reverendus Pater in Christo Simon Dei gratia Bituricensis Archiepiscopus nobis exposuerit quod ad Burdegalensem provinciam intendit accedere, vobis mandamus quatinus cùm dicti Domini nostri terram intraverit, sibi vestrum pro eodem Domino nostro & nobis offerentes servitium, & exhibentes honorem, ipsum & suos in personis & rebus, quandiu erit in districtu Domini nostri, à violentiis & injuriis defendatis & si quid forefactum fuerit, illud faciatis celeriter emendari, cùm ab ipso vel mandato suo fueritis requisiti, taliter super his vos habentes quod de vobis se possit merito commendare ac de negligentia vestra nequeat habere materiam conquerendi. In vos etiam redundabit, si quid inventum fuerit vos contra ipsum vel suos egisse vel sustinuisse, de quo debeatis redargui vel puniri. Datum Parisius in crastino beati Matthaei Apostoli anno Domini MCCXXCIV. Item alias in hæc verba.

Reverendo in Christo Patri suoque carissimo Domino Simoni divina providentia Bituricensi Archiepiscopo Iohannes Greilly Miles paratam ad ejus beneplacita voluntatem. Licèt ad partes Vasconiæ dirigeremus libentius quam alibi gressus nostros, propter aliqua tamen tam domini nostri quam nostra negotia nos oportet ad præsens à recto regressus nostri tramite deviare, ita quod tam citò sicut sperabamus in illis partibus non poterimus inveniri. De quo propter adventum vestrum nobis noveritis displicere, cùm personam vestram vellemus sicut patris & domini honorare. Quamobrem locum nostrum tenentibus damus per nostras litteras in mandatis ut vos & vestros à violentiis & injuriis protegant & defendant, prout in litteris nostris apertis, quas vobis mittimus, videre poteritis contineri. Si quid autem vestrae sederit voluntati quod nobis mandare velitis, illud prout poterimus conabimur adimplere. Valeat paternitas vestra bene & diu. Datum Parisius in crastino beati Matthaei Apostoli.

Die Veneris sequenti praedicavit in Ecclesia majori Pictavensi & de cruce Arragoniae, & multos cruce signavit. Finito sermone visitavit abbatiam sancti Cypriani Pictavensis ordinis sancti Benedicti, receptus processionaliter ab Abbate & conventu in capis sericis, campanis pulsatis, cantando *Deum time*, & cum omni alia sollemnitate, & procuratus ab Abbate praedicto, & in domibus Pictavensis Episcopi, Priore sanctae Radegundis, Abbate sancti Cypriani, Cellerario, & multis aliis de monachis suis comedentibus cum Domino die illo. De expensis hujus diei fuit computatum modo quo suprà, & fuit summa expensarum XIX. libr. & X. solidi. Eodem die Veneris, scilicet festo beati Michaelis archangeli, post visitationem praedictam celebravit Dominus magnam Missam ad majus altare beatæ Mariæ in pontificalibus, utendo pallio & sandaliis, Capicerio Diacono & Abbate beatæ Mariæ Subdiacono existentibus in illa Missa. Scribitur autem procuratio in abbatia sancti Cypriani praedicta, *Abbati & conventui*.

Die sabbati sequenti post festum beati Michaëlis visitavit Dominus Ecclesiam beatae Radegundis, ubi sunt Canonici regulares, & visitavit Ecclesiam sanctae crucis, ubi sunt moniales ordinis sancti Benedicti, unam post aliam, receptus utrobique modo quo suprà. Et praedicavit in capitulo monialium, ipsis monialibus astantibus, in Gallico, Abbatissa absente. Finito sermone, Dominus ad majus altare sanctae crucis in pontificalibus celebravit cum sandaliis & sine pallio, & dedit indulgentiam & absolutionem post sermonem, procuratus à capitulo sanctae Radegundis, & conventu sanctae crucis Ecclesiarum praedictarum in domibus Domini Pictavensis Episcopi. Computato de expensis totius diei modo quo suprà, summa fuit XV. libræ. Modus scribendi pro procuratione habenda in locis praedictis est iste, *Priori & capitulo sanctæ Radegundis*, & *Abbatissæ & conventui sanctæ crucis Pictavensis*. Cum Domino comederunt Prior sanctae Radegundis & Capicerius praedicti.

Die dominica sequenti post festum beati Michaelis, & in festo beati Remigii, primo die mensis Octobris, fecit Dominus praedicari per fratrem Simonem de ordine Minorum socium familiarem suum in Ecclesia majori Pictavis de cruce Arragoniae, & multos cruce signavit, & indulgentiam dedit auctoritate sibi commissa per Dominum, Domino in sua camera remanente. Facto sermone & post Missam Domini, quam audivit Dominus in capella domorum Domini Episcopi Pictavensis, accessit Dominus ad abbatiam monasterii novi in suburbio Pictavensi ordinis Cluniacensis, Abbate loci ejusdem tunc absente, receptus ibidem à Priore & conventu valde sollemniter modo quo suprà, ipsis cantantibus *Deum time*. Dominus ibi non visitavit, quia locus & personae sunt exemptae, dum obtulit se Dominus quicquid posset Ecclesiae & personis, procuratus ab ipsis Abbate & conventu praedictis in dictis domibus Domini Pictavensis. Cum Domino comederunt Decanus, Praepositus, Cantor, Capicerius, Officialis, Succentor, Prior sanctae Radegundis, Abbas beatae Mariae, & plures alii tam Capellani quàm Clerici de Pictavensi Ecclesia & aliunde. Computato de expensis totius diei modo quo suprà, summa fuit XIV. libr. XVIII. solid. duobus denariis minùs.

Die Lunae sequenti, secunda die mensis Octobris, Dominus exivit civitatem Pictavensem post Missam suam. Ipsum conduxerunt dicti Cantor, Officialis, Prior sanctae Radegundis, Abbas beatae Mariae, & plures alii. Domino veniente ad prioratum de Lezigniaco distantem à Pictavis per quinque leucas satis mediocres, sibi venit obviàm Prior dicti loci in equitaturis se quinto, quoniam Abbas praesens non erat; & receperunt Dominum Prior & sui socii valde sollenniter modo quo suprà cantantes *Deum time*, & post, *Alma redemptoris mater*, & procuraverunt Dominum & suos sequentes. Eleemosynarius Domini semper & ubique eleemosynam pauperibus erogavit. Cum Domino venit Capicerius Pictavensis. De expensis computato modo quo suprà, summa fuit XIV. librae, XII. solidi. Illo eodem die Lunae, dum Dominus esset Pictavis, venerunt quidam pro Abbate sancti . . . .

Die Martis sequenti venit Dominus apud prioratum sancti Hilarii de Metullo distantem à prioratu de Lezeigniaco per VII. leucas Pictavinas. Prioratus est S. Iohannis Angeliacensis Xantonensis dioecesis, Gallicè *Anjelle*, Priore tunc absente. Ibi Dominus receptus fuit processionaliter cum omni sollennitate modo quo suprà, & procuratus ibidem satis laudabiliter & sui. Computato de expensis modo quo suprà, summa fuit XII. libr. & X. solidi. Illo die Martis Dominus audivit Missam suam in prioratu praedicto de Lezeigniaco, *de Lezeignant* Gallicè, Latinè de Lezeigniaco. Audita Missa sua, venit quaedam monialis ordinis Fontis Aurardi ad Dominum, quae à tribus annis in antea incepit jejunare, ut dicebatur, ter in sabbato, scilicet die Lunae, die Mercurii, & die Veneris, absque aliqua comestione & sine potu, aliis diebus non multum comedebat, & sine vino & absque carnibus, & fuit secreto locuta Domino ac si confiteretur, omnibus videntibus,

bus. Illa monialis habebat matrem suam secum. Filia militis erat satis divitis commorantis in quodam manerio prope Lezeigniacum, & erat ipsa monialis de prioratu Borneul.

Die Mercurii sequenti post festum beati Remigii hyemalis, in festo beati Francisci, Domino veniente ad abbatiam beatae Mariae de Cella ordinis sancti Augustini, distantem à prioratu sancti Hilarii de Metulo per duas leucas parvas, Abbas beatae Mariae sibi venit obviam cum unico socio, & salutato Domino praecessit; & Dominum receperunt Abbas & conventus processionaliter in capis sericis, campanis pulsatis, & cum omni alia solemnitate modo quo suprà, *Sint lumbi* cantantes, & prosam unam, à Domino finiente orationem suam ante majus altare, conduxerunt Dominum ad capellam beatae Mariae inferiorem cantando, *Alma redemptoris mater*. Et celebravit in ipsa Ecclesia seu capella beatae Mariae Dominus Missam de beata Maria sine nota & voce submissa in simplicibus indumentis utendo cum dalmatica. Finita Missa, frater Simon Minor praedictus ad majus altare Missam celebravit de beato Francisco; & post Missam praedicavit in capitulo, Domino praesente, Abbate, conventu, & aliis, clero populo adstantibus, & dedit indulgentiam. Abbas & quidam concanonici sui cum Domino comederunt. Dominus & sui fuerunt ibi procurati. Ibi est locus pulcherrimus. Pro procuratione scribitur, *Abbati & conventui*. Computatis expensis totius diei modo quo suprà, summa fuit . . . .

Die Iovis sequenti, Domino veniente post Missam suam apud abbatiam sancti Severini ordinis sancti Augustini distantem ab abbatia sanctae Mariae de Cella per quinque leucas Pictavinas, Abbas sancti Severini sibi venit obviàm, & salutato Domino, recessit se paraturus ad Dominum recipiendum, quem, cum veniret, Abbas indutus capa serica & tenens cambucam, & conventus processionaliter receperunt, campanis pulsatis, cantantes *Sint lumbi*, & cum omni alia solemnitate. Quo facto, Dominus introivit Capitulum, & fecit ibi sermonem, clero & populo, Abbate & conventu praesentibus, per fratrem Iohannem socium fratris Simonis praedicti. Dominus comedit in refectorio, Abbate & quibusdam suis sociis comedentibus cum eo, & procuratus ab ipso satis laudabiliter. Computato de expensis totius diei modo quo suprà summa fuit . . . .

DIOCESIS PICTAVENSIS.

Die Veneris sequenti post festum beati Remigij hyemalis exivit Dominus Bituricensis diocesim Pictavensem, & intravit diocesim Xantonensem, literis ad Dominum Episcopum Xantonensem praemissis, quarum tenor talis est.

Simon Dei gratia Bituricensis Archiepiscopus, Aquitaniae Primas, venerabili viro Gaufrido ejusdem gratia Xantonensi Episcopo, salutem, & cum sincera in Domino caritate paratam ad ejus beneplacita voluntatem. Significamus vobis quod die tali post festum tale jure primatiae Burdegalensem provinciam visitantes, vestram diocesim Xantonensem intrare proponimus, Domino concedente. Unde vestrae fraternitati rogando mandamus quatenus nobis mittatis unum de Clericis & familiaribus vestris qui nobis die tali vel citius apud talem locum occurrat, & qui patriam sciat, nosque conducat, & faciat cetera consueta. Dolemus enim quamplurimum quia vobiscum loqui non potuimus Parisius pro nostrae debito voluntatis in convocatione Praelatorum, quia vos & nos, prout scitis, seu negotijs eramus occupati & compressi quod alter alteri ad votum loqui non potuit illa vice, sed (Deo) dante, cum vos videbimus, bene recuperabimus, & quae vobis credemus placitura libentissimè faciemus. Valeat vestra fraternitas per tempora longiora. Datum Pictavis in festo beati Michaelis archangeli anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo quarto.

Rescriptio D. Episcopi Xantonensis ad Dominum Bituricensem est ista.

Reverendo in Christo Patri ac Domino Domino Simoni divina providentia Archiepiscopo Bituricensi, Aquitaniaeque Primati, Gaufridus eadem permissione Xantonensis Episcopus, salutem & debitam reverentiam cum honore. Paternitatis vestrae litteras continentes quod procurationem vestram, quam ad locum nostrum mandaveratis hac instanti die Veneris post festum beati Remigii ad diem sabbati proximo subsequentem ex causa necessaria commutatis, benignè recepimus, & gratanter commutationem illam ratam habentes pariter & acceptam, eidem paternitati vestrae tenore praesentium intimamus quod dicta die vos quantum poterimus honorare proponimus, prout decet, ac de jocundo adventu vestro plurimum congaudentes, ad vos mittemus aliquem de nostris ad abbatiam sancti Severini proxima die Iovis; & die Veneris sequenti vos videbimus, Domino concedente. Bene & diu valeat in Domino vestra paternitas reverenda. Datum die Martis post dictum festum.

DIOCESIS XANTONENSIS.

Die Veneris sequenti post festum beati Remigii hyemalis Dominus Bituricensis Archiepiscopus, audita Missa sua apud sanctum Severinum in vestimentis & libris abbatiae, de Pictavensi dioecesi Xantonensem diocesim intravit, veniendo ad abbatiam sancti Iohannis Angeliacensis distantem à sancto Severino per quinque leucas, Cambrelinco & quibusdam aliis monachis sancti Iohannis obviam Domino venientibus per duas leucas & plus, cum Abbas dicti loci adeo prae senectute sit debilitatus quod equitare non potest. Eodem die Veneris Dominus Xantonensis Episcopus Domino Bituricensi venit obviam cum venerabili comitiva ferè per duas leucas, & Dominum Bituricensem & suos sequaces reverenter salutavit & laetanter, & ipsum usque ad abbatiam sancti Iohannis associavit. Burgenses etiam sancti Iohannis venerunt obviam Domino Bituricensi in multitudine magna plusquam per leucam; & salutato Domino cum reverentia & honore, Dominum devotissimè rogaverunt cum effectu ut cum ipsis & in expensis ipsorum per diem unum morari placeret, & ad hoc omnes burgenses praedicti una voce clamosà non cessabant instare, & Dominum Xantonensem Episcopum cum instantia rogaverunt ut Dominum Bituricensem ad hoc inducere laboraret, ut cum ipsis, ut praedictum est, moraretur. Super quibus Domino excusante ipsorum precibus non posse condescendere illa vice, dum dietas & viam suam jam praeordinasset, & ipsis multiplicatas grates referente de curialitatibus ipsorum sibi exhibitis & oblatis, venit ad abbatiam praedictam sancti Iohannis, ubi receptus fuit processionaliter campanis pulsatis, ab Priore & conventu dicti loci in capis sericis & cum omni alia reverentia & sollemnitate modo quo supra, Domino Episcopo Xantonensi à dextris & Cambrelino praedicto à sinistris Dominum ab introitu monasterii conducentibus usque ad majus altare. Dominus tamen Xantonensis Episcopus non mutavit capam quam habuerat equitando. His rite peractis, Dominus intravit capitulum, & ibi praedicavit clero & populo Gallicè & Latinè, Domino Xantonensi & multitudine alia clericorum & laicorum praesentibus & astantibus ibidem. Et post sermonem dedit indulgentiam. Qua data, & remotis qui non erant de capitulo, praeter familias Dominorum Bituricensis & Xantonensis, Dominus obtulit se & quicquid posset ex officio & ultra officium quicquid posset ex dilectione & devotione monasterio & personis. Post haec Dominus Xantonensis Dominum Bituricensem in cameram suam conduxit. Quo conducto, recessit à villa, nec cum Domino comedit illa vice. Dominus procuratus fuit ab Abbate & conventu, & comedit Abbas cum Domino. Eleemosynarius

narius Domini dedit eleemosynam pauperibus. Frumento non sufficiente, sibi fuit panis ministratus. Computatis expensis totius diei modo quo suprà, summa fuit . . . . . .

Sabbato sequenti Dominus Missam beatae Mariae ad majus altare sollemniter alta voce & in pontificalibus celebravit, nec fuit usus pallio. Frater Simon praedicavit, & multos cruce signavit, & dedit indulgentiam. Nota quod quando Dominus receptus fuit, cum surrexisset ab oratione sua, fuit Domino oblatus liber, & dixit versiculum, *Fuit homo missus à Deo*, responso, *cui nomen erat Iohannes*, dixit collectam de beato Iohanne. Postea fuit in capitulo, ut dictum est. Finita Missa & sermone, ivit Dominus apud Xantonicas.

Eodem die sabbati ante festum beati Dionysii, Domino Bituricensi eunte apud Xantonas, Decanus & Cantor & Canonici Xantonenses, Prior sancti Eutropii Xantonensis, & Prior de sancta Gemma Domino venerunt obviam per duas leucas, & salutato Domino, recesserunt. Dominus intravit civitatem Xantonensem. Episcopus Xantonensis indutus capa serica pretiosa, mitram habens in capite, cambucam in manu & annulum, & capitulum & ceteri clerici capis sericis induti, cantando *Sint lumbi*, processionaliter cum cruce, reliquiis, textu evangeliorum, thuribulis, ceroferariis cum cereis ardentibus, dicto Domino Xantonensi aquam benedictam ipsi Domino Bituricensi offerente, in introitu majoris Ecclesiae receperunt, campanis pulsatis & cum omni alia sollemnitate, ut est moris. Finito responso, surgente Domino ab oratione sua, dixit versiculum *Annuntiaverunt* & collectam de Apostolis, Domino Xantonensi sibi librum portante & tenente ex una parte, scilicet à dextris, & Decano à sinistris. Hoc facto, duxit Dominus Xantonensis Dominum Bituricensem in domibus suis; & comederunt dicti Bituricensis & Xantonensis Domini insimul in eadem mensa in domibus Episcopi, Cantore solum de Canonicis Xantonensibus comedente cum ipsis. Eleemosynarius Domini Bituricensis collegit eleemosynam & dispersit pauperibus, familia Domini Xantonensis sibi adjuvante; & habuerunt omnes pauperes eleemosynam quot quot fuerunt, Eleemosynario Domini Xantonensis panem ministrante ubi defuit frumentum. De expensis totius diei more solito ut suprà fuit computatum, & fuit summa expensarum .....

Dominica sequenti in mane, die festo beati Dionysii, Dominus Bituricensis in Ecclesiam majore clero & populo praedicavit, Xantonensi Episcopo & Canonicis praesentibus, & propter hoc astantibus ibidem. Et facto sermone, multos cruce signavit crucis Arragoniae, *Veni creator spiritus*, & dedit indulgentiam centum dierum auctoritate Domini Papae, XL. de auctoritate sua, & Dominus Xantonensis XL. dierum. His factis, intravit capitulum, & ibi visitavit, Domino Xantonensi & capitulo praesentibus ibidem. Post haec celebravit Missam ad majus altare sollemniter in pontificalibus, utendo pallio, licèt esset simplex dominica. Sed quia in instrumento publico fuit inventum Dominum Iohannem quondam Bituricensem Archiepiscopum praedecessorem Domini in dominica simplici, scilicet in quindenis paschae, eodem modo celebrasse cum pallio, propter hoc Dominus usus est pallio illa vice. Post Missam Dominus Bituricensis in praesentia Domini Xantonensis multa sacerdotalia corporalia & calicem unum benedixit & consecravit. His factis, ivit Dominus apud sanctum Eutropium prioratum Cluniacensem Xantonis, Domino Xantonensi comitivam faciente. De dictis crucesignatis multi petierunt litteras, quibus concessae sunt in haec verba.

Nos Simon Dei gratia Bituricensis Archiepiscopus, Aquitaniae Primas, notum esse volumus universis quod anno Domini M. ducentesimo octogesimo quarto, dominica die ante festum beati Dionysii, apud Xantonas mandatum apostolicum nobis injunctum exequentes, verbum Dei & de sancta cruce pro negotio Arragoniae sollicitudine diligenti praedicando, cleri & populi multitudine assistente, talis à nobis signum dictae crucis cum humili devotione recepit. In cujus rei testimonium sigillum nostrum praesentibus est appensum. Datum die, loco, & anno praedictis.

Item nota quod procuratio Domino Xantonensi, Decano & capit. loci mandata fuit in hunc modum.

Simon &c. venerabili fratri in Christo G. eadem gratia Dei Episcopo Xantonensi, ac dilectis in Christo filiis Decano & capitulo loci ejusdem, salutem & sinceram in Domino caritatem. Burdegalensem provinciam jure primatiae nostrae visitaturi ac instanti tali die post tale festum ad locum vestrum intendimus declinare. Unde vobis mandamus quatinus dicta die nobis & familiae nostrae procurationem nostram praeparetis. Datum &c.

Eadem die dominica ante festum beati Dionysii fuit Dominus Bituricensis receptus processionaliter modo quo suprà in dicto prioratu sancti Eutropii, & procuratus est. Et fuit computatum de expensis, modo quo suprà. Summa expensarum fuit. . . . .

Die Lunae sequenti in festo beati Dionysii venit Dominus ad prioratum sancti Martini de Ponte Xantonensi, receptus & procuratus sollemniter modo quo suprà. Computato de expensis ut suprà, summa fuit expensarum . . . . Et distat dictus locus, videlicet prioratus de Ponte praedictus, à Xantonis per quatuor leucas. Illa die Dominus audivit Missam suam in dicto prioratu sancti Eutropii in vestimentis & libris ipsius prioratus.

Die Martis sequenti Domino Bituricensi post Missam suam auditam in dicto prioratu de Ponte veniente apud prioratum de Niorto prope Mirabellum distantem à Ponte per quinque leucas, antequam ibi veniret, declinavit ad abbatiam albam de Tenalla, Gallicè *de la Tenalle*, distantem à Ponte per quatuor leucas; ubi fuit receptus processionaliter modo quo suprà, Abbate dicti loci obviam Domino veniente per quatuor leucas. Ab illa abbatia venit Dominus ad dictum prioratum de Niorto, ubi receptus fuit procuratus sollemniter modo quo suprà. Et venit cum Domino & comedit dictus Abbas & dedit Dominus Abbati praedicto & suis licentiam & praeceptum carnes comedendi, praesertim cum pisces in sufficientia non possent haberi. Expensas factas totius diei solverunt dicti Abbas de Tenalla & Prior de Niorto, quilibet pro medietate, ne alter ipsorum solus in solutione nimis gravaretur. Nota quòd fuit procuratio scripta dictis Abbati & conventui & Priori ab ipsis insimul apud dictum prioratum de Niorto Domino praeparanda. Summa fuit expensarum. . . .

DIOCESIS BURDEGALENSIS.

Die Mercurii sequenti post festum beati Dionysii exivit Dominus Bituricensis diocesim Xantonensem, & intravit diocesim Burdegalensem. Venienti de Niorto ad abbatiam sancti Romani de Blavia Burdegalensis diocesis, ubi est distantia scilicet inter Niortum & Blaviam septem leucarum, Domino Bituricensi veniente usque ad introitum Blaviae, Abbas sancti Romani de Blavia obviam venit Domino, uno tabellione & quibusdam aliis secum. Domino salutato ab eis, dixit Abbas Domino: Domine, scitote quod libenter & libentissimè vos reciperem quantum est de me, & doleo vehementer quod secundum meum desiderium explere non possum, sed à Dominis nostris Decano & capitulo Burdegalensi io mandatis recepi ne vos admittam ad visitationem nec ad procurationem ratione primatiae; sed si ratione provisionis seu ordinationis factae per Dominum Gregorium Papam IX. inter Bituricensem & Burdegalensem Archiepiscopos petitis admitti ad praemissa, parati sumus vos recipere honorificè & eo modo quo debemus; sed jure primatiae nullo modo vos reciperemus, cum nobis sit inhibitum à praedictis, de quorum inhibitione & mandato offerimus vobis facere fi-

re fi-

re fidem; & si aliàs quàm ut praemissum est petitis admitti, scitote nos in monasterio nostro ad sedem apostolicam appellasse cum vestros nuntios & familiam vestram vidimus praevenire; cui appellationi adhaeremus, & supponimus nos protectioni ejusdem. Ad hoc Dominus Bituricensis respondit quod jure suae Bituricensis Ecclesiae & suo & omni jure sibi competente Burdegalensem provinciam visitabat, & eo jure petebat admitti eo modo quo sui praedecessores admissi fuerant, nec intendebat à provisione praedicta recedere nec eam infringere, sed in omnibus & per omnia desiderabat servare & servari facere. Hanc autem responsionem Dominus pluries repetiit, nec in sua responsione variavit. Tandem verbis partis utriusque residentibus in finibus istis, Abbas festinanter praecessit processionem paraturus, & Dominum unà cum suo conventu processionaliter receperunt, cum omni alia sollemnitate & reverentia qua suprà. Domino recepto sicut praemittitur, intravit capitulum, & ibi fecit fratrem Simonem praedicare clero & populo ibidem assistenti in multitudine copiosa. Dum praedicaretur & jam in praedicatione processum fuisset, Major ecce & majores communiae Burdegalensia intrant capitulum, Dominum cum reverentia & honore & laetitia salutarunt. Quibus Dominus assurgens cum maturitate qua decuit, & ad relativam salutationem recipiens citius pro quibusdam expediendis praedicator sermonem finivit. Quo finito, Domino de capitulo recedente, accessit quidam dicens se velle appellare ex parte dictorum Decani & capituli Burdegalensis, quaedam incepit legere, sed Dominus non arrestavit, sed suam cameram intravit cum multitudine supervenientium numerosa. Dictus legens videns se non abscultari, cessavit legere, & recessit. Postmodum venerunt dicti Decanus & capitulum, seu multi ac quidam de capitulo Burdegalensi: qui cameram Domini intrantes, & Gardianus fratrum Minorum cum tribus suis sociis, & duo Praedicatores, & plures alii Dominum stantem invenerunt, & Dominum cum reverentia salutarunt, & Dominus ipsos. Postea sedentibus omnibus, proposuit scilicet quidem Decanus sancti Severini Burdegalensis magister in Decretis, ut dicebatur, nomine Decani sociorumque ejus & capituli & omnium aliarum Ecclesiarum civitatis & dioecesis & totius provinciae Burdegalensis ac suffraganeorum ejusdem quòd si placeret Domino quod ratione provisionis praedictae tantum & non jure primatiae, cum non esset Primas, nedum ipsorum, ut dicebant, libenter reciperent cum reverentia & honore, sed si jure primatiae peteret admitti, aut ut Primas, ipsum nullatenus admitterent, quia nunquam Bituricenses Archiepiscopos receperunt nec intendunt recipere aut tenere pro Primate in futurum, ut dicebant, licèt super jure primatiae aliquando inter Bituricensem & Burdegalensem Archiepiscopos fuerit litigatum; & dicebat se nomine quo suprà gravari in hoc quod Dominus dicebat se Primatem, cum non esset, & quod dicebat se jure suae primatiae Burdegalensem provinciam visitare, cùm in provisione praedicta non diffiniatur quod sit Primas, & cum ratione primatiae seu jure dictam provinciam visitare non habeat, sed ratione solùm provisionis praedictae, virtute cujus provisionis Domino Bituricensi debentur quinquaginta procurationes in provincia Burdegalensi. Nec faciebat pro Domino Bituricensi, ut dicebat dictus Decanus, quod in provisione ipsa dicitur quod sicut aliàs ipsi scriptum est Primati, ita de cetero scribatur; quia per hoc non dicebatur ipsum esse Primatem, cùm non diffiniendo nec eum decreto praemissa scribantur ibidem. Dicebat etiam quod sicut ex praedicta provisione Burdegalensis Ecclesia & Burdegalensis Archiepiscopus & provincia Burdegalensis obnoxii sunt Bituricensi Archiepiscopo & Ecclesiae ejus, ita vice versa, sicut liquet ex provisione praedicta, unde si jure primatiae praemissa petat, nullo modo permitterent, licèt aliàs personam ipsius multum vellent honorare, sed ratione praedictae provisionis offerebant ei & in praesentia tabellionis facere ea ad quae tenentur secundum tenorem provisionis, dum tamen jure primatiae non peteret illa. His peroratis, Dominus regratiatus est Decano Burdegalensi & suis super curialitate oblata de ipsum velle honorare, secundò quòd videbantur sibi viri discreti & maturi & bonae voluntatis, ut credebat, sibi fuisse praemissi, dum tamen ipsi complerent quod dicebant. Ad cetera omnia praemisso quod de provisione seu super ipsa disputare nolebat ad praesens, eandem responsionem fecit quam primò, adiciens quod volebat & multum desiderabat quod si in aliquo oberraret vel jam erraverat, viderent homines sapientes & probi, & ostenderent in quo, ab errore libentissimè supersederet, & errata jam si errasset revocaret, quod tamen non credebat, nec vellet, nec erat intentionis suae nec unquam fuerat contra provisionem praedictam venire nec eam infringere in aliquo, sed eandem acceptabat & libenter servare volebat, nec per modum quo scriptum fuerat in provisione mandata, ipsi provisioni intendebat derogare, seu in aliquo praejudicium generare; & ex abundanti & pro bono pacis, concordiae, & caritatis eis obtulit se sibi daturum litteras quod à provisione dicta recedere non intendebat, sed in omnibus & per omnia in ipsa contenta servare volebat & desiderabat sibi similiter integrè servari nec in aliquo contraire, & quod procurationem, visitationem, & alia jure suae Bituricensis Ecclesiae & suo & omni jure sibi competentem quo poterat & debebat, secundum ordinationem seu provisionem praedictam petebat, & eo modo quo praedecessores sui & eo jure admissi fuerant ad praemissa, eisdem & non aliis petebat admitti. Et haec oblata ab ipso & modo offerendi in omnium assistentium memoriam rogavit inseparabiliter affigi, & super his per praesentes Notarios sic fieri publicum instrumentum. Tunc dixit quidam à latere quod omnia reducerentur ad effectum. Dominus dixit quod paratus erat quantum erat in eo, & vellet centum marchas dedisse quod Burdegalenses Domini ita tenderent ad pacem & concordiam & juris cujuslibet conservationem & ad aequitatem quantum ipse anhelabat. Et tunc Decanus & sui se traxerunt ad partem, & Dominus ivit ad Ecclesiam, & audivit Missam suam ad majus altare. Interim fabricata fuit quaedam littera & concordata cum maxima difficultate partium, quae sequitur in haec verba.

Simon Dei gratia Bituricensis Archiepiscopus Aquitaniae Primas universis praesentes literas inspecturis salutem in Domino. Noveritis quòd intentionis nostrae non fuit nec est contra provisionem seu ordinationem dudum factam inter Bituricensem & Burdegalensem Archiepiscopos per piae memoriae Dominum Gregorium Papam IX. volentem praedictis Archiepiscopis & eorum Ecclesiis providere super jure primatiae Burdegalensis provinciae aliquid indebitè usurpare, quin potius praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, provisionem seu ordinationem eandem tam in visitationibus quàm procurationibus & aliis hujusmodi quantum secundum Deum & justitiam & jus Bituricensis Ecclesiae possumus bona fide intendimus observare. In cujus rei testimonium sigillum nostrum praesentibus duximus apponendum. Datum apud Blaviam Burdegalensis dioecesis anno Domini MCC. octogesimo quarto, die Mercurii post festum beati Dionysii.

Qua sigillata & à Decano & suis de scrupulo ad scrupulum ruminata corrosa, tandem visi sunt acceptare, dicentes tamen quod ad plenum eam non poterant acceptare, nisi priùs ostensa in capitulo eorundem, cum de dicto capitulo plures essent aliis sapientes & probi & potentes sine quibus nihil poterant expedire, sed eam libenter suis sociis ostenderent & audirent quid placeret eis. Post hoc Dominus eos rogavit ut cum ipso comederent; qui noluerunt, dicentes jam comedisse. Post haec Decanus Dominum cum effectu & instantissimè rogavit ut cum ipso saltem una die moraretur. quod facere Dominus recusa-

cusavit, secularis & amicabiliter excusando. Tunc recesserunt Decanus & sui, Domino cum reverentia salutato; & Dominus comedit, & Abbas cum eo & multi alii in domibus abbatiae, & procuratus modo quo suprà. Computato modo quo suprà de expensis dictae diei solutis per Abbatem summa fuit....

Eodem die venit, Domino sedente in mensa, D. Helias Abbas sancti Asterii secularis Ecclesiae Petragoricensis dioecesis conservator Domini Bituricensis super provisione praedicta. Post comestionem Major & burgenses Burdegalenses venerunt visum Dominum in camera sua cum buccinis & in magna sollemnitate & veneratione, & biberunt cum Domino, & de dragea comederunt. Eodem die in vesperis & in claustro dictae abbatiae denuntiavit Officialis Domini, multitudine hominum ibi stante & sedente in figura judicii, quasdam appellationes à quibusdam burgensibus Burdegalensibus ab audientia Officialis Burdegalensis ad Bituricensem Archiepiscopum vel ejus Officialem interjectas legitimas, & canonicè fuisse appellatum & appellationes tenere, revocando in irritum quicquid post appellationes &c.

Die Jovis sequenti ante diem Domino & suis surgentibus & venientibus supra portum de la Gironde, & suas matutinas dicentibus ibidem, dum pararetur navigium, paratis omnibus suam navem intravit, & alii naves alias prout potuerunt. Et dum equi ponerentur in navibus, palefredus Capicerii Pictavensis socii Domini cecidit in aquam in valore LX. librarum Turonensium, vel majori, & ibi in brevi hora fuit submersus. Dominus descendit ad portum de Mauca distantem à Blavia per tres leucas, & apud Maucam suam Missam audivit in vestimentis & libris ipsius Ecclesiae. Dicti Major & burgenses dictam aquam cum Domino in diversis navibus transierunt & Dominum associarunt usque Burdegalensem civitatem distantem à dicta villa de Mauca per quatuor leucas longas. Multi burgenses Burdegalenses cum praedictis Domino venerunt obviam bene in quingentis equis & plus, plusquam per leucam, & Dominum ut Primatem suum reverentissimè cum salutatione devota receperunt. Domino transitum per civitatem faciente, & à dextris & sinistris suam benedictionem humiliter expectantibus & inclinatis ad eandem suscipiendam distribuente & largiente, ad abbatiam sanctae crucis Burdegalensis declinavit; & cum eandem pacificè & absque contradictione aliqua crederet intrare, praesertim cum praecursores Domini, & cocus clericus coquinae, ostiarius Domini, marescallus, pincerna, ceterique officiales Domini cum saumariis ad argentum & vexelamentum argenteum benigniter cum hilaritate vultus ibi fuissent recepti, & intus sua cibaria praeparata & necessaria quaesita, tamen undique valvas Ecclesiae clausas invenit, nec sibi patuit aditus, nec sibi voluerunt aperire qui clausas tenebant, licèt cum instantia plures ut aperirent requisiti. Tandem venerunt Decanus Burdegalensis & Decanus sancti Severini & alii plures cum eis ad Dominum stantem ante valvas, & ei dixerunt: *Domine carissime, litteram quam heri dedistis apud Blaviam in capitulo legimus & ostendimus coacanonicis nostris; qua lecta & audita, non placuit eis, nec fuerunt ea contenti, ac tamen, si ratione compositionis seu provisionis aut ordinationis praedictae petitis admitti ad visitationem & procurationem, parati sumus & vobis offerimus facere quod debemus secundùm tenorem provisionis praedictae; & hoc offerimus in praesentia tabellionum hic assistentium, & petimus super his fieri nobis publicum instrumentum; & si aliàs contra nos procedere intenditis aut petere, & ut procedatur, ad sedem apostolicam appellamus, & ejus nos supponimus protectioni.* Tunc Dominus, tabellionibus publicis vocatis, & Praedicatoribus, Minoribus, & aliis adstantibus, dixit voce viva: *Domini hic adstantes, precor vos attendite & videte & memoriae commendate quod nos jure nostrae Bituricensis Ecclesiae & nostro & omni jure nobis competenti juxta tenorem provisionis praedictae ad visitationem & procurationem petimus admitti, secundum quod praedecessores nostri Burdegalensem provinciam visitantes fuerunt admissi ad praemissa, scientes quod non est intentionis nostrae nec unquam fuit a provisione praedicta recedere nec intendimus, sed observare petimus diligenter, nec in aliquo aut aliquibus contraire in ipsa contraire, & cum instantia petimus nobis reservari, & hoc petimus in publicam formam redigi & astantes inscribi.* Et dixit subsequenter: *Monemus vos primo, secundo, & tertio Decanum Burdegalensem & Decanum sancti Severini & vos omnes alios ipsis assistentes ne nos ex officii nostri debito visitare volentes nostram visitationem aliquatenus impediatis. Et quia manifestè patet quod contra Deum & justitiam nostram non cessatis impedire visitationem, immo plus & plus impeditis, vos in hiis scriptis, vestra exigente contumacia, excommunicamus, & vos excommunicatos publicè nuntiamus.* Et tunc quidam ex parte Decani Burdegalensis, ut dicebat, & nomine capituli in cedula quadam nescio quaedam coepit legere, sed prae clamore nimio non potuit exaudiri. Tunc Dominus conversus ad fores Ecclesiae sanctae crucis Abbatem & conventum, licèt eos non videret, primo, secundo, tertio monuit ut ipsum ad visitationem & procurationem admitterent, ut praemittitur, & ut tenebantur secundum provisionem praemissam, & in monendo ad fores pulsabat. Et cum videret se ad praemissa non admitti, nec ipsos monitionibus sui parere, in scriptis excommunicavit eosdem, & suum executorem praedictum rogavit ut id faceret ad quod erat deputatus. Et tunc dictus conservator dictos Abbatem & conventum modo quo suprà monuit ut Dominum reciperent ad praemissa secundum tenorem provisionis praedictae, quos monitis suis parere nolentes excommunicavit in scriptis, & Ecclesiam ecclesiastico supposuit interdicto, quam jam Dominus supposuerat eidem interdicto. Et post haec Dominus per longum tempus cum confusione, rubore & verecundia stans ad fores clausas Ecclesiae, plebe innumera astante, videns quod nihil haberet quod ultrà posset facere, faciens per sollemnes nuntios, ut per Capicerium Pictavensem, Gardianum, & Priorem Praedicatorum Burdegalensium, & plures alios procurare & tractare si dictas visitationem & procurationem impedientes possent aliquatenus inducere ad aliquam viam pacis & concordiae & mansuetudinis, sed ipsorum tractatus nullum consecuti sunt effectum. Tunc Dominus dixit astantibus: *Domini videte quantam humilitatem, mansuetudinem, patientiam eis obtulimus, sed nihil humanitatis invenimus.*

Anno Domini MCC. octogesimo quarto, die Mercurii in festo beati Lucae, audivit Dominus Missam in aula archiepiscopali. Qua audita, venit ad Dominum magister Bonitus de sancto Quintino Archidiaconus in Ecclesia Lemovicensi, Clericus Regis Angliae, volens honorare Dominum, & cupiens quòd obediretur Domino per totam senescalliam Agennensem, D. Augerio Motet Militi Senescallo Agennensi scripsit in haec verba.

Clarissimo suo Domino Augerio Motet Militi Senescallo Agennensi magister Bonitus de sancto Quintino illustris Regis Angliae Clericus salutem & amoris augmentum. Litteras serenissimi Principis Domini nostri Regis Francorum vidimus & recepimus, scilicet Senescallus Vasconiae, ego, & alii Consiliarii Domini Regis Angliae in haec verba. PHILIPPUS Dei gratia Francorum Rex Bertrando Cosse servienti suo salutem. Mandamus tibi quatenus non permittas quod in senescalliis seu balliis Petragoricensi, Pictavensi, Xantonensi, Agennensi, Vasconiae, atque Arverniae indebita gravamina vel violentiae inferantur dilecto & fideli nostro Archiepiscopo Bituricensi Aquitaniae Primati aut gentibus vel nuntiis suis in personis vel bonis eorum, cum pro juribus provinciae vel primatiae suae exercendis ad partes provinciae

vinciæ vel primatiæ earundem ipsum vel earum aliquam contigerit declinare, & ipsum Archiepiscopum & quemlibet prædictorum in suis justis saisinis ab omni injuria necnon gravaminibus & violentiis manifestis in locis ipsos defendas ea parte nostra qua opus sibi fuerit, & de hoc fueris requisitus. Nos enim tenore præsentium præcipimus Senescallis & Iusticiariis locorum prædictorum ut tibi ad executionem præmissorum si eos inde requisieris, auxilium subministrent. Actum Parisius die Lunæ post festum beati Iohannis Baptistæ anno Domini MCC. octogesimo quarto. *Cujus virtute mandati idem Bertrandus cum instantia requisivit ut super præmissis auxilium ministremus; & nos mandato Domini Regis Francorum parere volentes, id complevimus indilatè; & vos requirimus nihilominus consulendo ut Iohanni de Drocis curiae Clerico & Odardo de Bord. domicello vel eorum alteri unum servientem vestrum haberi faciatis, qui in senescallia vestra præmissa compleat secundùm prædictarum continentiam litterarum, & hoc gratiosè facere nullatenus obmittatis. Datum Burdegalæ & sigillo nostro signatum anno Domini* MCC. *octogesimo quarto, die Mercurii in festo sancti Lucæ.*

Postea Dominus exivit civitatem Burdegalensem cum maxima comitiva burgensium; & in via, antequam exivit de villa, ipse visitavit Bertrandum servientem Regis qui infirmabatur, & dimisit cum eo medicum suum. Postea intravit Girondam, & conduxit eum ultra aquam Major Burdegalensis, & plures alii; & venit illa die apud sanctum Geraldum abbatiam Sylvæ majoris, & fuit ibi multum honorificè & sollemniter, campanis pulsatis, & processionaliter à Priore & conventu ipsius abbatiæ, Abbate absente receptus. Sunt ibi monachi nigri, & est locus multum insignis. Et quia non comeduntur in corpore abbatiæ carnes, Dominus cum suis sociis comedit supra portam, & comedit ibi carnes. Et venerunt ad Dominum quidam monachi inhibentes Abbati sancti Sulpitii ne carnes comederet ibi, quia ipse faceret contra constitutionem ordinis sui; sed Dominus respondit quod Prælatus & sui socii non adstringuntur regulis suis, cùm sit eorum superior; & propter hoc ipse voluit quod dictus Abbas comederet carnes. quod fecit, & fuimus bene procurati.

Die Iovis post Missam voluit Dominus intrare capitulum ad visitandum; sed quia cantabatur prima, dixerunt quidam monachi quod Dominus expectaret quousque prima esset cantata. Et tunc Dominus intravit Ecclesiam. Et cum Abbas secularis Ecclesiae sancti Asterii Petragoricensis gerens vices reverendissimorum patrum Archiepiscopi Turonensis & Episcopi Aurelianensis conservatorum Domini sequeretur Dominum ad Ecclesiam, venit ad eum quidam monachus Radulfus nomine, & est Operarius Ecclesiae, qui contra Dominum & contra dictum Abbatem volebat appellare; sed antequam ipse monachus aliquid diceret, dictus Abbas excommunicavit ipsum, post trinam monitionem, quod ad requisitionem Decani & capituli Burdegalensis nihil faceret vel diceret contra Dominum vel contra ipsum; & interim intrarunt Ecclesiam ad invicem litigantes; & dicto monacho coram Domino astante, Dominus monuit ipsum quod nihil faceret vel diceret contra se. Et quia monachus volebat ipsum, monere, monachum excommunicavit. Et monachus hoc non obstante Dominum voluit monere, sed non complevit dicens quod factum ignorabat & quod nesciebat quid faciebat. Et sic Dominus exivit Ecclesiam, facta primo monitione coram majori altari quod ad suam visitationem in capitulo venirent. quod facere noluerunt. Et tunc Dominus intravit capitulum causa visitationis; sed monachi noluerunt venire, quos Dominus monuit ut debuit; & quia venire noluerunt, Dominus excommunicavit Priorem, Suppriorem, & alios officiales ipsius monasterii, & Ecclesiam ecclesiastico interdicto supposuit. Postea dictus Abbas sancti Asterii monuit prædictos monachos; & quia ad monitionem suam obedire Domino noluerunt, ipsos excommunicavit. Quo facto, Dominus recessit, & venit usque ad Portum, ubi transiit Dordoniam. Et antequam recederet de Portu, venit ad eum Raymundus de Curiis Domicellus, & intimavit sibi quod apud sanctum Melianum venerat Boso Archidiaconus de Blavia, qui fecerat sibi claudi portas Ecclesiae. Et tunc Dominus misit ad abbatiam Ernandum & Iohannem de Grayo servientes Domini Iohannis de Agendo tenentis locum Senescalli in Burdegalensi & Basatensi dioecesibus. Et quia loqui non poterant cum Abbate, cum sit in Romana curia, locuti sunt cum fratre Abbatis & cum magistro Raymundo procuratore Abbatis. Qui Raymundus venit obviam Domino, & rogavit ipsum & supplicavit quod ipse non irasceretur super hoc quod fiebat, quia parati erant honorificè, devotè, & cum summa devotione ad recipiendum Dominum, quando dictus Archidiaconus de Blavia venit ad abbatiam, qui eos monuerat ex parte Decani & capituli Burdegalensis quod ipsum non reciperent, alioquin ipsos auctoritate Decani & Capituli excommunicabat. Et quia non erant ausi incurrere malivolentiam ipsorum Decani & capituli, propter hoc rogavit Dominum quod contra Abbatem nihil faceret nec Ecclesiam interdiceret, quia super impedimento hujusmodi tristabantur; & dixit: *Domine ad Ecclesiam venite, & quamvis ipsam clausam inveniatis & hospitia monasterii, verumtamen leviter intrabitis, & omnia vobis necessaria habebitis.* Et sic Dominus venit ad Ecclesiam, & invenit eam clausam; sed ante portam extra Ecclesiam invenit unum Canonicum ejusdem monasterii, qui contra Dominum ad sedem apostolicam appellavit, (nomen Canonici est Manfredus de Salegna) & quendam alium Clericum, qui Dominum denuntiavit à Concilio facto Biuris excommunicatum, quod ejus consensu & requisitione ostia domorum archiepiscopalium fracta fuerant, & appellationem factam per Decanum & capitulum Burdegalense contra dictum Dominum innovavit; & uterque istorum appellantium apostolos petiit, quos concessit Dominus. Et ad diem Veneris sequentem citavit Decanum & capitulum Burdegalense apud la Bastide sanctae Fidei ostensurum gravamina quae dicebant sibi illata per Dominum; & obtulit Dominus resarcire expensas quae factae erant occasione dictorum gravaminum, & petiit super oblatione hujusmodi sibi fieri publicum instrumentum. Postea monuit Priorem & administratores ipsius monasterii, quod ipsum reciperent ad procurationem & visitationem. Et quia hoc facere denegarunt, ipsos excommunicavit, sed ob reverentiam ipsius Abbatis monasterii praedicti, cum praesens non esset, ipsi pepercit, nec Ecclesiam interdixit. Et tunc Dominus intravit hospitium ejusdem monasterii, quod invenit quasi paratum. Et antequam Dominus comederet, Major villae cum pluribus burgensibus venit videre Dominum. Ei ostendit Dominus litteras Regis Franciae & litteras Domini Iohannis de Greilly Senescalli Vasconiae, qui respondit Domino quod paratus erat suam facere voluntatem. Illa die sic remansimus. Et quia nimis tardè veneramus, non comedimus nisi semel.

Die autem Veneris audita Missa in aula, antequam Dominus recederet, interim venit ad portam Ecclesiae, & monuit iterum Priorem & alios administratores quod ipsum reciperent ad visitationem. quod facere noluerunt. propter quod ipsos excommunicavit. Item ibidem eadem die & hora excommunicavit dictum Archidiaconum de Blavia & dictum Menfredum propter hoc quod suam visitationem impediebant; & fecit legi suum privilegium quod excommunicari non poterat, Gallicè & Latinè. Die autem Iovis praecedenti post monitionem Domini & ejus excommunicationem Abbas sancti Asterii usus fuit officio suo.

DIOCESIS AGINNENSIS.

Die vero Veneris post festum beati Lucae, impletis praedictis, venit Dominus apud Bastidam sanctae Fidei Agennensis diocesis, & fuit ibi ad expensas proprias. Prior autem loci praesentavit sibi unum coderellum vini, & Ballivus similiter unum.

Die sabbati audivit Dominus Missam suam in Ecclesiam antequam recederet, & venit apud Marmandę ejusdem diocesis, & fuit ad expensas suas.

Die vero dominica post dictum festum audita Missa summo mane, veniendo ad Portum sanctae Mariae Agennensis diocesis, venerunt obviam Domino usque ad portum de Aguillon Bernardus de Parille Prior secularis Ecclesiae sancti Caprasii Agennensis, Johannes de Fourgeres Canonicus Bituricensis & Agennensis, Helias de Contures Prior de Portu sanctae Mariae; & venientes ad dictum Portum sanctae Mariae, fuit ibi Dominus receptus sollemniter & processionaliter, campanis pulsatis, praesentibus omnibus supradictis, qui cum Domino comederunt; & fuit ibi Dominus bene procuratus. Et, quia Dominus intellexerat quod quidam Canonicus Burdegalensis venerat apud Agennum ut receptionem suam erga capitulum impediret, post comestionem misit Dominus ad capitulum Agennense Johannem de Fourgeres praedictum ut nuntiaret capitulo Canonicorum Burdegalensium errorem.

Die vero Lunae ante festum Simonis & Iudae Domino veniente apud Agennum, Cantor & plures Canonici Agennenses ex parte capituli venerunt obviam Domino dicentes quod Dominum honorare modis omnibus intendebant. Sed quia dictus Canonicus Burdegalensis monuerat ut Dominum non reciperent, alioquin eos auctoritate sui conservatoris excommunicabat, requisivit Dominum ex parte capituli Agennensis Cantor Ecclesiae quod si super hoc impeterentur, quod ipsum haberent propitium & coadjutorem; & sic à Domino recesserunt, & venerunt ad Ecclesiam ut receptionem Domino honorificè praepararent. Dominus autem ad Ecclesiam veniens multum sollemniter & honorificè à dicto Cantore & toto capitulo, campanis pulsatis, processionaliter fuit receptus, & in domibus Episcopi receptus, absente Episcopo, & procuratus. Post comestionem vero, quia quidam de Canonicis Agennensibus dubitabant aliquantulum de processu Domini, informavit eos super processu suo & super suo privilegio quod non poterat excommunicari. Qui, processu Domini audito, pacificati remanserunt.

Die autem Martis, antequam recederet de Agenno, celebravit in majori Ecclesia ad majus altare de beata Maria, & fecit sermonem ad populum, & terigit negotium Arragoniae, & dedit indulgentiam. Missa celebrata, recessit. Et veniente ipso apud sanctam Liberatam Agennensis diocesis, venit ei obviam Prior loci. Quo loco fuit receptus campanis pulsatis & processionaliter & procuratus; & associaverunt eum ad dictum locum dictus Prior sancti Caprasii Agennensis & Iohannes de Fougeres praedictus. Sed antequam recederet de Agenno visitavit Dominus Ecclesiam sancti Caprasii, & fuit ibi campanis pulsatis & processionaliter receptus à Priore & capitulo dicti loci. Et quia capitulum Agennense petierat à Domino quandam litteram super requisitione quam ei fecerat Cantor Agennensis ex parte capituli, & eam non habuerat, facta fuit apud sanctam Liberatam, & sigillata sigillo Domini, & tradita magistro Iohanni de Fougeres praedicto. Forma litterae fuit in haec verba.

Nos Simon Dei gratia Bituricensis Archiepiscopus Aquitaniae Primas notum facimus universis praesentes literas inspecturis quod nobis jure Bituricensis Ecclesiae & nostro Burdegalensem provinciam & diocesim Agennensem visitantibus & civitatem Agennensem causa visitationis ingressis, venerabiles viri capitulum Agennensis Ecclesiae nos honorificè processionaliter & prout decuit receperunt, & in palatio Episcopi Agennensis more solito fuimus procurati. Verùm quia Decanus & capitulum Burdegalense & eorum Officialis sede vacante, & Sacrista Baionensis dicens se conservatorem à sede apostolica deputatum Decano & capitulo supradictis, contra capitulum Agennense ob praemissa se velle de facto procedere comminantur, nos quia praedictum capitulum Agennense nobis & juri Bituricensis Ecclesiae in hac parte assistunt fideliter & adhaerent, & in posterum se adhaerere & assistere profitentur, concedimus quod nos, si occasione praemissorum conjunctim vel divisim in posterum molestentur, tam per nos quàm per conservatores nostros assistemus, eisdem favorem, consilium, & auxilium impendendo, jure Bituricensis & Agennensis Ecclesiarum in omnibus semper salvo. Datum &c.

DIOCESIS PETRAGORICENSIS.

Die vero Veneris in vigilia Simonis & Iudae audita Missa apud sanctam Alerium, venit Dominus Petragorias, & intravit civitatem, & receptus fuit processionaliter campanis pulsatis sollemniter à capitulo, absente Episcopo; & fuit Dominus in domibus Episcopi receptus & procuratus.

Die sabbati in festo Apostolorum Simonis & Iudae celebravit Dominus cum pallio in cathedrali Ecclesia ad majus altare, & fecit fieri sermonem, & dedit indulgentias. Et post Missam venit Dominus apud sanctum Frontonem in castro Petragoricensi. Et sunt ibi Canonici seculares & Abbas secularis; & fuit ibi campanis pulsatis processionaliter receptus & procuratus.

Die dominica celebravit Dominus summo mane in Ecclesia sancti Frontonis, & fuit usus pallio, & fecit sermonem ad populum, & indulgentias dedit. Et post Missam fuit in capitulo, & denuntiavit excommunicationes factas ab ipso contra Decanum & capitulum Burdegalense, & fecit fieri copiam omnium privilegiorum suorum & processuum factorum contra Decanum & capitulum. Et Officialis Burdegalensis tunc recessit à nobis peteretur qui fuit ad curiam. Postea exivit Dominus apud Maiolium prioratum monachorum nigrorum, & est de sancto Martiali Lemovicensi. Et quia Dominus jam receperat omnes procurationes quas habebat in diocesi Petragoricensi, fuit in dicto prioratu ad expensas suas; & veniendo apud sanctum Maiolinm, vidit Dominus in quadam abbatia quae (dicitur) Chensalade Dominum Episcopum Petragoricensem. Et sunt in dicta abbatia Canonici regulares.

DIOCESIS ENGOLISMENSIS.

Die Lunae ante festum omnium sanctorum misit Dominus citationes ad citandum Decanum & capitulum sancti Andreae, Abbatem & conventum sanctae crucis Burdegalensis, Abbatem de Silva majori ad diem Veneris post festum omnium sanctorum. Veniendo apud Angolimensem civitatem, occurrit ei Dominus Amaricus de Monteforti. Et veniens ad civitatem & Ecclesiam cathedralem, fuit ibi receptus processionaliter sollemniter, campanis pulsatis, à Cantore & capimlo, absente Episcopo & Decano. Et fuit receptus in domibus Episcopi & procuratus.

Die Martis in vigilia omnium sanctorum audivit Missam Dominus in Ecclesia cathedrali; & post Missam exeundo de civitate, conduxit eum Dominus Amarricus & Cantor Ecclesiae, & venit apud sanctum Amandum abbatiam monachorum nigrorum; & fuit ibi receptus campanis pulsatis processionaliter ab Abbate & conventu, & procuratus.

Die Mercurii in festo omnium sanctorum, antequam Dominus recederet de sancto Amando, celebravit in pontificalibus majorem Missam, & non fecit sermonem, ea solummodo causa quod non intelligebatur à populo. Et Missa celebrata veniendo

apud

apud beatam Mariam de Hallainvilla Angolimenſis dioceſis, conduxit eum diu Abbas de ſancto Amando. Et cum veniſſet ad prioratum de Hallainvilla, fuit receptus Dominus à Subpriore loci, (Priore) abſente, campanis pulſatis proceſſionaliter & procuratus. Et ſunt ibi Canonici regulares. Non habent ſuperiorem niſi Epiſcopum.

DIOCESIS XANTONENSIS.

Die Iovis, antequam recederet Dominus, celebravit Miſſam pro mortuis. Qua celebrata, venit Dominus apud Fontenay Xantonenſis dioceſis prioratum de ſancto Iohanne Angeliacenſi; ubi fuit Dominus receptus campanis pulſatis proceſſionaliter & procuratus.

Die Veneris ſequenti apud Caumacum prioratum de ſancto Gildaſio Bituricenſis dioceſis; & venit ei obviam Prior loci, & fuit Dominus ibi receptus proceſſionaliter & procuratus. Et quia Dominus Agennenſis fuerat ad dictum prioratum citatus, venit pro eo magiſter Iohannes de Fougetes Canonicus Bituricenſis & Agennenſis, & apportavit literas excuſatorias pro dicto Epiſcopo. Et quia dictus Iohannes promiſit Domino quod ipſe Epiſcopus revocaret quicquid fecerat contra Dominum, Dominus recepit ſuam excuſationem, & quia Prior ſancti Caprasii & capitulum Agennenſe ſuper hoc rogaverunt Dominum.

Die Sabbati, audita Miſſa, venit Dominus apud Rupellam prioratum de Clugniaco, & venit ei obviam Major & plures burgenſes de villa; & fuit receptus in dicto prioratu campanis pulſatis, ſed non proceſſionaliter, quia non erant parati; & fuit ibi procuratus.

Die vero dominica, quia die praecedenti non fuerat receptus proceſſionaliter, receperunt ipſum campanis pulſatis & proceſſionaliter. Et celebravit Dominus in pontificalibus, & uſus fuit pallio, & poſt Miſſam fecit ſermonem in cimeterio, & fecit mentionem de cruce in ſermone, & plures crucesignavit, & dedit indulgentiam. Et fecit ſibi Major praeſentari plures cuniculos, aves plures, & unum beanem oneratum de daccis. Et his factis venit Dominus apud Boetum prioratum de Monaſterio novo Pictavenſi; & fuit ibi Dominus receptus campanis pulſatis proceſſionaliter. Et Prior & plures burgenſes de villa venerunt Domino obviam; ſed eum non invenerunt, quia per aliam viam venit. Et ibi fuimus bene procurati, quia Prior eſt homo multum valens.

Die Lunae, audita Miſſa, venit Dominus apud Affort, & conduxit eum Prior de Boeto diu. Prioratus vero d'Affort eſt de Burgo Dolenſi Bituricenſis dioceſis. Et fuimus bene recepti campanis pulſatis, ſed non proceſſionaliter, quia Prior & monachi erant in Bituria; ſed nos fuimus bene procurati.

DIOCESIS PICTAVENSIS.

Die Mercurii, audita Miſſa, venit Dominus apud Niort, & conduxit eum Prior de ſancto Iohanne praedicto & Caſtellanus de ſancto Meſſantio. Et eſt prioratus Abbatis de Charroz Pictavenſis dioceſis, & ſunt monachi nigri. Et fuit receptus campanis pulſatis proceſſionaliter, & procuratus. Et ibi venit ad Dominum magiſter Guillelmus Clericus Domini Epiſcopi Pictavenſis ad conducendum Dominum per dioceſim Pictavenſem.

Die Iovis, audita Miſſa, venit Dominus apud S. Gelays prioratum de Clugniaco; & fuit ibi Dominus receptus campanis pulſatis, ſed non proceſſionaliter, quia Prior non erat in partibus illis; & ſuus ſocius, qui domum cuſtodiebat, iverat apud Niortum pro neceſſariis Domino & familiae quaerendis; & fuit ibi procuratus.

Die Veneris, audita Miſſa ſummo mane, venit Dominus apud ſanctum Meſſantium, & eſt abbatia monachorum nigrorum; & fuit ibi Dominus receptus campanis pulſatis proceſſionaliter præſente Abbate & procuratus. Et fuerunt ibi citati Decanus & capitulum Burdegalenſe qui comparuerunt per procuratorem; cui Dominus obtulit quod paratus erat revocare omnia gravamina, ſi quae intulerat, dummodo doceret de eiſdem. Qui reſpondit quod ad hoc non venerat, & ſic receſſit. Et ſuper hujuſmodi proceſſu petiit Dominus inſtrumentum publicum ſibi fieri à quodam tabellione quem dicti Burdegalenſes ſecum ducebant; ſed receſſit, inſtrumento non facto. Et ad dictum locum venerunt duo clerici, quorum unus Canonicus Xanctonenſis magiſter Iohannes de Sours, Carnotenſis dioceſis ſcilicet, & quidam alius ad excuſandum Dominum Xanctonenſem Epiſcopum ſuper hoc quod ipſe ſigillaverat proceſſus Burdegalenſes. Quibus Dominus obtulit informationem ſibi fieri per inſtrumenta publica de proceſſibus ſuis. Qui uſque in craſtinum deliberationem petierunt. Et mane facto venerunt ad Dominum, & ei litteras ſigillo Domini Xanctonenſis ſigillatas dederunt quod ipſe totum revocabat. Quibus factis, celebravit Dominus Miſſam conventualem in pontificalibus, & uſus fuit pallio, & fecit ſermonem ad populum, & dedit indulgentias. Quo facto.

Die ſabbati in feſto beati Martini venit Dominus apud Agones prioratum Canonicorum regularium, abſente Priore; (& eſt dictus prioratus de abbatia de Leſtierpe) ubi fuit receptus, campanis pulſatis, proceſſionaliter, & procuratus.

Die dominica, audita Miſſa, venit Dominus apud Verinos prioratum de ſancto Meſſantio, ubi fuit Dominus receptus campanis pulſatis proceſſionaliter & procuratus. Quo loco fuerant nuntii Burdegalenſes, & inhibuerant Priori loci ne reciperent Dominum. Sed Abbas ſancti Meſſantii appellaverat contra ipſos pro ſe & pro adhærentibus. Et ibi fecit fieri Dominus monitiones quaſdam ad monendos dictos nuntios ut deſiſterent à talibus inhibitionibus, aliàs excommunicarentur; & fuerunt miſſi ad dictam monitionem faciendam Girardus Clericus coquinae, & Iohannes Bellechiere; ſed adhuc non invenerunt ipſos, quia non veneram ad prioratum de Pamprou, ubi credebatur quod debebant eſſe.

Die Lunae, audita Miſſa, venit Dominus apud Pamprou prioratum de ſancto Meſſantio; & venit ei obviam Abbas de ſancto Meſſantio & Prior loci; ubi fuit receptus campanis pulſatis proceſſionaliter & procuratus.

Die Martis, audita Miſſa ſummo mane, venit Dominus apud Vinoniam prioratum ſancti Cypriani Pictavenſis. Et veniendo ad dictum locum, conduxit eum Abbas ſancti Meſſantii & Prior de Pamprou; & ibi fuit receptus campanis pulſatis proceſſionaliter à Priore loci & ſociis ſuis, & procuratus.

Die Iovis, audita Miſſa ſummo mane, venit Dominus ad abbatiam quae vocatur abbatia ſancti Benedicti de Quinciaco, in qua ſunt monachi nigri; ubi fuit receptus ab Abbate & conventu campanis pulſatis proceſſionaliter & procuratus. Et ibi venerunt ad Dominum majores de capitulo Pictavenſi, & informavit eos de omnibus proceſſibus ſuis, & habuerunt tranſcriptum ut habeant conſilium ſuper dictis proceſſibus. Et dedit ibi Dominus indulgentiam pro Eccleſia Pictavenſi. Quidam ex eis comederunt cum Domino, quidam receſſerunt.

Die Mercurii ſequenti, audita Miſſa ſummo mane, venit Dominus apud Lugudiacum prioratum de abbatia de Maſelliaco; & fuit ibi Dominus receptus campanis pulſatis proceſſionaliter à Priore loci & ſociis ſuis. Et ibi venit ad Dominum Subdecanus ſancti Hilarii Pictavenſis. Et ſolebat dictus prioratus eſſe abbatia, ubi fuit Abbas beatus Marcus; & ſunt ibi illi duo quos reſuſcitavit à mortuis.

Die Veneris, audita Miſſa, venit Dominus apud Nobiliacum, & eſt abbatia monachorum nigrorum.

Et

Et venit ei obviam Abbas loci; ubi fuit receptus campanis pulsatis processionaliter ab Abbate & conventu multum honorificè & solemniter, & fuit procuratus ibi. Et venit ad eum Cantor Pictavensis, Praepositus, & Officialis & Subdecanus sancti Hilarii Pictavensis.

Die sabbati in octavis beati Martini, antequam Dominus recederet de dicta abbatia, recepit licentiam ab eo Capicerius Pictavensis, & audita Missa recessit. Similiter magister G. de Chypra clericus Domini Episcopi Pictavensis, qui nos conduxerat per diocesim. Et conduxit Dominum Abbas & Prior dictae abbatiae. Et venit Dominus apud Boerece prioratum monachorum nigrorum, & est de abbatia de Nobiliaco; ubi fuit receptus Dominus campanis pulsatis processionaliter, & procuratus.

Die dominica post octavas sancti Martini hyemalis visitavit Dominus prioratum de Luceyo & de sancto Martiali * Montis Marilis Lemovicensis, & receptus fuit processionaliter campanis pulsatis. Et quia Prior sancti Martialis, ad quem ultimo declinavit, non habebat domos sufficientes ad recipiendum Dominum, venit ad domum Dei Montis Marilis; & receptus ibidem processionaliter, procuratus fuit in dicta domo Dei & ad expensas dictorum Priorum. In dicta domo non erat rector, nisi duo procuratores, & litigabant quidam in curia Romana ut essent rectores dictae domus.

*Montemorillon.

DIOCESIS BVRDEGALENSIS.

Die Mercurii ante festum sancti Lucae evangelistae procuratus fuit Dominus in prioratu sancti Romani de Blavia Burdegalensis diocesis. Qua die Decani sancti Andreae & sancti Severini & multi alii Canonici Burdegalenses venerunt ad Dominum conquerentes inter cetera de forma litterarum quas miserat pro procurationibus suis petendis in locis ad quae declinaverat. Unde tunc inter Dominum & praedictos Decanos fuit forma litterae quae sequitur in haec verba.

Simon Dei gratia Bituricensis Archiepiscopus, Aquitaniae Primas, dilectis in Christo talibus Prioribus vel Abbatibus talis diocesis, salutem in Domino. Burdegalensem provinciam visitantes omni eo jure quo possumus & debemus juxta provisionem seu ordinationem sedis apostolicae super hoc editam à bonae memoriae Domino Gregorio Papa IX. & prout praedecessores nostri à vobis consueverunt admitti, tali die ad locum vestrum proponimus favente Domino declinare. Unde vobis mandamus, nihilominus vos monentes, quatinus dicta die procurationem nostram & nobis & nostrae familiae praeparetis. Datum &c.

DIOCESIS BITVRICENSIS.

1283. Anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo tertio, die Veneris post *Oculi mei*, sive post festum beati Gregorii, mense Martii, reverendo patre Domino Simone Bituricensi Archiepiscopo Aquitaniae Primate diocesim Claromontensem causa visitationis intrare volente, de Chabreyz venit Exoldunum in abbatiam loci Exoldunensis, ubi suam procurationem recepit; sed ibi receptus non fuit processionaliter, nec campanis pulsatis, quia jam aliàs visitaverat ibidem. Summa expensarum VII. librae.

Sabbato sequenti visitavit Ecclesiam beati Cirici Exoldunensis, & fuit per ipsum Dominum Archiepiscopum & Canonicos praesentes de Missa defunctorum celebranda ibidem per unum Canonicorum vel per alium quem procuraret, de residentia Canonicorum facienda, & de poena deficientium in ipsa, quae est quinquaginta solidorum & quod possint Canonici studere in illa in qua magis poterunt proficere facultate, nisi de dolo fraudeque liquidò appareret; de quibus, si appareat, corrigetur per Praelatum. De his omnibus confecta fuit littera. Dicti verò Canonici procurationem Domini solverunt in abbatia praedicta propter honestatem domorum.

Dominica qua cantatur *Laetare Ierusalem*, sive ante festum beati Benedicti Abbatis, visitavit Dominus in Ecclesia sancti Dionysii Exoldunensis. Canonici sancti Dionysii medietatem procurationis solverunt & Prior sancti Paterni Exoldunensis aliam medietatem, Domino remanente in abbatia praedicta propter honestatem domorum. Dicta die celebravit Dominus apud sanctum Paternum in pontificalibus, & sermocinatus fuit ibidem, & confirmavit. Et est sciendum quod uterque, scilicet capitulum sancti Dionysii & Prior sancti Paterni, ad integram procurationem tenentur.

Die Lunae sequenti fecit Dominus reconciliari cimiterium sancti Dionysii Exoldunensis per Archipresbyterum Exoldunensem virtute sui privilegii, aqua prius per ipsum Dominum benedicta. Inde venit ad Casale benedictum, ubi fuit receptus processionaliter campanis pulsatis.

Die Martis sequenti Dominus intravit capitulum Casalis benedicti, & ibi fecit sermonem; & inquisito de statu monasterii tam in capite quàm in membris, post multa per multos de monasterio Domino relata & revelata tam palam quàm secreto, dictum capitulum & Prior loci ejusdem per suas litteras sigillo conventus sigillatas Domino dederunt potestatem plenariam & specialem providendi ipsi monasterio per se vel per alium de Abbate, de monasterio vel aliunde, quandocunque ipsum monasterium per resignationem fratris Iohannis tunc Abbatis monasterii ejusdem contigerit vacare.

Ipsa die Martis, scilicet in festo sancti Benedicti Abbatis, venit Dominus ad prioratum de Vodolioe spectantem ad Burgum Doiensem; & ibi receptus fuit processionaliter, campanis pulsatis, & ibi procuratus & confirmavit Dominus ibidem. Non fuit computatum.

Die Mercurii sequenti venit Dominus ad prioratum de Lineriis, ubi receptus fuit processionaliter & procuratus. Summa expensarum sex librae, tres solidi, duo denarii.

Die Iovis sequenti apud Aliscampum venit Dominus; ubi fuit procuratus, & ibi benedixit aquam pro Ecclesia de Chatel-Meillant reconcilianda, & mandavit reconciliari per Archipresbyterum loci.

Die Veneris sequenti venit Dominus apud Nigrum lacum, ubi fuit cum Abbate loci.

Die sabbati sequenti, in festo Annuntiationis dominicae, venit Dominus apud sanctum Amandum; ubi Dominus sacros ordines celebravit, visitavit, & fuit procuratus; & in crastino confirmavit ibidem.

Dominica sequenti, scilicet Dominica in passione, sive die dominica post Annunciationem dominicam, venit Dominus ad abbatiam de Charenton, ubi fuit procuratus. Die Lunae sequenti intravit Dominus capitulum; & super statu monasterii inquisitione facta diligenti tam in temporalibus quàm in spiritualibus, post multos tractatus carentes effectu, tandem finaliter Priori de Lioceyo commissa fuit administratio bonorum temporalium ipsius monasterii abbatiae Nigri lacus, ipso Priore deputato habente Domini quoad hoc potestatem, ut ipsius Abbatis consilio dictus Prior tractaret & faceret quae majoris essent inquisitionis. Qui Prior tactis sacrosanctis evangeliis juravit se fideliter facturum & tractaturum diligenter quae ipsi monasterio de Charenton viderit & crediderit expedire tam in solutione debitorum, receptione, conservatione, & expeditione bonorum, quàm familiae permutatione. Praecepit etiam Dominus ut totus status monasterii in scriptis redigeretur & quadruplicaretur, ita quod Dominus unum scriptum haberet, Abbatissa secundum, dictus Prior tertium, & quartum Abbas praedictus; ut de diligentia, fidelitate, & curiositate dicti Prioris liquidius appareret. Item benedixit Dominus aquam pro quodam cimiterio reconciliando, scilicet de sancto Stephano de Graverio, quod mandavit reconciliari per Archipresbyterum loci.

DIO-

DIOCESIS CLAROMONTENSIS.

Anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo tertio, die Martis ante ramos palmarum, intravit Dominus Simon Bituricensis Archiepiscopus Aquitaniae Primas diocesim Claromontensem causâ visitationis; & primò declinavit apud Silvigniacum, & visitavit Ecclesiam parochialem dicti loci; ubi fuit receptus processionaliter pulsatis campanis, & procuratus in domo Capellani dicti loci ad expensas dicti Capellani.

Die Mercurii sequenti in mane audivit Missam Dominus in eadem Ecclesia, confirmavit, tonsuras fecit, ac aquam benedixit pro quodam cimiterio reconciliando in diocesi Bituricensi; & exinde venit apud Pessoy prioratum de sancto Porciano, ubi fuit receptus processionaliter ut suprà, & procuratus ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum octo librae.

Die Iovis, scilicet penultima die mensis Martii, venit Dominus apud monasterium Gelleigney prioratum conventualem de Casa Dei; ubi receptus fuit processionaliter campanis pulsatis cum cantu, & procuratus à Priore loci, sex de monachis suis prandentibus cum Domino. Fecit ibi praedicari indulgentiam, & confirmavit.

Eodem die finavit Prior de Firmitate super Aligerim de IX. libris pro procuratione. Item eodem die finavit Prior de Lengero Clugnacensis ordinis de X. libris pro procuratione. Item idem Prior pro prioratu de Dreturay pro procuratione finavit similiter de decem aliis libris.

Die Veneris sequenti venit Dominus apud Fleurey prioratum de abbatia Turnonensi, receptus modo quo suprà, solutis expensis Domini per Priorem loci pro medietate & per Capellanum loci ejusdem pro alia medietate. Ibi confirmavit, tonsuravit pueros, & quaedam ornamenta, altaria, & sacerdotalia benedixit.

Sabbato in ramis palmarum, scilicet in prima die mensis Aprilis, venit Dominus apud Verennes super Aligerim prioratum de sancto Porciano, receptus processionaliter campanis pulsatis; & ibi Missas suas audivit, confirmavit, fecit coronas, ornamenta sacerdotalia benedixit. Medietatem expensarum solvit Prior loci ejusdem, & duo Curati ipsius villae aliam medietatem solverunt.

Die dominica in ramis palmarum, scilicet secunda die mensis Aprilis, venit Dominus ad abbatiam sancti Geleberti Praemonstratensis ordinis, processionaliter receptus campanis pulsatis cum cantu; & ibi ramos palmarum benedixit, Missam in pontificalibus celebravit, praedicavit, dedit indulgentiam, confirmavit, coronas fecit, quaedam ornamenta benedixit. Fuit ibi procuratus.

Die Lunae sequenti venit Dominus apud Arthonam visitaturus Ecclesiam Canonicorum. Canonici Dominum non receperunt processionaliter, nec pulsaverunt, nec cantaverunt. Eodem die ipsi Canonici suum recognoscentes errorem, defectum, & negligentiam, quod dictum Dominum Bituricensem Archiepiscopum cum debita reverentia & honore non receperunt, pœnitentia ducti, miserunt ad Dominum & venerunt humiliter supplicantes ne per dictam negligentiam contra ipsos moveretur nec offenderetur; & ad excusandas excusationes in peccatis, simplicitates & fatuitatem in praemissa negligentia assertivè praetendebant & quod malitiosè non fecissent, & adventum Domini sufficienter non praescitum. Veruntamen Cantor nomine suo & capituli & quilibet Canonicus qui praesentes erant dictam negligentiam in manu Domini singulariter emendarunt, taxatione emendae & levatione per fidem cujuslibet ipsorum in voluntate Domini relictis, & expressè recognoscentes ad exhibitionem reverentiae & honoris & processionis ipsi Domino & suis successoribus se teneri; & ad supplendum quod omiserant, in crastino dictae diei Lunae dictum Dominum processionaliter receperunt, campanis pulsatis, cum cantu occurrentes ipsi Domino usque ad exitum cimiterii, super ipsum pallio usque ad altare per ipsos deportato. Dominus ibi suas Missas audivit, fecit praedicari, dedit indulgentiam, confirmavit, ornamenta benedixit, & fecit coronas, & Ecclesiam tam in spiritualibus quàm in temporalibus visitavit, inveniens quod dicta Ecclesia, potissimè in administratione temporalium, reformatione & consilio indigebat. Auditis quae sibi Canonici dicere voluerunt in quibus reformatio necessaria videbatur, respondit Dominus quod super iis Domino Claromontensi Episcopo libentissimè loqueretur, & super iis de exhibendo remedio cum ipso tractaret. Expensas vero Domini dicti Canonici persolverunt. Summa expensarum IX. librae.

Die Martis venit Dominus apud Telleide, Latinè Theeletas, prioratum Casae Dei, receptus processionaliter cum capis sericis, campanis pulsatis, cantando. Et licet Prior loci ejusdem aliquibus de familia ipsius Domini grosso modo ipso adventu loqueretur & superbè, dicendo quod Dominum recipere non tenebatur nisi cum equis XXX. & expendere non poterat ultra quatuor libras, nec debebat, & quod plus non solveret, tamen totas solvit expensas quas Dominus & sui fecerunt in loco. Ibidem Dominus audivit Missas suas, confirmavit, ornamenta benedixit. Et fuit summa expensarum X. lib. & V. solidi.

Die Mercurii sequenti venit Dominus apud abbatiam de Chancuent ordinis Augustinorum propè & in suburbio civitatis Claromontensis, receptus modo quo suprà & procuratus.

Die Iovis sequenti, scilicet in cœna Domini Iesu, venit Dominus visitationis causâ, ad majorem Ecclesiam Claromontensem, receptus processione sibi occurrente usque ad gradus ante valvas majores ipsius Ecclesiæ, pallio super ipsum Dominum in quatuor hastilibus usque ad altare majus campanis pulsatis cum cantu honorificè deportato, omnibus de choro sericeis capis indutis. Hoc facto, Dominus intravit cum Canonicis capitulum, & post septem psalmos & letaniam dictos in capitulo, absolutione per ipsum Dominum facta super Canonicos & assistentes, Dominus prædicavit Latinè, post sermonem Canonicis tantùm in capitulo cum Domino remanentibus. Visitavit Dominus, & cum Canonicis de multis habuit sermonem & tractatum, potissimè de Abbate Casæ Dei; qui etsi privilegiatus cum monachis suis quòd suspendi, interdici, seu excommunicari non possint existat, tamen in locis interdictis non privilegiatis divina celebrare & ecclesiastica sacramenta per suos monachos facere ministrari & permittere non veretur, quod ecclesiasticæ rationi contrarium & articulis fidei dissonum cunctis patet. Hoc facto fecit fieri sermonem populo Gallicè. Et ibidem Dominus celebravit, & consecrationem chrismatis fecit, & deliberato consilio per quatuor dies consequentes apud Prædicatores perendinavit in domibus Episcopi, ut videretur omnibus minùs onerosus. Expensas dictæ diei Iovis quas fecit Dominus solvit.

Die Veneris sequenti in Paraceve, Dominus audito divino officio, prout dies requirit, ivit visitatum ad abbatiam sancti Andreæ Præmonstratensis ordinis, receptus absque processione, quia Dominus de sua humanitate noluit quòd illa die processionaliter reciperetur nec cum cantu. Pulsatum non fuit, quia illa die non pulsatur. Visitavit ibidem & * sciente, ut minus in expensis dicta abbatia gravaretur, condescendens loci ipsius sive compatiens paupertati.

* f. secrete.

In sabbato Paschæ sancto Dominus in mane visitavit Chamaleriam & sanctum Genesium, in quibus Ecclesiis sunt Canonici seculares. Quibus visitatis, venit Dominus ad Ecclesiam majorem, & in pontificalibus celebravit, & fontes benedixit ibidem, quoniam à Canonicis majoris Ecclesiæ sibi post fuerat supplicatum ut dicta die sabbati & die Paschae ipsis divi-

divinum officium celebraret. Et fuit receptus ibi, visitavit, processionaliter cantando, pallio super ipsum honorificè deportato.

Die Paschae sequenti celebravit Dominus in pontificalibus in Ecclesia majori, & interfuit matutinis, & in domo Episcopi nocte praecedenti cum parte suae familiae jacuit ut matutinis interesset, scilicet in domo Episcopi juxta Ecclesiam. Praepositum Ecclesiæ, hebdomadarios, & multos Canonicos alios & non Canonicos communicavit. Et ipsa eadem die Ecclesiam beatae Mariae de Portu post Missam visitavit; ubi receptus fuit cantando à Canonicis & processionaliter pallio in quatuor hastilibus super ipsum honorificè deportato. Die Lunæ sequenti, scilicet in crastino Paschæ, Dominus audita Missa sua ad Ecclesiam majorem accessit, & in capitulo, Canonicis salutatis, fecit coronas plures, & recessit.

Eadem die venit Dominus apud Sarellac prioratum Casæ Dei. Prior loci ejusdem cum duobus sociis & duobus armigeris Domino venit obviam ferè per dimidiam leucam, & Dominum honorificè salutaverunt & reverenter. Tamen Dominum non receperunt nec processionaliter nec aliàs, sed Dominus invenit ostia aperta & intravit. Prior & sui socii cum Domino comederunt. Dominus ibidem, audita Missa sua, confirmavit, ornamenta benedixit, multis etiam ad supplicationem Prioris fecit coronas. Prior Domino de necessariis noluit providere. Tamen idem Prior totas solvit expensas, dicens quod Abbas suus eidem inhibuerat ne Dominum reciperet nec eidem in aliquo provideret. Domino volente in crastino recedere, dictus Prior in præsentia Domini fuit protestatus quod cum familia Domini prioratum violenter intravisset, quia ostium fregerat, ut dicebat, nolebat sibi præjudicari in posterum, nec per haec quæ facta fuerant intelligebat Domino nec suis successoribus in aliquo se teneri; Domino incontinenti in contrarium protestante & dicente quod possessionem suam retinuerat, & quandiu viveret jus visitandi & procurationem recipiendi reclamaret ibidem. Domino recedente, Prior ipsum associavit satis longè. Habuit tamen Dominus, cum dictum prioratum intravit, unum servientem Domini ad tollendam armorum violentiam, si prædicto Domino aliqua violentia pararetur. Summa expensarum fuit IX. libr. quas omnes solvit Prior dicti loci.

Die Martis sequenti venit Dominus apud la Foulloule, Ecclesia parochiali primo visitata, antequam domum Templariorum intraret, quia ratione parochiae ipsius, quam tenent Templarii, debetur procuratio, ut Domino dicebatur. In ipsa domo Templariorum Dominus, audita Missa, confirmavit, benedixit ornamenta, fecit coronas; & receptus processionaliter in dicta Ecclesia, ab ipsis Templariis fuit procuratus. Summa expensarum VIII. libr. & VII. solidi.

Die Mercurii sequenti venit Dominus apud Bullou prioratum Casae Dei, receptus cum reverentia processionaliter & procuratus. Noluerunt computare gentes Prioris.

Die Iovis sequenti accessit Dominus apud Luseillac prioratum Casae Dei, receptus processionaliter cum reverentia & honore, quoniam tenet Prior de Bullou. In ipso prioratu non invenit Dominus aliquid faciendum, sed Ecclesia & domibus visitatis rediit apud Bullou. In prioratu de Bullou confirmavit, ornamenta benedixit, & coronas fecit; & die qua primo venit fuit phlebotomatus. Et ratione visitationis istius extitit procuratus. Super prioratu de Luseillac non fuit computatum.

Die Veneris sequenti, scilicet ante *Quasi modo*, venit Dominus apud Thuriacum prioratum sancti Illidii Claromontensis ordinis sancti Benedicti, receptus processionaliter pulsatis campanis, cum cantu, & procuratus. Ibi non invenit Dominus aliquid faciendum. Dictum prioratum tenebat Abbas sancti Illidii praedictus.

Sabbato sequenti visitavit Dominus prioratum de Vichiaco spectantem ad monasterium sancti Illidii Claromontensis, Gallicè *de saint Alirey*. Quo visitato, venit Dominus apud Cuciacum directè ad hospitium Domini Claromontensis, & ibi procurationem sibi ratione visitationis debitam à dicto prioratu de Viehiaco recepit; quia Prior de Vichiaco paralyticus erat, nec domos habebat ubi Dominum honorificè posset hospitare.

Die dominica sequenti fuit Dominus receptus processionaliter campanis pulsatis ab Abbatissa & Clericis de Cussey, Clericis capis indutis sericis, in capella beatae Mariae. Postea incontinenti intravit Dominus capitulum monialium; & ibidem suo fungens officio, inquisivit diligenter de statu monasterii tam in temporalibus quàm in spiritualibus; sed non fuit quod correctione indigeret sibi in publico revelatum. Dominus suam procurationem à dicta abbatia recepit in supradictis domibus Domini Claromontensis, quoniam honestius fuit Dominum in dictis domibus pernoctare quàm in domibus monialium praedictarum. Et fuit Abbatissa cum quatuor monialibus in prandio cum Domino. Dominus vero dicta die Missam in pontificalibus in dicta capella celebravit, monialibus divinum officium cantantibus & offertorium quod venit ad manum Domini recipientibus, primo tamen recognito quod sociorum Domini erat offertorium, si placeret, retinere, & ipsum offertorium Clerici & socii dicti Domini dictis monialibus dimiserunt. Dicta Missa, Dominus confirmavit, ornamenta benedixit, in crastino quosdam confirmavit.

Die Lunae sequenti, scilicet in crastino octavarum dominicae resurrectionis, venit Dominus apud abbatiam Montis petrosi ordinis Cisterciensis, processionaliter cum cantu, campanis pulsatis, receptus; ubi Dominus in crastino audita Missa sua, confirmavit, ornamenta benedixit, quosdam coronavit, unum potissimè sibi à Priore & monachis dicti loci praesentatum: dicentibus illum suum esse condonatum & monachum futurum, Abbate dicti loci tunc in remotis agente. Verùm cùm dictis monachis scriptum fuisset sub hac forma verborum, *Vobis mandamus quatinus nobis & nostris necessaria praeparetis*, hoc verbum *mandamus* multipliciter impugnarunt. Tandem illud verbum *mandamus* sublatum fuit, & ipsi Domino necessaria ministrarunt. Veruntamen ipsi monachi eleemosynam dederunt praesentibus pluribus de familia Domini supradicti.

Die Martis sequenti venit Dominus apud Laudosum, receptus processionaliter cum cantu, campanis pulsatis, pallio super ipsum in quatuor hastilibus deportato à capitulo Canonicorum, & receptus & procuratus, Domino Claromontensi Episcopo eidem obviam veniente & Dominum collateraliter usque ad altare majus sub eodem pallio concomitante. In sequenti crastino Dominus ad supplicationem Canonicorum quoddam altare in quadam capella prope Ecclesiam Canonicorum in honore sancti Georgii & sanctorum omnium consecravit, & quaedam benedixit ornamenta, & dedit indulgentiam iis qui ob devotionem dictae consecrationi interfuerunt.

Die Mercurii sequenti Dominus post consecrationem altaris praedicti venit ad prioratum sancti Launomari de Blesis qui dicitur Maincao, receptus modo quo suprà; & ibidem ad supplicationem Prioris & monachorum loci ejusdem quasdam reliquias occultatas in altari majori dicti prioratus, videlicet duo capita ferè integra cum pluribus fragmentis ossium parvis & pluribus panniculis involuta, quorum capitum unum dicitur caput beati Launomari Abbatis, aliud sancti Ebulfi Abbatis de dicto altari levavit, ut cum majori reverentia & honore de cetero haberentur, & ea crastino sequenti, audita Missa sua, reposuit in quadam casula quoad tempus. Eadem die Mercurii reliquiis praedictis levatis cum ea reverentia qua decens est, Missam in honore dictorum sanctorum celebravit pontificalibus indutus. Ibidem etiam Dominus confirmavit, benedixit, tonsuravit, & suam ibidem procurationem recepit. Et venerunt

Do-

Dominus Claromontensis Episcopus & frater suus Senescallus Domino loquuturi. Fecit praedicari, & dedit indulgentiam, & suam ibidem Dominus procurationem recepit.

Domino die Iovis sequenti eunte apud Tyart, Dominus Claromontensis Episcopus & frater suus sibi venerunt obviam, & per magnam partem itineris simul cum Domino equitarunt. Illa die Dominus receptus modo quo suprà, à capitulo & Praeposito Ecclesiae de Tyart fuit procuratus; & in crastino audita Missa sua, benedixit, confirmavit, & in capitulo visitavit, & coronavit. Quo facto, descendit Dominus ad capellam beati Iohannis Baptistae, & ibidem tria consecravit altaria, medium in honore beati Iohannis Baptistae & omnium sanctorum, dextrum in beatae Katerinæ, & sinistrum in beatae Mariae Magdalenae. Quibus consecratis, celebravit sine nota, & dedit indulgentiam iis qui consecrationibus interfuerunt.

Die Veneris sequenti, praescriptis rite peractis, venit Dominus apud abbatiam monasterii Tiranensis ordinis Clugniacensis, receptus modo quo suprà, & procuratus. Summa expensarum VIII. librae.

Die sabbati sequenti venit Dominus apud Nigrum Stabulum prioratum Clugniacensem, receptus processionaliter & procuratus; & ibidem benedixit, tonsuravit, & confirmavit. Summa expensarum VIII. libr. & X. solidi.

Dominica sequenti in quindena Paschae venit Dominus apud prioratum de Argeroles Clugniacensis ordinis, receptus processionaliter & procuratus; & ibidem confirmavit, tonsuravit, & benedixit. Summa expensarum X. librae.

Die Lunae sequenti, videlicet in crastino beati Georgii, venit Dominus apud Salinhac prioratum sancti Michaelis de Clusa in Lombardia, receptus processionaliter & procuratus; & ibidem confirmavit, tonsuravit, & benedixit. Noluerunt computare.

Die Martis sequenti in festo beati Marci evangelistae Dominus venit apud Sanctum Dider prioratum de Casa Dei, receptus processionaliter, campanis pulsatis, in capis sericis, cum cantu, & procuratus. Ibidem confirmavit & benedixit.

Die Mercurii sequenti venit Dominus apud Cullac prioratum de Clusa in Lombardia, receptus processionaliter & procuratus; ibidem confirmavit, tonsuravit, ornamenta & imagines benedixit.

Die Iovis sequenti venit Dominus apud Martach prioratum de Sartelenges Clugniacensis ordinis, receptus & procuratus, & ibi confirmavit, tonsuravit, benedixit. Die verò praecedenti finavit Prior d'Ambert & Prior de Chamont pro dictis prioratibus XX. libras, IV. solidos; ita quòd pro quolibet finavit X. libras & * IV. solidos.

* duos.

Die Veneris sequenti venit Dominus apud Chalure prioratum Casae Dei, receptus processionaliter & procuratus; & ibidem sequenti sabbato celebravit cum nota.

Eadem die venit Dominus ad Sallanc prioratum Casae Dei, receptus processionaliter & procuratus; & ibidem confirmavit.

Dominica sequenti, videlicet ante festum beatorum Philippi & Iacobi, venit Dominus apud Vineros prioratum de Saecrlenges Clugniacensis ordinis, receptus processionaliter & procuratus; ibidem confirmavit, benedixit, & tonsuravit.

Die Lunae sequenti, scilicet prima die Maii, venit Dominus apud Erlant prioratum de Clusa in Lombardia, receptus processionaliter & procuratus; ibidem confirmavit, benedixit, & tonsuravit. Et die Martis sequenti misit Dominus magistrum Iohannem Gresillon Canonicum Bituricensem, fratrem Simonem de Bletis, Renaldum socium ejus de ordine fratrum Minorum, & Cononem Canonicum Versionensem ad monasterium Casae Dei cum duobus Clericis Domini Claromontensis, magistro Iohanne scilicet & magistro Petro, ut interessent collationi faciendae quarumdam clausularum contentarum in privilegiis Casae Dei per quas nituntur monachi (ostendere) se esse exemptos tam in capite quam in membris; & fuit facta dicta collatio dictarum clausularum ad privilegia, & fuerum lecta dicta privilegia à principio usque ad finem & diligenter inspecta tam in filo quam in bulla per missos à dicto Domino Bituricensi, praesentibus dictis duobus Clericis Domini Claromontensis. Primum privilegium lectum & inspectum fuit Domini Vrbani Papae II. secundum Lucii III. tertium Honorii III. quartum Alexandri IV. quintum Alexandri III. sextum Clementis IV. septimum Vrbani IV. octavum Paschalis.

Eodem die Martis venit Dominus apud sanctum Germanum Lerin prioratum Casae Dei, receptus processionaliter & procuratus; & ibidem confirmavit, benedixit, & tonsuravit.

Die Mercurii sequenti post festum beatorum Philippi & Iacobi venit Dominus apud Axeracum prioratum Casae Dei, receptus processionaliter & procuratus; & ibidem confirmavit, benedixit, tonsuravit, & altare quoddam in dicto prioratu consecravit in honore beatae virginis Mariae, & dedit indulgentiam. Ibidem ipso die venit Dominus Episcopus Claromontensis & Abbas Casae Dei & multi boni (viri) cum (eis.) Quibus congregatis cum Domino, lectae fuerum clausulae supradictae sumptæ in privilegiis Casae Dei praedictis; de quibus facta fuit copia & inspectio, ut superius est expressum. Super quibus clausulis cum diutius fuisset altercatum hinc inde, multi fuerunt habiti tractatus inter dictos Dominos Bituricensem & Claromontensem ex una parte, & Abbatem Casae Dei ex altera, super discordia reformanda inter ipsos; qui illo die non habuerant affectum. Quibus actis, recesserunt dicti Dominus Claromontensis & Abbas.

Die Veneris sequenti venit Dominus apud * Ville Bride prioratum abbatiae Piperacensis ordinis sancti Augustini, receptus processionaliter, procuratus; & ibidem confirmavit & benedixit.

* f. Vieille Brioude.

Die sabbati sequenti venit Dominus apud Couz prioratum monialium ordinis sancti Benedicti, receptus processionaliter à clero & monialibus & procuratus; & ibidem confirmavit, benedixit, & tonsuravit, & intravit capitulum; & visitationis fungens officio, invenit ipsum monasterium reformandum, potissimè circa spiritualia. Temporalia si quidem erant in manu Regis Franciae, quoniam erant ibi duae Priorissae in discordia & in dissensione. Dominus, adhibendo diligentiam quam potuit, & statum monasterii debitè restaurando, ordinando praecepit quod si Priorissa de novo ibi posita post litem motam aliquam fecerat monialem, quod amoveretur. Praecepit etiam quod puellae seculares quae ibidem de bonis monasterii nutriuntur, expellerentur, & quod volenti aliquam retinere, nihil de bonis monasterii administratur eidem. Insuper cum quidam libri dicerentur ibidem sublati, de quorum alienatione timebatur, praecepit Dominus infra Ascensionem omnes in medium reportari & necessarios ad officium divinum in loco praedicto seu consueto dimitti, non necessarios per Sacristam custodiri; & hoc fieri praecepit per duas juratas pro utraque parte. Et super his scripsit Dominus Ballivo Arverniae, in cujus manu, nomine Regis, tenebatur temporalitas, ut de praemissis observari faceret quae dicto monasterio crederet expedire. Dictis die & loco venerunt quidam magni & solemnes ex parte Abbatis Casae Dei, qui cum Domino multis tractaverunt, & finaliter quandam litteram concordarunt quae se declarat, & cujus tenor sequitur in haec verba.

Simon Dei gratia Bituricensis Archiepiscopus, Aquitaniae Primas, & Arbertus ejusdem gratia Abbas monasterii Casae Dei in Alvernia, universis praesentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noveritis quod (cùm) nos praefatus Archiepiscopus assereremus & adhuc asseramus debere nos ad visitationem & procurationem jure metropolitano admitti &

ti & solvi nobis in monasterio Casae Dei procurationem eandem, dicto Abbate pro se & conventu suo contrarium asserente, causa pacis & concordiae sic inter nos extitit concorditer ordinatum & expressè conventum, quod nos Archiepiscopus praedictus recipere mur nunc ad processionem & procurationem tantum in dicto monasterio; ita tamen quod per hoc vel alia quae faciemus ibi vel fient nobis Archiepiscopo praedicto aut recipiemus ab Abbate & conventu praedictis, nihil nobis quo ad proprietatem, possessionem, vel quasi vel cujuscunque alterius juris aut suffragii acquiratur. Si vero aliquod jus proximo ante istam compositionem nobis Archiepiscopo competebat, illud salvum sit & servetur eidem, nec in dictis proprietate, possessione, vel quasi eisdem Abbati & conventui nec eorum privilegiis aliquid praejudicii generetur. Sanè quia ex quibusdam tractatibus habitis inter nos & Abbatem praedictum speramus auctore Domino inter nos & ipsum ac monasterium suum per concordiam seu per sedem apostolicam pacis fœdera reformari, ordinatum est inter nos quod usque ad septennium ab hodie numerandum & complendum non possimus visitationem vel procurationem nec aliquid occasione earum nos vel successores nostri petere efficaciter ab eisdem; ita tamen quod per dilationem istam nullum nobis vel Ecclesiae nostrae fiat praejudicium, nisi interim per compositionem amicabilem & concordem vel per declarationem apostolicae sedis factam fuerit aliter ordinatum, ad quam declarationem seu compositionem poterimus pendente dicto septennio procedere, si viderimus expedire. Si vero interim non fuerit declaratum, nobis Archiepiscopo praedicto id jus omnino potendum quo possumus hodie efficaciter uti & non amplius, & ipsis omnis omnino defensio qua possunt vel possent hodie se tueri per omnia reserventur. In quorum testimonium nos Archiepiscopus & Abbas praedicti sigilla nostra præsentibus duximus apponenda. Actum & datum anno Domini MCC. octogesimo quarto, die sabbati in festo beati Iohannis ante portam Latinam.

Haec autem littera clausa fuit, certo die reposita fuit.

Die dominica sequenti venit Dominus apud Mazarat prioratum Casae Dei, receptus processionaliter & procuratus. Prior noluit computare. Eadem die dominica misit Dominos Cononem suum Capellanum cum clerico coquinae & coquum suum & quosdam alios pedites de familia sua ad abbatiam Casae Dei, sicut alibi consueverant praemitti. Abbas eos satis curialiter recepit, & uni monachorum suorum praecepit ipsis tam pro Domino procurando quàm pro ipsius familia necessaria & interrogata affluenter ministrare; & hospitium in ambitu monasterii pro Domino & suis sequentibus, assignarunt. Praemissi illo sero in villa voluerunt hospitari, quia hospitia non erant mandata in villa. Fuerunt illo sero per abbatiam procurati in fœno & avena pro equis, in pane, vino, carnibus, candela, & in aliis necessariis abundanter, prout petere voluerunt, & etiam multum plus oblatum.

Die Lunae sequenti veniente Domino ad abbatiam & monasterium Casae Dei, venerunt ei obviam satis longè, suum excusantes Abbatem quare non venerat obviam Domino, quia Missas suas audiebat & cantabat, & quod modus suus erat nullius omnino vacare donec Missam . . . . .

DIOCESIS LEMOVICENSIS,

1285 ANno Domini millesimo ducentesimo octogesimo quinto, die Veneris post quindenam nativitatis beati Iohannis Baptistae, intravit reverendus pater Simon Bituricensis Archiepiscopus Aquitaniae Primas Lemovicensem diocesim causa visitationis. Et primo declinavit ad abbatiam de Albispetris ordinis Cisterciensis; ubi receptus fuit processionaliter à conventu dicti loci, pulsatis campanis, & praedicavit in capitulo. Et ipsa die pernoctavit ibidem ad expensas abbatiae, nec fuit computatum. Et sciendum quod in comitiva sua erant ii quorum nomina hic notantur, videlicet Iohannes Abbas sancti Sulpitii Bituricensis frater Domini, Gilo Capellanus suus monachos sancti Sulpitii, Guido de Nohaylhes Capicerius Pictavensis, Stephanus Capellanus suus, Giraudus de Briva Clericus suus tabellio publicus, magister Iohannes Gressilons Canonicus Bituricensis, magister P. de Virsione, qui venit tertia die post P. de Rupe, Archipresbyter de Castro Bituricensis diocesis, frater Hugo de Ferneriis monachus sancti Sulpitii Bituricensis, Otho de Salinis Canonicus Magdunensis Capellanus Domini, Cono rector Ecclesiae Virsionis Capellanus Domini, qui venit postmodum, Guido de Ranis Clericus Domini, & plures alii.

Dominica sequenti ante festum Magdalenae in mane audivit ibi Missam, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit. Et exinde venit apud Nozerinas prioratum Dolensem; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà, & procuratus ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum octo librae.

Die Lunae sequenti in mane audivit ibi Missam, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde venit apud Nozerinas prioratum Dolensem; & receptus fuit processionaliter ut suprà, & procuratus ad expensas Prioris dicti loci. Non fuit computatum de expensis.

Dicta die Lunae remisit ista vice Dominus, ob dilectionem & amicitiam magistri Girardi de Malomonte, procurationem quam habebat in priorata de Auzilia prioratu Dolensi; quem prioratum idem magister G. tenebat.

Die Martis sequenti in mane audivit ibi Missam, confirmavit. Et exinde venit ad abbatiam Pratibenedicti ordinis Cisterciensis; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà à conventu dicti loci, quia non habebant Abbatem; & ipsa die pernoctavit ibi ad expensas abbatiae.

Die Mercurii sequenti audivit ibi Missam in quadam capella extra abbatiam, confirmavit ibidem, & fecit coronas. Et exinde venit apud Pradeaux prioratum Dolensem; ubi receptus fuit processionaliter & procuratus ad expensas Prioris loci dicti, qui noluit computare.

Die Veneris sequenti in mane audivit ibi Missam, confirmavit. Et exinde venit apud Iarnage prioratum conventualem de Clusa; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà, & procuratus ad expensas Prioris, qui noluit computare. Media nocte vero inventi fuerunt duo parvuli latrunculi ante ostium camerae Domini; quorum unus recognovit se cepisse in bursis Capellani & Clerici Capicerii Pictavensis eadem nocte usque ad summam xv. solidorum, de quibus partem reddidit. Qui latrunculi incarcerati fuerunt in carcere Prioris domini dictae villae de Iarnage.

Die sabbati sequenti in vigilia Magdalenæ mane audivit ibi Missam, confirmavit. Et exinde venit apud Garectum prioratum sancti Savini Pictavensis diocesis. Receptus fuit processionaliter ut suprà, audivit vesperas, completorium, & vigilias in Ecclesia sollemniter; & ipsa die procuratus fuit ad expensas Prioris dicti loci, qui noluit computare.

Dominica sequenti in festo Magdalenæ venit Dominus apud abbatiam Agedunensem ordinis sancti Benedicti; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà ab Abbate & conventu dicti loci, celebravit Missam conventualem in pontificalibus cum pallio, acolythos fecit, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit; & procuratus fuit ipsa die ad expensas Abbatis, nec fuit computatum. Eadem die proposuit Geraldus de Marciaco Clericus contra Iohannem Bachalat monachum beatæ Mariæ Ageduni quod idem monachus interfuit murtro Iohannis de Marcat defuncti fratris dicti Geraldi; & est factum notorium & fama publica, & quod hujusmodi facto perpetrato prædictus monachus fugit abbatiam de nocte. Idem dixit contra Petrum Bussi monachum dictae abbatiae & Priorem sancti Passencii.

Die

Die Lunae sequenti venit Dominus apud Bonum locum abbatiam ordinis Cisterciensis, ubi receptus fuit processionaliter ut suprà ab Abbate & conventu dicti loci. Praedicavit in capitulo, audivit ibi Missam, & pernoctavit ibidem ad expensas abbatiae, nec fuit computatum de expensis.

Die Martis sequenti in mane ibidem in Ecclesia consecravit duo altaria, unum in honore sanctae crucis, & aliud in honore sancti Nicolai. Celebravit, tonsuras fecit, confirmavit. Et ipsa die exinde venit apud Turrem sancti Austregisili prioratum Dolensem, quem Abbas tenet in manu sua; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà, & procuratus ad expensas ejusdem monachi procuratoris dicti Abbatis. Summa expensarum VIII. libræ & XII. solidi.

Die Mercurii sequenti in festo beatorum Iacobi & Christophori venit Dominus apud Goson prioratum Stirpensem, ubi receptus fuit processionaliter ut suprà. Celebravit in pontificalibus cum pallio, prædicavit, indulgentiam dedit; & procuratus fuit ad expensas Prioris dicti loci, qui noluit computare.

Die Iovis sequenti venit Dominus apud abbatiam Cambonensem, ubi receptus fuit processionaliter ut suprà à Præposito & conventu dicti loci. Audivit ibi Missam, & prædicavit in capitulo; & procuratus fuit ad expensas Praepositi dicti loci, qui noluit computare. Quia vero Domino datum fuerat intelligi à quibusdam monachis dicti loci quod Praepositus dictae Ecclesiae bona temporalia & spiritualia dissipabat, dicto Praeposito contrarium asserente, Dominus super iis volens inquirere veritatem, prout suo incombit officio, mandavit conventum dicti loci coram se ipsa die, ut sibi super statu suæ Ecclesiae dicerent veritatem. Qui monachi, juramento obedientiae ad hoc adstricti, sibi responderunt omnes & concorditer, publicè tamen, quod praefatus Praepositus laudabiliter se habebat tam in spiritualibus quam in temporalibus, & quod bona Ecclesiae erant in bono statu tam in capite quàm in membris. Quorum responsionibus acquievit. Et iis actis, in inquisitione praedicta ulterius procedere noluit.

Die Veneris sequenti in mane audivit ibi Missam, confirmavit, fecit tonsuras. Et exinde venit apud abbatiam Evahonensem, ubi receptus fuit processionaliter ut suprà à Praeposito & conventu dicti loci. Audivit ibi Missam, praedicavit in capitulo, praesentibus Praeposito & conventu dicti monasterii & aliis Prioribus foraneis, videlicet Priore de Castella, Priore de Domairac, Priore sancti Petri de Montelucio, Priore de Tullo, Priore de Neris, & pluribus aliis necnon praesentibus Decano Lemovicensi Domino Iohanne de Vernoliis, Petro Malens Canonico Lemovicensi, & sociis Episcopi Lemovicensis, magistro G. de Armento Officiali Claromontensi, & Praeposito Cambonensi, & pluribus aliis Clericis & laicis. Vbi Prior de Trenant Domino contra suum Praepositum graviter conquerendo monstravit quod cum esset in possessione prioratus de Trenant, idem Praepositus de Evahon ipsum spoliaverat sine causa à possessione praedicta; asserens dictus Prior quod de consuetudine in praedicta Ecclesia de Evahon approbata ita erat, quod Praepositus non poterat aliquem prioratum conferre nisi in capitulo & de consensu capituli, nec etiam aliquem Priorem destituere, deponere, seu amovere nisi ex causa allegata & approbata & de consensu capituli ac etiam Metropolitani; dicto Praeposito contra illam consuetudinem se opponente & aliam consuetudinem allegante. Quibus sic propositis & auditis in praesentia nominatorum suprà, praecepit Dominus partibus quod quilibet de jure suo ipsum informaret, & parti quae potiora jura pro se ostenderet jus suum faceret deliberari. Quibus sic actis, exivit capitulum; & dictus Praepositus pro bono pacis voluit, & promisit postmodum in praesentia Domini, quod dictus Prior possessionem bonorum dicti prioratus unà cum dicto prioratu integrè rehaberet. His actis, ipsa die procuratus fuit dictus Dominus Bituricensis ibidem ad expensas Praepositi & conventus dicti loci, nec fuit computatum de expensis.

Die sabbati sequenti audivit ibi Missam in mane, confirmavit. Et exinde venit apud Ruygnac prioratum Evahonensem; ubi receptus fuit ut suprà, & procuratus ad expensas proprias Prioris dicti loci, qui noluit computare de expensis.

Dominica sequenti in octavis Magdalenae venit Dominus apud Manicac prioratum Silvigniacensem, ubi receptus fuit processionaliter ut suprà. Audivit Missam, confirmavit, tonsuras fecit. Et quia inter Priorem & Capellanum dicti loci contentio vertebatur super hoc quod dictus Prior dicebat Capellanum teneri ad medietatem procurationis, vocatis partibus, Dominus super hoc inquisivit, & invenit per testes quod praedecessores dicti Capellani solverant medietatem procurationis. Propter quod dicto Priori, qui sibi ministraverat dictam procurationem, dedit unam litteram in qua continebatur quod nisi infra certum terminum idem Capellanus satisfecisset de medietate procurationis praedictae praedicto Priori, quod propter hoc esset excommunicatus idem Capellanus. Et fuit summa expensarum IX. librae & IV. solidi.

Die Martis sequenti in festo sancti Germani venit Dominus apud monasterium Rosoliense, ubi sunt Canonici seculares; & receptus fuit processionaliter ut suprà à Canonicis dictae Ecclesiae. Celebravit in pontificalibus, fecit acolythos, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, tonsuras fecit; & procuratus fuit ibidem ad expensas capituli. Summa expensarum XI. librae VI. solidi. Ipsa vero die quendam Clericum dictae villae, qui extirpaverat vineam Sacristae dictae Ecclesiae, coram se citari fecit. Qui citatus comparens recognovit se dictam vineam extirpasse. Propter quod Dominus condemnavit ipsum Clericum in decem solidis Turonensibus reddendis dicto Sacristae infra quindecim dies; & super hoc concessit litteram dicto Sacristae.

Die Mercurii sequenti in festo sancti Petri ad vincula venit Dominus apud Pheletinum prioratum Cambonensem; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà. Celebravit in pontificalibus cum pallio, fecit acolythos, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, & fecit tonsuras. Procuratus fuit ipsa die ad expensas Prioris, qui noluit computare de expensis.

Die Iovis sequenti venit Dominus apud Meignac prioratum Dolensem, quem Abbas Dolensis tenebat in manu sua; & ibi fuit receptus processionaliter ut suprà, audivit Missam, & procuratus fuit ibidem. Summa expensarum VIII. librae. Eadem vero die comparuit ibidem coram Domino Iohannes Leonardi Canonicus Ecclesiae Rosoliensis citatus de mandato Domini pro eo quod ipse manus injecerat violentas in Iohannem Malteherbes laicum in cimiterio Rosoliensi usque ad effusionem sanguinis; quam effusionem sanguinis recognovit idem Canonicus coram Domino, & se super hoc ordinationi Domini supposuit. Vnde Dominus condemnavit ipsum in decem solidis Turonensibus reddendis passo injuriam. Item condemnavit eundem in una capa serica in pretio sex librarum Turonensium reddenda Ecclesiae Rosoliensi infra annum instantem (& super hoc fuerunt plegii Capellanus Ecclesiae Rosoliensis & Petrus Tire Canonicus dicti loci) pro injuria illata Ecclesiae praedictae Rosoliensi pro verberatione & sanguinis effusione facta in cimiterio Ecclesiae praedictae; & super hoc dedit litteras, quae traditae fuerunt Archipresbytero de Albuconio, ut per ipsum poena levaretur praedicta. Eadem vero die ad reconciliandum dictum cimiterium benedixit aquam, & mandavit dictum cimiterium benedici ex illa aqua benedicta per Capellanum de Chambonac. Hoc enim poterat facere Dominus ex privilegio speciali, videlicet cimiteria polluta sanguine vel alias reconciliari facere per quemcunque vellet, dum tamen esset idoneus & ad hoc instructus.

Die Veneris sequenti in festo inventionis sancti Ste-

Stephani venit Dominus apud abbatiam de Bona-aqua ordinis Cistercienfis; ubi receptus fuit processionaliter ab Abbate & conventu dicti loci, pulsatis campanis. Praedicavit in capitulo, celebravit Missam conventualem in pontificalibus cum pallio, fecit acolythos & tonsuras, & pernoctavit ibidem. Quia verò Abbas minus sufficienter necessaria ministraverat Domino & suis, deficiendo in ferratura equorum, & culcitris, lintaminibus, palea, & multis aliis, Dominus die crastina in mane eundem Abbatem canonicè monuit de emendando praedictum delictum. Et licèt dictus Abbas offerret se facturum voluntatem Domini verbo & non facto, Dominus eum excommunicavit; & ex abundanti appellavit idem Dominus ad sedem apostolicam pro se & suis & ad hoc consentientibus, ne ipsi Abbas & conventus vel exequutores eorum à sede apostolica deputati, si quos habebant, aliquid de facto contra ipsum vel suos attentarent. Insuper legi fecit eidem Dominus ibidem privilegium quod habebat, videlicet quòd nullus delegatus, subdelegatus, conservator vel exequutores quicunque ipsum possent excommunicare.

Die sabbati sequenti venit Dominus apud Portum Dei prioratum conventualem Casae Dei; ubi receptus fuit processionaliter & honorificè ut suprà. Audivit Dominus Missam conventualem, confirmavit; & procuratus fuit ad expensas Prioris dicti loci, nec voluit computare de expensis.

Dominica sequenti in mane fecit ibi tonsuras. Et exinde venit apud Bortum prioratum Cluniacensem, quem tenebat Episcopus Claromontensis; ubi fuit receptus ut suprà. Audivit ibi Missam, confirmavit; & procuratus fuit ibidem ad expensas procuratoris dicti Episcopi Claromontensis. Non fuit computatum de expensis.

Die Lunae sequenti venit Dominus apud sanctum Angelum prioratum conventualem de Carrofio, ubi receptus fuit ut suprà. Audivit Missam, confirmavit; & procuratus fuit ad expensas Prioris dicti loci, qui noluit computare de expensis.

Die Martis sequenti in mane fecit ibi tonsuras. Et exinde venit apud Maimac abbatiam ordinis sancti Benedicti, ubi receptus fuit processionaliter ut suprà ab Abbate & conventu dicti loci. Celebravit, & procuratus fuit ipsa die ad expensas abbatiae. Et quia datum fuerat Domino intelligi quod monachi dictae abbatiae multum dissolutè vivebant jacentes in cameris, omisso eorum dormitorio, comedentes singulariter in cameris, eorum refectorio praetermisso, mandavit Dominus Abbatem & monachos dicti loci coram se, & in praesentia monachorum suorum eidem Abbati praecepit quod de cetero comederent in refectorio & jacerent in dormitorio & non alibi nisi ex causa, exceptis in officiis constitutis; de quibus praecepit Dominus ut servaretur in eis quod hactenus fuerat observatum. Praedictus autem Abbas promisit Domino quod staret ordinationi suae, & quod in praemissis tanquam suo ordinario obediret.

Die Mercurii sequenti venit Dominus apud Vedrines prioratum Casae Dei; ubi receptus processionaliter ut suprà, audivit Missam, & procuratus fuit ibidem ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum IX. librae.

Eadem die finavit Prior de Vantador Cluniacensis ordinis de procuratione sua ad. X. libras.

Et ipsa die incepit Dominus dare commissiones sub hac forma.

Simon Dei gratia Bituricensis Archiepiscopus, Aquitaniae Primas, dilecto in Christo tali Priori vel Abbati Lemovicensis dioecesis salutem in Domino. Conquestus est nobis Lemovicensem dioecesim visitantibus B. ejusdem dioecesis quòd P. & H. Clerici vel laici praefatae dioecesis super terris, debitis, possessionibus, & rebus aliis vel usuris injuriantur eidem. Ideòque discretioni vestrae committimus & mandamus quatinus coram vobis partibus convocatis, audiatis causas & fine debito terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam auctoritate nostra firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili compellatis veritati testimonium perhibere. Datum &c.

Eadem die impetravit commissionem Iohannes de Otherarico monachus Casae Dei contra Renaudum Alemart, Gaubertum Aboniart, Petrum Galteri, & uxorem Iohannis Boet Lemovicensis dioecesis; & habuit judicem magistrum P. de Podis Canonicum Hacentensis monasterii.

Die Iovis sequenti in mane audivit ibi Missam Dominus, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde venit apud Tutelam abbatiam ordinis sancti Benedicti; ubi Abbas & burgenses dictae villae cum trumpis & instrumentis aliis jocundis obviaverunt Domino, & ipsum conduxerunt usque ad portam Ecclesiae; & ibi fuit receptus honorificè ab Abbate & conventu dicti loci, pulsatis campanis, & processionaliter, & procuratus ibidem ad expensas abbatiae, & non fuit computatum de expensis.

Die Veneris sequenti in festo beati Laurentii in mane intravit capitulum, praedicavit, postmodum celebravit Missam conventualem in pontificalibus cum pallio, fecit acolythos, praedicavit populo, indulgentiam dedit; & fuit ibidem ipsa die ex gratia ad expensas & invitationem Abbatis dicti loci. Qua die, congregato capitulo, Dominus in praesentia capituli proposuit quod monachi in prioratibus constituti saepissime prioratibus suis debitis servitoribus destitutis veniebant ad abbatiam suam, ibidem diutiùs residentes, & in cameris dictae abbatiae comedebant, & secum multos monachos dictae abbatiae invitabant pro machinationibus & aliquibus discordiis suscitandis & ut eos possent trahere ad voluntatem suam faciendam, & ita bona abbatiae pro nihilo consumebant, prioratus suos debito servitio defraudantes. Quare praecepit eis Dominus ut super statu abbatiae responderent sibi veritatem. Praedicti autem Abbas & monachi responderunt concorditer quod abbatia tam in temporalibus quàm in spiritualibus erat in bono statu. Quibus auditis, Dominus noluit procedere ulterius, sed recessit.

Die sabbati sequenti in mane audivit ibi Missam, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde venit apud Obazinam abbatiam Cisterciensem, ubi receptus fuit processionaliter ut suprà. Praedicavit in capitulo, & rogavit ipsos de capitulo ut ipsum recommendatum haberent in orationibus suis & beneficiis. Qui devotè eidem annuerunt. Post prandium eadem die visitavit Dominus moniales ibidem propè existentes, quae nullo tempore vitae suae exeunt claustrum, ut dicitur, nec intrant claustrum homines nisi cum Praelatis vel personis honestis. Praedicavit ibidem, & dedit indulgentiam.

Die dominica in mane sequenti consecravit ibidem in quadam capella quoddam altare in honore beatae Mariae Magdalenae; audivit Missam, & dedit indulgentiam illis qui interfuerant consecrationi dicti altaris. Exinde venit apud Argentac prioratum conventualem de Clusa, ubi receptus fuit processionaliter ut suprà; audivit Missam, confirmavit, & procuratus fuit ad expensas Prioris dicti loci, nec fuit computatum de expensis.

Die Lunae sequenti audivit ibi Missam, confirmavit, tonsuras fecit. Ex exinde venit apud Brivasac prioratum Sollemniacensem; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà, & procuratus ad expensas Prioris dicti loci, nec fuit computatum de expensis.

Die Martis in vigilia Assumptionis beatae Mariae venit Dominus apud Bellumlocum, ubi fuit honorificè receptus à burgensibus & processionaliter ab Abbate & conventu dicti loci. Intravit capitulum, praedicavit & visitavit; & in ipso capitulo recepit homagium & fidelitatis juramentum ab Abbate praedicto de villa Bellilocensi cum pertinentiis feodis ipsius villae, secundum quod in littera compositionis olim factae inter Abbatem & Dominum Bituricensem

sem

sem Archiepiscopum continetur. Et protestatus fuit Dominus quòd licèt dicta homagium & juramentum receperit in capitulo supradicto, nullum sibi & Ecclesiae Bituricensi praejudicium generetur quin praedictus Abbas & successores ejus ea facere teneantur alibi quando fuerint requisiti, petens idem Dominus Archiepiscopus ab ipso Abbate claves portarum dictae villae sibi tradi in signum dominii, prout facere tenebatur. Qui respondit quòd libenter eas traderet, si haberet, sed ad praesens eas non habebat, nec habere poterat, quia Bernardus de Sacrario, cui eas commiserat custodiendas tempore Domini Guidonis praedecessoris Domini, sibi reddere denegabat, praesentibus pluribus monachis & burgensibus dictae villae, quorum nomina scripta sunt in litteris inferiùs confectis. Eodem verò die Dominus fuit cum Abbate ex gratia & à burgensibus villae.

Super homagio & juramento fidelitatis facto dedit Abbas litteram sigillo suo sigillatam sub hac forma.

Universis praesentes litteras inspecturis Bego humilis Abbas Bellilocensis Lemovicensis diocesis salutem in Domino. Noveritis quod cùm nos & conventus noster nomine Ecclesiae nostrae Bellilocensis à reverendo patre Domino S. Bituricensi Archiepiscopo Aquitaniae Primate nomine sacrosanctae Bituricensis Ecclesiae teneamus in feodum & tenere debeamus villam nostram Bellilocensem cum pertinentiis & juribus ad ipsam spectantibus, cum praedicta omnia moveant de feodo & dominio Bituricensis Ecclesiae, prout evidenter per probationes legitimas productas coram Officiali Nivernensi judice super hoc delegato à reverendo patre Simone Dei gratia tituli sanctae Caeciliae Presbytero Cardinali tunc apostolicae sedis Legato apparet & per diffinitivam sententiam ab eodem contra nos pro Bituricensi Archiepiscopo promulgatam. Item cùm nos teneamus in feodis à Domino Archiepiscopo nomine Bituricensis Ecclesiae omnia temporalia prioratuum omnium, administrationum, & obedientiarum ad monasterium nostrum spectantium, ac omnes alias villas nostras cum pertinentibus suis & juribus omnibus, ac omnia feoda & refeoda ad monasterium nostrum spectantia, videlicet reparium & temporalia de Scanlhac, administrationem & temporalia de Friac & de Favars & de Riberia, de Biarot, & Denscous, & de Burda, & de Signec, & praepositatum de Tudel, & temporalia Ecclesiarum de Felinis, de Girat, & de Bonavilla, de Scanquel, & de Bochart, Datilac, de la Tuc, & de nemore, & villam de Condac, villam del Saule, homagia & feoda Vicecomitis Turennae, domini de Castro novo, domini Rigaudi de Caveagaac, R. de Curamonta, domini de Nioleto, domini Filberti de Pomeya, domini Gilberti de Ganerii, domini Guillelmi de Cabra, Petri Doragnae, Guillelmi de Moritanis, Guillelmi & Ademari de Favras, dominorum de Malamorte, & omnium aliarum personarum quae nobis & monasterio nostro debent vel fecerunt homagia & quae teneat in feudum vel refeudum à nobis & monasterio nostro vel tenere debent, nec praedicta omnia vel aliqua de praedictis tenemus ab alio domino temporali nec tenere possumus, cùm ipse Archiepiscopus noster & rerum nostrarum temporalium dominus sit superior temporalis, & ressortum habet à nobis tanquam dominus temporalis superior & habere debet & successores sui in perpetuum. Necnon eidem & successoribus jurare tenemur fidelitatem, ac eidem claves Bellilocenses tradere in novo adventu suo, anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo quinto, decimonono kalendas Augusti, die Martis quartadecima ejusdem mensis, in vigilia Assumptionis beatae Mariae virginis, in monasterio nostro, videlicet in capitulo nostro, circa tertiam pulsata campana ad congregandum conventum nostrum in dicto capitulo, reverendo in Christo patri Domino Simoni Dei gratia Bituricensi Archiepiscopo Aquitaniae Primati supradicto nomine Bituricensis Ecclesiae homagium fecimus & juramentum fidelitatis de omnibus supradictis praesentibus & ad hoc vocatis religioso viro Iohanne Abbate sancti Sulpitii Bituricensis, venerabilibus viris Domino Guidone de Nohailhet Capicerio Pictavensi, & magistro Iohanne Gresillon Canonico Bituricensi, fratribus Simone de Blesis & Iohanne de sancta Severa ordinis Minorum, P. de Rupe Archipresbytero de Castra Bituricensis diocesis, fratre Hugone de Faveriis monacho sancti Sulpitii Bituricensis, Octhone de Saliaci Presbytero Canonico Magdunensi, Conone Presbytero rectore Ecclesiae parochialis de Versione Bituricensis diocesis, Hugone monacho Priore de Urseto Claromontensis diocesis, Iohanne de Maimac Priore claustrali monasterii nostri, Barnardo de Quercu Infirmario, Petro de Planis Camerario, Bertrando de Favars, Stephano de sancto Badelio, Aymerico de Vigilando monachis ejusdem monasterii, Martino la Celbe, Petro Majoris, Petro del Segrey, Bertrando del Segrey, Adamaro la Treilhe, magistro Guillelmo Majoris, & Laurentio Stephani burgensibus villae nostrae Bellilocensis, & pluribus aliis.

Die Veneris post Assumptionem beatae Mariae venit Dominus apud Albignet prioratum de Clusa, ubi receptus fuit processionaliter ut suprà. Audivit Missam, confirmavit, tonsuras fecit, & procuratus fuit ad expensas Prioris dicti loci.

Die sabbati sequenti in mane audivit ibi Missam. Et exinde venit ad Brivam prioratum ordinis sancti Augustini; ubi receptus fuit processionaliter & procuratus ad expensas Prioris dicti loci.

Die dominica sequenti fuit ibidem ad invitationem Domini Guidonis de Nohailhes Capicerii Pictavensis ex gratia in domibus dicti Prioris. Et fuit secum Episcopus Caturcensis. Eadem die celebravit in pontificalibus cum pallio, fecit acolythos & tonsuras, praedicavit, indulgentiam dedit.

Die Lunae sequenti in mane audivit ibi Missam. Et exinde venit apud Vosies abbatiam ordinis sancti Benedicti; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà, & procuratus ad expensas abbatiae, nec fuit computatum de expensis.

Die Martis sequenti audivit ibi Missam, intravit capitulum, praedicari fecit. Et exinde venit apud Usarchiam, ubi receptus fuit processionaliter ut suprà ab Abbate & conventu dicti loci, & procuratus ad expensas abbatiae. Non fuit computatum.

Die Mercurii sequenti in octavis Assumptionis beatae Mariae in mane audivit Missam ibi, praedicavit, tonsuras fecit, & confirmavit. Et exinde venit apud Arnacum prioratum sancti Martialis Lemovicensis; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà, & procuratus ad expensas prioris dicti loci.

Eadem die concessit commissionem Dominus Stephano Salavalh Clerico conquerenti quod Bernardus Bonifaci, Guido Estuderii, Bartholomaeus Radulphi, Bernardus Iudicis de Capella, Petrus & Gacelinus fratres super terris &c. judicem Priorem claustralem Belliloci.

Die Iovis sequenti in mane audivit ibi Missam, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde venit ad prioratum sancti Roberti de Casa Dei, ubi receptus fuit processionaliter, & procuratus ad expensas Prioris dicti loci.

Die Veneris sequenti in festo beati Bartholomaei venit Dominus apud Dalon abbatiam Cisterciensem, ubi receptus fuit processionaliter ut suprà. Et duo altaria in Ecclesia dicti loci consecravit, unum in honore beati Bartholomaei, & aliud in honore Apostolorum Simonis & Iudae. Audivit Missam, confirmavit, & fecit tonsuras, & pernoctavit ibidem ad expensas abbatiae. Non fuit computatum de expensis.

Die sabbati sequenti venit Dominus apud sanctum Aredium, ubi sunt Canonici seculares; & receptus fuit processionaliter ut suprà à Decano & capitulo dicti loci. Ipsa die celebravit Dominus in pontificalibus magnam Missam, & fuit procuratus dicta die ad expensas Decani & capituli dicti loci. Summa expensarum . . . . . .

Die

Die dominica sequenti in Ecclesia dicti loci duo altaria consecravit, unum in honore sancti Aredii, & aliud in honore sancti Iuniani. Celebravit in pontificalibus cum pallio, fecit acolythos & tonsuras, confirmavit. Et ipsa die venit apud Chalas prioratum conventualem sancti Augustini; ubi fuit receptus processionaliter ut suprà, & procuratus ad expensas Prioris dicti loci.

Die Lunae sequenti in mane audivit ibi Missam, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde venit apud Sollemniacum abbatiam sancti Benedicti, ubi Episcopus Lemovicensis, Abbas sancti Martialis Lemovicensis, & plures alii venerunt Domino obviam; & fuit receptus processionaliter, ipsis praesentibus, ab Abbate & conventu dicti loci processionaliter ut suprà; procuratus ad expensas abbatiae. Summa expensarum . . . .

Eadem die concessit Dominus commissionem Abbati & conventui dicti loci conquerentibus quod Ademarus de Cambonio dictus Cechardus, Guido & Aymericus de Claro oculo; & Iohannes Medici Lemovicensis diocesis, super terris, debitis, possessionibus &c. injuriantur eisdem, judicem Priorem claustralem Bellilocensem praefatae diocesis. Item aliam dictis conquerentibus quod Iohannes Gregorii & ejus uxor, magister Matthaeus, qui moratur cum domino Gacelmo de Castronovo Milite, dictus Lalamans, & dictus Baurac de Gezonis praefatae diocesis super terris &c. injuriantur eisdem, judicem supradictum.

Item aliam Praeposito de Fagia monacho Sollemniacensi ejusdem diocesis conquerenti quod P. Baylac, G. Donea domicellus, Iohannes deu Quaroy, Aymarz Samçonet, & Guido Rogerii praefatae diocesis super terris &c. injuriantur eisdem, judicem supradictum.

Item aliam dicto Praeposito conquerenti quod B. Greu, B. Baylet Presbyter dictus Barriso, P. de Broli, & Bernardus Manha praefatae diocesis super terris &c. injuriantur eidem, judicem Priorem claustralem Bellilocensem praedictum.

Item aliam Priori de Cella monacho Sollemniacensi conquerenti quod Guido Gergnos, dictus Gannac, dictus Bonet Cans, & Iohannes Pellissa diocesis praedictae Lemovicensis super terris &c. injuriantur eidem, judicem supradictum.

Item aliam Guillelmo Saderia Clerico conquerenti quod Ademarus de Saxum Miles, Guillelmus de la Rocha, Iohannes Bertrandi, G. Lacosta, P. Faure de Examduno ejusdem diocesis super terris &c. injuriantur eidem, judicem Priorem sancti Geraldi Lemovicensis.

Item die Martis sequenti in mane audivit ibi Missam, confirmavit, & fecit tonsuras. Et exinde venit apud Calucium castrum magistri Geraldi de Malomonte, & fuit ibidem ad invitationem dicti magistri ex gratia.

Die Mercurii sequenti in festo decollationis beati Iohannis Baptistae in mane audivit ibidem Missam, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde venit apud Petram-Bufferiam, ubi receptus fuit processionaliter ut suprà, & procuratus ad expensas Prioris dicti loci & Praepositi de Carovico, qui duo unam procurationem dant. Prioratus de Petra-Buferia est de abbatia Sollemniacensi. Prior de Carovico est de abbatia sancti Augustini Lemovicensis. Summa expensarum . . . . .

Eadem die fecit homagium Domino & juramentum fidelitatis Prior monasterii de Vicano Caturcensis diocesis de omnibus temporalibus & juribus quae habebat seu habere poterat aut debebat in villa Vicanensi & pertinentiis suis, praesentibus religiosis viris Iohanne Abbate sancti Sulpitii Bituricensis, Priore de Petra-Bufferia, Domino Guidone de Nohailhes Capicerio Pictavensi, Domino Ademaro de Riparia, magistris I. Gresillon Canonico Bituricensi, P. de Versione, P. de Rupe Archipresbytero de Castra Bituricensis diocesis, Octhone de Salinis Capellano Domini Canonico Magdunensi, & pluribus aliis Clericis & laicis. Et licet dictus Prior dictum homagium teneretur facere Bituris, ad supplicationem dicti Prioris & multorum bonorum recepit ibidem dictum homagium ex gratia. Super quibus debuit dare litteras dictus Prior de Vicano.

Dicta die impetravit à Domino commissionem P. de Bellomonte Clericus contra rectorem Ecclesiae de Mauzanis, Blas. Chaussandras, Bartholomaeum de Muratu, P. Guardelli, & Geraldum Chambaforte laicos ejusdem diocesis; & habuit Bertrandum Alboyni Canonicum sancti Iuniani ejusdem diocesis.

Item eidem P. aliam commissionem contra rectorem Ecclesiae sancti Hilarii de Tumis, P. Hugonis Dantoyr, & Bonetum ejus filium, & P. Gardelli laicos ejusdem diocesis; & habuit judicem Guillelmum Ademari Canonicum sancti Aredii Lemovicensis diocesis.

Item idem P. aliam commissionem obtinuit contra rectorem Ecclesiae de Lestaurs, P. de Marilhu, Guidonem Dassio Clericos, P. Gardelli & B. las Chaussandras ejusdem diocesis; & habuit judicem Iunianum Cauoys Canonicum sancti Iuniani ejusdem diocesis.

Item impetravit aliam idem P. contra Stephanum Chandeliers, Stephanum de Vernant, & Stephanum la Trocharia laicos ejusdem diocesis; & habuit judicem P. Faydici Canonicum Rasoliensem ejusdem diocesis.

Item impetravit idem P. aliam contra rectorem Ecclesiae d'Autor, Bonetum ejus fratrem, Guillelmum Gaialhatz, Guillelmum Emerici de Vserchia & ejus uxorem praefatae diocesis; & habuit judicem Guidonem del Chauseauhier Canonicum sancti Aredii.

Item impetravit idem P. contra Priorem de Vinhareria, rectorem Ecclesiae de Sodena, & Guillelmum Malais laicum ejusdem diocesis; & habuit judicem Bertrandum Alboyni Canonicum sancti Iuniani.

Die Iovis sequenti in mane audivit ibi Missam, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde venit apud Aurelium prioratum conventualem sancti Augustini: ubi receptus fuit processionaliter, praesente Episcopo Lemovicensi, ut suprà. Et ibidem inter Dominum & Episcopum de multis contulerunt. Postea recessit Episcopus, & ivit pransum ibi propè ad duas leucas; & Dominus remansit, & procuratus fuit ibidem ad expensas Prioris dicti loci.

Dicta die impetravit Praepositus d'Arto monachus Sollemniacensis commissionem contra dictum Artaus, Guillelmum Pelos, & Stephanam ejus uxorem, P. & Iohannem dictos Gautier Lemovicensis diocesis; & habuit judicem Priorem de Belloloco Lemovicensis diocesis.

Item aliam commissionem impetravit Prior de Layral Claromontensis diocesis ordinis sancti Benedicti contra Hugonem de Frayxainas dictum le Tondu Palic, Iohannem rectorem Ecclesiae de Verneya, rectorem Ecclesiae de Petrafictа, Iohannem de Vrchier Presbyterum Lemovicensis diocesis; & habuit judicem Priorem monasterii Bellilocensis ejusdem diocesis.

Die Veneris in mane audivit ibi Missam, confirmavit, & fecit tonsuras. Et exinde venit apud Artigiam prioratum conventualem. Ordo est per se. Vbi fuit receptus processionaliter. Praedicavit in capitulo, & procuratus fuit ibidem ad expensas Prioris dicti loci.

Die sabbati sequenti in mane audivit ibi Missam, & fecit tonsuras. Et exinde venit apud monasterium Haentense; ubi receptus fuit processionaliter à Praeposito & capitulo dicti loci, & procuratus fuit ipsà die ad expensas capituli dictae Ecclesiae.

Eadem verò die vocavit Dominus Canonicos dictae Ecclesiae coram se, & inquisivit de statu Ecclesiae. Et quia venerabilis vir magister R. de Albuconio praeposituram dictae Ecclesiae Haentensis & prae-

praepolituram Ecclesiae Rasoliensis necnon & Ecclesiam parrochialem sancti Silvani prope Bellamgardam in eadem dioecesi Lemovicensi tenebat tanquam intitulata, in modum qui sequitur contra dictum Praepositum processit post multas accusationes.

Simon Dei gratia Bituricensis Archiepiscopus, Aquitaniae Primas, universis praesentes litteras inspecturis salutem in Domino. Nuper Lemovicensem dioecesim visitantes, dum per villam Bellaegardae transitum faceremus, ex clamosa insinuatione parrochianorum Ecclesiae sancti Silvani prope villam praedictam frequenter didicimus quod venerabilis vir magister R. de Albuconio tria beneficia, quae inferius annotantur, tanquam intitulata detinebat, quorum unum ex altero non dependet, in suae salutis praejudicium & scandalum plurimorum, videlicet Ecclesiam sancti Silvani curam animarum habentem, ac praeposituram Ecclesiae Rosoliensis, necnon & praepositurum Ecclesiae Haentensis, quae praepositurae in dictis Ecclesiis dignitates reputantur. Postea autem ad Ecclesiam Rosoliensem descendimus, visitationis officium exercentes; ubi Canonici dictae Ecclesiae nobis haec eadem retulerunt. Tandem ad Ecclesiam Haentensem declinavimus, visitationis officium exercentes; ubi Canonici dictae Ecclesiae clamorem praecedentium confirmantes, non sufficiebant admirari qua conscientia tam enormem excessum, non compatiendo praedictis Ecclesiis, toleravimus. Cum autem praemissa essent notoria & manifesta & adhuc sint, ac Episcopus dictae Lemovicensis dioecesis quoad praemissa negligens fuerit, ut dicitur, & remissus, licet beneficia quae tanto tempore vacavissent quod ad nos vel ad sedem apostolicam esset eorum devoluta conferendi potestas, jure metropolitano seu auctoritate sedis apostolicæ conferre possimus, tandem juxta verbum Apostoli dicentis, Nemini citò manum imponas, *volentes super praemissis habere certitudinem pleniorem, ipsum magistrum R. die sabbati ante nativitatem beatae Mariae virginis vocavimus coram nobis apud Haentum, & ab ipso petivimus diligenter utrum praefatum clamorem opere complevisset. Qui nobis respondit quod praefatam Ecclesiam parrochialem ac dignitates praedictas detinuerat per longa tempora & adhuc etiam detinebat, fructus & exitus dictorum beneficiorum levando & percipiendo; quae beneficia, ut dicebat, successivè fuerat assecutus, primo praeposituram Rosoliensem, deinde praeposituram Haentensem, & ultimo Ecclesiam parrochialem praedictam; asserens tamen fuisse super praemissis cum ipso à sede apostolica dispensatum; quam dispensationem ad nostram conscientiam informandam ab ipso nobis petivimus ostendi. Qui nobis respondit quod dispensationem praedictam non habebat de praesenti nec habere poterat; sed die tertia à nobis sibi assignata illam nobis ostenderet & offerret; & nos ad supplicationem ipsius diem Veneris in vigilia nativitatis beatae Mariae sibi assignavimus per haec coram nobis apud Lemovicam ad ostendendum & exhibendum nobis dispensationem praedictam, si quam habet, & ad procedendum ulterius ut jus erit. Quam diem praefatus R. gratanter & voluntate acceptavit, praesentibus religiosis viris Iohanne Abbate sancti Sulpitii Bituricensis, I. de Pheletino ordinis Praedicatorum Lemovicensis, ac discretis viris Domino Guidone de Nobaylhes Capicerio Pictavensi, magistris I. Gresillon Canonico Bituricensi, Ademaro de Reparia, & Petro de Versione Clericis, & Domino Iohanne de Vernolhis Canonico Lemovicensi, ac religioso viro Priore de Maravalle Lemovicensis dioecesis, & pluribus aliis. Datum dicta die sabbati ante nativitatem beatae Mariae apud Haentum anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo quinto.*

Die dominica sequenti in mane ibidem apud Haentum audivit Missam, confirmavit, tonsuras fecit. Et
* Pemsac. exinde venit Dominus apud * Paemhac prioratum sancti Martialis Lemovicensis; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà; & fuit ibi procuratus ad expensas capituli dicti loci, nec fuit computatum de expensis.

Die Lunae sequenti ante nativitatem beatae Mariae virginis in mane celebravit ibidem Dominus, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde venit apud sanctum Leonardum prioratum conventualem ordinis sancti Augustini; ubi receptus fuit processionaliter, praedicavit in capitulo, & procuratus fuit ad expensas Prioris dicti loci. In crastino celebravit ibidem, confirmavit, & tonsuras fecit.

Commissionem dedit Dominus Domino Guidoni de la Porta Praeposito sancti Silvani de abbatia de Vserche Lemovicensis dioecesis contra Aydemarum Forragii, I. & P. Dosa fratres, Iobertum de Baussac, & Guidonem Morselli domicellum praefatæ dioecesis; & habuit judicem Abbatem Bellilocensem.

Die Martis ante nativitatem beatæ Mariæ virginis intravit Dominus Lemovicensem civitatem. Et primò declinavit ad Ecclesiam cathedralem: ubi fuit receptus processionaliter ab Episcopo induto vestibus pontificalibus & à Canonicis dicti loci indutis capis sericis. Et ipsa die fuit procuratus in domibus Episcopi ad expensas ipsius Episcopi nomine capituli, quia debet solvere procurationem pro capitulo secundum quod est consuetum, nec fuit computatum. Et notandum quod antequam Dominus intraret civitatem, venerunt Domino obviam bene per unam leucam Episcopus Lemovicensis, Decanus, magnus Archidiaconus, Cantor, Archidiaconus de Malamorte, Abbas Dauratensis, magister Gillebertus, & plures alii Canonici Lemovicenses, & Abbates sanctorum Martialis & Martini, qui praecesserunt pro recipiendo Dominum processionaliter.

Die Mercurii sequenti praedicavit in capitulo, & visitavit, praesentibus in capitulo Episcopo & Canonicis dictae Ecclesiae, qui ex gratia speciali obtulerunt ei primam vacaturam praebendam in Ecclesia ad opus cujusdam Clerici sui. Et ipsa die celebravit in dicta Ecclesia majorem Missam in pontificalibus, praesente Episcopo. Praedicavit populo, indulgentiam dedit. Et ipsa die dedit indulgentiam, & fuit procuratus in domibus Episcopi ab Episcopo ad expensas ipsius Episcopi.

Die Iovis sequenti visitavit Dominus prioratum sancti Andreæ Lemovicensis; ubi fuit receptus processionaliter ut suprà, praesente Episcopo. Et declinavit ad abbatiam sancti Martini; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà, audivit Missam, & fuit procuratus ibidem ad expensas Abbatis dicti loci; de quibus solvit Prior sancti Andreæ Lemovicensis medietatem, prout consuetum erat.

Die Veneris sequenti in vigilia nativitatis beatae Mariæ virginis visitavit Dominus abbatiam sancti Augustini Lemovicensis, ubi receptus fuit processionaliter ab Abbate & conventu dicti loci, audivit Missam; & fuit procuratus ad expensas abbatiæ, nec fuit computatum de expensis.

Die sabbati in festo nativitatis beatae Mariae intravit Dominus ibidem capitulum, praedicavit. Et exinde venit ad abbatiam sancti Martialis Lemovicensis; ubi receptus fuit processionaliter, praesente Episcopo, ab Abbate & conventu dicti loci, celebravit missam conventualem in pontificalibus cum pallio, acolythos fecit, populo praedicavit, & dedit indulgentiam; & ipsa die procuratus fuit ad expensas abbatiae, in procuratione non fuit computatum.

Die dominica sequenti in mane intravit Dominus capitulum, praedicavit, & visitavit, audivit Missam; & procuratus fuit ibidem ad expensas abbatiae in procuratione, quia Abbas dicti loci tenetur ad duas procurationes. Ipsa die dominica visitavit Dominus abbatiam de Regula Lemovicensis; ubi receptus fuit processionaliter, praedicavit & visitavit in capitulo; & procurationem suam, quam Abbatissae & conventui mandaverat ad diem sequentem, remisit illa vice Abbatissae dicti loci ad supplicationem ipsius Abba-

tissae

tissae ac venerabilis viri Domini Guidonis de Nohaylhes Capicerii Pictavensis, Abbatis Dauratensis, & plurimorum aliorum.

Die Lunae sequenti in mane audivit Dominus Missam apud sanctum Martialem. Et in camera sua, praesentibus Episcopo Lemovicensi, Decano, Archidiacono, Abbate Dauratensi Canonico Lemovicensi, & pluribus aliis Clericis & laicis, Dominus viginti tres pueros tonsuravit. Et notandum quod visitando dictam Lemovicensem civitatem concessit commissiones quae sequuntur; quarum commissionum forma mutata fuit prout sequitur, & concessa personis infrascriptis.

Simon Dei gratia Bituricensis Archiepiscopus, Aquitaniae Primas, dilecto in Christo Priori de Tutela ordinis sancti Benedicti Lemovicensis diocesis salutem in Domino. Conquestus est nobis Lemovicensem diocesim visitantibus Guillelmus Iordani Miles ejusdem diocesis quod Helias de Fonte Presbyter rector Ecclesiae de Barnaco praefatae diocesis super terris, debitis, possessionibus, & rebus aliis injuriatur eidem. Hinc est quod cùm de consuetudine approbata de causis, controversiis, seu litibus quibuscunque omnium subditorum dictae diocesis, de quibus diocesanus loci cognoscere non incepit, possimus cognoscere visitando & eas fine debito terminare vel committere, & in possessione hujusmodi juris vel quasi tam nos quam praedecessores nostri fuerimus & etiam adhuc simus, discretioni vestrae mandamus quatenus coram vobis vocatis partibus, causas audiatis praedictas & eas fine debito, usuris cessantibus, terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam auctoritate nostra firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili compellatis veritati testimonium perhibere. Vobis enim quoad omnia supradicta committimus vices nostras, donec eas duxerimus revocandas. Datum &c.

Sub forma praedicta idem Miles contra Guillelmum de Penavayra Militem dictae diocesis aliam commissionem impetravit; & habuit judicem Praepositum de Manniaco dictae diocesis Lemovicensis.

Item idem Miles contra Hugonem Arivac Militem ejusdem diocesis impetravit aliam; & habuit judicem Petrum de Saveril Canonicum Dauratensem.

Item Bernardus Raymundi Clericus Lemovicensis diocesis contra Gaucelinum Macel, Iohannem dou Verdier, Agnetem Faurella, Iohannem Audebert de Cresoli, & filium Pansie Clericum dictae diocesis, commissionem impetravit similiter; & habuit judicem Priorem claustralem monasterii de Tutela.

Item aliam commissionem impetravit Boso de Montibus domicellus dictae diocesis contra P. Laracha, Raymundum Apicat, relictam dicti Varaymier, & uxorem dico Sorameu, & Hubertum de Cirlot dictae diocesis; & habuit judicem S. Chabilli Canonicum sancti Iuniani praefatae diocesis.

Item Aymingarda dictae diocesis impetravit contra Gaucelinum de Asforla Militem, Heliam Sulher Militem, Heliam de Nobiliaco domicellum, Laurentium Fautoris. P. Bordanayra ejusdem diocesis commissionem; & magistrum S. de Malomonte Canonicum Lugdunensem pro judice impetravit; proviso tamen ne virtute hujusmodi rescripti extra diocesim Lemovicensem partes protrahantur.

Item Aymericus de Iarnahc Miles contra Heliam Durandi, R. Durandi, Hemericum Bordanayra, Stephanum Denner, P. Chabnen dictae diocesis commissionem impetravit; ac P. de Barnon Canonicum Rosoliensem Lemovicensis diocesis pro judice sub praedicta forma impetravit.

Die Lunae praedicta in crastino nativitatis beatae Mariae virginis exivit Dominus civitatem Lemovicensem. Et ipsa die venit apud Carnum juxta Axiam prioratum sancti Martialis Lemovicensis, ubi fuit receptus processionaliter ut suprà, & procuratus ad expensas Prioris dicti loci & Prioris de Ape; qui duo ad unam procurationem tenentur. Summa expensarum XL. librae II. solidi.

Dicta die impetravit commissionem Aymericus Raucharens laicus crucesignatus Lemovicensis diocesis contra Heliam Pelliparii Clericum, Stephanum de Cambarac Presbyterum, P. Loven, P. Peconi laicum ejusdem diocesis. Habuit judicem Dominum Iulianum de Crozis Canonicum sancti Aredii praefatae diocesis.

Item ibidem impetravit commissionem Thomas de Montepessulano de castro Lemovicensi crucesignatus contra Stephanum Cambofortz, P. Io Lacier, P. de Peyreygnec, P. Peconi, & Guillelmum Vachier Lemovicensis diocesis; & habuit judicem Iulianum de Crozis praedictum.

Die Martis sequenti audivit ibi Missam, confirmavit, & fecit tonsuras. Et exinde venit apud Rupem Cavardi prioratum abbatiæ de Carrofo; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà, & procuratus ad expensas Prioris dicti loci. Non fuit computatum de expensis.

Die Mercurii sequenti in mane audivit ibi Missam, confirmavit, & fecit tonsuras. Et exinde venit apud Nancronum prioratum de Carrofo; ubi receptus fuit processionaliter, & procuratus ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum XIII. librae VII. solidi.

Die Iovis sequenti in mane audivit ibi Missam, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde venit apud Buxeriam prioratum conventualem de Clusa; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà, & fuit procuratus ad expensas Prioris dicti loci; nec fuit computatum de expensis.

Die Veneris sequenti in festo exaltationis sanctæ crucis venit Dominus apud Salas prioratum conventualem ordinis sancti Augustini; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà, celebravit in pontificalibus, acolythos fecit; & procuratus fuit ad expensas Prioris dicti loci, qui noluit computare de expensis.

Die sabbati sequenti in octavis nativitatis beatae Mariae venit Dominus apud Perusiac prioratum de Carosso; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà, celebravit in pontificalibus, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, & fecit tonsuras; & procuratus fuit ad expensas Prioris dicti loci, nec fuit computatum de expensis.

Die dominica sequenti venit Dominus ad abbatiam Stirpensem; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà, audivit Missam; & procuratus fuit ad expensas abbatiae, nec fuit computatum de expensis.

Die Lunæ sequenti venit Dominus in mane, & intravit capitulum, & visitavit. Et exinde venit apud sanctum Iunianum; ubi receptus fuit à Decano & capitulo dictæ Ecclesiæ, & procuratus ipsa die ad expensas capituli. Summa expensarum XIII. librae V. denarii minus.

Die Martis sequenti in mane audivit ibi Missam, populo prædicavit, indulgentiam dedit, tonsuras fecit, confirmavit, & in capitulo visitavit, & dedit commissiones quæ sequuntur.

Eadem die Catherina relicta Heliæ de Siens tutrix I. & Aymerici pupillorum suorum impetravit commissionem contra Heliam de Varenis Militem, Petrum de Molico, Heliam de Iuc, & Aymericum Plaichas Valeti, Guillelmum de Furno, & dictum Guaydamour; & habuit judicem Heliam Borrelli Canonicum sancti Iuniani.

Item aliam commissionem obtinuit dicta relicta contra Gerardum Doveri, Gerardum Raens, & P. de Rossoays Lemovicensis diocesis. Habuit judicem supradictum.

Item commissionem obtinuit P. Borelli & Petronilla ejus soror ejusdem litis consortes contra Heliam de Malomonte Militem, P. Vernier Capellanum de Dornarac, P. Barac, & P. Ruveron ejusdem diocesis; & habuerunt judicem Gerardum Galterii Canonicum sancti Iuniani Lemovicensis diocesis.

Die

Die Martis praedicta venit Dominus apud Beux abbatiam Cistercienfem; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà, & pernoctavit ibidem ad expensas abbatiae.

Die Mercurii sequenti in mane audivit Missam, confirmavit. Et exinde venit apud Grandimontem; ubi receptus fuit processionaliter à Priore & conventu dicti loci; & fuit procuratus in aula Prioris, & fuit Prior secum ad prandium, ad expensas Prioris dicti loci; nec fuit computatum de expensis.

Die Iovis in mane intravit Dominus capitulum, praedicavit, & se orationibus fratrum commendavit, audivit Missam, confirmavit, fecit tonsuras. Et exinde venit apud Ambazac prioratum de abbatia sancti Augustini Lemovicensis; ubi receptus fuit processionaliter, & procuratus ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum x. librae xvii. solidi. Et propter paupertatem loci dicto Priori parcere promisit in primo adventu suo procurationem.

DIOCESIS CADURCENSIS.

ANno Domini millesimo ducentesimo octogesimo quinto, die Iovis post mediam quadragesimam, intravit reverendus pater Dominus Simon Dei gratia Bituricensis Archiepiscopus Aquitaniae Primas diocesim Caturcensem causa visitationis. Et primò declinavit apud Martellum; ubi fuit receptus processionaliter, pulsatis campanis, & procuratus ad expensas rectoris Ecclesiae dicti loci. Summa expensarum xvii. librae & xii. solidi Turonenses

Et notandum quòd caristia temporis, quae caristia incomparabilis erat in partibus illis, fiebant expensae tam magnae, & etiam quandoque propter supervenientes. Nam panis qui alio tempore non valebat nisi unum denarium, valebat & vendebatur tunc ix. denariis; & sic de aliis epulis.

Et sciendum quòd in comitiva Domini erant hi quorum nomina hic notantur, scilicet religiosus vir Guido Abbas monasterii Versionis frater Domini, Magister Renerius de Senonis Archidiaconus Graciacensis in Ecclesia Bituricensi, Dominus Otho de Saunis Canonicus Magdunensis, & Conon Canonicus Mimatensis Capellani Domini, magistri P. de Versione & R. de Caritate Clerici Domini, frater Iohannes Marsac monachus Versionensis, frater Hugo monachus sancti Sulpitii Bituricensis poenitentiarius Domini, magistri Iohannes de Camera & Iohannes de Senonis nepos dicti Archidiaconi Clerici, & plures alii Clerici & laici.

Die Veneris sequenti ibidem in mane audivit Dominus Missam, praedicari fecit, indulgentiam dedit. Et exinde venit apud Vairac prioratum de Tutela Lemovicensis diocesis: ubi fuit receptus processionaliter, pulsatis campanis, & procuratus ipsa die ad expensas Prioris dicti loci. Non fuit computatum de expensis.

Eadem die finavit de sua Prior de Carennac ordinis Cluniacensis ad xiv. libras Turonenses.

Die sabbati sequenti venit Dominus ad Rupem Amatoris prioratum abbatiae Tutelae Lemovicensis Diocesis; ubi fuit receptus processionaliter ab Abbate Tutelensi & Priore & conventu dicti loci, pulsatis campanis; & in dicta Ecclesia eadem die sacros ordines celebravit, & quosdam Clericos suae & Claromontensis diocesum ordinavit, & quosdam de diocesi Caturcensi de licentia Episcopi Caturcensis, qui sibi litteram clausam miserat sub hac forma. *Reverendo in Christo patri ac Domino suo carissimo Domino Simoni divina providentia Bituricensi Archiepiscopo & Aquitaniae Primati, Raymundus permissione divina suus devotus Caturcensis Episcopus, salutem & cum recommendatione se ipsum ad ejus beneplacita & mandata. Reverende pater, sanctitati vestrae humiliter supplicamus quatinus hac instanti die sabbati proxima post festum Annuntiationis dominicae, ubicunque eadem die vos esse contingat in Caturcensi diocesi, vobis ibidem placeat sacros ordines celebrare. Nos enim dictis ordinibus supersedebimus ob vestri reverentiam & honorem. Valeat vestra reverenda paternitas bene & diu, quae nobis semper praecipiat tamquam suo. Datum Caturci die Iovis post dictum festum &c.* Ordinibus verò celebratis, procuratus fuit ad expensas Prioris dicti loci. Noluit computare, quia Abbas suus & monachi dicti loci comederunt cum Domino ad prandium.

Die dominica sequenti, qua cantatur *Isti sunt dies*, ibidem apud Rupem Amatoris Dominus celebravit, praedicavit, indulgentiam dedit, & quamplurimos praesente Episcopo Caturcensi confirmavit. Et exinde venit apud Soliacum prioratum conventualem de Aureliaco; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà, & procuratus ad expensas Prioris dicti loci. Noluit computare de expensis.

Die Lunae sequenti in mane audivit ibi Missam, confirmavit, tonsuras fecit, praedicavit, indulgentiam dedit. Et exinde venit apud Gordonium prioratum de Vicano; ubi receptus fuit ut suprà, & procuratus ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum xiii. librae & iv. solidi Turonenses.

Die Martis sequenti in mane audivit ibi Missam, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde venit apud Vicanum prioratum conventualem ordinis sancti Augustini; qui prioratus cum ejus pertinentiis universis tenetur à Domino in feodum; & ibi fuit receptus processionaliter ut suprà, & procuratus in procuratione ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum xxii. librae & xvii. solidi vi. denarii Caturcenses valentes xv. libras & v. solidos Turonenses.

Die Mercurii sequenti fuit ibidem cum Priore ex gratia. Et eadem die ex gratia hac vice remisit Dominus Priori de Vicano procurationem suam, quam ad dictam diem mandaverat Priori de Concoret prioratui abbatiae sancti Ambrosii Bituricensis; quem prioratum idem Prior de Vicano tenebat ad firmam.

Die Iovis sequenti fuit ibidem ad expensas proprias; & in mane intravit capitulum, visitavit. Et eadem die Prior & conventus de Vicano praedicti super homagio & fidelitate quas Domino facere tenentur de prioratu suo & pertinentiis universis dederunt litteras sub hac forma.

Universis praesentes litteras inspecturis. Nos Petrus Stephani Prior monasterii de Vicano Caturcensis diocesis ordinis sancti Augustini, totusque ejusdem loci conventus, salutem in Domino sempiternam. Notum facimus quod cum nos nomine praedicti monasterii nostri teneamur facere fidelitatem & homagium de omnibus rebus temporalibus, quocunque nomine ad nos & monasterium nostrum, quocunque jure, seu quacunque causa vel modo pertinentibus, reverendo patri ac Domino Domino Simoni Dei gratia Bituricensi Archiepiscopo, Aquitaniae Primati, quas scilicet fidelitatem & homagium praedecessores nostros in dicto monasterio Bituricensibus Archiepiscopis qui fuerunt pro tempore ex debito confitemur fecisse, nos ab eodem Domino Archiepiscopo nomine suae Bituricensis Ecclesiae recognoscimus tenere in feodum omnia & singula temporalia suprascripta, eidemque Domino Archiepiscopo nos praedictus Petrus Stephani Prior de Vicano nomine praedicti monasterii nostri gratanter, prout tenemur, fecimus fidelitatem & homagium nostro & conventus nostri nomine apud Petram-Buseriam Lemovicensis diocesis, ubi de mera gratia ab eodem reverendo patre admissi fuimus ad praemissa; quamquam apud Bituricas, si placeret eidem Domino, praedictam fidelitatem & homagium facere teneamur. In cujus rei testimonium sigilla nostra nos Prior & conventus praedicti, quibus divisim utimur, praesentibus duximus apponenda. Datum apud Vicanum anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo quinto, die Iovis ante ramos Palmarum.

Anno praedicto, diebus Mercurii & Iovis praedictis, scilicet ante ramos palmarum, ibidem apud Vicanum in claustro Ecclesiae de Vicano coram Do-

Domino Archiepiscopo & mandato suo personae infrascriptae parrochiani de Gordonio qui suprà usuraria pravitate erant quamplurimum diffamati coram Domino, propter hoc vocati abjuraverunt; & mandato Domini summas infrascriptas, quas se confessi fuerunt habuisse per usurariam pravitatem, per juramentum suum restituere promiserunt & stare juri super iis coram eo.

Bertrandus de Faveriis abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere centum solidos monetae antiquae, quos, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Girardus la Olmeida abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere quindecim solidos, quos, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Girardus de Molendino abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere centum solidos, quos, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Raymundus de Polverlel abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere octo libras, quas, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Girardus Molendinarii abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere decem & octo denarios, quos, prout confessus fuit, habuerat per usurariam pravitatem.

Regnaudus Constantini abjuratus usuras, prout praemittitur, promisit restituere quinquaginta solidos, quos, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Guillelmus de Angolismo abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere decem libras, quas confessus est se habuisse per usurariam pravitatem.

Bernardus de Faveriis abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere XXX. solidos, quos, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Girardus Ricardi abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere quatuor libras, quas, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Stephanus Masit abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere triginta solidos, quos, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Deodatus de Olmeida abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere centum solidos, quos, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Giraldus Estunraldi abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere centum solidos, quos, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Raymundus de Proverel abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere decem libras Caturcenses, quas, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Bernardus de Vineis abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere quinquaginta solidos, quos, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Arnaudus Novelli abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere viginti solidos, quos, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Raymundus Ribere abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere sexaginta solidos, quos, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

P. Texendar, abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere centum solidos, quos, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Arnaudus de la Tramoylhe abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere quinquaginta solidos, quos, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Guillelmus de Callucio abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere quadraginta octo solidos, quos, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Ademarus Castri abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere quinque sesterios bladi, quos prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Renaudus Bonardi abjuratus usuras ut praemittitur, promisit restituere viginti quinque solidos, quos, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Deodatus de Mercato abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere quinquaginta solidos, quos confessus fuit se habuisse per usurariam pravitatem.

Guillelmus de Casselade abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere decem solidos, quos, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Raymundus de Marcilac abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere decem solidos, quos, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Raymundus de Feuborne abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere octo libras, quas, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Gasbertus de Carentelo abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere decem libras, quas, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Arnaldus Raynes abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere decem solidos, quos, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

P. Laval abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere quinquaginta solidos, quos, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Guillelmus de Briva abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere decem solidos, quos, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Guillelmus de Benast abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere decem sollidos, quos, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Arnaldus de Brivis abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere viginti solidos, quos, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

P. Roalis abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere quinque solidos, quos, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Bernardus de Bonpener abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere decem sollidos, quos, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Guillelmus de Livars abjuratus usuras, prout praemittitur, promisit restituere viginti quinque solidos, quos, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

P. Seguin abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere duodecim solidos, quos, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Guillelmus Palmerii abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere viginti solidos, quos, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Guillelmus de Coffel abjuratus usuras, ut praemittitur, promisit restituere decem solidos, quos, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Die Veneris sequenti ibidem apud Vicanum in mane audivit Missam. Ex exinde venit apud Fontes prioratum conventualem abbatiae de Figiaco Caturcensis dioecesis; ubi receptus fuit processionaliter, pulsatis campanis, & procuratus in procuratione ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum XIII. librae & VI. solidi.

Die sabbati sequenti in mane audivit ibi Missam, praedicari fecit, indulgentiam dedit, confirmavit, & fecit tonsuras. Et exinde venit apud Capdenatum prioratum de Aureliaco; ubi fuit receptus ut suprà, & procuratus ad expensas Prioris dicti loci. Summa XXII. librae, VIII. solidi, & tres denarii Caturcenses valentes XIV. libras & XIX. solidos Turonenses.

Eadem die sabbati finavit Domino de procuratione sua Prior de Cardellaco ordinis Cluniacensis ad XIV. libras Turonenses.

Die

Die dominica sequenti in ramis palmarum venit Dominus apud Figiacum abbatiam ordinis sancti Benedicti; ubi receptus fuit honorificè cum trumpis, campanis pulsatis, processionaliter, à conventu dicti loci induto capis sericis; absente Abbate, qui erat ad Regem. Et ipsa die processionaliter cum conventu dicti loci Dominus accessit ad parrochialem Ecclesiam dicti loci; in qua praedicavit populo, indulgentiam dedit, & postmodum rediit ad abbatiam; & ad majus altare in pontificalibus cum pallio celebravit, acolythos fecit; & ipsa die procuratus fuit ad expensas abbatiae dicti loci in procuratione. Summa XXIV. lib. III. solidi & VIII. denarii Caturcenses valentes XVIII. libras, duos solidos, & VI. denarios Turonenses.

Die Lunae sequenti visitavit Dominus prioratum de Cassegnoliis, qui prioratus est de abbatia Figiacensi & in manu Abbatis; ubi fuit receptus ut suprà, audivit Missam, confirmavit, & reversus est apud Figiacum in abbatia; ubi ipsa die fuit procuratus. Super procuratione praedicti prioratus de Cassegnolis, summa XXIII. librae, X. solidi Caturcenses valentes XV. libras, XIII. solidos, & IV. denarios Turonenses.

Eadem die Lunae finavit Prior de Burgo (qui prioratus est de Aureliaco) ad octo libras Turonenses, quia pauper erat.

. Die Martis sequenti in mane ibidem apud Figiacum audivit Missam, confirmavit, & fecit tonsuras. Et exinde venit apud Marcelliacum abbatiam nigram; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà, & procuratus ad expensas Abbatis dicti loci. Summa XXII. librae & duo solidi Caturcenses valentes XIV. libras, & XIV. solidos, & octo denarios (Turonenses.) Et cum Domino comedit Abbas dicti loci cum viginti duabus personis de ipsius Abbatis familia. In crastino vero audivit ibi Missam Dominus in mane, & quosdam confirmavit.

Die Mercurii sequenti, scilicèt ante Pascha intravit Dominus civitatem Caturcensem; & venerunt eidem obviam ferè per duas leucas Episcopus, Archidiaconus, & multi alii Canonici Ecclesiae Caturcensis cum magna societate, qui postmodum ad recipiendam Dominum processerunt. Et primo declinavit ad majorem Ecclesiam; ubi fuit receptus processionaliter, campanis pulsatis, ab Episcopo induto pontificalibus ornamentis & Canonicis dictae Ecclesiae in capis sericis, cum trompis & gaudio magno. Et postea venit Dominus ad monasterium monialium beatae Mariae Deauratae ejusdem civitatis; ubi fuit receptus processionaliter ut suprà, & procuratus ad expensas Priorissae & conventus dicti loci; & fuerunt Episcopus & Archidiaconus cum Domino ad prandium. Postmodum vero ivit Dominus in domibus Episcopi, ubi jacuit, quia domus dicti prioratus non erant sufficientes. Summa expensarum XXIII. librae, & XVII. solidi, & sex denarii Caturcenses valentes XV. libras & XVIII. solidos & tres denarios Turonenses. Et habuerunt omnes moniales panem & vinum & pictantiam sufficienter de mandato Priorissae super expensis hujusmodi.

Die Iovis sequenti visitavit Dominus dictas moniales, praedicavit in capitulo, & dedit indulgentiam. Et postmodum venit ad majorem Ecclesiam, intravit capitulum, visitavit, & praedicavit, Episcopo & Canonicis praesentibus & multis aliis. Postea in eadem majori Ecclesia fecit servitium, chrisma, Episcopo praesente, consecravit, & fecit cum sollemnitate qua decet. Quo facto, visitavit Dominus prioratum sancti Vrsitiiti ejusdem civitatis prioratum de Marsilliaco, quem tenebat Dominus Sicardus Canonicus ejusdem Caturcensis & frater Abbatis Miseracensis; ubi fuit receptus processionaliter ut suprà & procuratus in procuratione ad expensas Prioris dicti loci. Et fuit Dominus Episcopus ad prandium cum Domino & multi alii ad invitationem dicti Domini Sicardi. Nec fuit computatum de expensis.

Die Veneris sequenti cum Episcopo in domibus suis fuit Dominus ex gratia. Et eadem die fecit servitium Dominus in majori Ecclesia praesente Domino Episcopo, tractavit de pace inter burgenses civitatis & Episcopum reformanda.

Sabbato Paschae fuit Dominus cum Episcopo similiter in domibus suis in procuratione, nec fuit computatum. Et ipsa die in majori Ecclesia, Episcopo praesente, sacros ordines celebravit, & quosdam Clericos de diocesibus Bituricensi & Claromontensi ordinavit, & quosdam de dioecesi Caturcensi de licentia ipsius, inter quos promovit ad ordinem subdiaconatus * Archidiaconum magnum, nepotem dicti Domini Episcopi.

* Vocabatur Raimundus de Cornilio.

Dominica in festo resurrectionis Domini ibidem cum Episcopo fuit Dominus gratis. Et celebravit Dominus in pontificalibus cum pallio in Ecclesia majori magnam Missam. Et notandum quod diebus Mercurii, Iovis, & Veneris praedictis Episcopus fuit cum Domino ad vigilias.

Die Lunae fuit ibidem apud Caturcum cum capitulo in procuratione in domo capituli; & fuit Episcopus & omnes Canonici ad prandium cum Domino. Et eadem die audivit Missam, & praedicavit in majori Ecclesia populo, & dedit indulgentiam.

Die Martis sequenti ibidem in capella Episcopi audivit Dominus Missam. Et postmodum exivit civitatem Caturcensem, Episcopo & Canonicis & quibusdam burgensibus ipsum comitantibus & conducentibus ferè per leucam. Et eadem die venit apud Catusium prioratum conventualem de Clusa; ubi fuit receptus processionaliter ut suprà, & procuratus in procuratione ad expensas Prioris dicti loci. Et comederunt Prior & conventus cum Domino. Summa expensarum XIX. librae & sex solidi Caturcenses valentes XIII. libras & octo solidos Turonenses.

Eadem die ad supplicationem Domini Sicardi remisit Dominus ex gratia illa vice procurationem suam quam mandaverat in prioratu de Viganteria, quem prioratum idem Dominus Sicardus tenebat. Et est dictus prioratus de abbatia de Marsilliaco.

Die Mercurii sequenti in mane ibidem apud Catusium audivit Dominus Missam, confirmavit, & fecit tonsuras. Et exinde venit apud Archas prioratum abbatiae de Marsilliaco; ubi fuit receptus processionaliter ut suprà, & procuratus ad expensas Prioris dicti loci. Summa XVI. librae & XIV. solidi & sex denarii Caturcenses valentes X. libras & tres solidos Turonenses.

Die Iovis sequenti in mane audivit ibi Missam, prædicari fecit, indulgentiam dedit, confirmavit. Et exinde venit apud Luser castrum Domini Episcopi Caturcensis; & fuit ibidem cum Episcopo gratis. Eadem die finavit Domino de procuratione sua Prior de Durevello à XIII. libris Turonensibus, & est prioratus de Moyssiaco.

Die Veneris sequenti summo mane ibidem apud Luser in quadam capella audivit Dominus Missam, Episcopo præsente. Et postmodum exinde venit apud Moyssiacum; ubi Abbas & multi alii venerunt ei obviam bene per unam leucam, qui Abbas Moyssiacensis praecessit ad recipiendum Dominum processionaliter; & fuit Dominus ibidem receptus campanis pulsatis processionaliter ab Abbate induto pontificalibus ornamentis, scilicet capa, mitra, baculo pastorali cum chirothecis, & à conventu dicti loci cum trompis & gaudio magno; & eadem die fuit procuratus in procuratione ab Abbate dicti loci, qui noluit computare de expensis.

Die sabbati sequenti in mane celebravit ibidem in pontificalibus cum pallio, prædicavit populo, indulgentiam dedit, confirmavit, & fecit tonsuras. Et exinde ad invitationem Abbatis venit Dominus apud Castelin domum Abbatis prædicti de Moyssiaco in dioecesi Tolosana, ubi fuit ad expensas abbatis ex gratia.

Dominica sequenti in octavis Paschæ venit Dominus apud abbatiam Montisalbani, quæ est sub Abbate Casæ Dei, ut dicunt; ubi fuit campanis pulsa-

tis processionaliter receptus à conventu dicti loci, Abbate absente, qui erat Romæ. Postmodum venit ad parrochialem Ecclesiam dicti loci; & celebravit ibidem in pontificalibus cum pallio, & populo prædicavit, indulgentiam dedit. Et postea reversus est ad dictam abbatiam; & fuit in ea procuratus in procuratione ad expensas abbatiæ. Summa fuit expensarum xv libræ & x. (solidi) Caturcenses.

Die Lunæ sequenti in mane ibidem quoddam altare in honore beati Bartholomæi & plura parva altaria consecravit, audivit Missam, confirmavit, tonsuras fecit & visitavit in capitulo. Et exinde venit apud Cacracum prioratum conventualem de Aureliaco; ubi receptus fuit ut suprà à Decano & conventu dicti loci, & procuratus ad expensas Decani dicti loci. Summa expensarum XIX. libræ, XVI. solidi Caturcenses valentes XIII. libras, decem solidos, & octo denarios Turonenses.

Eadem die Lunæ Abbas sancti Marcelli ordinis Cisterciensis venit ad Dominum, cui mandaverat Dominus quod pernoctare volebat in abbatia sua. Qui Abbas solum allegans paupertatem loci sui, supplicavit Domino ut pro Deo parceret ei ista vice, cum non haberet propter caristiam temporis unde posset eidem providere in necessariis. Qui Dominus ista vice ex gratia pepercit eidem.

Die Martis sequenti in mane ibidem apud Cacrac audivit Missam, confirmavit, & fecit tonsuras. Et exinde venit apud Gardam-Dei abbatiam ordinis Cisterciensis; ubi receptus fuit ut suprà ab Abbate & conventu dicti loci, intravit capitulum, prædicavit, & se orationibus conventus commendavit; & pernoctavit ibidem ad expensas abbatiæ, nec fuit computatum.

Die Mercurii sequenti in mane audivit ibi Missam, confirmavit. Et exinde venit apud Calciaram prioratum de Figiaco; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà. Et quia Ecclesia dicti loci erat interdicta auctoritate Episcopi Caturcensis, magister * Gausbertus Des Plas socius Episcopi Caturcensis, qui conducebat Dominum, ob reverentiam Domini relaxavit interdictum quandiu Dominus esset in villa. Et ipsa die fuit procuratus ad expensas Archidiaconi Figiaci, qui dictum prioratum tenebat. Summa expensarum XXIII. libræ Caturcenses valentes XV. libras, sex solidos, & octo denarios Turonenses.

* Gaubertus Planas Canonicus Caturcensis apud Cruceum pag. 143.

Die Iovis sequenti in mane audivit ibi Missam, confirmavit, & fecit tonsuras. Et exinde venit apud capellam Templariorum; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà à capellanis dictae Ecclesiae, & procuratus ad expensas magistri domus Templariorum dicti loci. Noluit computare.

Die Veneris sequenti ad supplicationem Prioris de Caslucio consecravit Dominus quoddam altare in honore beati Ægidii & beatae Mariae Magdalenae in Ecclesia beatae Mariae de Ilhvre spectante ad prioratum de Caslucio, & audivit Missam. Et exinde venit apud Caslucium prioratum sancti Antonini ordinis sancti Augustini; ubi fuit receptus ut suprà, & procuratus ad expensas Prioris dicti loci. Non fuit computatum.

Die sabbati sequenti venit Dominus apud sanctum Antoninum prioratum conventualem ordinis sancti Augustini; qui prioratus partim est in dioecesi Ruthenensi, & partim in dioecesi Albiensi. Et dum venisset ante portas Ecclesiae, Dominus dixit Priori ut portas Ecclesiae faceret poni ad terram ratione injuriae factae quondam Domino Iohanni de Soliaco praedecessori Domini à monachis & burgensibus dictae villae. Qui Prior ostendit Domino quandam litteram sigillo ejusdem Domini Iohannis sigillatam, in qua continebatur quod idem Dominus Iohannes, certa pecuniae quantitate pauperibus erogata, remiserat depositionem dictarum portarum. Quibus avisatis, satisfactum fuit Domino. Et receptus fuit processionaliter ut suprà à Priore & conventu dicti loci. Audivit Missam conventualem, & procuratus fuit ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum XIV. librae, decem solidi Turonenses. Et ibi finivit visitatio Caturcensis.

DIOCESIS ALBIENSIS.

Die dominica ante festum Apostolorum Philippi & Iacobi eodem anno Domini MCC. octo- 1286
gesimo sexto, completa visitatione dioecesis Caturcensis, intravit Dominus dioecesim Albiensem. Et primò eadem die dominica declinavit apud Voor domum Templariorum; ubi fuit receptus processionaliter, pulsatis campanis, & procuratus à Praeceptore dictae domus. Summa expensarum XI. librae.

Die Lunae sequenti in mane audivit ibi Missam, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde venit apud Viancium prioratum Ecclesiae Albiensis; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà à Praeposito dicti loci, & procuratus. Summa expensarum X. librae & X. solidi Turonenses. Eadem die venit Dominus Episcopus Albiensis ibidem obviam Domino; & cum locuti fuissent insimul, recessit Episcopus, & ivit apud Albiam.

Eadem die finavit de procuratione sua Prior de Rabastins monasterii Moyssiacensis ad XII. libras Turonenses. Et eadem die remisit Dominus procurationem quam mandaverat Priori de Podio Celsi abbatiae Aureliaci ad supplicationem fratris Abbatis sancti Germani de pratis Parisiensis ex gratia.

Die Martis sequenti in vigilia Apostolorum Philippi & Iacobi ibidem in mane apud Viancium audivit Missam, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde venit apud Sisterol prioratum abbatiae de Galliaco; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà, confirmavit, & fecit tonsuras. Et quia domus dicti prioratus non erant sufficientes, procuravit Dominum idem Prior in abbatia Galliacensi. Summa expensarum . . . . .

Et quia idem Prior de Sisterol dicebat quòd praedecessores Domini * considerantes paupertatem loci sui, eidem dare consueverant aliquem prioratum in adjutorium, quod nequaquam Dominus facere poterat nisi loco primitus visitato propter constitutiones Concilii Lugdunensis, eidem Priori parcere promisit quamprimùm ipsum aliàs contingeret dictam dioecesim visitare.

Eadem die venit Dominus apud Galliacum abbatiam ordinis sancti Benedicti, & dicunt se esse sub abbatia Casae Dei. Et quia in itinere fuit dictum Domino quod Episcopus Albiensis excommunicaverat administratores dictae abbatiae, quam sententiam ipsi administratores dicebant non tenere quia erant exempti, Dominus more praedecessoris sui voluit recipi processionaliter, pulsatis campanis, à conventu dicti loci, administratoribus dicti loci tamen absentibus. Et ipsa die procuratus fuit ad expensas illius Prioris de Sisterol.

Die Mercurii sequenti fuit ibidem, intravit capitulum, visitavit, & prædicavit in prato sito antè capitulum eo quòd tanta populi multitudo erat ibi quod intrare non poterant capitulum; & audivit Missam in capella juxta capitulum, & fuit procuratus ipsa die ad expensas abbatiae. Summ. XII. librae, XVI. solidi, IX. denarii Turonenses.

Die Iovis sequenti reconciliavit Dominus cimiterium, audivit ibi Missam, confirmavit. Et exinde venit apud Candelium abbatiam Cisterciensem; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà ab Abbate & conventu dicti loci, intravit capitulum, praedicavit, & se orationibus fratrum commendavit; & pernoctavit ibidem ad expensas abbatiae.

---

* *Et quia prædecessores nostri attendentes paupertatem sui prioratus, eidem consueverant dare aliquem prioratum in adjutorium, quod non poteramus facere nisi loco prius visitato propter constitutiones Concilii Lugdunensis repugnantes, promisimus ei parcere quamprimùm nos contigerit aliàs dictam dioecesim visitare.*

Die

Die Veneris sequenti in festo Inventionis sanctae crucis in mane audivit ibi Missam, confirmavit, & fecit tonsuras. Et exinde venit apud Lanctum prioratum S. Pontii diocesis Narbonensis; ubi fuit receptus processionaliter ut suprà, & procuratus ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum xi. librae, ii. solidi, iv. denarii. Et comederunt cum Domino de familia Prioris bene viginti personae.

Die sabbati sequenti in mane celebravit ibidem in pontificalibus cum pallio, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde venit apud Castras abbatiam ordinis sancti Benedicti; ubi fuit receptus processionaliter & procuratus ut suprà ab Abbate & conventu dicti loci ad expensas Abbatis, qui noluit computare.

Die dominica sequenti post festum Inventionis sanctæ crucis celebravit ibidem in pontificalibus cum pallio, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, & tonsuras fecit. Et exinde venit apud Ballamm prioratum de abbatia Castrensi; ubi fuit receptus processionaliter, pulsatis campanis, ut suprà, & procuratus ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum xv. libræ, octo solidi, decem denarii.

Die Lunae sequenti in mane audivit ibidem Missam, confirmavit. Et exinde venit apud sanctum Amantium prioratum S. Pontii diocesis Narbonensis, ubi fuit receptus processionaliter ut suprà, & procuratus ad expensas Prioris. Summa expensarum xvi. libræ & xvii. denarii Turonenses. Et eidem Priori quamprimum dictam diocesim aliàs contigerit visitare, promisit parcere, ratione qua parcere promisit Priori de Ballato prædicto.

Die Martis sequenti in mane audivit ibi Missam, confirmavit, & fecit tonsuras. Et exinde venit apud Carmam prioratum S. Pontii diocesis Narbonensis; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà, & procuratus ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum xiv. libræ, duo solidi, & unus denarius. Et comederunt de familia Prioris cum domino suo ferè viginti personæ.

Eadem die Prior sancti Gervasii, cui Dominus mandaverat procurationem suam, mandavit Domino quod libenter eum reciperet; sed propter viarum discrimina (nam robatores erant passim per loca illa montana, qui quotidie insidiabant transeuntibus) demandavit illi procurationem suam quoad præsens.

Die Mercurii sequenti ibidem apud la Carme audivit Missam, confirmavit, & fecit tonsuras. Et exinde venit apud Ambiletum prioratum abbatiae Marsilensis; ubi fuit (receptus) processionaliter ut suprà, & procuratus ad expensas Prioris. Summa expensarum xiii. libræ, xii. solidi, & unus denarius. In crastino audivit Missam, & fecit tonsuras.

Die Iovis sequenti in festo translationis sancti Nicolai intravit Dominus civitatem Albiensem. Et venit Episcopus cum magna comitiva obviam Domino, qui postmodum praecesserunt ad recipiendum Dominum processionaliter. Et primò declinavit Dominus ad Ecclesiam cathedralem; ubi fuit receptus, pulsatis campanis, processionaliter ab Episcopo, Præposito, & capitulo Ecclesiae. Et post receptionem suam declinavit ad domos episcopales; ubi procuratus fuit ipsa die ad expensas Episcopi. Noluit computare. Eadem die post prandium venerunt Consules & burgenses civitatis in camera quæ est juxta capellam Episcopi in domibus Episcopi; & ibidem sex burgenses, scilicet Pontius Hugonis, Aymericus Amati, Raymundus Hugonis, Hugo Deodatus, R. Burgensis, & Secardus Callerii tradiderunt claves civitatis Episcopo, quas tradiderat burgensibus custodiendas Episcopus, ut dicebat; quas claves ibidem Episcopus reddidit Domino Archiepiscopo tamquam domino superiori. Et quandiu fuit in civitate praedicta Dominus Archiepiscopus, penes se custodivit. Et dictæ traditioni clavium fuerunt præsentes Raymundus de Frassinello Præpositus Albiensis Ecclesiæ, Berengarius de Carpineis, Berengarius de Monte-Iovis Archidiaconus in Ecclesia Albiensi, magister R. de Canalibus Præpositus Vianeii, Pontius Aman Sacrista, Bernardus Oliverii, magister G. de Monte-Iovis. De comitiva Domini, frater Guido Abbas Versionensis frater Domini, magister Reinerus de Senonis Archidiaconus Graciacensis in Ecclesia Bituricensi, & P. de Versione Canonicus curatus Ecclesiæ Versionensis, & Otho de Salinis Canonicus Magdunensis, Capellani Domini, frater Hugo de Freneriis monachus sancti Sulpitii Bituricensis, frater Iohannes de Massac monachus Versionensis, & plures alii Clerici & laici.

Die Veneris sequenti in capella Episcopi audivit Missam Dominus; & post Missam exivit civitatem, Episcopo eum multis Canonicis eum comitante. Et visitavit prioratum de Escuria abbatiae Galliacensis; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà, & procuratus à Priore dicti loci. Summa expensarum xii. librae & unus denarius. Promisit parcere Priori quamprimum ipsum eandem diocesim contigerit visitare, semel tantùm, ex gratia consimilibus concessâ.

Die sabbati sequenti in mane audivit ibi Missam, confirmavit, fecit tonsuras; & exinde reversus est in civitatem, & declinavit ad monasterium sancti Salvii; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà à Praeposito & conventu dicti monasterii. Post prandium intravit capitulum, visitavit Episcopo praesente; & ipsa die procuratus fuit ad expensas Praepositi dicti monasterii. Noluit computare. Post cœnam reversus est Dominus cum tota familia in domibus archiepiscopalibus.

Die dominica sequenti, qua cantatur *Cantate*, in mane visitavit in capitulo majoris Ecclesiae Episcopo & Canonicis praesentibus, praedicavit, celebravit in pontificalibus cum pallio, indulgentiam dedit; & ipsa die procuratus fuit à capitulo dictae Ecclesiae in domibus archiepiscopalibus; & fuerunt ad prandium cum Domino Episcopus & ferè omnes Canonici.

Die Lunae sequenti in mane audivit Missam in capella Episcopi, & fuit eum ipso ipsa die gratis. Ipsa vero die, hora nona, in domibus Episcopi in camera quae est juxta capellam.

DIOCESIS RVTHENENSIS.

ANno praedicto, die Martis ante Rogationes, intravit Dominus diocesim Ruthenensem. Et primo declinavit apud Varenum prioratum Aureliacensis abbatiae; ubi receptus fuit processionaliter à Decano & monachis dicti loci, pulsatis campanis, & procuratus ad expensas Decani dicti loci. 1286.

Die Martis sequenti audivit ibi Missam, confirmavit, fecit tonsuras. Et exinde venit apud Bellumlocum abbatiam ordinis Cisterciensis; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà, audivit Missam, & fuit receptus à conventu dicti loci, quia Abbas eorum mortuus erat. Intravit capitulum, praedicavit, & se orationibus conventus commendavit; & ipsa die pernoctavit ibidem ad expensas abbatiae. Noluerunt computare.

Die Iovis sequenti in mane audivit ibi Missam. 1286.
Et exinde venit apud Lespinace domum Hospitalariorum; ubi fuit receptus processionaliter ut suprà, audivit missam, confirmavit. Et quia domus Praeceptoris non erant sufficientes ad recipiendum Dominum, ministravit idem Praeceptor procurationem Domino apud Versuel.

Eadem die finavit Prior de Valle Aureliacensis abbatiae de Aureliaco de procuratione sua ad xv. libras & quatuor solidos Turonenses pro cambellanis.

Eadem die finaverunt monachi abbatiae Loci-Dei ordinis Cisterciensis ad xv. libras Turonenses; quia dicebant se non habere avenam, vinum, nec panem sufficientes Domino.

Die Veneris sequenti venit Dominus apud Najatum

tum (prioratum) sancti Antonini Ruthenensis diocesis; ubi fuit receptus processionaliter ut suprà, audivit Missam, confirmavit, & fecit tonsuras; & procuratus fuit ad capensas Prioris dicti loci.

Die sabbati sequenti venit Dominus apud Rivum Petrosum prioratum abbatiae sancti Martialis Lemovicensis; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà, audivit Missam, confirmavit, & in crastino fecit tonsuras; & fuit procuratus ipsa die sabbati ad expensas Decani dicti loci absentis. Noluit computare. Eadem die remisit Priori de Lusuaco abbatiae Casae Dei procurationem suam ad preces Abbatis Casae Dei & Prioris de Privazac hac vice tantum & ex gratia speciali.

Dominica sequenti, scilicet ante Ascensionem Domini, venit Dominus apud Privazac prioratum Casæ Dei; ubi fuit receptus processionaliter ut suprà, audivit ibi Missam, confirmavit; & procuratus fuit ad expensas Prioris dicti loci. Noluit computare.

Die Lunæ sequenti in mane audivit ibidem Missam, & celebravit de mortuis pro Gerardo de Vodeio domicello quondam magistro hospitii sui, qui decesserat apud Albiam, ubi remanserat infirmus. Fecit etiam tonsuras. Et exinde venit apud Ralnhac prioratum abbatiæ Conchensis; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà in quadam minima capella. Nam parrochialis Ecclesia dicti loci per casum fortuitum corruerat, annus erat jam elapsus. In dicta capella Missam audivit, confirmavit; & fuit procuratus ad expensas Prioris dicti loci.

Eadem die finavit Prior de Villanova monasterii Moyssiacensis ad xv. libras & quatuor solidos Turonenses.

Eadem die finavit Prior de Petrucia monasterii Figiacensis ad xii. libras Turonenses.

Eadem die finavit Prior sancti Iuliani monasterii Figiacensis ad sex libras, professus de Monbalim.

Die Martis sequenti venit Dominus apud Asprerias prioratum sancti Martialis Lemovicensis; ubi fuit receptus processionaliter ut suprà, audivit Missam, confirmavit, & in mane fecit tonsuras; & ipsa die fuit procuratus ad expensas Prioris. Summa xv. libræ Turonenses.

Die Mercurii sequenti venit Dominus apud Fluvihac prioratum abbatiæ Conchensis; ubi audivit Missam, confirmavit, & locum sic destructum invenit quòd non fuit aliquis qui sibi procurationem suam ministraret. Propter quod Dominus Ecclesiam ipsam supposuit ecclesiastico interdicto. Et postmodum venit apud Conchas; ubi fuit receptus processionaliter ut suprà, & procuratus ad expensas Abbatis dicti loci ex gratia. Postmodum elapsis sex diebus, venit quidam Clericus tenens dictum prioratum, qui se excusavit pro posse erga dictum Dominum pro eo quòd non fuerat in receptione sua; finavit de procuratione sua ad xii. libras, quas Dominus portari præcepit Abbati Conchensi, qui dicta die ministraverat expensas; & removit Dominus sententiam quam posuerat in dicta Ecclesia.

Die Iovis sequenti, scilicet in festo Ascensionis Domini, dictus Dominus in abbatia de Conchis suam procurationem recepit, intravit capitulum, praedicavit, celebravit majorem Missam. In sero Prior de Barvars contra ipsum Dominum, prout in processu continetur, appellavit.

Die Veneris sequenti venit Dominus apud Albuinum prioratum conventualem ordinis sancti Augustini; ubi fuit receptus ut suprà, audivit Missam, confirmavit, & fuit procuratus, &c.

Die sabbati sequenti transivit Dominus per Monbrisain, & audivit ibi Missam, confirmavit, & fecit tonsuras. Et quia non fuit qui ipsum procuraret, Ecclesiam ipsam supposuit ecclesiastico interdicto. Et exinde venit apud Bornesellum prioratum Conchensem; ubi fuit receptus processionaliter ut suprà & procuratus.

Die dominica sequenti audivit ibi Missam, confirmavit, praedicari fecit. Et exinde venit apud Clarasvalles prioratum abbatiae de Brecoline; ubi fuit receptus processionaliter, audivit Missam, & fuit procuratus.

Die Lunae sequenti in mane fecit ibi tonsuras & confirmavit. Et exinde venit apud Marcilhac prioratum Conchensem; ubi fuit receptus processionaliter ut suprà, audivit Missam, & fuit procuratus.

Die Martis sequenti audivit ibi Missam, confirmavit, & fecit tonsuras. Et exinde venit apud Lemosam domum Templariorum, ubi fuit receptus ut suprà & procuratus. Dedit adjutorem Priorem de Concores.

Die Mercurii venit Dominus apud Silvam domum Templariorum; ubi fuit receptus, audivit Missam, confirmavit, & fecit tonsuras, & fuit procuratus ut suprà.

Die Iovis sequenti venit Dominus apud Canaberes domum Hospitalariorum; processus, audivit ibi Missam, confirmavit, & fecit tonsuras &c.

Die Veneris sequenti ad abbatiam Bonae Combæ ordinis Cistercienis, prædicavit in capitulo, Missam audivit, & pernoctavit ibidem ad expensas abbatiae. In mane fecit tonsuras.

Die sabbati sequenti, videlicet in vigilia Pentecostes, intravit Dominus civitatem Ruthenensem. Et primò declinavit ad majorem Ecclesiam; ubi fuit receptus ab Episcopo & capitulo, & procuratus ab Episcopo.

Dominica in festo Pentecostes fuit Dominus cum Episcopo ex gratia.

Die Lunae in crastino Pentecostes fuit Dominus cum capitulo.

Die Martis sequenti cum Priore sancti Amantii burgi Ruthenensis; & dedit sibi subsidium sexaginta solidorum Turonensium super Priorem Castrinovi de Levexone Marsilliensis abbatiae, & quadraginta super Priorem sancti Genesii ejusdem monasterii.

In eadem visitatione fuit concessa ista littera.

Nos Officialis Ruthenensis notum esse volumus per praesentes quòd anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo sexto, Reverendo patre Domino Simone Dei gratia Bituricensi Archiepiscopo, Aquitaniae Primate, Ruthenensem diocesim jure metropolitico visitante, Priores de Campanhac, de Pratis, & de Trebas, prioratus monasterii Conchensis ejusdem diocesis Ruthenensis, supplicaverunt eidem ut super procurationibus quas ab eis jure quo suprà requirebat eisdem parcere dignaretur, insufficientiam dictorum prioratuum & tenuitatem suorum redituum & temporis caristiam praetendentes. Quorum precibus dictus Dominus Archiepiscopus condescendens, eisdem Prioribus jus Bituricensis Ecclesiae confitentibus & recognoscentibus super praedictis pepercit hac vice, salvo jure sibi aliàs & successoribus competenti. In quorum testimonium ad requisitionem ejusdem, &c.

DIOCESIS MIMATENSIS.

ANno prædicto, die Martis post Trinitatem, completa visitatione Ruthenensis diocesis, intravit Dominus diocesim Mimatensem. Et primò per calles & valles venit apud sanctam Eminiam prioratum conventualem sancti Theofridi Aniciensis diocesis; ubi fuit receptus processionaliter pulsatis campanis, & procuratus ad capensas Prioris dicti loci. Summa expensarum xiii. libræ & quinque solidi Turonenses.

Die Mercurii sequenti in mane audivit ibi Missam, praedicari fecit, indulgentiam dedit, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde ascendendo venit apud Flurac prioratum Casae Dei, quem tenebat nepos Abbatis Casae Dei studens in scholis: ubi fuit receptus ut suprà, & procuratus ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum xiv. librae & vii. solidi Turonenses.

Et notandum quod ibidem venerunt duo monachi monasterii Aureliacensis cum litteris procuratoris Ab-

Abbatis sui & litteris clausis Episcopi Ruthenensis directis Domino, loquuturi & tractaturi cum Domino super discordia quae inter Dominum & Abbatem ipsum vertebatur ratione prioratuum de Mombazain in Ruthenensi diocesi & de Bayvars ejusdem diocesis; & in fine finaverunt dicti procuratores de procuratione dicti prioratus de Mombazain, cujus Ecclesiam & procuratorem loci supposuerat Dominus ecclesiastico interdicto ratione dictae procurationis sibi denegatae ad duodecim libras Turonenses quas debuerunt tradere Domino Episcopo Ruthenensi. Et ad implendam praemissa Dominus dedit potestatem Domino Episcopo Ruthenensi amovendi sententias praedictas *quandocumque ipsi satisfactum esset loco nostri de dictis duodecim libris*, quas afferre vel mittere debebat ad Concilium Bituricense. De procuratore autem prioratus de Bayvars ejusdem monasterii supersedit Dominus ad relationem Domini Episcopi Ruthenensis asserentis per litteras suas clausas quod locus erat pauper & quasi inhabitabilis, & quod praedecessores Domini non consueverant ibidem procurari.

Die Iovis sequenti in mane ibidem apud Flaurac audivit Missam, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde venit & intravit Dominus civitatem Mimatensem. Et primo declinavit ad majorem Ecclesiam; ubi fuit receptus processionaliter à capitulo dictae Ecclesiae. Et dum esset in choro Ecclesiae, praesentibus Canonicis ipsius Ecclesiae & multis aliis, ob dilectionem & pacem dicti capituli ipse amovit sententias ab ipso auctoritate apostolica latas in quosdam antedictae Ecclesiae opponentes se collationi factae magistro P. de Ruthena à domino Archiepiscopo de praepositura Mimatensi per privilegium papale sibi concessum de beneficiis quae tantò tempore vacaverant quod eorum collatio erat ad sedem apostolicam juxta Lateranensis statuta Concilii legitimè devoluta &c. Ipsa die fuit procuratus ad expensas magistri Pauli procuratoris electi Mimatensis in Romana curia existentis in domibus episcopalibus ipsius electi. Non fuit computatum.

Die Veneris sequenti in mane intravit Dominus capitulum Mimatense, praedicavit, & postmodum ad majus altare celebravit in pontificalibus cum pallio, praedicavit populo, indulgentiam dedit; & fuit procuratus in domibus episcopalibus ad expensas capituli dicti loci. Non fuit computatum.

Eadem die finavit de procuratione Prior de Espaniaco Mimatensis diocesis monasterii de Aureliaco ad XII. libras Turonenses.

Item Prior de Calviaco ordinis Clugniacensis ejusdem diocesis finavit similiter de procuratione ad decem libras Turonenses.

Eadem die finivit similiter de procuratione Prior de Chiriaco conventualis abbatiae Martiliensis ad duodecim libras Turonenses.

Item similiter eadem die finavit Prior de Canonica ejusdem diocesis ad decem libras Turonenses de procuratione.

Die sabbati sequenti in mane ibidem apud Mimatum in capella Episcopi audivit Dominus Missam, confirmavit, & circa triginta pueros tonsuravit. Quo facto, exivit civitatem Mimatensem, & venit ad Ecclesiam de Rivotorto parrochialem. Ibidem visitavit, & confirmavit, quosdam; & exinde ipsa die visitavit Dominus Ecclesiam parrochialem sancti Albini ubi fuit receptus processionaliter ut suprà & procuratus ad expensas Capellani dicti loci & Capellani de Rivotorto, qui per medium procurationem ipsam solverunt. Summa expensarum XV. librae & XVI. solidi Turonenses.

Die dominica sequenti, scilicet in octavis Trinitatis, in mane audivit ibi Missam, confirmavit, & fecit tonsuras. Et exinde venit apud Melteolum prioratum sancti Ægidii; ubi fuit receptus à Capellano & quibusdam monachis dicti loci, Priore absente, qui ex pravitate sua se absentaverat, ut publicè ferebatur. Et ipsa die fuit Dominus procuratus ibidem ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum XV. librae, quas solvit quidam burgensis de villa; cui Dominus vendidit bladum quod in dicto prioratu invenit, & de residuo obligavit ei per litteras suas ceteros redditus dicti prioratus usque ad summam procurationis praedictae.

Die Lunae sequenti in mane audivit ibi Missam, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde venit apud Salgue prioratum Clugniacensem; ubi fuit receptus processionaliter ut suprà, & procuratus ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum XX. librae Turonenses. Et quia communiter dicebatur quòd Archiepiscopi Bituricenses ibidem non consueverant procurari, licèt locus esset sufficiens ad procurationis onera supportanda, Dominus eidem Priori ad relevationem expensarum procurationis praedictae dedit sex libras Turonenses percipiendas super prioratum de Berlhoncle, & alias sex libras percipiendas super prioratum de Bor Claromontensis diocesis, dans eidem Priori litteras compulsorias super hoc sub hac forma.

Simon Dei gratia Bituricensis Archiepiscopus, Aquitaniae Primas, viro venerabili & discreto Domino Geraldo de Montealto Canonico Mimatensi salutem in Domino. Ut nostram provinciam visitantes, in quibusdam Ecclesiis nobis, saltem quantum ad exhibitionem procurationum, subjectis, considerata tenuitate redituum agamus mitiùs cum eisdem, ubi scilicet loca potissimè sunt exempta, in moderata pecuniae quantitate Ecclesiis aliis quae devotè & humiliter procurationum nostrarum onera subierunt benignè decrevimus subveniendum ab illis quos nobis quantum ad hoc subditos, prout de jure potuissemus, procuratione integra minimine praegravare, quamquam nec gravamen sit nec dici debeat nobis & praelatis aliis procurationes debitas exhibere, qui singularum Ecclesiarum commodis & affectu & officio obligamur. Proinde dilecto in Christo Priori de Berlhoncle Claromontensis diocesis summam sex librarum Turonensium ejus facultatibus imponimus, ut dictas sex libras ratione procurationis ab ipso Priore de Berlhoncle nobis debitae religioso viro Priori de Salgue Clugniacensis ordinis, qui procurationis nomine nobis reverenter necessaria ministravit, solvere teneatur. Quare discretioni vestrae tenore praesentium committimus & mandamus quatenus eundem Priorem de Berlhoncle auctoritate nostra metropolitica moneatis ut infra octo dies a monitione vestra eidem Priori de Salgue vel ejus mandato praedictas sex libras Turonenses solvere non omittat. Quod si monitus non fecerit, ipsum, quem ex tunc suspendimus, interdicimus, & excommunicamus, suspensum & interdictum & excommunicatum per Capellanum curatum parrochialis Ecclesiae de Berlhoncle & per omnes alios circumvicinos Capellanos Ecclesiarum parrochialium denuntiari publicè faciatis, Ecclesiam quoque ipsam parrochialem de Berlhoncle ecclesiastico vice nostra supponentes, si opus fuerit, interdicto quousque idem Prior monitus de praedicta pecuniae quantitate & de tato interesse integrè satisfecerit. Subsequenter omnes & singulos qui Priori de Berlhoncle ad exhibitionem debitorum redituum & obventionum seu decimarum quarumlibet sunt astricti moneatis sub inhibitione solemni ne eidem Priori de Berlhoncle quicquam exhibeant de eisdem, nisi satisfactione praedictae pecuniae praecedente. Quod si secus egerint, ipsos, quos ex tunc poena consimili innodamus, excommunicatos similiter publicè nuntiari mandetis. Quam poenam extendimus in omnes qui mandati vestri immo nostri circa hoc extiterint transgressores. Ut autem praemissa omnia & singula exequi necnon & praelibatas sententias aggravare per vos vel per alium valeatis, vobis tenore praesentium committimus & mandamus. Datum & sigillo nostro sigillatum anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo sexto; die Mercurii ante festum beati Johannis Baptistae.

Consimilem litteram compulsoriam habuit idem

Prior

Prior de Salgue contra Priorem de Bor praedictum pro aliis sex libris.

Die Martis sequenti ibidem apud Salgue in mane Missam audivit, confirmavit, & fecit tonsuras. Et exinde visitatione Mimatensi completa venit apud Saucergue domum Praepositi Brujacensis juxta Votam, ubi fuit ad invitationem Praepositi procuratus ex gratia.

DIOCESIS CLAROMONTENSIS.

1286. ANno Domini millesimo ducentesimo octogesimo sexto, die Lunae post ramos Palmarum, intravit reverendus pater Simon Bituricensis Archiepiscopus diocesim Claromontensem causa visitationis. Et primo declinavit apud Silvigniacum prioratum conventualem ordinis Clugniacensis. Ibi fuit cum Priore in procuratione ipsa die. Summa expensarum XII. librae & XV. solidi. In crastino audivit ibi Missam, praedicavit, indulgentiam dedit, & fecit tonsuras.

Eadem die Lunae finavit de procuratione ad XII. libras Prior de Firmitate moniali ordinis Clugniacensis distans à Silvigniaco per tres leucas, & visitavit Dominus transeundo.

Similiter eadem die finavit de procuratione ad X. libras Prior de Barnay ordinis Clugniacensis distans à Silvigniaco per tres leucas.

Die Martis sequenti venit Dominus apud Vernolium; ubi fuit receptus processionaliter à capitulo dictae Ecclesiae & procuratus. Summa expensarum IX. librae & X. solidi, de quibus ad relevationem expensarum dedit eis quadraginta solidos Turonenses, & quaedam alia jura procurationis remisit eis, pro eo quod invenit locum pauperrimum. Et distat à Silvigniaco per quinque leucas. In crastino audivit ibi Missam, praedicavit, indulgentiam dedit, tonsuras fecit, & in capitulo visitavit.

Eadem die Martis finavit de procuratione ad IX. libras Prior de Salis ordinis Clugniacensis distans à Vernolio per tres leucas; nec pro tanto esset immunis, nisi magister Stephanus Curatus de Maincac conducens Dominum pro eo specialiter rogavisset.

Die Mercurii sequenti fuit Dominus apud sanctum Porcianum cum Priore ordinis Clugniacensis. In procuratione non fuit computatum. Distat à Vernolio per unam leucam. In crastino audivit ibidem Missam Dominus, praedicavit, indulgentiam dedit, & confirmavit, & fecit tonsuras.

Eadem die Mercurii finavit de procuratione ad X. libras & quatuor solidos pro cambellanis Prior de Broo ordinis Clugniacensis distans à sancto Porciano per tres leucas, & visitavit locum Dominus dicta die.

Eadem die similiter finavit de procuratione ad X. libras & quatuor solidos pro cambellanis Prior de Lauzec distans à sancto Porciano per quatuor leucas, & visitavit Dominus locum.

Die Iovis sequenti fuit Dominus in abbatia sancti Gerberti ordinis Praemonstratensis cum Abbate in procuratione, & ibi sanctum chrisma confecit. Dicta abbatia distat à sancto Porciano per duas leucas. In crastino audivit ibidem servitium, confirmavit, & fecit tonsuras.

Die Veneris sequenti venit Dominus ad prioratum de Chambarande monasterii Menatensis, & invenit Ecclesiam dicti loci valde malè aedificatam & quasi minantem ruinam; nec habebat Prior domos ubi posset habitare, excepta quadam grangia. Dominus & sui jacuerunt, & procurati fuerunt à Priore dicti loci. Summa expensarum VII. librae & VII. solidi. Et distat ab abbatia sancti Gerberti per duas leucas.

Die sabbati sequenti, scilicet in vigilia Paschae, visitavit Dominus Ecclesiam de Carolin pertinentem ad Praeceptorum domus militiae Templi de Marchia; qui quidem Praeceptor finavit de procuratione ad XI. libras & quatuor solidos pro cambellanis, quas undecim libras Dominus expendit ipsa die in domo sua de Naves; & in Ecclesia de Naves ordines celebravit dicta die sabbati, & quosdam de Bituricensi & de Claromontensi diocesibus Clericos ordinavit.

Eadem die sabbati finavit de procuratione ad XIV. libras Prior de Escuroliis ordinis Clugniacensis distans à Marchia per duas leucas, quas expendit in domo sua de Naves ipsa die.

Die dominica sequenti, scilicet die resurrectionis, fuit Dominus apud Naves in domo sua ad proprias expensas, & ipsa die in parochiali Ecclesia dicti loci celebravit sollemniter in pontificalibus cum pallio.

Die Lunae sequenti anni octogesimi septimi venit Dominus apud Gannac prioratum abbatiae Yliodorensis. Ibi fuit cum Priore in procuratione. Summa expensarum XI. librae, VII. solidi, VIII. denarii. In crastino Missam ibidem audivit, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, tonsuras fecit. Et distat villa de Gannac à castro de Navis per tres leucas. 1287.

Eadem die finavit de procuratione ad decem libras & quatuor solidos Prior sancti Boniti de Monte Paucerii ordinis Clugniacensis distans à villa de Gannac per duas leucas. Et ipsa die visitavit Dominus locum praedictum.

Die Martis sequenti fuit Dominus apud sanctum Genesium cum Priore dicti loci monasterii Ebroliensis in procuratione. Summa expensarum X. librae, VI. solidi, IV. denarii. Et distat dictus locus à villa de Gannac per duas leucas. In crastino audivit Dominus ibidem Missam, confirmavit, & fecit tonsuras.

Eadem die finavit de procuratione ad X. libras Prior de Montibus ordinis Clugniacensis distans à villa sancti Genesii per tres leucas; quem locum Dominus transeundo visitavit.

Die Mercurii sequenti venit Dominus apud Aquam sparsam, visitavit Ecclesiam dicti loci; & fuit procuratus à capitulo de Thiarc, qui tenetur ad procurationem. Summa expensarum XI. librae, X. solidi, & VI. denarii. In crastino Missam audivit ibidem, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, & fecit tonsuras. Distat à villa sancti Genesii per leucam.

Die Iovis sequenti visitavit Dominus prioratum de Lusillac abbatiae Casae Dei, & fecit procurationem suam Prior dicti loci apud Buyllon. Summa expensarum X. librae, XVIII. solidi, & VI. denarii. Et distat Lusillac ab Aquasparsa per duas leucas, & à Buyllon per unam leucam.

Die Veneris sequenti visitavit Dominus prioratum de Buyllon, audivit Missam, confirmavit, fecit tonsuras; & fuit procuratus à Priore dicti loci in procuratione. Summa expensarum X. librae.

Die sabbati sequenti visitavit Dominus prioratum de Marengue monasterii Casae Dei, ubi Missam audivit, confirmavit, tonsuras fecit; & fuit procuratus à Priore dicti loci. Summa expensarum X. librae, XI. solidi. Et distat à villa de Buyllon per leucam.

Die dominica sequenti, scilicet in octavis Paschae, audivit Dominus Missam apud Marengue. Et exinde venit apud Bellum-regardum; ubi fuit cum Episcopo Claromontensi gratis. Et distat à villa de Marengue per duas leucas.

Die Lunae sequenti intravit Dominus civitatem Claromontensem, Episcopo eum semper comitante. Et primo declinavit ad Ecclesiam secularem beatae Mariae de Portu, intravit capitulum unà cum Episcopo, & ibidem visitavit; & procuratus fuit à capitulo dictae Ecclesiae in domibus Episcopi Claromontensis. Summa expensarum X. librae, XV. solidi, octo denarii.

Die Martis sequenti visitavit Dominus Ecclesiam secularem sancti Genesii, Episcopo praesente; & procuratus fuit ab Abbate & capitulo dicti loci in domi-

nibus Episcopi. Summa expensarum XI. librae, XVII. solidi, VI. denarii.

Die Mercurii sequenti visitavit Dominus Ecclesiam secularem de Chamalore Claromontensem. Visitavit in capitulo, confirmavit, tonsuras fecit; & fuit procuratus à capitulo dicti loci in domibus Episcopi. Summa expensarum X. librae, VIII. solidi, & sex denarii. Et dum Dominus fuit Claromonti, tractavit de multis, primo de contentione quae vertebatur inter Ecclesiam Claromontensem & monasterium Casae Dei.

Die Iovis sequenti exivit Dominus civitatem Claromontensem, & venit apud Montem Ferrandi. Visitavit Ecclesiam dicti loci, & procuratus fuit à Priore dicti loci ordinis Casae Dei. Summa expensarum XI. librae, V. solidi, VII. denarii. In crastino audivit ibi Missam, confirmavit, & fecit tonsuras. Et exinde venit in domum fratrum Praedicatorum Claromontensium, ubi tractavit de negotio electi Mimatensis usque ad horam meridianam.

Die Veneris sequenti visitavit Dominus prioratum de Cheronac abbatiae Casae Dei, & fuit procuratus à Priore dicti loci. Summa expensarum VII. librae, X. solidi, & VI. denarii. In mane audivit Dominus Missam, confirmavit, & fecit tonsuras. Cheronac distat à Claromonte per duas leucas.

Eadem die finavit de procuratione ad X. libras & quatuor solidos. Prior de Raiac ordinis Clugniacensis, distans à Claromonte per dimidiam leucam.

Die sabbati sequenti visitavit Dominus Ecclesiam de Cresto, Missam audivit; & fuit procuratus à Priore dicti loci monasterii Casae Dei, qui solvit medietatem procurationis, & à capitulo dicti loci, qui solvit aliam medietatem. Summa expensarum XI. librae & XI. solidi.

In crastino audivit Missam, ibidem praedicavit populo, indulgentiam dedit, confirmavit, & fecit tonsuras. Crestum distat de Charonac per leucam.

Die dominica sequenti, scilicet in quindena Paschae, venit Dominus ad prioratum de Vrsero monasterii de Mauriac; & fuit procuratus à Priore dicti loci. Summa expensarum IX. librae & quatuor solidi. In crastino audivit Missam, confirmavit, tonsuras fecit.

Eadem die finavit de procuratione Prior de Chavaros ordinis Clugniacensis ad decem libras & quatuor solidos pro cambellanis.

Eadem die finavit de procuratione ad decem libras cum jure cambellanorum Prior Pontis-Castri ordinis Clugniacensis.

Die Lunae sequenti in mane ibidem apud Vrsetum audivit Missam, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde venit apud sanctum Saturninum abbatiae Ysiodorensis; ubi visitavit, & procuratus fuit ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum X. librae & V. solidi. Et eadem die ivit unam leucam. Et quia Ecclesia dicti loci erat supposita ecclesiastico interdicto auctoritate Officialis Claromontis ratione Iohannis Azam Clerici, Dominus nullum officium fecit ibidem, sed super hoc scripsit Episcopo Claromontensi.

Die Martis sequenti per viam asperrimam venit Dominus ad prioratum sancti Necterii prioratum Casae Dei, visitavit, audivit Missam, confirmavit, tonsuras fecit; & procuratus fuit ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum VIII. libræ, & XIX. solidi. & ipsa die fecit duas leucas.

Die Mercurii sequenti audivit ibidem Dominus Missam, prædicari fecit, indulgentiam dedit. Et exinde venit apud Montem acutum prioratum ordinis Clugniacensis; ubi in Ecclesia dicti loci duo altaria consecravit, unum in honore beati Iohannis Baptistae & beatae Mariae Magdalenae, & aliud in honore beati Mauritii; & ipsa die fuit procuratus à Priore dicti loci. Summa expensarum X. librae, & equitavit ipsa die unam leucam.

Die Iovis sequenti celebravit ibidem Missam pro defunctis, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde venit apud Gresi prioratum Casae Dei, ubi visitavit. & quatuor leucas equitavit. Et quia datum erat intelligi Domino quod domus non erant sufficientes ad ipsum recipiendum, venit apud sanctum Germanum Lambron distantem per leucam; ubi procuratus fuit à Priore de Gresiaco in domibus capituli Brivatensis. Summa expensarum X. librae & undecim solidi Turonenses.

Die Veneris sequenti visitavit Dominus Ecclesiam sancti Germani de Lambron, audivit Missam, prædicari fecit, confirmavit, tonsuras fecit; & fuit procuratus à Capellanis sancti Germani, sancti Iohannis, sancti Clementis dicti loci; & dedit Dominus litteram compulsivam de illis qui nolebant solvere partem procurationis praedictae.

Die sabbati sequenti venit Dominus apud Berlhoncle prioratum Salliniarum; ubi Missam audivit, confirmavit, tonsuras fecit, & fuit procuratus ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum VIII. libræ, quinque solidi. Et ipsa die equitavit duas leucas.

Dominica sequenti, scilicet post festum beati Marci evangelistae, venit Dominus apud veterem Brivatem prioratum abbatiae Piperacensis, ubi Missam audivit, prædicavit, & confirmavit, tonsuras fecit; & fuit procuratus ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum IX. librae Turonenses. Et equitavit duas leucas.

Die Lunae sequenti venit Dominus apud Ville prioratum Piperacensem; ubi Missam audivit, confirmavit, tonsuras fecit, & fuit procuratus ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum VIII. librae & III. solidi. & equitavit unam leucam.

Die Martis sequenti ibidem audivit Missam in mane, praedicavit, indulgentiam dedit. Et exinde equitando unam leucam venit apud Azarac prioratum Casae Dei, & fuit procuratus ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum octo librae & quatuor solidi.

Die Mercurii sequenti quoddam cimiterium Ecclesiae contiguum benedixit, Missam audivit, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde equitando tres leucas venit apud Nonnetam prioratum Casae Dei, & fuit procuratus ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum X. librae & IV. solidi.

Die Iovis sequenti, scilicet in festo Apostolorum Philippi & Iacobi, in mane audivit ibi Missam, confirmavit, & fecit tonsuras. Et exinde venit apud Ysiodorum abbatiam sancti Benedicti, celebravit in pontificalibus cum pallio, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, & fuit procuratus ad expensas abbatiae. Summa expensarum X. librae & V. solidi. Et equitavit ipsa die duas leucas.

Die Veneris sequenti audivit ibi Missam in mane, tonsuras fecit. Et exinde venit apud Cornonum, ubi ipse & Claromontensis Episcopus ac Abbas Casae Dei convenerunt ad tractandum super multis. Et exinde post tractatum habitum venit apud sanctum Andream prioratum Casae Dei, ubi fuit procuratus ipsa die ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum X. librae & VI. solidi.

Die sabbati sequenti, scilicet post festum Apostolorum Philippi & Iacobi, in mane audivit ibidem Dominus Missam, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde venit apud Chavahac prioratum Salsiniarum, ubi fuit procuratus ad expensas Prioris dicti loci & capituli Vertosionis. Summa expensarum VIII. librae, X. solidi.

Die dominica sequenti in mane ibidem quandam capellam veterem reconciliavit, Missam audivit, praedicari fecit, indulgentiam dedit, tonsuras fecit, confirmavit. Et exinde venit apud Vic prioratum abbatiae Magniloci, ubi fuit procuratus ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum IX. librae, X. solidi.

Die Lunae sequenti in mane audivit ibidem Dominus Missam, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, & fecit tonsuras. Et exinde venit apud Cel-

Celsinias prioratum conventualem ordinis Clugniacensis, ubi fuit procuratus ad expensas Prioris dicti loci. Non fuit computatum.

Die Martis sequenti in mane audivit ibidem Dominus Missam, confirmavit, tonsuras fecit; & locutus fuit cum Domina Johanna domina Soliaci, quae ibidem venerat de Bituria ratione cujusdam declarationis quam fecerat Dominus de contentis in quodam compromisso facto super eum à Domino Henrico quondam domino Soliaci & Comite Melc... Et postmodum venit apud Magnumlocum abbatiam sancti Benedicti, ubi fuit procuratus ad expensas Abbatis dicti loci. Non fuit computatum.

Die Mercurii sequenti in mane ibidem audivit Missam, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, & fecit tonsuras. Et exinde venit apud la Foilleuse domum Templariorum, ubi fuit procuratus à Praeceptore dicti loci. Summa expensarum x. librae, vi. solidi.

Die Jovis sequenti in mane visitavit Ecclesiam parochialem de Cuyllac pertinentem ad dictam domum de la Foilleuse, audivit Missam, confirmavit, tonsuras fecit, & partem cimiterii dictae Ecclesiae reconciliavit. Et exinde venit apud Nazac Ecclesiam collegiatam, ubi fuit procuratus ad expensas capituli dicti loci. Summa expensarum viii. librae & xvii. solidi.

Die Veneris sequenti in mane audivit ibi Missam, prædicari fecit, indulgentiam dedit, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde venit . . . . ubi Episcopum Claromontensem invenit, & super multis tractavit cum eo, Ecclesiam de . . . . . . visitavit, qua visitata, venit apud Riomum in abbatia, ubi ipsa die fuit procuratus ad expensas capituli de Sebbazac pro eo quòd non habebant domos sufficientes, ut dicebant. Summa expensarum undecim libræ Turonenses.

Die sabbati sequenti ibidem apud Riomum in abbatia audivit Missam, confirmavit, tonsuras fecit, intravit capitulum, prædicavit, indulgentiam dedit. Et iis actis, ad moriendum se venit ad quandam domum vocatam domum de Stanno juxta Mozac, ubi ipsa die fuit ad expensas Abbatis Riomi. Summa expensarum xiii. libræ & tres solidi.

Die dominica sequenti, scilicet ante Ascensionem Domini, fuit Dominus ibidem, & in mane visitavit monasterium de Mozac, audivit ibi Missam, confirmavit, tonsuras fecit, in capitulo prædicavit, & post reversus est ad dictam domum de Stanno, ubi fuit procuratus ad expensas abbatiæ prædictæ de Mozac, Abbate absente. Et notandum quòd dicta domus de Stanno non tenetur ad aliquam procurationem, sed causâ recreationis venit tantùm ibi.

Die Lunæ sequenti visitavit Dominus prioratum de Vulvic, audivit ibi Missam, confirmavit, tonsuras fecit. Deinde venit apud Maroac prioratum monialium; ubi prædicavit, indulgentiam dedit, & quasdam moniales confirmavit. Et exinde reversus est ad dictam domum de Stanno, ubi dicta die dictus Prior de Vulvic fecit sibi procurationem suam, cùm domus dicti Prioris non essent bene paratæ. Summa expensarum x. libræ. Equitavit duas leucas.

Die Martis sequenti transiens Dominus per abbatiam Mauziaci, audivit ibi Missam, confirmavit, fecit tonsuras. Et exinde venit apud Teillede prioratum Casæ Dei, procuratus fuit ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum x. libræ & tres solidi. & equitavit per duas leucas.

Die Mercurii sequenti in mane audivit ibi Missam, confirmavit, & fecit tonsuras. Et exinde venit apud Celville prioratum de Menato; audivit ibi Missam, confirmavit, tonsuras fecit. Et quia domus dicti prioratus non erant paratæ, fecit ibidem Prior procurationem Domino in abbatia sancti Illidii Claromontensis. Et comedit ipsa die Dominus Episcopus Claromontensis cum Domino ad invitationem dicti Abbatis sancti Illidii. & ipsa die equitavit quatuor leucas.

Die Jovis sequenti, scilicet in festo Ascensionis Domini, fuit Dominus cum Episcopo Claromontensi in domo sua dou Iardin juxta Clarummontem. Et ipsa die in Ecclesia Claromontensi majori, Episcopo præsente, celebravit in pontificalibus, acolythos fecit; & Missa celebrata, venit ad dictam domum dou Iardin, Episcopo Claromontensi cum semper comitante. Eadem die, Episcopo præsente, in Ecclesia prædicta Claromontensi cantavit vesperas. Quibus cantatis, Episcopo Claromontensi eum semper comitante venerunt ad domum dictam dou Iardin ad cœnam; & jacuit ibidem.

Die Veneris sequenti in mane audivit Dominus Missam in capella Episcopi Claromontensis, quæ est in domibus episcopalibus. Qua audita, ipse & Episcopus Claromontensis & multi alii tractaverunt de confirmatione fratris Durandi electi Mimatensis; & fuit ibidem confirmatus. Et postmodum venit Dominus apud Albiac prioratum de Riomo, ubi fuit procuratus ad expensas Prioris dicti loci asserentis quòd aliàs non procuraverat integrè. Summa expensarum ix. libræ Turonenses. & equitavit quatuor leucas. Guillelmus Duranti Episcopus Mimatensis.

Die sabbati sequenti audivit ibi Missam, confirmavit, & fecit tonsuras. Et exinde venit apud Ebrolium abbatiam ordinis sancti Benedicti, ubi fuit procuratus ad expensas Abbatis dicti loci. Non fuit computatum.

Die dominica sequenti, scilicet post Ascensionem Domini, visitavit Dominus prioratum de Velcia Abbatiæ Ebroliensis prædictæ; & inveniens locum interdictum pro procuratione Legali & dissipatum à Priore absente, regressus est ad dictam abbatiam Ebroliensem, ubi fuit procuratus ipsa die ex gratia.

Die Lunæ sequenti in mane ibidem apud Ebrolium audivit Missam, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, & fecit tonsuras. Et exinde venit apud Lacum rubeum prioratum conventualem ordinis sancti Augustini, ubi fuit procuratus ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum x. libræ & vii. solidi. Comedit totus conventus cum Domino.

Die Martis sequenti in mane audivit ibidem Missam, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde venit apud Menatum, Episcopo Claromontensi sibi obviante & comitante; & cum novo Abbate Menatensi. Et ante portam monasterii de Menato venientes, conventus dicti loci indutus capis sericis obviaverunt eis, & fuit receptus novus Abbas dicti monasterii de Menato & installatus. Et intrantes monasterium ipsum, Domino Archiepiscopo à dextris, & Episcopo à sinistris, & Abbate in medio eorum, flexerunt genua ante altare, & postmodum Dominus Archiepiscopus dedit benedictionem suam. Quo facto, quilibet in suam intravit. Postmodum dictus Abbas Missam novam celebravit. Et ipsa die Domini Archiepiscopus & Episcopus ob reverentiam dicti Abbatis fuerunt ibidem procurati.

Die Mercurii sequenti in mane audivit Dominus ibidem Missam, confirmavit. Et postmodum Domini Archiepiscopus & Episcopus Claromontensis intraverunt capitulum; & Abbate & conventu præsentibus, post sermonem factum à Domino Archiepiscopo, Dominus Episcopus ad reformationem ordinis dicti monasterii statuit quædam statuta, supplicans Domino Archiepiscopo ut ea confirmaret. Cui Dominus Archiepiscopus annuit benigniter & devotè. His actis, Dominus Archiepiscopus equitando tres leucas venit apud Bellamaquam abbatiam Cisterciensem, ubi ipsa die pernoctavit ad expensas abbatiæ.

ITERUM

ITERUM CLAROMONTENSIS.

1287 ANno Domini millesimo ducentesimo octogesimo septimo, Dominica in festo beati Matthaei, intravit Dominus diocesim Claromontensem ad visitandum quae non visitaverat in visitatione praemissa.

Eadem die declinavit primò apud Marcillac prioratum abbatiae Menatensis; ubi fuit procuratus, nec fuit computatum.

Die Lunae venit apud Montem-acutum, ubi fuit cum Priore in procuratione. Summa expensarum VIII. librae.

Die Martis sequenti venit Dominus apud Poyncac prioratum abbatiae Ebroliensis; ubi Missam audivit, praedicavit, tonsuras fecit, & procuratus fuit à Priore dicti loci. Summa expensarum sex librae.

Die Martis sequenti visitavit Dominus Ecclesiam parochialem sancti Gilvasii, audivit ibi Missam, tonsuras fecit; & procuratus fuit apud Chambonet à Capellano sancti Gilvasii & Priore de Chambonet; qui duo per medium tenentur ad procurationem sancti Gilvasii pro procuratione. Nota quod sibi debebatur ratione prioratus de Chambonet. Remisit ipsa die, quia dictus prioratus eodem anno datus sibi fuit ad vitam.

Die Iovis sequenti venit Dominus apud Montem Fremim prioratum abbatiae Ebroliensis; ubi Missam audivit, praedicavit, confirmavit, tonsuras fecit, & procuratus fuit à Priore dicti loci.

Die Veneris sequenti visitavit Dominus Ecclesiam sancti Praejecti, & fuit procuratus à Priore & Capellano dicti loci. Tamen dicebatur communiter quod Archiepiscopi Bituricenses ibidem aliàs non fuerunt procurati. Et fuit praesens in procuratione electus * Menatensis.

* f. Minatensis.

Die sabbati sequenti venit Dominus apud Rupem Dagon prioratum monasterii sancti Genulphi Bituricensis Diocesis, ubi Missam audivit, tonsuras fecit, & fuit procuratus à Priore dicti loci. Summa expensarum sex librae Turonenses.

Dominica sequenti, scilicet in vigilia beati Michaelis, visitavit Dominus prioratum de Doutre abbatiae sancti Genulphi; & fuit procuratus à Priore dicti loci in quadam domo vocata Beauleu, quia domus non erant sufficientes in dicto prioratu.

Die Lunae sequenti, scilicet in festo beati Michaelis, celebravit Dominus in Ecclesia de Doutre, praedicavit, indulgentiam dedit, fecit tonsuras; & fuit eadem die cum Abbate de Menato ex gratia in domo dicta Beauleu praedicta.

Die Martis sequenti visitavit Dominus prioratum de saint Bar abbatiae Cambonensis Lemovicensis diocesis; ubi Missam audivit, tonsuras fecit, & fuit procuratus à Priore dicti loci. Summa expensarum cx. f.

Die Mercurii sequenti venit Dominus apud Mantes prioratum similiter Cambonensem; ubi Missam audivit, praedicari fecit, & fuit procuratus ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum VI. librae & V. solidi.

Die Iovis sequenti venit Dominus apud Giac prioratum monasterii de Mozac, & invenit Ecclesiam & prioratum firmatos. Nam Episcopus Claromontensis frater Guido dictum prioratum per longum tempus tenuerat, & ideo Archiepiscopi Bituricenses ob dilectionem ipsius non declinabant. Propter quod Prior dicti prioratus dicebat quod non tenebatur ad procurationem, licet inveniretur in papiro Domini Iohannis Bituricensis Archiepiscopi quod tempore quo idem Dominus Claromontensis dictum prioratum tenebat, ibidem fuerat procuratus. Tandem post multas altercationes Dominus receptus fuit & procuratus à Priore dicti loci sub ista forma, quod per hanc receptionem nullum novum jus, nulla nova possessio acquireretur Ecclesiae Bituricensi. Et super hoc facta fuit littera quae remansit Priori; & commissa fuit inquisitio Praeposito Claromontensis Ecclesiae.

Guido de Turre Episcopus Claromontensis.

Die Veneris sequenti venit Dominus apud Hermantum, ubi procuratus fuit à capitulo dicti loci. In crastino celebravit ibidem, praedicavit, indulgentiam dedit, multas tonsuras fecit.

Die sabbati sequenti venit Dominus apud Agele prioratum abbatiae sancti Illidii Claromontensis, ubi fuit procuratus à Priore dicti loci. Summa expensarum sex librae & tres solidi.

Dominica sequenti, scilicet ante festum beati Dionysii, venit apud Orevallem; ubi celebravit, praedicavit, fecit tonsuras, & fuit procuratus à capitulo dicti loci. Summa expensarum VII. librae & VI. solidi. Tunc de consilio Claromontensis Episcopi & Praepositi dimisit iter suum de eundo apud Anreliacum, quia dicebant vias esse intolerabiles propter frigus.

Die Lunae sequenti venit Dominus apud Brifont prioratum abbatiae Casae Dei; ubi Missam audivit, tonsuras fecit, & fuit procuratus à Priore dicti loci. Summa expensarum VI. librae.

Die Martis sequenti venit Dominus apud Clarummontem. Visitavit Ecclesiam sancti Andreae ordinis Praemonstratensis, & fuit procuratus ab Abbate & conventu dictae Ecclesiae.

Die Mercurii sequenti fuit Dominus ibidem cum Episcopo Claromontensi in domibus episcopalibus gratis.

Die Iovis sequenti, scilicet in festo beati Dionysii, fuit Dominus in abbatia sancti Illidii Claromontensis cum Abbate gratis.

Die Veneris sequenti venit Dominus apud sanctum Desiderium prioratum abbatiae Casae Dei; ubi Missam audivit, confirmavit, tonsuras fecit, & procuratus fuit à Priore dicti loci. Summa expensarum VI. librae & X. solidi.

Die sabbati sequenti venit Dominus apud Cumilhac, ubi fuit procuratus à Priore dicti loci. Summa expensarum VII. librae.

Dominica sequenti, scilicet ante festum beati Lucae, venit Dominus apud sanctum Germanum Lemp. prioratum abbatiae Casae Dei; ubi Missam audivit, confirmavit, praedicavit, tonsuras fecit, & procuratus fuit à Priore dicti loci. Summa expensarum VII. librae & XI. solidi.

Die Lunae sequenti fuit Dominus apud Herlencum Burgi prioratum abbatiae de Clusa; ubi Missam audivit & praedicavit, indulgentiam dedit, & fuit procuratus ad expensas Prioris dicti loci.

Die Martis sequenti visitavit Dominus prioratus de Marcat & d'Ambert ordinis Clugniacensis; & quia pauperes erant, finaverunt pro procuratione ad octo libras; nec pro tanto essent quitti, sed gratia eis fuit facta ista vice ad preces Domini Stephani Capellani de Marticat, qui conducebat nos.

Eadem die venit Dominus apud Salvishe prioratum conventualem de Clusa; ubi in crastino Missam audivit, praedicavit, indulgentiam dedit; & ipsa die Martis procuratus fuit ad expensas Prioris dicti loci.

Die Mercurii sequenti visitavit Dominus abbatiam Thiernensem; ubi Missam audivit, praedicavit, indulgentiam dedit, & procuratus fuit ad espensas abbatiae.

Eadem die Mercuri finavit Abbas Thiernensis de procurationibus prioratuum Nigri Stabuli & de Angeroles ordinis Clugniacensis quos prioratus tenebat, ad XIII. libras & octo solidos Turonenses.

Die Iovis sequenti visitavit Dominus Ecclesiam collegiatam de Thierno; ubi Missam celebravit, praedicavit, indulgentiam dedit; & comedit, unà cum sociis suis, cum magistro G. de Malomonte gratis, & cetera familia per capitulum loci. Et fuit summa expensarum VI. librae & IX. solidi.

Die Veneris sequenti venit Dominus apud Montem-petrosum abbatiam ordinis Cillerciensis; ubi duo altaria consecravit, & pernoctavit ibidem.

Die sabbati sequenti, scilicet in festo beati Lucae, venit Dominus apud Cociacum; ubi celebravit Missam, praedicavit, indulgentiam dedit, & fuit procuratus

ratus ab Abbatissa & conventu dicti loci. Summa expensarum octo librae.

Dominica sequenò visitavit Dominus prioratum de Montibus ordinis Clugniacensis, ubi, quia aliàs non fuerat, fuit receptus processionaliter, & procuratus ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum sex librae.

Die Lunae sequenti visitavit Dominus prioratum de Dreturay; ubi fuit receptus processionaliter, audivit Missam, prædicavit, dedit indulgentiam, & procuratus fuit ad expensas dicti Priorit. Summa expensarum septem librae.

Die Martis visitavit prioratum de Fleuret; ubi Missam audivit, confirmavit, & fuit procuratus à Priore dicti loci.

Die Mercurii sequenti venit Dominus apud Ialeigin prioratum conventualem Casae Dei; ubi Missam audivit, confirmavit, tonsuras fecit, & procuratus fuit à Priore dicti loci; nec fuit computatum.

Die Iovis sequenti venit Dominus apud Beray prioratum Clugniacensem de Mozac; ubi Missam audivit, praedicavit, indulgentiam dedit, & fuit procuratus ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum septem librae.

Die Veneris sequenti venit Dominus apud sanctum Germanum de Fossatis prioratum de Mozac; ubi Missam audivit, confirmavit, tonsuras fecit, & fuit procuratus ad expensas Prioris dicti loci.

Die sabbati sequenti venit Dominus apud Rix prioratum conventualem Clugniacensem; ubi Missam audivit, prædicavit, & dedit indulgentiam, & fuit procuratus à Priore dicti loci. Non fuit computatum.

Die dominica ante festum Apostolorum Simonis & Iudae apud Laudosum cum capitulo. Ibi Missam audivit, prædicavit, & fuit procuratus. Summa octo librae & septem solidi.

Die Lunae apud Poillac cum Priore abbatiae Casae Dei. Audivit ibi Missam, prædicavit, & procuratus fuit. Summa octo librae, sex solidi, novem denarii.

Die Martis in festo Apostolorum Simonis & Iudae apud Biliomum cum capitulo procuratus fuit. Summa IX. librae.

Die Mercurii apud Maniac prioratum sancti Launomari Blesensis. Non fuit computatum. Exinde venit in Bituriam per naves.

Haec sunt loca quae Dominus Bituricensis non visitavit in ista visitatione Claromontensi.

PRIMÒ prioratus de Veriac.

Abbatia Broliensis, quam omisit ad visitandum ob dilectionem Senescalli Lugdunensis, qui eam tenebat.

Prioratus de la Crozille & dou Quart. qui ad unam procurationem tenentur.

Prioratus de la Mongie, quem omisit ob dilectionem Abbatis Menatensis.

Prioratus de Chambonet abbatiæ Maciacensis quem omisit propter grangiam dicti loci combustam.

Prioratus de Baville, quem omisit ad supplicationem Abbatis sancti Illidii.

Prioratus de Calves abbatiæ Salinarum.

Prioratus de Mauriac, qui subest abbatiae sancti Petri Vivi Senonensis; & est ibi Decanus.

Prioratus de Drivac abbatiae Aureliacensis.

Abbatia monalium sancti Benedicti de Breiac.

Ecclesia & prioratus de Ploes.

Abbatia Aureliacensis.

Prioratus de Chaemel ordinis de Corona.

Domus Hospitalariorum de Salvitate.

Praepositura de Monte Salvii ordinis sancti Augustini.

Domus Templariorum de Carlac.

Capitulum de Roillac.

Prioratus de Bredon abbatiæ de Moisac.

Prioratus sancti Flori Clugniacensis.

Abbatia Piperacensis ordinis sancti Augustini.

Abbatia monialium de Casis. Nunquam fuit ibi Archiepiscopus, ut dicitur.

Prioratus de Chenteiou abbatiæ Casæ Dei.

Prioratus de Laviac Casæ Dei.

Prioratus de Raillac Clugniacensis.

Prioratus de Volca Clugniacensis.

Prioratus de Maserac.

Abbatia Casæ Dei, vel prioratus de Saillaux.

Prioratus de Casnia Casæ Dei.

Vsque huc possumus conduci sine expensis.

Exinde apud Clarummontem in abbatia de Chamoin, omisit Dominus propter paupertatem.

Exinde apud Ianzarz abbatiæ sancti Illidii.

Exinde cum capitulo de Arcona.

Exinde cum Priore de Vichiaco.

De Volca cum Abbatissa de Bleolle.

Exinde apud Comps.

Item omisit prioratus de Fornox, de Sallare, de Martuillac, de sancto Sindulpho, de Chembon; qui omnes prioratus sunt in compositione facta inter Dominum Bituricensem & Abbatem Casæ Dei.

VISITATIO LEMOVICENSIS DIOCESIS.

ANNO Domini millesimo ducentesimo nonagesi- 1290
mo, die Veneris ante festum beati Michaëlis, intravit reverendus pater Simon Dei gratia Bituricensis Archiepiscopus Lemovicensem diocesim causâ visitationis. Et primò declinavit ad abbatiam de Columba ordinis Cisterciensis, ubi ipsa die Veneris pernoctavit ad expensas abbatiæ.

Die sabbati sequenti equitando sex leucas venit apud Dauratum; ubi receptus fuit in processione, pulsatis campanis, à capitulo dicti loci, quia Abbas infirmabatur, Missam audivit, prædicavit, indulgentiam dedit, tonsuras fecit, & procuratus fuit ad expensas Abbatis & capituli dicti loci.

Dominica sequenti equitando sex leucas venit Dominus ad abbatiam Stirpensem ordinis sancti Augustini; ubi receptus fuit processionaliter ut suprà, audivit Missam, confirmavit, tonsuras fecit: & procuratus fuit ad expensas Abbatis & conventus dicti loci, nec fuit computatum.

Die Lunæ sequenti fuit ibidem Dominus ex gratia ad invitationem Abbatis dicti loci, prædicavit in capitulo, & Missam audivit.

Die Martis sequenti, scilicet in festo beati Michaëlis, equitando tres leucas venit Dominus apud Petrusiam prioratum monasterii de Burgulio in valle; & est ibi conventus novem monachorum: ubi fuit receptus processionaliter ut suprà, Missam celebravit, prædicavit, indulgentiam dedit, tonsuras fecit, & procuratus fuit ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum octo libræ & tres solidi.

Die Mercurii sequenti equitando quinque leucas venit Dominus apud sanctum * Pinianum; ubi fuit receptus processionaliter ut suprà à capitulo dicti loci, prædicavit, Missam audivit, tonsuras fecit, & procuratus fuit ad expensas capituli dicti loci. Et ibidem venit eidem obviam Episcopus Lemovicensis, & sibi de piscibus suis grossis copiosè præsentavit. Summa expensarum octo librae & decem solidi.

* f. Alpinianum.

Die Iovis sequenti equitando duas leucas venit Dominus apud Rupem Cavardi prioratum de Carrofio; ubi fuit receptus processionaliter ut suprà, audivit Missam, prædicavit, & procuratus fuit ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum octo librae.

Die Veneris sequenti equitando tres leucas venit Dominus apud Salas prioratum conventualem ordinis sancti Augustini; ubi fuit receptus processionaliter ut suprà, audivit Missam, confirmavit, tonsuras fecit, & in crastino celebravit ibidem ordines, & quosdam de dioceti Bituricensi & quosdam de Lemovicensi diocesi ordinavit.

Die sabbati sequenti equitando duas leucas venit Dominus apud Buxeriam prioratum conventualem

de Clusa; ubi fuit receptus processionaliter ut suprà, audivit Missam, praedicavit, indulgentiam dedit, & procuratus fuit ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum VII. librae & VI. solidi.

Die Dominica sequenti, scilicet ante festum beati Dionysii, equitando tres leucas venit Dominus apud Nantronium prioratum de Carrofio; ubi fuit receptus processionaliter ut suprà, audivit Missam, confirmavit, tonsuras fecit, praedicavit; & procuratus fuit laeto vultu à Priore dicti loci, nec fuit computatum.

Die Lunae sequenti equitando sex leucas venit Dominus apud Apem prioratum monasterii sancti Augustini Lemovicensis; ubi fuit receptus processionaliter ut suprà, & procuratus à Priore dicti loci & Priore de Tarnaco monasterii sancti Martialis, qui ad unam procurationem tenentur. In crastino Missam audivit, confirmavit, praedicavit, & indulgentiam dedit. Summa de expensis sex librae.

Diebus Martis & Mercurii sequentibus fuit Dominus ibidem apud Caslucium Chevrol cum magistro G. de Malomonte & Decano sancti Aredii fratre suo ad invitationem eorum & de gratia speciali.

Die Iovis sequenti equitando quinque leucas venit Dominus apud Sollemniacum monasterium ordinis sancti Benedicti; ubi fuit receptus processionaliter, Missam audivit, praedicavit in capitulo, & fuit procuratus ad expensas Abbatis & conventus dicti loci. Summa expensarum novem librae Lemovicenses.

Die Veneris sequenti, scilicet ante festum beati Dionysii, intravit Dominus civitatem Lemovicensem; & venit in abbatiam sancti Augustini Lemovicensis, receptus processionaliter, praedicavit, indulgentiam dedit, & fuit procuratus ad expensas abbatiae. Summa expensarum septem librae & decem solidi.

Die sabbati sequenti ibidem apud sanctum Martinum cum Abbate sancti Martini & Priore sancti Andreae Lemovicensis fuit Dominus. Celebravit apud sanctum Martinum, praedicavit, indulgentiam dedit. Summa expensarum XI. librae.

Die dominica sequenti, scilicet in festo beati Dionysii, exivit Dominus civitatem Lemovicensem, & venit apud Aureliacum prioratum ordinis sancti Benedicti; ubi fuit receptus processionaliter ut suprà, Missam audivit, praedicavit, indulgentiam dedit, tonsuras fecit, & fuit procuratus ad expensas Prioris dicti loci. Nec fuit computatum.

DIOCESIS CADVRCENSIS.

Desunt nonnulla.

1291. rate Caturcensis procurationem quam habebat ibidem percipere, si sibi placeret, ratione visitationis quam inibi potest licitè exercere, litteras ipsius Priorissae recepimus sub hac forma.

Vniversis praesentes litteras inspecturis & audituris humilis Priorissa monasterii beatae Mariae Deauratae in civitate Caturcensi ordinis sancti Benedicti salutem in Domino. Notum facimus quod licèt reverendus pater Simon divina providentia Bituricensis Archiepiscopus nobis hac vice remiserit procurationem quam sibi licebat percipere in monasterio nostro praedicto ratione visitationis quam potest ibidem licitè tempore congruo exercere, nolumus quod eidem Archiepiscopo vel Ecclesiae suae Bituricensi seu ejus successoribus aliquod praejudicium generetur quin possit & debeat, quando sibi placuerit, in praedicto monasterio visitare & procurationem ibidem debitam percipere & levare modo & tempore consuetis. Datum Caturci die Lunae post ramos palmarum anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo.

Die Martis sequenti audivit Dominus ibi Missam, scilicet apud prioratum sancti Vrsini praedictum; & exinde equitando quinque leucas venit Dominus apud Gardam Dei abbatiam Cisterciensis ordinis, ubi pernoctavit ad expensas Abbatis.

Die Mercurii sequenti audivit Dominus ibi Missam. Et exinde equitando quinque leucas venit Dominus apud Moyssiacum abbatiam ordinis sancti Benedicti; ubi fuit receptus campanis pulsatis à Priore conventuali & conventu processionaliter, & procuratus ad expensas Abbatis, qui tunc erat ad Parlamentum Tolosae. Et misit idem Abbas ad Dominum litteras clausas excusatorias ex eo quod non poterat esse ad abbatiam suam praedictam cum Domino.

Die Iovis sequenti audivit Dominus ibi Missam, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde equitando quatuor leucas venit apud Montemalbanum abbatiam ordinis sancti Benedicti, subjectam, ut dicitur, abbatiae Casae Dei; ubi receptus fuit processionaliter ab Abbate & conventu indutis capis sericis. Et erat Abbas mitratus, & tenebat baculum pastoralem in manu. Et procuratus fuit ad expensas Abbatis.

Sancta die Veneris celebravit ibidem servitium in Ecclesia parrochiali Montisalbani, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde equitando per duas leucas venit Dominus apud Cacracum prioratum conventualem de Aurelinco; ubi receptus fuit ut suprà, & procuratus ad expensas Prioris.

Simon Dei gratia Bituricensis Archiepiscopus, Aquitaniae Primas, dilecto nobis in Christo Priori de Calceata Caturcensis diocesis salutem in Domino. Cùm nos hac instanti die sabbati ante Pascha Domini vestram proponamus Ecclesiam visitare, & exinde illa die ipsa Ecclesia visitata, apud sanctum Antoninum favente Domino declinare, mandamus vobis quatinus dicta die apud sanctum Antoninum procurationem nobis debitam praeparetis. Datum &c.

Die sabbati sequenti venit Dominus equitando per unam leucam apud Calceatam prioratum de Figaco; ubi Dominus credidit praedicare & aliàs visitationis officium exercere; sed quia Dominus non invenit aliquem in Ecclesia, nec venerant parochiani adhuc ad Ecclesiam, Dominus recessit, nec voluit remanere. Et exinde equitando per duas leucas ivit Dominus apud sanctum Antoninum prioratum conventualem ordinis sancti Augustini Ruthenensis diocesis, ubi Dominus mandaverat suam praeparari procurationem à Priore de Calceata praedictu sub forma seu consimili in fine paginae praecedentis scriptae. Et cum illa die veniret apud sanctum Antoninum, venit Prior illius loci cum pluribus concanonicis suis obviam Domino: qui praecepit eidem Priori quod ipse & conventus desisterent à receptione processionali & quavis alia sollemnitate propter devotionem diei. Venerunt etiam obviam Domino burgenses & Consules dictae villae & concomitarunt Dominum usque ad prioratum praedictum; ubi benedictionem aquae de fontibus fecit, indutus pontificalibus celebravit, praedicavit, indulgentiam dedit; & fuit ipsa die procuratus ibidem ad expensas Prioris de Calceata.

Sancto die Paschae fuit Dominus in prioratu praedictu, & celebravit indutus pontificalibus cum pallio, & fecit praedicari & indulgentiam dari per fratrem Hugonem Priorem de Ynoy, qui fecit sermonem post vesperas in claustro prioratus praedicti. Et fuit Dominus illa die procuratus ad expensas Prioris sancti Antonini praedicti.

VISITATIO ALBIENSIS.

Die Lunae in crastino Paschae Dominus Bituricensis consecravit ibidem, videlicet apud sanctum Antoninum, altare quod est in capite Ecclesiae & quatuor viatica seu parva altaria; quod quidem altare in honore beatae Mariae & beati Martini & omnium sanctorum extitit consecratum; & reposuit intra ipsum altare quasdam reliquias, & situavit petram cum calce benedicta. Benedictionibus fa-

ctis

ctis quae in talibus requiruntur, indulgentiam dedit illis qui inter fuerunt hujusmodi consecrationi, audivit ibi Missam, praedicavit, & iterum indulgentiam dedit, confirmavit. Et exinde intravit Albiensem diocesim; & venit equitando duas leucas apud Vaeur domum Templariorum; ubi Dominus Albiensis venerat obviam Domino, & requisivit eundem Dominum quod ipse esset cum ipso Episcopo per octo dies, & quod contramandarentur procurationes mandatae & missae. Et ipsa die locutus fuit cum Domino super pluribus, & postea ante comestionem recessit. Praefatus autem Dominus receptus fuit ibidem processionaliter, campanis pulsatis cantando, & procuratus fuit ad expensas praeceptoris.

Die Martis sequenti audivit ibi Missam, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde equitando tres leucas venit apud Podium Celsi prioratum de Aureliaco Claromontensis dioecesis; ubi receptus fuit ut suprà. Audivit ibi Missam, praedicavit, indulgentiam dedit, & confirmavit; & procuratus fuit ad expensas Prioris.

Notandum de fraude Prioris dicti loci, qui penes se retinuit omnia bona Ecclesiae & ad ipsam Ecclesiam spectantia, & in collatione seu praesentatione ejusdem Ecclesiae fecit pactum, ut dicitur, cum rectore illius Ecclesiae quod ipse rector finaret de procuratione Archiepiscopi Bituricensis & ministraret de propriis bonis Ecclesiae suae ea quae pro procuratione contingeret exigi in futurum. Et quis Dominus intellexit fraudem hujusmodi, mandavit bona dicti Prioris per Archipresbyterum arrestari & saisiri, & fecit bajulum Prioris per Guillelmum de Rivo Clericum suum crastina die moneri ut idem bajulus dicti Prioris nomine & pro ipso satisfaceret eidem Domino competenter de procuratione sua; quam quidem procurationem dictus rector jam solverat & de ipsa ad plenum satisfecerat; sed Dominus procurationem ipsam, tamquam à rectore praedicto solutam, noluit acceptare. Cùm autem dictus bajulus, qui vocatur Iohannes de Malapetra, videret quod tam contra ipsum quàm contra dominum suum Priorem Dominus vellet procedere ad excommunicationis sententias, idem bajulus promisit in manu Archipresbyteri dicti loci pro Domino stipulantis quod ipse dicti Prioris nomine & pro ipso satisfaceret de procuratione praedicta. Cui promissioni fuerunt praesentes Dominus Vivianus de Cordua, Dominus Hugo Praeceptor domus sancti Andreae de Galliaco, Dominus Adam de Chemino dispensator domus Domini Bituricensis praedicti, & ego Guillelmus de Rivo publicus Notarius. Et advertendum est quod taliter in recessu crastina die fuit processum.

Die Mercurii qua, ut praemittitur, contra Priorem de Podio Celsi fuit processum, venit Dominus equitando per tres leucas apud Rabastagnum prioratum de Moyssiaco; ubi Dominus receptus fuit ut suprà. Et venerat Abbas Moyssiacensis obviam Domino satis longè. Audivit ibi Missam, praedicavit, confirmavit, & indulgentiam dedit; & procuratus fuit ad expensas Prioris, qui est nepos Domini Moyssiacensis.

Die Iovis sequenti fecit ibi tonsuras. Et exinde equitando per duas leucas venit apud Viancium praeposituram de Ecclesia Albiensi, quam tenet Praepositus ejusdem Ecclesiae; ubi Dominus receptus fuit & fecit ut suprà, & procuratus ad expensas Praepositi dicti loci.

Die Veneris sequenti venit Dominus equitando per unam leucam apud Galliacum abbatiam ordinis sancti Benedicti, immediatè subjectam, ut dicitur, abbatiae Casae Dei; ubi receptus fuit ut suprà, & fecit ut suprà, & procuratus fuit ad expensas Abbatis.

Die sabbati equitando per duas leucas venit Dominus apud Roumanour prioratum de abbatia Massiliensi; ubi receptus fuit ut suprà, audivit ibi Missam, confirmavit. Et exinde venit ea die apud Sexterolium ibi propè prioratum de Galliaco; ubi receptus fuit processionaliter campanis pulsatis, audivit ibi Missam, confirmavir, & procuratus fuit ad expensas prioratuum praedictorum. Et impetravit Prior de Sexterolio à Domino quasdam litteras monitorias de compellendo Priorem de Roumanour praedictum de satisfaciendo medietatem procurationis. Tandem idem Prior alias litteras impetravit quòd requireretur utrum fecisset unquam aliquam contributionem vel partem aliquam procurationis solvisset, & quòd non compelleretur ad satisfactionem aliquam nisi ad hoc teneri inveniretur per inquestam. Et fuerunt ab utraque parte plures litterae impetratae.

Die Martis fuit Dominus cum Episcopo gratis.

Die Mercurii fuit similiter cum eodem gratis.

Die Iovis similiter cum eodem gratis.

Die Veneris exivit Dominus civitatem Albiensem; & cùm equitando per tres leucas veniret apud abbatiam de Candelio Cisterciensis ordinis, descendit Dominus ad cimiterium Ecclesiae de Candelio veteri, & reconciliavit illud, & ibidem confirmavit; & postea venit ad dictam abbatiam, ubi receptus fuit processionaliter campanis pulsatis, tonsuras fecit, & pernoctavit ibidem ad expensas Abbatis.

Die sabbati sequenti audivit ibi Missam, tonsuras fecit. Et exinde equitando per quatuor leucas, venit ad abbatiam de Castris ordinis sancti Benedicti; ubi receptus fuit processionaliter campanis pulsatis; & erat Abbas capa serica indutus, & habebat baculum pastoralem in manu in receptione Domini. Audivit ibi Missam, praedicavit, indulgentiam dedit, & procuratus fuit ad expensas Abbatis.

Die dominica qua cantatur *Misericordia Domini* reconciliavit cimiterium parrochialis Ecclesiae dicti loci, quod quidem cimiterium est extra villam de Castris situm, indulgentiam dedit illis qui interfuerunt reconciliationi hujusmodi; & postea rediens ad abbatiam praedictam, ad majus altare ipsius monasterii indutus pontificalibus celebravit, praedicavit, & indulgentiam dedit, confirmavit. Et exinde equitando per unam leucam ivit Dominus apud Rupemturvam castrum Domini Montis fortis ad invitationem Domini G. de Courciaco Senescalli ipsius Domini; & portavit ibidem Dominus cum tota familia sua. Et exinde venit illa die equitando per duas leucas apud Lautricum prioratum abbatiae sancti Pontii dioecesis Narbonensis; ubi multum honorificè fuit receptus à nobilibus & burgensibus dictae villae, qui obviam Domino subtus villam venerunt; & fuit Dominus processionaliter receptus campanis pulsatis in Ecclesia prioratus praedicti, & procuratus fuit ad expensas Prioris.

Die Lunae sequenti audivit ibi Missam, praedicavit, indulgentiam dedit. Et exinde equitando per quatuor leucas venit Dominus apud Albiam, declinans ad prioratum sancti Salvii de civitate Albiensi ordinis sancti Augustini; ubi receptus fuit multùm honorificè sicut suprà, & procuratus fuit ad expensas Prioris.

Die Martis sequenti celebravit ibidem indutus pontificalibus, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit. Et postea rediens ad cameram, habuit ipse & Episcopus Albiensis tractatum cum communitate villae Albiensis, & requisivit communitatem eandem quòd ipsa sibi tamquam domino suo superiori faceret quod debet appellando ad eum ab auditorio Episcopi & recognoscendo eundem dominum suum superiorem, & quòd scriberet ipsa communitas Domino Regi quòd cùm Senescallus Carcassonensis inhibuisset omnibus dictae villae Albiensis ad alium appellare quàm ad ipsum, quòd faceret idem Rex inhibitionem hujusmodi revocari, vel quòd ipsa inhibitione non obstante posset ipsa communitas ad Dominum Archiepiscopum tamquam ad suum superiorem dominum appellare. Super quo Dominus Episcopus propria manu scripsit quandam notam sub cujus forma debebat ipsa communitas Domino Regi scribere; quam notam communitas asportavit, & deliberare voluit super ea.

Ea-

Eadem die, scilicet die Martis post Dominicam qua cantatur *Misericordia Domini*, venit Dominus apud Scuriam prioratum de abbatia Galliacensi, ubi receptus fuit processionaliter campanis pulsatis & vicis villae paratis & joncatis, & procuratus fuit ad expensas Prioris.

Notandum est autem quòd Dominus debuisset ivisse de loco praedicto apud Securum prioratum abbatiae Moyssiacensis, & mandaverat ibidem Dominus procurationem suam praeparari; sed Prior loci accedens ad Dominum per duos dies vel tres antè, suggessit Domino quòd locus adeo pauper erat quòd ad recipiendum eundem sufficere non valebat, aliam causam specialissimam praetendendo, scilicet quòd aliquis praedecessor Domini nunquam visitaverat illum locum nec procurationem ibidem receperat. Verùm quia nonnullae litterae inveniebantur per quas bonae memoriae Iohannes praedecessor Domini fecerat Priorem ejusdem loci moneri de reddendo contributionem sibi taxatam ad subveniendum cuidam alii prioratui, praesumebatur quòd ipse ad procurationem tenebatur, praesertim cum, ut asseritur, locus ille sit bonus & pinguis. Tandem verò Dominus talibus suggestionibus Prioris & nonnullorum precibus circumventus, specialiter motus & ductus contemplatione Domini Moyssiacensis Abbatis, procurationem mandatam eidem Priori remisit.

Haec sunt loca subscripta quae Dominus non solùm propter eorum distantias, sed etiam propter aestivos calores, omisit in Albiensi diocesi visitanda, scilicet

Prioratus de Ambileto.	Prioratus de Bullato.
Prioratus sancti Amantii.	Prioratus S. Gervasii.
Prioratus de Cauna.	Prioratus de Securo.

VISITATIO ALTERA DE DIOCESI RUTHENENSI IN DIOCESIM CATURCENSEM.

1290 DIe Mercurii sequenti audivit Dominus Missam apud Scuriam prioratum praedictum, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, tonsuras fecit, cimiterium Ecclesiae reconciliavit, iterum indulgentiam dedit illis qui hujusmodi reconciliationi interfuerunt; & exinde Albiensem diocesim exeundo per quinque leucas equitans apud Vareuh prioratum de abbatia Aureliaci, qui prioratus est Ruthenensis diocesis, declinavit, & fuit ibidem procuratus ad expensas Prioris, qui iverat ad electionem Abbatis in monasterio Aureliaco faciendam, quod monasterium tunc temporis pastore carebat.

Die Iovis sequenti audivit Dominus ibi Missam, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde equitando per unam leucam venit Dominus apud Spinacium domum hospitalis ejusdem diocesis Ruthenensis; ubi receptus fuit ut suprà, & erant domus loci ejusdem satis sufficientes pro Domino, licèt praeceptor dicti loci, falsitate suggesta, fecisset eum deverti apud Vindefolium, ubi fuimus ad expensas Praeceptoris. Et finavit Praeceptor cum magistro domus Domini ad XIII. libras monetae illius patriae.

Die Veneris sequenti equitando semileucam venit Dominus apud Bellumlocum abbatiam Cistercíensem ejusdem diocesis Ruthenensis; ubi campanis pulsatis seu campana processionaliter fuit ab Abbate & conventu receptus, & fecit ibidem tonsuras.

Die sabbati sequenti audivit Dominus ibi Missam, praedicari fecit per fratrem Hugonem Priorem de Ynoy, indulgentiam dari, & se Abbatis & conventus orationibus commendari. Et exinde equitando per duas leucas venit Dominus ad capellam Templariorum Caturcensis diocesis; ubi campanis pulsatis receptus fuit processionaliter, & procuratus ad expensas Praeceptoris.

Die dominica qua cantatur *Iubilate* audivit Dominus ibi Missam, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, tonsuras fecit. Et cum exinde veniret apud Locum Dei abbatiam Cisterciensis ordinis Ruthenensis diocesis distantem abhinc per duas leucas, declinavit apud Calves; ubi cimiterium Ecclesiae ipsius loci reconciliavit. Et postea venit ad abbatiam praedictam; ubi receptus fuit processionaliter, campanis pulsatis; & erat Abbas in processione indutus capa serica cum baculo pastorali. Et postea intravit Dominus capitulum; ubi aliquibus verbis theologiae propositis ab eodem, se Abbatis & conventus orationibus commendavit, & in dicto monasterio pernoctavit. Et quia Dominus aut aliquis praedecessor ipsius nunquam ibidem fuerat, Dominus fecit subventionem Abbati de sexaginta solidis.

Die Lunae sequenti audivit Dominus ibi Missam, tonsuras fecit. Et exinde equitando quinque leucas venit apud Marsiliacum abbatiam ordinis sancti Benedicti Caturcensis diocesis; ubi receptus fuit ut suprà, & procuratus ad expensas Abbatis.

Quia vero Dominus invenit in dicto monasterio quosdam monachos letiferè sauciatos, scripsit Episcopo Caturcensi sub hac forma.

Simon Dei gratia Bituricensis Archiepiscopus, Aquitaniae Primas, venerabili fratri Raymundo ejusdem gratia Episcopo Caturcensi salutem in Domino. Nefandum scelus ac piaculare flagitium quod in monasterio de Marsiliaco vestrae diocesis, visitantes ibidem, per quorundam impiorum flagitiosas dexteras innocentis sanguinis avidas in religiosos viros fratres Guidonem de Vaelac & Raymundum de Valon monachos ejusdem monasterii Marsiliacensis horribili saevitate commissum audivimus, necnon contemptus divinae majestatis, nos afflictos super hoc provocant ad vindictam. Unde cùm praefatos monachos à praedictis impiis instinctu diabolico incitatis, scilicet dictum fratrem Guidonem quasi letiferè vulneratum, non tantùm in capite, verùm etiam in brachiis humeris manibus & tibiis, vulneribus super vulnera damnabiliter cumulatis, praefatum autem Raymundum per privationem & amputationem pugni proprii ab aliis impiis mutilatum invenimus, admirantes quomodo super atrocitate tanti facinoris omisistis interponere partes vestras, quas vulnerationes seu vulnerum cicatrices ac mutilationem vidimus contristati, & ideo praemissa conniventibus oculis pertransire volumus, fraternitati vestrae mandamus, monentes vos primo, secundo, & tertio tenore praesentium, quatenus contra Raymundum Barasti domicellum, Bertrandum de Trusse ejus bajulum, & Raymundum de Grivelia domicellum illatores facinoris in dictum Guidonem commissi, ut dicitur, super quo etiam fuimus summariè informati, necnon contra Guillelmum de Portu, Bernardum de Reneech, Arnaldum de Villasicca, Petrum Bergants, & Bernardum Cervelis servientes dicti Guillelmi, quos sceleris in personam fratris Raymundi, ut praedicitur, commissi poteritis invenire hujusmodi atrocitatis actores seu fautores, consiliarios, ac etiam adjutores, tam per testes & minas quàm per verisimiles conjecturas & alias probationes sufficientes taliter procedatis quod hoc Dei & Ecclesiae suae sanctae cedat honori & animae nostrae & vestrae saluti.

Et est sciendum quod Dominus super hoc fecit fieri quandam monitionem generalem sine nominum expressione cum denuntiatione excommunicationis à canone latae in malefactores facinoris antedicti.

Item sciendum est quod Dominus propter hoc scripsit Senescallo Petragoricensi & Caturcensi pro Domino Rege Franciae, necnon Senescallo Caturcensi pro Rege Angliae.

VISITATIO LEMOVICENSIS.

1290 ANno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo, die dominica qua cantatur *Reminiscere*, reverendus pater Dominus Simon Dei gratia Bituricensis Archiepiscopus, Aquitaniae Primas, volens intrare Lemovicensem diocesim ad visitandum nonnulla loca quae per eum in visitatione praescripta non fuerant visitata, de castro suo de Navis, ubi die sabbati praecedente suos celebraverat ordines & venerabilem virum Dominum Ægidium de Billone electum confirmatum Narbonensem ad ordinem sacerdotalem promovit, primò declinavit ad abbatiam Bellae aquae ordinis Cisterciensis, prout infrà scribitur; & directum transitum faciendo de Lemovico in Caturcinum, de Caturcino in Albigesium, redeundo per Caturcinum, Albigesio visitato, in Lemuvicinum, ipsorum locorum dioceses, prout inferius continetur, plenius visitavit.

Primò, ut directius Dominus iter suum arriperet, dicta die dominica declinavit equitando septem leucas apud praedictam abbatiam Bellae aquae Cisterciensis ordinis Claromontensis diocesis; ubi fuit ad expensas ejusdem monasterii, & ibidem pernoctavit. Ipsaque die commissiones plures fecit in Bituricensi dioceesi dirigendas super absolutione quorundam excommunicatorum pauperum & aliorum auctoritate Officialis Bituricensis & super causis diversis audiendis ab illis quibus Dominus committebat & fine debito terminandis.

Die Lunae sequenti, videlicet post Dominicam qua cantatur *Reminiscere*, audivit Missam in abbatia supradicta, & confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde venit equitando quatuor leucas apud Evahonium praepositaram ordinis sancti Augustini Lemovicensis diocesis; ubi campanis pulsatis fuit receptus processionaliter à Praeposito & conventu. Commisit autem dictus pater Archipresbytero de Montelucio causam motam inter capitulum de Gias Bituricensis diocesis ex una parte & parochianos ipsius ex altera audiendam & fine debito terminandam. Item fecit per magistrum P. de Versione examinari quandam causam matrimonialem motam inter quosdam de parochia de Marchia Lemovicensis diocesis, & plures alios fecit processus; & fuit ipsâ die ad expensas Praepositi procuratus.

Die Martis sequenti audivit apud locum praedictum Missam, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde unam leucam minimam equitando venit apud Cambonium praepositaram Lemovicensis diocesis ordinis sancti Benedicti, membrum per se; & fit Praepositus per electionem, sicut Evahonensis Praepositus supradictus. Et ibidem fuit receptus Dominus sicut suprà; & factae fuerunt ibidem plures substitutiones, procurationes, & commissiones, ac absolutiones & hujusmodi. Procuratus fuit ad expensas monasterii Cambonensis praedicti.

Die Mercurii sequenti audivit Missam apud locum praedictum, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde venit equitando tres leucas apud Rugniatum prioratum monasterii Evahonensis praedicti; ubi Dominus receptus fuit ut suprà. Domicilia vero loci ejusdem totaliter vel quasi minabantur ruinam. Causam matrimonialem supradictam expedivit; & procuratus fuit ad expensas Prioris, qui tunc erat in Romana curia, ut dicebatur.

Die Iovis ibidem visitationis officium complevit ut suprà. Et exinde equitando duas leucas venit Dominus apud Memacum prioratum de Souveigniaco Clugniacensis ordinis, locum malè aedificatum & pauperem; & receptus fuit ut suprà, & procuratus ad expensas loci ejusdem Prioris & Capellani.

Commisit Dominus & mandavit Archipresbytero de Argentonio ut Gervasium famulum Prioris sancti Benedicti in saltu Bituricensis diocesis ad benedictionem nuptialem admitti faceret, non obstante si testimoniales Presbyteri vel Officialis in cujus parrochia seu dioecesi oriundus extiterit non habebat; quia adeo juvenis venit ad servitium dicti Prioris quod non erat aliquatenus praesumendum eundem G. cum alia contraxisse.

Die Veneris apud locum praedictum suae visitationis officium complevit ut suprà. Et exinde equitando venit apud Bonum locum abbatiam Cisterciensis ordinis, & pernoctavit ibidem ad expensas monasterii.

Die sabbati sequenti audivit Dominus ibi Missam, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde equitando quatuor magnas leucas venit apud Albuconium prioratum monasterii Cambonensis, malè aedificatum; ubi receptus fuit processionaliter campanis pulsatis, & procuratus fuit ad expensas Prioris. Oportuit totam familiam Domini, Clericos & armigeros intra Ecclesiam loci jacere.

Dominica sequenti, qua cantatur *Oculi mei*, audivit Dominus ibi Missam, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, & tonsuras fecit. Et exinde venit equitando per unam leucam Dominus apud monasterium Rosoliense, ubi receptus fuit ut suprà. Dominus illa die fuit ad vesperas indutus pontificalibus, quia illa die erat Annunciatio dominica; & procuratus fuit ad expensas Praepositi & capituli.

Ea die conquestus est nobilis Iohannes Malesherbes laicus super eo quòd Iohannes Leonardi Canonicus monasterii Rosoliensis praedicti dicebatur fecisse eundem Iohannem per personam interpositam minus justè & sine causa rationabili ad judicium evocari; & ipsa die finaliter compromiserunt coram magistro Petro de Virsione auditore causarum & socio Domini super iis in magistrum Durandum de Manihac Canonicum monasterii Rosoliensis praedicti.

Item eadem die duo Clerici defectum natalium patientes constituerunt coram Domino seu locum ejus tenente quosdam procuratores sub forma quae sequitur.

Sanctissimo patri &c. devotissimus suus Simon &c. Noverit scilicet vestra clementia quòd in mea praesentia constitutus personaliter Iohannes Albi Clericus Lemovicensis diocesis discretos viros Geraldum de Agedunо dictum Bonaeffant & Guillelmum de Virsione Clericos, licèt absentes, suos fecit, constituit, & ordinavit procuratores & quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, ad impetrandum à sanctitate vestra dispensationem super defectu natalium quem idem Iohannes patitur de Clerico ad aliquos superiores ordines non promoto genitus & soluta, quòd hujusmodi non obstante defectu possit ad omnes ordines promoveri & ecclesiasticum obtinere beneficium; etiamsi curam habeat animarum. In cujus &c.

Die Lunae sequenti equitando per unam leucam venit Dominus apud Pheletinum prioratum de monasterio Cambonensi; & receptus fuit processionaliter sicut suprà. Celebravit ob festum & in honore Annunciationis dominicae indutus pontificalibus, praedicavit ibidem, indulgentiam dedit, confirmavit, tonsuras fecit; & procuratus fuit ad expensas Prioris dicti loci.

Die Martis sequenti equitando tres maximas leucas venit Dominus apud Mainhac prioratum abbatiae Burgi Dolensis; & receptus fuit ut suprà, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, tonsuras fecit; & procuratus fuit laudabiliter ad expensas Prioris.

Die Mercurii sequenti equitando sex leucas venit Dominus apud Bonam aquam abbatiam Cisterciensis ordinis, ubi pernoctavit; & in crastino Missam ibidem in capella portali seu de porta audivit, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, tonsuras fecit; & Abbati loci de quibusdam malefactoribus, qui pisces de stagnis & piscariis monasterii amoverant furtivè, & alia bona vastaverant, conquerenti quandam generalem concessit monitionem omnibus Capellanis Lemovicensis diocesis dirigendam seu directam.

Die

Die Iovis ſequenti equitando tres leucas magnas venit Dominus apud Portum Dei prioratum Caſae Dei bonum & divitem, tamen inter arduos colles ſitum; & receptus fuit proceſſionaliter à Priore & conventu. Audivit ibi Miſſam in craſtino, indulgentiam dedit, confirmavit, tonſuras fecit; & procuratus fuit ad expenſas Prioris.

Die Veneris ſequenti equitando tres leucas peſſimi* kemini venit apud Boort prioratum Cluniacenſem; ubi illa die receptus fuit & fecit ut ſuprà immediatè; & Petro de Rupe Presbytero, qui de ſancto Iuniano Lemovicenſis diocefis extitit oriundus, litteras teſtimoniales conceſſit quod ipſe in ſacerdotium fuit promotus. & hoc juraverunt de credulitate verum eſſe Iohannes Saulahe, P. de Cavanhac, & G. la Beſſa Presbyteri, qui viderunt eundem P. de Rupe apud Boort & alibi celebrare; necnon diſcretus vir Dominus Durandus Bruni rector Eccleſiae de Viſello dictae dioceſis aſſeruit juratus quod in quadam capella ſua de voluntate & aſſenſu Lemovicenſis Epiſcopi celebravit idem Petrus.

* Inneris

Die ſabbati ſequenti equitando quinque leucas venit Dominus apud ſanctum Angelum prioratum abbatiae de Carrofio Pictavenſis dioceſis; ubi proceſſionaliter fuit receptus ut ſuprà, audivit Miſſam, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, & tonſuras fecit; ac procuratus fuit ad expenſas Prioris.

Dominica qua cantatur *Laetare Jeruſalem* venit Dominus apud Maymacum abbatiam ordinis ſancti Benedicti, ubi receptus fuit ut ſuprà. Audivit ibi Miſſam, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, tonſuras fecit; & procuratus fuit ad expenſas Abbatis.

Die Lunae ſequenti equitando venit Dominus apud Vedrinas prioratum Caſae Dei, ubi receptus fuit & fecit ut ſupra.

Die Martis ſequenti equitando unam leucam venit Dominus apud Ventadour prioratum Cluniacenſem, ubi receptus fuit proceſſionaliter campanis pulſatis ut ſuprà; & in Eccleſia dicti prioratus Dominus conſecravit quoddam altare in honore beatae Katerinae, beatorum Mauritii, Vincentii, & Blaſii, & fecit ſuper illud altare quandam Miſſam pro defunctis per quendam Capellanum ipſius Domini celebrari.

Die Mercurii ſequenti audivit ibi Miſſam. Et exinde equitando ſeptem magnas leucas venit Dominus apud Obazinam abbatiam Ciſtercienſis ordinis: & fuit receptus Dominus multum honorabiliter ab Abbate, qui emit bladum in herba à portario ſuo pretio duorum ſextariorum frumenti pro diſpergendo per cameram Domini & per aulam in qua comedit. Et poſt prandium Dominus ivit ad viſitandum quaſdam moniales illius ordinis incluſas in quodam loco quem ipſae moniales habent ſatis prope illam abbatiam extra portam in nemore. Et eſt ſciendum quod Prioriſſa ſervat unam clavem & Prior clauſtralis de Obazina aliam, ut mihi videtur; & cùm Dominus viſitaſſet eaſdem & praedicaſſet, & ſe earundem orationibus commendaſſet, receſſit, & praecepit magiſtro hoſpitii ſui ut eiſdem monialibus erogaret quandam pecuniae quantitatem.

DIOCESIS CATVRCENSIS.

Die Iovis poſt Dominicam qua cantatur *Laetare Jeruſalem*, exivit Dominus Lemovicenſem dioceſim, & intravit dioceſim Caturcenſem, apud Martellum declinans; & receptus fuit proceſſionaliter, campanis pulſatis. Audivit die craſtina ibi Miſſam, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit; & procuratus fuit ad expenſas Capellani dicti loci. Qui quidem Capellanus ſe inhabilem reddit in habitu quem debet habere quilibet Capellanus, minimam defert tonſuram, capillos longiſſimos, à poſteriore parte ſciſſos, à parte anteriori ad modum ſcutiferi, raubam patulam cum punctis coram prælato ſuo, ſutiles ſotulares. Effrons facie prima videtur.

Tom. I.

Eadem die fecit Dominus Ballivum Domini Regis coram ſe ad judicium evocari, pro eo quod ipſe, dum eramus in villa praedicta, manus injecerat temerè violentas in Presbyterum; & quia ipſe noluit coram nobis reſpondere, eundem excommunicavimus. Tandem vero dictum Ballivum in forma Eccleſiae apud Rupem Amatoris &c. Quaere infra apud locum praedictum die ſabbati ſequenti.

Die Veneris ſequenti equitando duas leucas venit Dominus apud Soliacum, decanatum ordinis ſancti Benedicti, immediatè ſubjectum, ut dicitur, Abbati Aureliacenſi Claromontenſis dioceſis; & receptus fuit multum honorabiliter à Decano, qui obviam Domino venit per leucam cum pulcherrima comitiva ſcutiferorum & capellanorum commonachorum ſuorum proceſſionaliter, campanis pulſatis &c. & procuratus fuit ad expenſas Prioris.

Die ſabbati ſequenti audivit Dominus ibi Miſſam de beata Maria, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit. Et exinde equitando duas leucas venit apud Rupem Amatoris; ubi ordines celebravit, acolythos, ſubdiaconos, Diaconos, & Presbyteros promovendo; praedicavit, indulgentiam dedit. Fuit verò receptus multùm honorabiliter ab Abbate Tutelenſi Lemovicenſis dioceſis, qui tenet prioratum de Rupe Amatoris in manu ſua. Venit enim Domino obvius ſatis longè, & poſtea rediit ad Eccleſiam; in qua Dominum dictus Abbas, monachi, & clerus deſerviens prioratui praedicto in medio graduum illius Eccleſiae obviantes Domino receperunt. Et fuit procuratus illa die ad expenſas Abbatis.

Eadem die Dominus abſolvit Ballivum Regis apud Martellum à duplici excommunicationis ſententia, ſcilicet ab illa quia coram Domino citatus ſuper hoc quod in Presbyterum manus injecerat temerè violentas, noluerat reſpondere, ab alia canonis, quia injecerat manus in Presbyterum. Reſervavit autem Dominus taxationem emendae de conſenſu Ballivi praedicti ſuper exceſſibus antedictis. Et quaere principium in pagina praecedenti apud Martellum. Praeſentes autem fuerunt reſervationi hujuſmodi & abſolutioni Archipresbyter de Vallibus, magiſter Pontius, & magiſter Vitalis, ac frater dicti Ballivi.

Notandum quòd Dominus recepit litteras Domini Epiſcopi Caturcenſis ſub hac forma.

Reverendo in Chriſto patri ac Domino noſtro cariſſimo Domino Simoni Dei gratia Bituricenſi Archiepiſcopo Aquitaniaeque Primati, ſuus Raymundus Dei gratia Epiſcopus Caturcenſis, cum recommendatione ſe ipſum. Paternitatem veſtram nobis cariſſimam requirimus & rogamus quatinus hac inſtanti die ſabbati, ubicunque vos eſſe in noſtra dioceſi contigerit, omnes, ſi placet, ordines celebretis & omnia alia faciatis nomine veſtro & noſtro quae ad veſtram pertinent dignitatem, nos, ſi placet, habentes, Domine, excuſatos, quia tardè vobis ſcribimus, cum hac inſtanti die Veneris tarda hora ubi vos eratis ignorabamus omnino; ſcientes, reverende pater, quod ad vos habuiſſemus acceſſum, ſi equitare poſſemus. Valeat veſtra paternitas per tempora longiora. Datum Caturci die Veneris poſt Dominicam qua cantatur Lætare Ieruſalem *anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo primo.*

Dominica qua cantatur *Iſti ſunt dies* audivit Dominus apud prioratum praedictum de Rupe Amatoris in capella beatae Mariae Miſſam ſecretam, & poſtea in majori Eccleſia magnam Miſſam, confirmavit, benedixit ornamenta, calices, imagines, & cruces. Et exinde venit equitando tres leucas apud Vicanum; ubi receptus fuit ut ſuprà. Et cum Dominus poſt prandium evocaſſet Priorem & capitulum dicti loci in camera ſua ad tractandum de ſtatu Eccleſiae, dictis Priore & capitulo congregatis, Dominus petiit ab eiſdem qualiter temporalitas illius Eccleſiae ſe habebat. Qui unanimiter reſponderunt quòd erat in bono ſtatu, praeter hoc ſolùm quòd contentio erat inter ipſos Priorem & capitulum ex parte una & Dominum de Gordonio ex altera ſuper

alta justitia villae de Vicano. Post hoc autem interrogati à Domino de spiritualitate, praesertim cum Dominus intellexisset quod licèt pro Canonicis regularibus censerentur, communiter tamen ipsorum quilibet propriam cameram habebat, non in eodem refectorio comedebant, non in eodem dormitorio conversabantur, non faciebant professionem in dicto monasterio, responderunt & confessi sunt, praesentibus magistro P. de Virsione, Domino J. de Gressibus Capellano Domini, & Guillelmo de Rivo publico Notario, ac pluribus aliis, quod in ingressu monasterii & in creatione ipsorum in Canonicos votum aliquod non fecerunt, dicentes quod non deferunt alicubi habitum regularem, sed secularem, nec deferunt superlicia nisi intra metas claustri sui, & cum claustrum vel villam exeunt, vadunt huc & illuc ut purus secularis.

Advertendum est autem quod Prior & capitulum de Vicano tenent illam villam de Vicano à Domino Bituricensi Archiepiscopo in feodum, & debent sibi facere homagium & fidelitatem jurare. Item quia Dominus viderat quod Ecclesia loci ejusdem, quae incoepta fuerat opere sumptuoso, vix aut nunquam posset ad finem perduci, voluit & ordinavit quod Prior daret unam praebendam ad opus praedictum; & dedit indulgentiam illis qui ad hoc pias eleemosynas largirentur.

Die Lunae sequenti audivit ibi Missam, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit. Et exinde equitando semileucam venit apud Gordonium prioratum de Vicano; ubi processionaliter campanis pulsatis cantando fuit receptus, & procuratus ad expensas Prioris.

Eadem die mandavit Dominus Dominum Fortanerium dominum de Gordonio ut veniret die crastina, super contentione illius justitiae de Vicano cum Domino tractaturus.

Die Martis sequenti audivit Dominus ibi Missam, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit; & postea reversus ad cameram, tractavit cum praedicto Domino de Gordonio super contentione praedicta quae vertebatur inter ipsum Dominum Fortanerium ex parte una, & Priorem de Vicano ex altera. Super qua contentione compromiserunt ipsae partes, & prolatum fuit dictum arbitrale super hoc. Sed Prior asserens monasterium suum laesum non modicùm, nolebat hujusmodi dictum servare, praesertim cum arbitri forent suspecti, proponens plures alias rationes. Qui quidem Fortanerius consultus à commilitibus suis & aliis de consilio suo, multum benignè respondit Domino quod ipse paratus erat stare dicti Domini dicto, arbitrio, voluntati, vel Domini Caturcensis, vel alterius cujuscunque probi viri. Demum Dominus assignavit seu cantavit diem Lunae post ramos palmarum Caturci ad procedendum plenius super istis. Quibus sic actis, venit Dominus equitando quandam magnam leucam apud Concorest prioratum sancti Ambrosii Bituricensis; ubi receptus fuit ut suprà, & procuratus ad expensas Prioris de Gordonio, qui tenebat eum ad firmam à Camerario sancti Ambrosii Priore dicti prioratus de Concorest.

Die Mercurii sequenti audivit Missam & fecit praedicari per fratrem Hugonem Priorem de Ynoy socium Domini, & indulgentiam dari, & confirmavit. Et exinde venit equitando duas leucas apud Archas prioratum de Marsiliaco abbatia ordinis sancti Benedicti Caturcensis dioecesis. Et cùm Dominus pranderet, venit ad mensam Domini quidam monachus Guillelmus nomine de prioratu de Duravello, qui prioratus est de abbatia Moyssiacensi, & dixit Domino verba haec vel consimilia. Reverende pater, Prior de Duravello me misit ad vos ut nuntiarem vobis, quod cùm proponatis nostram Ecclesiam de Duravello die Iovis crastina visitare, procurationem ibidem debitam recepturus, & ibidem nullus praedecessorum vestrorum visitaverit nec procurationem receperit, non est intentionis ejusdem Prioris quod ad hoc vos recipiat; & si hoc facere, scilicet visitare & procurationem recipere, volueritis, ego ad apostolicam sedem appello. Et incontinenti Dominus monuit in scriptis Priorem & monachum praedictos de admittendo ipsum ad visitationem & de ministrando sibi procurationem debitam. Quibus sic actis, dictus pater, scilicet Dominus Bituricensis, praecepit dicto fratri Guillelmo quod iret comestum, quia non erat adhuc excommunicatus. Dicta vero die procuratus fuit Dominus ad expensas Prioris de Archis; sed semper dicebat quod Dominus nec aliquis praedecessor ipsius procurationem integram receperat in Ecclesia sua praedicta, sed contribuebat vel contribuebatur eidem.

Praedicta autem die, dum Dominus veniret de Concorest apud Archas, fecit Dominus transitum per Vergauteriam, quae est in medio viae; & debuissemus ibidem ivisse, sed Dominus noluit quod ille locus visitaretur ad praesens contemplatione Domini Sicardi Archidiaconi Caturcensis. Et tunc deceptus fuit Dominus, quia ipse Archidiaconus non tenebat eundem. Et est prioratus dicti loci de abbatia Marsiliaco.

Die Iovis sequenti audivit Dominus Missam ibidem, scilicet apud Archas, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, tonsuras fecit. Et exinde equitando tres leucas venit Dominus apud Duravellum prioratum abbatiae Moyssiacensis, de quo fit mentio suprà, ubi receptus fuit processionaliter, campanis pulsatis, à Priore & monachis illius loci indutis capis sericis, & procuratus fuit ad expensas Prioris.

Die Veneris sequenti audivit Dominus ibi Missam, praedicavit, indulgentiam dedit, confirmavit. Et exinde equitando quatuor leucas venit Dominus apud Catusium prioratum de Clusa; ubi fecit ut suprà, & receptus fuit ut suprà, & procuratus ad expensas Prioris.

Die sabbati sequenti cùm Dominus vellet intrare Caturcensem civitatem, Episcopus Caturcensis obviavit Domino prope Marcusium castrum ipsius Episcopi, & concomitavit Dominum usque ad Ecclesiam Caturcensem; ubi dicta die receptus fuit Dominus campanis pulsatis processionaliter à capitulo illius Ecclesiae & toto clero indutis capis sericis, cantando; & illa die fuit procuratus ad expensas Episcopi.

Notandum est autem quod mandata fuit procuratio sub hac forma.

Simon Dei gratia Bituricensis Archiepiscopus, Aquitaniae Primas, venerabili fratri Raymundo ejusdem Dei gratia Episcopo Caturcensi, salutem & sinceram in Domino caritatem. Cum nos hac instanti die Veneris ante ramos palmarum ad vestram proponamus Ecclesiam causa ibidem visitationis officium exercendi favente Domino declinare, mandamus vobis quatenus dicta die procurationem nobis debitam praeparetis. Datum &c.

Contramandata extitit sub iis verbis usque ad diem sabbati sequentem.

Simon &c. venerabili fratri &c. salutem &c. ut suprà. *Contramandamus vobis ex causa diem Veneris ante ramos palmarum, qua die ad vestram proposueramus Ecclesiam declinare causa ibidem visitationis officium exercendi; significantes vobis quod die sabbati immediatè sequenti dictam Ecclesiam concedente Domino proponimus visitare. Quare mandamus vobis quatenus dicta die sabbati procurationem nobis debitam praeparetis. Datum &c.*

Et sciendum est quod sub hac forma scriptum fuit capitulo & pluribus Prioribus dioecesis Caturcensis. Tamen stilus antiquus est brevior, ut videre poteritis in registris Iohannis; & haec est generalior forma quae sequitur.

Simon &c. dilecto nobis in Christo Priori vel Abbati de loco tali talis dioecesis, salutem in Domino. Cùm nos die tali vestram proponamus Ecclesiam concedente Domino visitare, mandamus vobis quatenus dicta die procurationem nobis debitam praeparetis. Datum &c.

Si

Si Dominus sit in diocesi visitanda, sic incipe. *Cum nos eandem diocesim visitantes die &c.* ut suprà immediatè.

Forma brevis contramandationis seu demandationis.

Simon &c. dilecto nobis in Christo Priori &c. Ex causa mutato nostro proposito, diem quam vobis mandaveramus usque ad talem diem vobis ducimus demandandam. Datum &c.

Die dominica sequenti benedixit in majori Ecclesia Caturcensi ramos palmarum & flores; & post processionem prædicavit, indulgentiam dedit, celebravit Missam in pontificalibus cum pallio; & procuratus fuit ad expensas capituli in domibus Episcopi.

Die Lunæ sequenti tractatu habito cum Domino de Gordonio super contentione quæ inter Priorem de Vicano & ipsum Dominum vertebatur super justitia de Vicano, quem Dominum de Gordonio invenit Dominus Bituricensis tractabilem & benignum ad omne quod Dominus super hoc vel quidam alius probus duceret ordinandum, ivit Dominus ad Ecclesiam fratrum Prædicatorum Caturcentium; ubi Dominus ad instantiam plurimorum nobilium de partibus illis celebravit ibidem Missam pro quodam defuncto, nobili, & tradidit eundem ecclesiasticæ sepulturæ, prædicavit ibidem, indulgentiam dedit. Et post hoc ad Caturcense capitulum declinavit; ubi cum eodem capitulo, præsente Episcopo Caturcensi, tractavit de negotiis Ecclesiæ suæ, & visitavit eosdem ibidem. Post hæc autem incontinenti ivit Dominus apud sanctum Velienum de Caturcensi civitate, prioratum abbatiæ de Marsiliaco ordinis sancti Benedicti, quem tenebat Dominus Sicardus Archidiaconus Caturcensis. Audivit ibi Missam, & confirmavit; & procuratus fuit ad expensas ejusdem Archidiaconi tanquam Prioris dicti loci.

Eadem die qua Dominus remisit ex gratia speciali Priorissæ beatæ Mariæ Deauratæ.

DIOCESIS BITURICENSIS.

1285 Die Lunae sequenti in crastino sancti Michaëlis anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo quinto completa visitatione diocesis Lemovicensis, intravit Dominus diocesim Bituricensem. Et ipsa die primò declinavit apud Malver prioratum sancti Martialis Lemovicensis; ubi fuit receptus & procuratus ad expensas Prioris dicti loci. Summa expensarum x. libræ & v. solidi.

Die Martis sequenti venit Dominus apud sanctum Nazarium; ubi fuit cum magistro domus hospitalis dicti loci in procuratione, nec fuit computatum. Eadem die Gaudinus dominus de Remefort, filius & heres Gaufridi Lobe de Remefort quondam Domini Militis, concessit coram Domino litteras manumissionis centum puellarum quas pater suus manumitti jusserat in terra sua de Reignac & de Remefort ab omni taillia & commenda; cui manumissioni consenserunt coram nobis executores dicti defuncti.

Littera super dicta manumissione facta sequitur in hæc verba.

Simon Dei gratia Bituricensis Archiepiscopus, Aquitaniae Primas, ac executor testamenti bonae memoriae defuncti Gaufridi Lobe Militis quondam domini de Ramefort, universis praesentes litteras inspecturis, salutem in Domino sempiternam. In testamento praedicti defuncti publico & sigillo curiae Bituricensis sigillato vidimus clausam quae sequitur in haec verba. Volo, concedo, & praecipio pro remedio animae meae parentumque meorum quòd centum puellae de terra mea de Ramefort & de Maignec manumittantur & fiant liberae ab omni taillia & commenda. *Quibus visis, nos nobilem domicellum Gaudinum filium & heredem memorati defuncti dominum de Ramefort nostrae Bituricensis diocesis requisivimus ut de locis praedictis nobis nominaret centum puellas & eas manumitteret pro implenda, ut praediximus, voluntate memorati defuncti. Qui sponte & deliberatione praehabita, ac de bonorum consilio, ut decebat, anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo quinto, die Martis post festum sancti Michaëlis, apud sanctum Nazarium nostrae diocesis, praesentibus pluribus bonis viris, nobis nominavit & assignavit in scriptis centum puellas de terris praedictis, quarum nomina hic inferiùs continentur; videlicet Iohanna filia Aymerici de Pontdon, Ozanna filia Amici Pozivela de Barris, Iohanna filia Dulciae Pozinelae de Barris, Iohanna filia Petronini Pretesegle de Derot, Dulcia filia Humberti de Coillon de Mivers, Iohanna filia Ranulphi de Pleys, Iohanna filia Blanchetae Gnegardon de Derot, Iohanna filia Bovini Fuerat de Ramaforti, Iohanna filia Humberti Pernchet de Barris, Beneventa filia Ossannae Martinae de Fonte Angeris, dicta Martha filia Iohannis Pelar de Derot, Iohanna filia Stephani Tmllon de Mivers, Dionysia filia Hyssemberti Pernchet de Barris, Iohanna filia Iohannis, Bavesin de Derot, Petronilla filia Iohannis Pernchet de Barris, Iohanna filia Iohannis de Rupe, Iohanna filia Guilleti Tacherot de Barris, Iohanna filia Petiti Coillon de Mivers, Iohanna filia Aymerici Braccare de Palize, Agnes filia dicti Megnec de Brocin, Iohanna filia Charbonier de Roenayo, Petronilla filia Iohannis de Oblinquo de Ramaforti, Iohanna filia Botinot de Rossec, Iohanna filia Guarnerii de Mivers, Matthaea filia Peron de Fondret de Barris, Radegundis filia Laurentii le Bacle de Buxeria, Iohanna filia Amici Pesant de Megnec, Iohanna filia fratris dicti de Roenayo, Iohanna filia dicti Coles de Agia, Iohanna filia Iohannis Martini de Chatres, Bona filia Guillelmi de Bversa, Iohanna filia Tortorin de Rossec, Margareta filia à la Violate de Derot, Iohanna filia Iohannis Berandea de Chochet, Iohanna filia Gaufridi, Guillemeta de Menznee, Iohanna filia Suberti Pesant de Megnee, Iohanna filia dicti Segoyn de Megnee, Dionysia filia magistri de Ioncheria de Megnec, Iohanna filia Peroneti Cabulon de Megnee, Iohanna filia Stephani Paterii de Megnee, Iohanna filia Iohannis Pentea de Megnec, Margareta filia à la Petise de Megnec, Petronilla filia Dedae de Megnec, Bruneta filia Stephani Baeriler de Megnec, Iohanna filia Aymerici Richardi de Fonte Angerii, Laurentia filia Vaquerelli de Baeris, Radegundis filia Boni Iohannis de Ramaforti, Bona filia Iohannis de Villenec, dicta Manra filia Dulciae de Rollec, Matthaea filia Guillelmi Piscatoris de Rossec, Iohanna filia Rossigneo de Fonte Angeris, Iohanna filia Aymerici Martini de Fonte Angeris, Dionysia filia Iohannis Richart de Fonte Angeris, Iohanna filia Aymerici Riclaet de Fonte Angeris, Iohanna filia dicti Stephenda de Fonte Angeris, dicta filia filiae à la Poche de Fonte Angeris, Iohanna filia Petronini de Vlmo de Rosec, Iohanna filia Beatricis de Paliz, Iohanna filia Michaelis de Paliz, Petronilla filia Tissemberti Charlot de Recules, Dionysia filia Iohannis Berandi de Chochet, Aymaurdis filia dicti fratris de Roenayo, Margareta filia Iohannis Collon de Miners, Iohanna filia dictae la Lebre de Barris, dicta la Mude de Barris, Laurentia filia Reinundi de Barris, dicta Manna filia Picardi de Ramaforti, Stephana filia dictae la Torte de Oblinquo de Ramaforti, Iohanna filia dicti Nadau de Paliz, Iohanna filia dicti Turloton de Derot, Stephana filia Dominae la krione de Fonta Angeris, Iohanna filia Ymerici Richart, Iohanna filia Petronini Baraton de Rosee, Iohanna filia Iohannis de Recules, Iohanna filia Dulcis de sancto Nazario, Stephana filia Iohannis Clementis, Iohanna filia dictae Bonae de la Totosera, Iohanna filia Iohannis Deris de Ramaforti, Laurentia filia Dulcets de Plays, Laurentia filia Audeberti de Derot, Iohanna filia Floer de Derot, Iohanna filia Blancheti Cocart de Derot, Iohanna filia Petri Bersolat de Derot, Iohanna filia Petri Bersolat de Derot, Iohanna filia filii Philippi de Barris, Iohanna filia Iohannis de*

Plays, Iohanna filia Morelli de Paliez, Iohanna filia Stephani Tardi de Paliz, Iohanna filia Aymerici Bersolat de Derot, Iohanna filia Iohannis Bernardon de Plays, Petronilla filia Iohannis Posivea de Barris, Iohanna filia Odonis Vigneron de Mlguec, Iohanna filia dicti Berton de Recules, Iohanna filia Iohannis de Oblinquo de Ramaforti, Iohanna filia Iohannis Elcot de Platsis, Iohanna filia Yssamberti Charlot de Recules, Iohanna filia Iohannis Arnandi de Ramefort, Iohanna filia Renaudi Fanchez de Barris, Iohanna filia Petronini Pretesegle de Derot, & Iohanna filia Roselli de Cimbet. Quas omnes & singulas praenominatas centum puellas idem domicellus praesens propter hoc in iure coram nobis accedens, & adimplere desiderans praedicti voluntatem patris sui pro se & aliis fratribus & sororibus suis, quos habebat, in tutela, mamburnio, sive cura, ut dicebat, & pro quibus omnibus manucepit de rato super omnibus bonis suis, manumissas a patre suo ratificavit & confirmavit & eas liberas approbavit & quantum in se erat & in fratribus suis manumisit & libertate donavit, atque ipsas ab omni taillia & commenda liberas effecit & immunes, promittens sub obligatione omnium bonorum suorum se facturum & curaturum quod dicti fratres & sorores ejusdem, quamprimum ad legitimam aetatem pervenerint, omnia praemissa & singula ratificabunt & super omnibus & singulis praemissis litteras consimiles concedent. Promittens idem domicellus per fidem in manu nostra praestitam corporalem quod contra manumissionem & libertatem praedictas per se vel per alium non veniet in futurum, obligans quoad haec se & heredes suos & bonorum suorum quoslibet possessores & omnia sua bona mobilia & immobilia praesentia cum futuris ubicunque & quaecunque, volens & concedens expresse ipsum & eius heredes per nos & successores nostros seu Officialem Bituricensem compelli ad observantiam omnium praemissorum, ubicunque ipse vel heredes sui suam facient mansionem. Omnia autem praemissa & singula, prout superius sunt expressa, nobilis mulier relicta defuncti Gaufridi Lobe Militis praedicti praesens in iure propter haec coram nobis grata & rata habuit, voluit, & laudavit, & quittavit propria auctoritate quicquid juris, possessionis, proprietatis, servitii, dominii, servitutis, & redeventiae cuiuslibet in dictis centum & quatuor puellis habebat vel habere poterat ratione osclei sive dotis seu quacunque de causa vel etiam ratione per fidem in manu nostra praestitam corporalem quod contra praemissa vel aliquid praemissorum per se sive per alium non veniet in futurum, obligans quoad haec & jurisdictioni curiae nostrae & successorum nostrorum & Officialis nostri supponens se & heredes suos & bonorum suorum possessores & omnia bona sua mobilia & immobilia praesentia cum futuris, ubicunque sint & quaecunque, renuntiantes per fidem tam dictus domicellus quam relicta praedicta omni actioni, exceptioni, deceptionis & laesionis cuiuslibet in praemissis, exceptioni doli mali in factum, conditioni sine causa & ob causam, exceptioni circumventionis, & omni iuri in favorem mulierum introducto & introducendo, omni beneficio & auxilio totius facti, & juris canonici & civilis, beneficio minoris aetatis, restitutionis in integrum, Velleiani & beneficio crucis, omnibus allegationibus, defensionibus, exceptionibus, privilegiis, & rationibus facti & juris quibuscunque, ac etiam omnibus consuetudinibus, usagiis patriae & statutis, & generaliter omnibus rationibus juris & facti per quae contra praemissa vel aliquod praemissorum posset opponi aliquid sive dici, renuntiantes praecipue juribus dicentibus generalem renuntiationem non valere, volentes & concedentes quod si contra praemissa vel aliquod praemissorum aliquid factum fuerit vel fieri contigerit in futurum, quod per illud factum praedictis renuntiationibus & ab eis causam quocunque modo habentibus nulla possessio, nulla praescriptio, nullum jus, nulla obligatio acquiratur.

Die Mercurii sequenti venit Dominus apud Vigno prioratum de Carosio, ubi fuit in procuratione cum Priore dicti loci. Summa expensarum fuit novem libræ.

Die Iovis sequenti venit Dominus apud Argentonium cum Priore sancti . . . . de abbatia sancti Gildalii de Castro Radulphi. Summa fuir expensarum x. libræ.

Die Veneris ibidem cum Priore sancti Marcelli de eadem abbatia. Summa fuit expensarum x. libræ.

Die sabbati sequenti ante festum beati Dionysii fuit Dominus apud Nurec cum magistro domus hospitalis dicti loci. Summa expensarum octo libræ.

Die dominica sequenti cum Priore de sancto Galtero prioratu de Stirpo. Summa expensarum fuit decem libræ & quatuor solidi.

Die Lunæ sequenti apud Ruphec cum Priore de abbatia sancti Martialis Lemovicensis. Summa fuir expensarum novem libræ & duo solidi.

Die Martis sequenti ad Oblinquum cum Priore dicti loci de abbatia Dolensi; & eadem die celebravit Dominus.

Die Mercurii sequenti in festo sancti Dionysii apud Fontem Gombaudi cum Abbate dicti loci. Non fuit computatum de expensis.

Die Iovis sequenti Lorolium cum magistro domus hospitalis. Non fuit computatum.

Die Veneris sequenti apud sanctum Sigirennum cum Abbate fuit. Non fuit computatum.

Die sabbati sequenti apud Thorseliacum cum Priore de abbatia Dolensi. Non fuit computatum.

Die dominica sequenti apud Castellum cum capitulo. Summa expensarum decem libræ.

Die Lunæ sequenti apud Cleum cum Priore dicti loci. Et eadem die remisir Dominus, ad supplicationem Abbatis Millebecensis, procurationem suam quam habebat & mandaverat in prioratu de Chasteles de abbatia Millebecensi.

Die Martis sequenti apud Paludellum prioratum sancti Genulphi.

Die Mercurii apud sanctum Genulfum cum Abbate. Non fuit computatum.

Die Iovis ante festum sancti Lucæ evangelistæ apud Brisenciacum prioratum Millebecensem.

Die Veneris sequenti cum Priore de Villa Dei abbatiæ sancti Gildasii.

Die sabbati sequenti cum Priore de Argiaco; & remisit Dominus eidem procurationem anni futuri pro domibus suis reparandis. Et Priori de Luccio malo remisit similiter procurationem quam sibi mandaverat.

Die dominica post festum S. Lucæ apud Landesium in abbatia Cisterciensis ordinis.

Die Lunæ sequenti cum Priore de Lande de abbatia Dolensi.

Die Martis sequenti apud Ruelliacum prioratum sancti Dionysii in Francia.

Die Mercurii sequenti venit Dominus apud Bituricas pro sepultura Henrici domini de Soliaco defuncti in Arragonia; cujus corpus recepir in monasterio fratrum Minorum Bituricensium, Missam celebravit, & corpus ipsius in eadem Ecclesia tradidit ecclesiasticæ sepulturæ. Et postmodum venir apud sanctum Palladium, & fuit ibidem ad expensas proprias suas.

Die Iovis sequenti ivir Dominus apud Locum regium; & ibi ad majus altare Missam de mortuis celebravit pro dicto domino de Soliaco; cujus cor eadem die tumulatum fuit in introitu dictæ Ecclesiæ de Loco regio, ubi multi de genere Soliaci sepulti erant. Et hoc facto, reversus est Dominus apud sanctum Palladium, ubi fuit ad expensas suas.

Die Veneris, sabbato, dominica, & Lunæ sequentibus fuit Dominus apud Malum respotum ad expensas suas proprias. Et ipsa die fecit servitium Regis Philippi defuncti in Arragonia in majori Ecclesia, celebravit, prædicavit, & indulgentiam dedit.

Die

Die Martis ante feſtum omnium ſanctorum venit Dominus apud Deuvre prioratum abbatiæ Verſionenſis ubi fuit procuratus.

Die Mercurii ſequenti in vigilia omnium ſanctorum venit Dominus apud Carobrias, ubi fuit uſque ad ſequens feſtum ſancti Martini hyemalis; & in eodem feſto fuit Dominus apud Verſionem in expenſis abbatiæ ex gratia.

Die Lunæ ſequenti poſt dictum feſtum ſancti Martini hyemalis venit Dominus apud Telliacum; ubi fuit ſecum ipſa die Dominus Epiſcopus Caturcenſis, qui de patria ſua venerat obviam corpori bonæ memoriæ Philippi Regis Franciæ defuncti in Aragonia.

Die Martis ſequenti fuit Dominus apud Plenipedum; ubi ad expenſas ſuas eſſe voluit, ſed Abbas dicti loci noluit ſuſtinere. Et ferè media nocte ſurrexit, & ivit apud Donum Regis; ubi corpus memorati Regis erat; & in aurora die Mercurii ſequentis venit in capella Caſtri de Duno Regis, ubi invenit corpus dicti Regis defuncti. Et poſtmodum in dicta capella venit Philippus novus Rex Franciæ ad audiendam Miſſam, quem Dominus in introitu dictæ capellæ ſalutavit & aſperſit aqua benedicta, & cepit licentiam ab eo ut unà cùm Epiſcopo * Carnotenſi conduceret corpus Regis defuncti uſque Bituricas, & factum fuit ita. Et ad expectandum novum Regem receptum fuit dictum corpus in Eccleſia de Caſtro Bituricenſi a Domino Archiepiſcopo & Epiſcopo Carnotenſi & Canonicis dictæ Eccleſiæ; & ibi habuit vigilias ſuas. Poſtmodum verò congregatis proceſſionibus Bituricis in majori Eccleſia, Dominus & Carnotenſis Epiſcopus cum proceſſionibus perrexerunt ad Eccleſiam de caſtro Bituricenſi, & recommendatione corporis facta delatum fuit corpus proceſſionaliter ad majorem Eccleſiam, & receptum in ea à Domino Archiepiſcopo & Epiſcopo Carnotenſi, præſente novo Rege, qui corpus prædictum geſtabat inter brachia unà cum multis Baronibus.

Die Mercurii & Iovis ſequentibus fuit Dominus Bituricenſis ad expenſas proprias in domo Cantoris, ubi eſſe debet, ut dicitur, de conſuetudine quando aliquis major ſe occupat domos ſuas, in quibus Dominus Rex fuit per illos duos dies.

Dicta die Iovis celebravit Dominus in majori Eccleſia Bituricenſi Miſſam de mortuis pro Philippo Rege Franciæ mortuo, cujus corpus erat praeſens, praeſente novo Rege, Epiſcopo Carnotenſi, & Othone Comite Burgundiæ, & pluribus aliis Baronibus & perſonis.

Die Veneris ſequenti conduxit Dominus corpus Regis defuncti uſque apud ſanctum Palladium, & reverſus eſt ad prandium apud Telliacum, & fuit ibi dicta die Dominus & die ſabbati ſequenti.

Die verò dominica ſequenti, videlicet poſt octavas ſancti Martini hyemalis, venit Dominus apud Cornoaſſam; ubi fuit uſque ad diem dominicam poſt feſtum beati Andreæ Apoſtoli. Qua die dominica venit Dominus apud Callonium prioratum ſancti Sulpitii Bituricenſis, & fuit ibi in procuratione.

Die Lunæ ſequenti apud Calvummontem cum Priore in procuratione.

Die Martis ſequenti apud Lurciatum prioratum Plenipedenſem cum Priore in procuratione.

Die Mercurii ſequenti apud Colubrem prioratum Plenipedenſem cum Priore in procuratione.

Die Iovis ſequenti in feſto ſancti Nicolai hyemalis apud Hyriconem cum capitulo. Et eadem die finavit Prior de oratorio Odomant ordinis Clugniacenſis de procuratione.

Die Veneris apud Montem cenobium cum capitulo dicti loci. Et eadem die finavit de procuratione Prior de Chapes ordinis Clugniacenſis.

Die ſabbati ſequenti apud Montetum cum Priore dicti loci abbatiae de Excluſa. Et eadem die finavit de procuratione Prior de Valegui ordinis Clugniacenſis.

Die dominica ſequenti apud Barbonium cum Prioriſſa. Et eadem die finavit de ſua procuratione Prior de Becay ordinis Clugniacenſis, & Prior de Cenquomo ejuſdem ordinis.

Die Lunae ſequenti apud ſanctum Leopardinum cum Priore de abbatia ſancti Sulpitii Bituricenſis. Et eadem die finavit Prior de Capella Hugonis abbatiae de Vezelay.

Die Martis ſequenti apud Avuldream prioratum Sovigniacenſem cum Priore loci dicti.

Die Mercurii ſequenti apud ſanctum Stephanum de Granerio prioratum Plenipedenſis abbatiae.

Die Iovis ſequenti in feſto beatae Luciae virginis, apud Fontem Morigniaci abbatiam Ciſtercienſis ordinis.

Die Veneris ſequenti apud ſanctum Hilarium prioratum ſancti Laurentii diocefis Antiſſiodorenſis.

Die ſabbati ſequenti apud Berriacum prioratum Clugniacenſem cum Priore.

Die dominica ſequenti apud Callovium abbatiam Ciſtercienſem cum Abbate.

Die Lunae ſequenti apud Sancerum cum Prioriſſa dicti loci.

Die Martis ſequenti apud ſanctum Satirum cum Abbate. Et ſciendum quòd ad preces ipſius Abbatis Dominus remiſit hoc anno procurationes ſuas prioratuum ſancti Petri de Sancero & de Silvigniaco, qui prioratus ſunt de abbatia ſancti Satiri.

Die Mercurii ſequenti apud Iars prioratum ſancti Satiri cum Priore dicti loci.

Die Iovis ſequenti apud ſanctum Palladium in expenſis propriis.

Die Veneris ſequenti ibidem ad expenſas ſuas.

Die ſabbati ſequenti ibidem ordines celebravit; & celebratis ordinibus, venit apud Telliacum ad prandium, & fuit ibi ad expenſas proprias.

Die verò dominica ſequenti, videlicet ante nativitatem Domini, venit Dominus apud Cornoaſſam, ubi fuit uſque ad diem Mercurii poſt Epiphaniam Domini. Qua die Mercurii venit apud Meillanc prioratum Dolenſem, ubi fuit cum Priore dicti loci in procuratione.

Die Iovis ſequenti in octavis Epiphaniae Domini apud cellam de Brueria prioratum Dolenſem cum Priore dicti loci in procuratione.

Die Veneris ſequenti apud Caſtrumnovum cum capitulo de Veneſve in procuratione.

Die ſabbati ſequenti apud Creſliacum prioratum Dolenſem cum Priore dicti loci.

Die dominica ſequenti apud Manceyum cum Abbate in procuratione.

Die Lunae ſequenti apud Olivetum cum Abbate Ciſtercienſis ordinis.

Die Martis ſequenti apud Albigniacum captivi prioratum abbatiae Caſalis benedicti cum Priore.

Die Mercurii ſequenti apud ſanctam Siriculam prioratum Dolenſem cum Priore.

Die Iovis ſequenti apud Vileutras cum Priore.

Die Veneris ſequenti apud ſanctum Amanum cum capitulo.

Die ſabbati ſequenti apud Chabries, ubi fuimus uſque ad diem Mercurii poſt octavas Purificationis beatae Mariae. Qua die ivit Dominus apud Comitiſſam de Bleſis, & pernoctavit apud Villamnovam ad expenſas ſuas.

Die Iovis ſequenti apud Villamfrancham cum rectore domus hoſpitalis de Villafrancha in procuratione.

Die Veneris ſequenti apud cellas ſancti Dionyſii cum Priore de abbatia ſancti Satiri.

Die ſabbati ſequenti apud Noviacum ſuper Branjon cum Priore de abbatia Verſionenſi.

Die dominica & Lunae ante cathedram ſancti Petri apud Vouſeron, videlicet die dominica in procuratione cum Priore, & die Lunae ex gratia cum Abbate Verſionenſi.

Die Martis & Mercurii ſequentibus apud Malumrepaſtum ad expenſas proprias.

Die Iovis & Veneris in cathedra ſancti Petri ſequen-

quentibus apud la Pivere, & die sabbati sequenti, ad invitationem Abbatis sancti Sulpitii Bituricensis, & in sero ivit Bituricas, & Dominica in mane praedicavit in majori Ecclesia, & dedit indulgentiam; & eadem die dominica venit Dominus apud sanctum Palladium, & fuit ibi ipsa die dominica ad expensas suas.

Die Lunae sequenti ante Brandones fuit Dominus in procuratione cum Priore de Capella Gilonis prioratu abbatiae sancti Sulpitii Bituricensis.

Die Martis sequenti apud Albigniacum super Veram cum Capellano dicti loci in procuratione.

Die Mercurii sequenti apud Ageat cum Capellano in procuratione.

Die Iovis sequenti apud sanctum Gondulphum cum Priore dicti loci in procuratione.

Die Veneris sequenti apud sanctum Brcium prioratum sancti Benedicti Floriacensis cum Priore. Et eadem die finavit Prior de Castellione de procuratione sua.

Die sabbati sequenti apud Belleu prioratum abbatiae sancti Satiri cum Priore dicti loci.

Die dominica Brandonum apud sanctum Palladium in expensis propriis.

Die Lunae sequenti ibidem similiter in expensis suis propriis.

Die Martis sequenti apud Malumrepastum ad expensas proprias.

Die Mercurii sequenti apud Exoldunum cum capitulo sancti Cirici in procuratione.

Die Iovis sequenti ibidem cum Abbate beatae Mariae Exoldunensis in procuratione.

Die Veneris sequenti apud Vodolonum cum Priore de abbatia Dolensi.

Die sabbati sequenti ibidem celebravit Dominus sacros ordines. Et eadem die venit Dominus apud Yvolium prioratum Dolensem cum Priore dicti loci in procuratione.

Die dominica post octavas Brandonum apud sanctum Iulianum prioratum Dolensem.

Die Lunae sequenti apud Podium Ferrandi cum Abbate dicti loci in procuratione.

Die Martis sequenti apud sanctum Desideratum cum Priore dicti loci in procuratione.

Die Mercurii sequenti apud Huriacum cum Priore de abbatia Dolensi in procuratione.

Die Iovis sequenti apud Montemlucium cum Priore beatae Mariae dicti loci de abbatia Menatensi.

Die Veneris sequenti apud Columbeyum cum Priore ordinis Clugniacensis.

Die sabbati sequenti apud Bellamnaviam cum Priore dicti loci de abbatia Menatensi.

Dominica qua cantatur *Oculi mei* & die Lunae sequenti fuit apud Naves ad expensas proprias.

Die Martis sequenti visitavit Dominus prioratum de Cantella, prioratum de Evaone, & fecit expensas. Et procuravit Dominum apud Naves idem Prior de Cantella.

Et eadem die fuit concordata quaedam littera super contentione jurisdictionis & metarum quae vertebatur inter Dominum Archiepiscopum Bituricensem & gentes Comitis Attrabatensis cujus tenor sequitur ad hoc signum &c.

Cetera desunt.

Incipiunt Gesta Venerabilis Domini Domini Baldevvini de Luczenburch Treverensis Archiepiscopi & Henrici Imperatoris germani sui de Luczenburch.

BEata consideratione cogitavi dies antiquos gloriosorum gestorum magnificorum virorum in curiositate scriptorum immemorialiter proh dolor praeterire, animadversioneque disceptavi annos aeternos retributionis praemiorum laborum singulorum hic operatorum post hanc vitam unumquemque pro mercede reperire. Laudes igitur rerum gestarum dignè recolendarum sub modio non ponantur, nec obfuscato ignorantiae nubilo aliqualiter involvantur. In ea exultabo, & mirè miranda mirabilia sua prout potero narrabo. Ei ergo qui est fons & origo omnium bonorum, ad honorem, ut ipse in suis glorificetur creaturis, sunt temporum gesta vivae memoriae jugiter commendanda. Vivae memoriae res gestae tunc aliqualiter donantur, ut in eis posteri emendentur & gloriosa antecessorum gesta providè imitentur. Vocis enim viva locutio velut umbra dinoscitur more defluentis aquae pertransire, & sicut fumus in aerem dispersus evanescens non solet revenire. Iubiloque sicut cum aromato quotiensque corde tanguntur, toties auscultantium corda jocundantur, sic gloriosa magnatorum gesta litterali descriptioni tradita, quotiensqunque recitantur, toties probi & discreti virtutum hauriendo exemplaria laetificati meliorantur. Nunc, sicut videmus, omnipotens Deus non solum verbo tenus Moysi legem tradere, sed digito suo tabulae insculptam lapideae, ut semper ejus jugis & viva perseveret memoria, dignatus est ministrare. Volo igitur, prout se facultas offeret meae parvitati, non tumescentis laudis adulatione, sed humilis mentis in imo audacissima praesumptione, magnifica gesta gloriosi Principis almi Galliae Germaniae Primatis venerabilisque Patris & Domini Domini Baldevvini de Lucaenlinburch Trevirorum Archiepiscopi scriptis commendare. Sed quod non sufficiam, scriptorum vernula fiam. Scribere igitur incipiam, in primis capitulorum ponendo distinctiones, & postea eorum prosecutiones quae per eum gesta sunt, & quae ejus temporibus evenerunt, quae vidi, & quae veridica proborum & discretorum relatione famaque generali voluntate audivi, potiere non obmittam. Invoco ergo adjutorium patris luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio, à quo omne datum optimum & omne donum perfectum descendens est in corde hominum, ut mihi Spiritum sanctum mittat in adjutorium, & hoc opusculum, immo mihi opus permaximum, Domino nostro Iesu Christo ad honorem, & reverendo Domino Domino Badevvino Archiepiscopo ad favorem, omnibusque posteris ad exemplar utilitatis valeam inchoare, pertractare, & fine optimo consummare. Hoc mihi dignetur praestare Deus trinus & unus.

INCIPIUNT CAPITULA PRIMI LIBRI.

I. *De vita & morte antecessoris.*
II. *De ejus postulatione.*
III. *De ejus confirmatione.*
IV. *De ejus consecratione.*
V. *De ejus receptione.*
VI. *De ejus genealogia & obitu patris.*
VII. *De ejus physionomia.*
VIII. *De ejus pueritia & adolescentia.*
IX. *De pacis & justitiae observatione.*
X. *De ejus vita & conversatione.*
XI. *De ejus provisione.*
XII. *De ejus familiae promotione.*

INCIPIUNT CAPITULA SECUNDI LIBRI.

I. *De Henrico ejus germano Romanorum Imperatore septimo.*
II. *De electione per Dominum Baldevinum Archiepiscopum procurata.*
III. *De Henrici Regis consecratione & coronatione.*
IV. *De nundinis per Dominum Baldevvinum Treverensibus à Rege impetratis, & ejus recessu.*
V. *De Iohanne Henrici Regis nato in Regem Bohemiae creato.*
VI. *De Adolphi & Alberti Romanorum Regum*

PROLOGVS TERTII LIBRI.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I. *De vita & morte antecessoris*

Dignus à dignis dignissimè laudatur, licèt ab invidis laudis generositate inaniter destituatur. Dicendae ergo laudis gratia licet parumper ad superiora ascendere, ut hujus valeam materiae intellectum exprimere planiorem. Anno dominicae incarnationis millesimo ducentesimo nonagesimo octavo, in die beatorum Processi & Martiniani martyrum, prope monasterium Monsterdreyse ordinis Praemonsteriensis, Albertus Dux Austriae Adolphum de Nassava Romanorum Regem saeviter occidit congressione praeliali, seseque in regno intromisit quod firmiter credidit gladio obtinuisse triumphali. Veruntamen procuravit ab electoribus se in Romanorum Regem electionis jure sublimari & Aquisgranis solemniter coronari. Contra quem summus tunc Pontifex Dominus Bonifacius octavus, eo quod uxor ejus esset de viperiali genimine seminis Frederici, aliisque multis de causis rigidas exercere sententias publicissimè fulminavit, & Dominum Dycherum Regis defuncti germanum causa ejus vetantiae resistendi in Trevirorum Archiepiscopum non postulatum nec ab aliqua parte Capituli electum celeriter sublimavit. Capitulum tamen elegerat Henricum de Virneuburch, cui major pars subditorum Ecclesiae jam obediebat, statim Ecclesiae suae terras plurimas & redditus pignorali cautione & literali obligatione constringens gravibus damnisque datas impignoratasque per maxima debita contraxit, de quibus parum dicitur persolvisse, & cum in honore esset, non intellexit, viriliterque contra Albertum Regem restitit, & etiam contra Confluentes sibi rebellantes, universum etiam tunc diocesis clerum contra se ipsum inimicitiis tum de provocavit. Vnde concors caterva clericalis ipsum ad praesentiam Domini Clementis tunc summi Pontificis, dura de eo querimonia facta, vocari in propria persona providè procuravit. Qui citationis termino imminente, de carnis ergastulo quantocius migravit anno Domini millesimo tricentesimo septimo, vicesima tertia die mensis Novembris, Ecclesiam suam non modicum disturbatam, debitisque gravatam, dilapidatam, impignoratam, dissipatamque relinquendo, ita ut ipsa ab imo cordis suspiria possit cum Propheta flebiliter clamare: *Dedisti me tanquam oves escarum, & sine pretio vendidisti*, & obligando me multipliciter dispertisti.

CAP. II. *Qualiter sit electus.*

Ecclesiae ergo suae Trevericae Deus totius consolationis gemitus & suspiria parva mora protracta brevissimè terminavit divino munere bonitatis anno Domini millesimo tricentesimo septimo, die septima mensis Decembris, Capitulo Treverensi coadunato & ad futurum Praesulem eligendum, vocatis omnibus vocandis, congregato, à majori & saniori parte Capituli venerabilis Dominus Baldevvinus de Lutzelinburch Praepositus & Canonicus dictae Ecclesiae, adhuc ipso Parisiensi studio fideliter mancipato, anno nativitatis ejus XXII. in gaudium & laetitiam totius cleri & populi, divina cooperante gratia, in Treviroram erat Archiepiscopum sollemniter postulatus. Hinc ovat clerus altisonis vocibus psallens *Te Deum laudamus*. Hinc fit cunctarum compulsatio campanarum, concursus populorum catervatim congregatorum, sic ut ipsa Ecclesia jocunde possit canere cum psalmista: Saccum meum conscidisti, & me misericorditer circumdedisti multiplicata laetitia salutari.

CAP. III. *De ejus confirmatione.*

Lumen à luminis flamma incenditur. Sic à jure electionis nuntios per sollemnes procuratoresque eximios Pictavium extitit delata, & sanctissimo patri Domino Clementi Papae publicè intimata. quam quidem postulationem ipse summus Pontifex, inquisitionem faciens condecentem tam de persona postulata quàm de postulantium conversatione & vita, parte adversantium frivola appellata totaliterque cassata, benignè approbavit, & de minoritate annorum secum etiam dispensando, ipsum fore admittendum, suo cum Cardinalibus praesidens consistorio, in propatulo publicavit, & more consueto ipsum admittendo sententialiter confirmavit.

CAP. IV. *De ejus consecratione.*

Veritatis igitur fama ejus approbationis Parisius sibi revelata, ipse Baldevvinus contremuitus unà cum Domino Henrico & vulgariter fratribus ejus germanis Pictavum veniens, summo se Pontifici laetanter praesentavit. quod ipse grataner recepit & amicabiliter salutando. Et anno Domini millesimo tricentesimo septimo, sexto Idus Martij, more Treverico scribi consueto, ipse Dominus Clemens Papa quintus per Cardinalem in Pictaviensi Ecclesia di-

ctum

ctum Dominum Baldevvinum in Presbyterum ordinavit, sequenti die cum pluribus aliis Archiepiscopis & Episcopis in Trevirorum Archiepiscopum divinitus consecravit. Ipse vero dictis eum fratribus multisque aliis Cardinalibus & amicis diversis curiarum solemnitatibus habitis Papam valedicens, ad propria cum suis est reversus. In qua tamen reversione in littera sibi à Domino Petro Moguntinensi Archiepiscopo destinata intellexit Dominum Albertum Romanorum Regem humanæ conditionis debitum persolvisse. Nam ab ejus cognato, Iohanne Duce videlicet fratris sui filio, cui quia ipse Albertus ad instinctum suæ uxoris Reginæ volentis hereditare filios suos ducatum Austriæ, postquam dictus Albertus occiderat Adolphum Regem, violenter suum patrimonium, videlicet ducatum Austriæ, recepit & detinuit, esse dinoscitur interemptus; & illud evangelicum fuit adimpletum in hoc casu: *Mensura qua mensi fueritis remetietur vobis.*

CAP. V. *De ejus receptione.*

Zona tranquillitatis, pacis, & concordiæ totius patriæ aliquandiu sub antecessore non modicum extitit delaniata, & cleri caterva de nimia rancoris materia multipliciter perturbata. Sed misericors & miserator Dominus de excelso throno suo prospiciens Ecclesiæ suæ durissimas & lacrymosas oppressiones servituti Babylonicæ dignè comparatas per dictum Baldevvinum, pacem & concordiam reformando, misericorditer relevavit. Nam dictus Baldevvinus ejus in primo adventu lætissimo totam per dioecesim cunctis suis officiatis & judicibus districtè mandavit ut in cunctis suis territoriis tam advenis quam incolis, non per tyrannicum rigorem, sed per incutiendum timorem, universos pacem servare unanimiter coartarent, si ejus gratiam servare & indignationis rubiginem cuperent evitare. Et sic in amœnitate pacis & concordiæ anno Domini millesimo trecentesimo octavo, die sancto Pentecostes, cum multorum procerum proborum caterva non modica, velut zelotypus sponsam suam visitando, Treverim est ingressus. Hic fit concursus populorum, coadunatio Clericorum. Voce tamquàm præsaga cives Apostolorum pacem portaverunt, patriamque illuminantes hodie advenerunt, & sic eum lætantissimè receperunt, & suam in Ecclesiam processionaliter adduxerunt, præsente matre, fratribus, sorore, & multis spectabilibus viris. Eodem die Missarum solemnia sollemniter celebravit, curiam sollemnem faciens, & sumptuosam, cunctos advenientes lautissimè procuravit, à nobilibus & subditis * huldas & subjectiones debitas acceptavit & feodalia feodalibus in feoda condonavit, cunctaque antecessoris debita persolvit dissipata & obligata, omni modè satisfaciens, ad jus & proprietatem suae Ecclesiae viriliter revocavit.

* Id est, fidei sacramenta, ut interpretatur Browverus.

CAP. VI. *De genealogia ejus, & obitu patris.*

Zeli scribendæ historiæ est parumper ad superiora ascendere, ut ejus seriem clariori luce valeam pertractare. Anno dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo octuagesimo quinto nobilibus de parentibus, videlicet Henrico Comite Luczelinburgensi patre & Domina Beatrice & Bellomonte in Hannonia matre Dominus Baldevvinus extitit nobilis natus. Avus ejus eodem nomine Henricus dictus Blondel Fuisse, qui Dominum Baldevvinum * protavus scitur publicè extitisse, qui ducatus à Coloniensibus finibus longè latèque circa Rhenum extenditur, & multas habens munitiones & castra, ultra Mosam protenditur, & feodum Coloniensis Archiepiscopi esse in parte perhibetur. Isto Vvalramo defuncto, Henricus dicti Baldevvini avus in patrimonio succedere debuerat paterno. Sed Dux Brabantiæ illum sibi indebitè hodierna die noscitur usurpasse. Isto verò Henrico de medio sublato, Henricus pater Domini Baldevvini in comitatu Luczelinburgensi successit. Eo tempore Coloniensis castrum Vorinche inter Coloniam & Nussiam quondam situatum, quod prius Archiepiscopo ad patriæ tuitionem juvamine construxerant, de quo rapinæ erumpebant, amore pacis pro aliqua pecuniæ summa ab Archiepiscopo ut illud in fortiori loco ad latus Rheni reædificavit; quem cum officiatus suus interrogans de quo castrum deberet retinere, cum annuis careret redditibus, dicitur respondisse: Quatuor viæ sunt trans castrum situatae. Quod ille audiens alveum Rheni transmeantes theolonicis exactionibus aggravavit, terram verò transeuntes multipliciter rapinis molestavit. De quo cum Archiepiscopus rogatus à Coloniensibus non desisteret, Colonienses dictum castrum obsidione circumsepserunt, quam obsidionem Archiepiscopus solvere cupiens, exercitum permaximum congregavit. Tunc Coloniensibus in adjutorium, quia cives sunt eorum, Dux Brabantiae & Comes de Monte celeriter concurrerunt. Qui Comes dicto Duci partem ducatus Limburgensis se contingentem pro quadam pecuniae summa noscitur vendidisse. E contrà Henricus comes Luczelinburgensis Ducem Brabantiae pro dicto ducatu Limburgensi impetens, & ipsius partem à Coloniensi Archiepiscopo in feodum recipiens, Ducem diffidavit, & cum Vvalramo germano suo aliisque duobus fratribus Militibus, obscurè tamen natis, in Archiepiscopi adjutorium properavit. Hic discordia discordiæ sociatur, & guerra guerræ rigidè cumulatur. Quodam ergo die sabbatino, Archiepiscopo prælium inire voluntario, à Coloniensibus mandatur eos sibi & omnibus adhaerentibus per biduum victualia ministraturos, si ob honorem Dei sequentem dominicalem diem, ejusque genetricis præsentem diem sabbatinum à prœliis vacando dignaretur celebrare, maximè cùm sua turba die tenus sumeret argumentum, earum verò nullum sperarent sumere incrementum. Quod Archiepiscopus accepisset, si Henricus Comes non dixisset: Heu! non debemus hodie propter Clericum timorosum prælium inire gloriosum? Hoc cum Archiepiscopus intellexisset, dicitur respondisse, Probior mea clericatura in campis ejus militia noscitur fuisse, mandans Coloniensibus ut se præpararent & inire prælium secum non tardarent. Hic clangor auditur, tubarum resonantia fistularum, sonus tympanorum, clamor populorum in mortem se praeparantium. Heu heu! cujuslibet partis acies ejus dividitur in turmas. Primo Colonienses cum Archiepiscopo prælium inchoantes, partem deteriorem habere. Secundò Henricus Comes cum Duce prælium committens, Duce ad jactum lapidis retropresso, Comes visus fuit prævalere. Tertiò Comes de Monte inermibus suis cum rusticis in vulgo Kempen appellatis in Coloniensium & Ducis adjutorium prælium aggressus, Archiepiscopi & Henrici Comitis partes intrinsvit, separavit, dissipavit totaliter & prostravit. Heu miserabile spectaculum! Hic captivatur, ille trucidatur, hic morti addictus spolietur, ille in Rhenum fugiens suffocatur, in nemore verò paludinoso submerguntur plures, substantiæ capiuntur, fuga à multis arripiuntur, Archiepiscopus verò à Comite de Monte capitur & custodiæ in Bensbure mancipatur. Proh dolor! Ubi Comes Henricus miles imperterritus fugere nescius cum Vvalramo germano proprio duobus aliisque prædictis fratribus miserabiliter fuerat interemptus anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo octavo, sabbato, die beati Bonifacii martyris, hic ploratus & ululatus de tam parvulis pupillis, Henrico, Vvalramo, & Baldevvino, Baldevvino verò nondum trimatus anno completo, patre orbatis. Quid essent acturi, quove diversuri, à nonnullis querulosè in altum elevatur. Sed illud disfortunium eis in fortunam numen mutavit divinum. Nam Henricus in imperialis dignitatis apicem, ut infrà patebit, fuit elevatus. Baldevvinus verò in Trevirorum archiepiscopalem dignitatem extitit sublimatus.

* Desunt heic nonnulla.

CAP. VII. *De ejus physionomia.*

Est etiam ejus physionomia, ad posterorum utilitatem memoriæ commendanda, ad utilitatem inquam,

quam, quia animæ sequuntur complexiones corporum, ut posteri ejus complexionem cognoscentes, probabiliter credant morum ut virtutum ejus insignia, quæ ponuntur postea, in eo omnimodè exstitisse. Fuit enim staturæ mediocris, caput sicut sphæram parumper impressam formosum habuit & rotundum, capillos capitis & barbæ subtiles, in colore citrinos, medios simplices, medios crispos. quæ omnia subtilis cerebri substantiæ esse indicia referuntur. Anticiput qualibet parte elevatum. quod est bonæ apprehensivæ signum. Occiput elevatione ampliatum. quod bonæ memoriæ signum esse determinatur. nasum pulchrum, grossitudine mediocrem, auditum acutum, vocem dulcem habuit & acutam, oculos limpidissimos, apprope aliqualiter sursum videndo acutissimos, sed à remotis videndo Limburgensium more obtusos, aures rotundas. Hæc bona organorum dispositio sensuum perfectionem noscitur denotare. Collum vero ejus in longitudine, & brevitate mediocriter dispositum, fortè tamen & nervosum, scapulas largas, brachia & crura fortiora & nervosa cum musculis non multum carnosis, pectus amplum & elevatum, dorsum rectum & bene dispositum, cutem albam rubore aspersam, carnes molles ingenium bonum repraesentantes, corpus verò totum mediocre, agile & subtile noscitur habuisse. quæ omnia prudentiae & fortitudinis esse signa à naturalibus allegantur. Vnde si ejus virtutum insignia postea recitantur, nemo miretur, cum per subtiliora aurifabri instrumenta opus subtile fabricetur.

CAP. VIII. *De ejus pueritia & adolescentia.*

Lux irradiationis intellectualis morum & virtutum limpidissimum acquiritur per studium. Baldevvinus igitur annis infantiae suae lapsis scolasticae disciplinae magistris moribus, virtutibus, atque artium litteris imbuendus tradebatur; à quibus ipse usque ad annum nativitatis suae decimum tertium in Hannonia cum sua matre in comitatu Luczelinburgensi existens suis in puerilibus informabatur, & suos coetaneos in litteratura excellens, quia limpidiori pollebat ingenio, promptior habebatur. Fuit Parisiis circa quinquennium, logicam & philosophiam audiendo. Deinde scholas per biennium dimisit propter guerras inter Francigenos & Flandrenses existentes, quando in Curtray flos Francigenarum occubuit per Flandrenses. Duobus sollemnibus cum magistris magnae litteraturae viris, camerariis, domicellis, nobilibus ejus statum condecentibus Parisiensi studio fuerat destinatus; ubi omnium artium principia terminosque substantiales, studio inhaerendo frequentissimo, memorialiter retinebat. Arabicis arithmeticisque figuris scribebat, & astronomiae insudando sphæram addiscebat. Specialiter tamen juris canonici studiis frequenter insistebat, & in iis usque adeptionem * artus noscitur perdurasse. qui fuerat annus dominicae incarnationis millesimus tricentesimus septimus. quo etiam anno in Archiepiscopum Treverensem fuerat postulatus, ut superius sufficienter est expressum. Nemo ergo existimet me hic aliqua superflua tumescentis animi ambitione posuisse, cum sine eis meram historiae veritatem nequaquam potuissem expressisse. Nunc igitur revertar ad propositum, Deo trino & uno gratiarum referendo actiones.

* f. bacca laureatus.

CAP. IX. *De pacis & justitiae observatione.*

Lucet caeteris clarius qui est virtutum floribus moribusque adornatus. Sicut ergo lux solaris tenebrosis interpositis nubibus, quin diescat, nequit occultari, sic morum ejus vita virtuosa, ut lateescat, à nullis poterit offuscari. Generali enim fama voluntate reformator & conservator pacis & justitiae fuisse perhibetur. Nam pacis terrae amicissimus conservator, raptorumque fuerat horribilissimus exstirpator, quos sua magna cum prudentia subjugavit. Nam plurima castra & fortia juxta praedonum fortalicia, per quae ipsi jugiter tanquam obsessi habebantur, malis eorum gratibus fundinis aedificavit, & sic eos ad pacis observantiam, quantumcunque magnos, violenter coartavit. Et rem memoriae dignam hic duxi interserendam, ut hic enarratis testimonium adhibeam veritatis. Frederico de Numagen domicello, qui à mercatoribus Mosellae alveum descendentibus non rapinam sed cautionem, ut ipse asserit, receperat pigneralem sui castri, sub obtentu districtissimè demandavit ne Treverensem exiret civitatem, in qua tunc erat, nisi conquerentibus cuncta ablata prius restituisset, quod praeceptum celeberrimum productum fuerat ad effectum. Es sic defensor mercaturem, amator bonorum, exterminator iniquorum rigidissimus, in judicio justissimus habebatur. Nam proprium occultae nationis fratrem, qui propriam uxorem occulte interfecerat spe solemnioris, optimo licèt ab Archiepiscopo pro fratre esset reputatus, supplicio rotali interimere permisit. Es sic nemini parcendo, cunctos maleficos timore perterritos suis procul à finibus fugere compellebat; ut sicut Salomon sapiens & pacificus dignè potuerit appellari.

Vide Spondan. ad an. 1354 §. 12.

CAP. X. *De ejus vita & conversatione.*

Iusthiae pacisque iste conservator, vitae venerandae conversationisque fuerat gloriosae. Nam in cibo potuque capiendo moderatissimus habebatur, omnia statuta jejunia & quamplurima alia saepissime observando, horas canonicas multasque privatas orationes devotè orando, castissimè vivendo, omni vero die Missam celebrando, aliamque audiendo, solitarius otiositatis tempore existendo, studio frequentissimè insistendo, suae Ecclesiae privilegia saepius perlegendo, fugiendo vitia, nunquam otio vacavit alieno. Cum magnatis magnificè, cum mediocribus mediocriter, nulli subditorum nimis familiaris existendo, honorificè incessit, sciens nimiam familiaritatem contemptum generare, pauperum causas defendendo, vanis & mulierum spectaculis ludisque illicitis se rarissimè immiscendo, causas subditorum & discordias sedando & prudenter terminando promptissimus est inventus. Nunquam etiam aliquod negotium dimisit indiscussum. In incessu, dictis & factis, veridicus, stabilis fuerat, & semper seriosus. Tempore verò jocunditati opportuno suae juventutis, occultis cum suis militibus, capellanis, & camerariis, domicellis, velut eorum minimus; dicens, Episcopalem dignitatem suspendimus ad parietem, nunc superior, nunc inferior, socius jocundissimus currendo, saltando levissimus, lapidem caeteris praejactando, ens viribus fortissimus praecellere censebatur. Nam tanta fortitudine pollebat quod domo Abbacensium in Pigua famulum cursitanti equo insidentem cum equo ad terram velociter dejecit. Aliquem quoque nimiùm laudari aut ullo modo vitiari noluit aliqualiter tolerare. Nam carminum recitatorem, de inebriationis verbositate in Dominum Henricum tunc Coloniensem Archiepiscopum turpia proferentem, licèt dictus Henricus tunc sibi capitalis esset inimicus, viriliter reprehendit, dicens: Vade tu miserrime, non licet te Dominis turpia recitare. Etiam rancoris materia inter eum & cives Treverenses fuerat exorta. Nam cives tempore Dyetheri sibi aliqua Ecclesiae jura illicitè usurparunt pro quo Dominus Baldewinus nimium offensus, guerram cum eis habiturus, primo anno creationis suae Treverim exivit. sed Dominus Vvalramus hoc intercipiens, concordiam ordinavit, jura Archiepiscopi & Ecclesiarum validè conservando, ut in literis hinc inde datis continetur. Suis etiam hostibus guerrarum tempore tyrannicus fuerat inimicus, quos tamen nunquam aliquo aggrediebatur odio; pace reformata cunctis dimittens veniam postulantibus, ut ei omnipotens dimittere dignaretur.

CAP. XI. *De ejus provisione.*

Nobis ejus facta insignia provisionis lucidissima dans exemplaria providè vivendi. Nam nunquam aliquid ad sua utensilia vel victualia comparavit tem-

pore cariori. Omnia enim sua castra & domicilia vino, blado, pabulo, in annum de anno, velut Ioseph in Ægypto, congregatis & verè ultra numerum multiplicatis redundabat; quæ tamen tempore caristiæ suos per officiatos suis subditis indigentibus & cautionem praestantibus ut tantum in novis futuris persolverent fructibus quantum de antiquis reciperent, nihil ultra requirendo misericorditer dispersit; & sic suos subditos in suis possessionibus jugiter conservavit. Discreta etiam provisione omnia Ecclesiae suae privilegia, primò papalia, secundò imperialia, tertiò homagialia & alia perpetua, timens amissione distractionem, antiquorum cereorum fragilium sigillorum, propter diuturnalem involutionem privilegiorum, fracturam dispendiosam multumque damnosam posse posteris imminere, in unum volumen congregando & transcribi mandando utiliter ordinavit, & illud triplicavit, unum suae Ecclesiae Capitulo & capitulari loco, aliud suae & successorum suorum camerae Treverico in palatio, tertium verò suorum & successorum suorum feriato semper Camerario ad omnia & singula quò diverteret loca devehendum providè deputavit, ut in omni loco Archiepiscopus posset sua homagia, litteras, & privilegia saltem sub copia providere, necnon unicuique dum opus esset recitare: Hoc & hoc à nobis in feodum dinosceris habere. Et omnium Ecclesiarum suarum collegia ad sua privilegia ostendenda, ut in ista scriberentur volumina, districtissimè coartavit; & quotquot erant sibi ostensa, quae tamen sub bullis apparuere veris, inscribi verbo tenus procuravit; ut si in posterum aliqua privilegia rapinis, incendiis, antiquitate consumpta, seu malae custodiae deputata, vel quocunque modo perderentur, in praedictis voluminibus perpetua memoria perdurarent. Sic ergo velut Ioseph providissimus habeatur. Vivant igitur ejus provisionis insignia in saecula saeculorum.

CAP. XII. *De ejus familiæ promotione.*

Baldevvinus ista tanto vixit tempore quòd omnes Ecclesiae suae diocesis praelaturae necnon beneficia ad ejus collationem spectantia sibi vacavere; quibus in personis idoneis, ut pervigil pastor, noscitur providisse. Legistas etiam, Canonistas, Physicos, Artistas, Philosophos, Capellanos, Clericos, laicos etiam multos, Milites, nobiles, domicellos, aliosque ministeriales numero multum valde multiplicatos, suo ministerio deputatos decenter sustentavit; quos omnes & singulos, alios Archidiaconos, quosdam Praepositos, nonnullos Decanos Scholasticosque praebendatos, Canonicos & Pastores fieri procuravit. Nam de tam excellente magnatorum progenie extitit oriundus quod nullum habuit affinem seu cognatum quem ad praeposituram majorem vel aliquem Archidiaconatum vellet promoveri. Vnde Iosridum in majorem Praepositum, alterum vero suorum paedagogorum in majorem Decanum sublimavit. Clericos suos variis beneficiis providendo, laicos vero solemnissime uxorando, possessionibus, domibus, agris, vineis in perpetuum allodium eis distribuens, ditissimos faciebat. Quid plura? Nunquam aliquis ejus licet in parvulo diu morabatur servitio quin rebus & honoribus fuisset multipliciter honoratus. Vnde dignè possum dicere: *Gloria & divitiæ in domo ejus.* Vivat igitur memoria perenniter meritò recolenda nunc & semper per infinita saecula saeculorum. Amen.

Explicit liber primus gestorum Domini Baldewini de Luczenburch Archiepiscopi Trevirorum, tractans de ejus vita generalitate.

INCIPIT PROLOGUS LIBRI SECUNDI.

VOx sapientiae meis intonat auribus, ut mel intelligentiae de durissima & vera petra, id est, Christo, valeam sugere, quò laborem inchoatum, mihi utique perutilissimum, possim adimplere. Cum igitur hanc famosam historiam dicti Domini Baldewini quam de gestis fratris ejus serenissimi Principis Domini Henrici septimi Imperatoris Romanorum sic huc usque ulterius non possum separare, quia ipse Dominus Baldewinus dicti Imperatoris ad imperialis apicis dignitatem acquirendam collateralis noscitur extitisse, gloriosi historiographi, magnae litteraturae viri, quorum non etiam dignus pedissequus apparari, eam historiam amborum gestis indissolubiliter conglomeratam cernuntur minimè scriptitando, proh dolor, praeterire, ego tamen, cùm sim scriptorum minimus, hanc historiam perpulchram tam turpiter evanescere nebulosis ignorantiae tenebris involutam non possum aliqualiter tolerare juxta illud:

Scribimus indocti doctique poëmata passim.

licet plures æmuli livore nimio conglobati grandia verba trutinantes, tumidis suis latratibus dentibusque detractoriis me studeant dilaniare, quod tamen duxi patienter sufferendum. Nam patientia malitiam legitur sæpissime superare. Propono ego pro meis viribus quantulumcumque parvulis istam præscribendo historiam perseverare: quia secundum Gregorium, si non possum garbam integram ad horreum importare, non debeo tamen vacuus remeare. unde quod potero faciam, scriptorum vernula fiam. Quomodo ergo scribendo incipiam? Materia enim signata est & clausa, & quis aperiet mihi? Recordor vocis illius qui dicit: *Petite & accipietis, pulsate & aperietur vobis.* Habentem ergo clavem David rogitabo ut me in cellam ducat vinariam, ubi stabit ejus spiritus sapientiae & intellectus, & fluent aquae dulcedinis. Ibi de fontibus Salvatoris limpidissimum intellectum hauriam, quo hanc historiam ei ad laudem, Treverensi verò Ecclesiae ad honorem, Domino Baldewino ad favorem valeam recto tramite pertractare, qui est æternus, trinus & unus Deus.

EXPLICIT PROLOGUS SECUNDI LIBRI.

CAP. I. *De Henrici VII. Romanorum Regis electione per Dominum Baldewinum procurata.*

REgalis dignitatis celsitudine regni Romanorum per lamentabilem mortem quondam Alberti Regis non modicum disturbata, Dominus Baldewinus aliique sex coëlectores villam Rense inter Confluentiam & Boperdiam sitam, ubi ex antiqua consuetudine ad tractatum de electione habendum consueverunt convenire, concorditer diverterunt; ubi anno Domini millesimo tricentesimo octavo gratia summi spiraminis cooperante, & Domino Baldevvino id procurante, in ipsius fratrem Dominum Henricum Comitem Luczelinburgensem in futurum Romanorum Regem eligendum suis exigentibus meritis communiter concordarunt. Exigentibus dico suis meritis. Fuit miles imperterritus, in armis strenuus, hastiludiorum & torneamentorum à mari usque ad mare in juventute semper quæsitivus, in quibus inter cæteros, quorum tamen virtutibus non est detrahendum, gloriosior habebatur, judex justissimus, pauperum, pupillorum, mercatorum, peregrinorum promptissimus defensator, raptorum, malefactorum, tyrannorum rigidissimus exterminator, semper illum gerens animum: *Iustè judicate filii hominum.* Omnibus enim fuit amabilis & benignus; in quibus tamen permixtim serositatem judicialem, honorem & dignitatem, serenitatem, prudentiæ quoque & discretionis amœnitatem nullo unquam tempore deserebat. Virtutum & bonorum morum concatenationem optima cum temperantia jugiter retinebat, & se semper bonis moribus omnium in omni tempore insignissimè conformabat, omnibusque se ita socialem & tractabilem præbebat cum intermixtione, ut dixi, officii & dignitatis ità quòd ab omnibus hominibus amore constrictus nimio habebatur;

tur; & tamen iis quæ sunt mundi mundo non segniter reddendo, non minus quæ sunt Dei Deo noscitur reddidisse. Nam cum Domina Margareta sorore Ioannis Ducis Brabantiae sua collaterali prædilecta ita continenter à tempore contracti matrimonii creditur vixisse quòd nunquam ad aliquam aliam adhuc post ejus obitum dicitur accessisse. Capellae verò suae ornamenta, missalia magni ornatus ac pretiosa, ad quæcunque loca perrexerat; adhuc Comes existens, suis cum somariis secum vehere faciebat, & omni die coram se & collaterali sua, quando aderat, suos electos per cantores canticis cum musicalibus Missas & horas canonicas, impedimento non interveniente, sed prætermittendo, celebrare solemniter faciebat. In Missis verò audiendis horisque canonicis cum die dicendis maxima devotione pollebat, ita quòd suis sacerdotibus capellanis maximam devotionem dicitur præstitisse. His igitur virtutibus quia fuerat adornatus, meritò illud propheticum ejus debuit auribus insonare: *Specie tua*, quoad justitiam humanitatis & ad vitam activam, *& pulchritudine tua*, scilicet bonorum operum divinitatis & ad vitam speculativam, *intende prosperè, procede, & regna*. Vnde Dominus Baldevvinus aliique sui coelectores cum totius Almaniae Principibus nobilibusque ipsum Franckenfort ad locum electioni deputatum duxerunt, & ibidem in Christi fidelium solatium cunctorum dominicae incarnationis anno millesimo trecentesimo octavo, XXVII. die mensis Novembris, in Regem Romanorum vivis vocibus concorditer elegerunt, & toti mundo ad monarchiam obtinendam in futurum Imperatorem promovendum unanimiter praesentarunt.

CAP. II. *De ejus coronatione Aquisgrani, & consecratione.*

Constantiae maximae probitatisque eximiae Dominus Baldewinus & alii sex Principes coelectores anno Domini millesimo trecentesimo octavo Dominum Henricum septimum Romanorum Regem ad auream regni sedem Aquisgrani per Karolum Imperatorem firmatam adduxerunt. Ibi eum cives Aquenses, clavibus civitatis plusquam per leucam obviam portatis & traditis, in Romanorum Regem laetabundis vocibus receperunt, & ibi per Dominum Henricum Coloniensem Archiepiscopum, quia in ejus comprovincia fuerat, installatus, & ipso die Epiphaniae Domini eodem anno ibidem in Romanorum Regem honorificè divinitus consecratus, & una cum sua collaterali praedicta sibi assistente in vestitu deaurato varietate circumdata cum corona regni fuerat solemniter coronatus, & abinde solemniis curiis habitis Coloniensem civitatem regiam Rex ipse fuerat ingressus, & tres Reges beatos Regis infantis Christi primos adoratores tribus pretiosissimis baldekitis à * regiacius etiam totidem oblatis auro gemmisque pretiosis suppliciter adoravit, & ad imperialem ibi aulam divertit, de qua Coloniensis Archiepiscopus ipsi Regi, ut tenebatur, cedebat. Tres vero Praepositi Colonienses, videlicet major Praepositus Archiepiscopo Coloniensi, sancti Cuniberti Praepositus Archiepiscopo Treverensi, graduum sanctae Mariae Praepositus Archiepiscopo Moguntinensi, de suis curiis praepositurís antedictis deputatis cedebant, ut antiquo jure tenentur. In qua praepositura sancti Cuniberti Dominus Baldewinus pro Ecclesiae suae jure conservando aliquandiu morabatur; sed propter nimiam distantiam ab aula non diu multum perseveravit, sed ex opposito aulae juxta Ecclesiam sancti Iohannis Evangelistae se securius collocavit. Henricus vero Rex ista vice non diu Coloniae moram protraxit, sed in suum comitatum remeavit, & ibidem illo anno cum Domini Baldewini consilio in regni gubernacula recipienda se prudentissimè praeparavit. Isto anno Dominus Baldewinus ivit Hannoniam, & Tuyn reformavit.

* Vox corrupta.

CAP. III. *De secunda Coloniæ visitatione.*

Honorandae dispositionis provisione facta, ad regni loca perlustranda ipse Henricus Rex una cum Domino Baldewino aliisque quampluribus anno Domini millesimo tricentesimo nono ante festum natalis Christi Coloniam secunda vice remeavit, & ibidem omnia sua feuda requirere volentes spectavit, praesidens judicio sententias contra rebelles sua feoda non requirentes servato juris ordine promulgavit. De antiqua enim consuetudine in Regem Romanorum electus sine omni confirmatione habet & potest regalia ministrare, ut habetur XCVI. di. *Cum ad verum*, & cap. *Duo sunt*, & cap. *Si Imperator*, XCIII. di, cap. *Legimus*. super hoc verbo *Imperator* in glosa. Hîc gaudia gaudiis cumulantur, hastiludia continua choreaeque solemnes celebrantur. Ibidem continuè ipse Rex cum Principibus & nobilibus totoque vulgo specialiter in die natalis Domini solemnissimam habens curiam convivando festinavit. Isto tempore fuit frigus permaximum, cujus aequiparantia à nullo tunc vivente potuit recordari. Ibi etiam Rex à Coloniensibus huldas acceptavit, eorumque privilegia renovavit & confirmavit. Regem vero Colonienses multis muneribus honorarunt. Et deinde Confluentiam divertens, ibi Treverensis Ecclesiae theolonij privilegium perpetuo duraturum precibus Domini Baldewini inclinatus favorabiliter indulsit anno Domini millesimo tricentesimo nono die mensis Februarij, regni vero ejus primo. Sed hic à Domino Baldewino rogatus civitatem Treverensem, quam priùs ob injuriam & offensam condignam ab ea sibi injuriosè saepius illatam ante regni adeptionem hostiliter obsedit, nunc amicabiliter visitavit.

CAP. IV. *De nundinis per Baldewinum Treverensem impetratis & Regis recessu.*

Auctor ab augendo tam suae Ecclesiae redditus quàm civitatis honorem patriaeque meliorationem iste Baldewinus merito appellatur. Nam Ecclesiae suae redditus ultra quod invenit verè duplicavit, territoria & homagia, ut postea tractabitur, multipliciter ampliavit, civitatis & terrae augmentationem, si cives gratanter acceptassent, quamplurimum procuravit. Nam etiam à fratre Henrico Rege nundinas nundinarumque libertates, ut Frankenfordienses habent, quando eis exspirant, videlicet à nativitate beatae Mariae virginis usque in diem beati Remigii in capite Octobris duraturas, civitati Trevericae ob ejus & circumjacentis terrae meliorationem donari & indulgeri sub sigillo regio impetravit. quam nundinarum libertatem Treverenses saltem circumquaque proximam per leucam, ut dicitur, eis bannitam observare & defendere recusarunt. Vnde talis benivola impetratio & utilissima esse noscitur frustrata. Inde Rex cum Domino Baldewino comitatum Luczenborgensem ingressus, solatiis plurimis insistendo, ad civitates regias visitandas easque regno coadunandas se quamplurimum disponebat.

CAP. V. *De Iohanne ejus nato in Regem Bohemiae creato.*

Regum Almaniae sepulturae civitatem deputatam, id est, Spiram, deinde ipse Rex cum Domino Baldewino aliisque multis Principibus & nobilibus divertebat; ubi feodalia feodalibus in feodum condonavit. Et etiam ibidem iis diebus Rex Bohemiae Vvenczelaus, relicta tantundem filia, sine masculino successore hereditario, exstitit sublatus. Per cujus decessum Bohemiae regnum Regi Romanorum noscitur vacavisse; cujus filia, Elizabeth appellata, propria in persona Spiram veniens aures Henrici Regis cœpit interpellare ut de ipso paterno Bohemiae regno in feodum donando sibi dignaretur providere. Rex vero cum Domino Petro Moguntino Archiepiscopo & cum Domino Baldewino consilio inito Iohannem filium eidem Elizabeth matrimonialiter copulavit, & eundem in Bohemiae Regem gloriosiùs subli-

ſublimavit; & ibidem ſollemnibus nuptiis celebratis, eos ambos cum Domino Petro Mognmino & Domino B. de Hennenberch (multa potentia ett ambobus) Bohemiam deſtinavit. Et ſic ipſum regnum Iohannes Rex pacificè eſt adeptus, & ibi glorioſiſſimè regnum regnavit, & ſibi reſiſtentes proſternendo, ut poſtea habetur, Domini Baldewini adjutorio invictiſſimè triumphavit.

CAP. VI. *De Adolphi & Alberti Regum per Henricum facta translatione.*

Cuſtodia tota adimplevit legis mandata operaque caritatis. Nam duos ſuos anteceſſores Reges Adolphum & Albertum de loco ſepulturae Regum Acmaniae deputato multùm remotae terrae commendatos eciueravit & relevavit, & per plures Epiſcopos & Abbates multoſque Clericos tam ſaeculares quàm religioſos cum cereis infinitis cultibuſque ſumptuoſis Regum funeribus dignè deputatis & deputandis Spiram adduci & transferri cultu regio procuravit; & ipſe Henricus Rex funeris Adolphi, eo quòd eſſent de eadem linea conſanguinitatis, cum multis Ducibus, Baronibus, Militibus, aliiſque nobilibus & ignobilibus caterva non modica ad quamplurimam diſtantiam inceſſu pedum gradiendo obviavit, & lamentando, *Quomodo ceciderunt inclyti*, Chriſtum Domini acceptavit; & eodem die anno Domini milleſimo tricenteſimo nono, regni verò ejus primo, amborum exequias in Spirenti Eccleſia devotè celebrare per Epiſcopum Spirenſem procuravit, & ut olim Tobias, eos juxta alios anteceſſores Reges ſollemniter collocavit.

CAP. VII. *De Domini de Wirtenberch expugnatione.*

Humilium ſicut Henricus fuerat exaltator, ſic ſuperborum rebellantium exſtitit rigidiſſimus exſtirpator. Nam cum ipſe Henricus ſe ad Alpium montana tranſcendenda praepararet, Dominus de Vvirtenburc ſe ipſi Regi tyrannicè oppoſuit. Propter quod ipſe Rex Dominum de Vvinsberch provincialem Advocatum praefecit, & omnibus illarum partium regni fidelibus, Caſtellanis, & civitatibus diſtrictiſſimè praecepit ut ſibi tanquam ſuo vicario in omnibus intenderent & obedirent & ejus juſſionibus per omnia parerent. Qui regis ad praeceptum cum fidelibus regni & civitatibus dictum Dominum de Vvirtenberch armis bellicis ſaeviter perſequendo ſuo in territorio, in locum de loco fugere coartavit, & ejus quadraginta tam oppida quàm caſtra viriliter expugnavit, & ad talem internecionem deduxit quod tantum tertunculae vix poterat obtinere quod vitae neceſſaria valeret, pauperrimè vivendo, aliqualiter habere. Eodem anno Domini milleſimo tricenteſimo decimo Dominus Baldewinus in Treverim exiſtens, ſe ad Alpium montana tranſcendenda quamplurimum praeparavit.

CAP. VIII. *De viae Lumbardiae arreptione.*

Iuſtitia & judicium correctio ſedis ejus, Henrici Regis. Nam ipſe in Spira praeſidens judicio contra Iohannem de Auſtria dictum Sunderlant judicialiter vocatum & juris ordine damnatum, quia ſuum anteceſſorem Albertum Regem Romanorum callidè interfecerat, ſententiam ſanguinis diſtrictiſſimè promulgavit, & deinde ad Alpium montana tranſcendenda iter arripiebat. Eodem tempore Dominus Baldewinus de Treverim per Erunbergh, anno videlicet milleſimo tricenteſimo decimo, feria poſt exaltationem ſanctae crucis, & per Zanren in Hanheyn divertit, ubi ſibi Iohannes Rex Bohemiae & Regina obviaverunt, quos amiciſſimè ſalutando & ſumptuosè convivando, eos & Dominum Petrum Moguntinenſem Archiepiſcopum & Dominum de Hennenberg Bohemiam euntes in die beati Mathiae valefaciendo, currum cum auro & argento maximè onuſtum ſecum ducendo, Columbariam devenit, ubi Henricum Romanorum Regem fratrem maximo cum exercitu invenit, & ibi ipſi Regi permaximae pecuniae ſummam favorabiliter mutavit. Deinde per Molenhuſen, Sleſtat, Falkenſteyn, Soleeter, ubi Comes de Sabaudia obviam venit, Bernam cum gaudio intraverunt. Ibi in die ſancti Michaelis ſunt recepti, ubi & ſe requiei ſecuriſſimae ſubdiderunt.

CAP. IX. *De obitu Comitis de Sarwerden, & Alpium tranſcenſione.*

Epiſcoporum, Clericorum tam ſaecularium quàm religioſorum non modica caterva congregata, Dominum Iohannem de Sarwerden Comitem ibidem anno Domini milleſimo tricenteſimo decimo feria ſecunda poſt Remigii obdormientem, ejus celebrando obſequias, lamentabiliter tumularunt. Demum per * mortem Loſannam, Leoſi, Genevae, Hactevillae, Schameleri, & per ſanctum Michaelem, Modanam, Lengenburch, & Tranſmorthenis monte, tamen maximo cum labore & periculo, aliquo tamen ſine damno, tranſcendendo, ipſe Dominus Henricus & Baldewinus exercitu cum maximo XXIV. die Octobris Suſam Italiae civitatem primam honorificè intraverunt, & per ſex dies ibi quieſcentes moram pertraxerunt abhinc per Fivilianam in feria ſexta ante omnium ſanctorum Turin devenerunt, & ipſum feſtum, & memoriam omnium animarum ibidem peragendo, per octo dies continuos permanſerunt. Hinc per Kir euntes, in craſtino beati Martini Aſt appropinquaverunt, ubi cives multum ornati exeuntes, claves civitatis Regi obviam portaverunt, ipſum cum Domino Baldewino Archiepiſcopo & Vvalramo fratribus, Ducibus Sabaudis, Comitibus, nobilibus, Militibus, Regina cum Dominabus ſollemniſſimam & ſumptuoſiſſimam habendo curiam jocundiſſimè feſtinarunt, & ibidem triginta diebus continuatis multis miſtiendo ſolatiis, conviviis, haſtiludiis unanimiter perdurarunt.

* f. montes.

CAP. X. *De triumpho in Mediolano obtento, & ejus coronatione.*

Perſecutor omnium iniquorum iſte Baldewinus unà cum Domino Henrico Rege & aliis numero infinitis inſtitit per Caſile, Vercel, Novarre, & per Gargente, civitati Ambroſianae appropinquabat; de qua cives ipſi Domino Henrico Regi obviam erumpentes, ipſius Mediolanenſis civitatis claves pluſquam per leucam offerentes, ipſum in Regem Romanorum & Dominum ſuum humiliter receperunt. Et ſic Mediolanum anno Domini milleſimo tricenteſimo decimo, feria quarta ante natale Domini, ſtrenuiſſimè intravit: ubi Guido de Turri, ſicut ſibi vice-comitatum ibidem, Mapheo Vicecomite de eo potentialiter ejecto, nequiter uſurpavit, ita etiam Domino Henrico ingreſſum ſuum ibidem in palatium ſatuiſſimè denegavit. Dominus verò Baldewinus ipſius civitatis portam Romanam vel Ambroſianam appellatam intrans, ſua ſub clauſura conſervavit, clauſtrum ſancti Ambroſii inhabitavit, & Dominica ſequente cum Leodienſi Epiſcopo, Lupoldo Duce Auſtriae, Vvalramo fratre, Dyetardo de Catzenlenboge Comite, Henrico de Spaynheim, Domino de Huſelis, & aliis multis laetantiſſimè convivavit. Et ibidem dictus Dominus Henricus Rex ſequenti die Epiphaniae Domini in ſancto Ambroſio à Mediolanenſi Archiepiſcopo unà cum ſua Regina corona ferrea adinſtar lauri margaritis pretioſis perornata, de calybe tamen per ipſum Henricum Regem cunctis ſucceſſoribus facta, eo quod corona Regum antiqua ex negligentia eſſet amiſſa, (nam à nullo Regum de tempore Frederici Imperatoris fuerat requiſita) glorioſiſſimè extitit coronatus, permaximo inſedens paleſrido, famulis praecedentibus & ſequentibus & in lateribus, tamen à remotis, equitantibus, ſub teleo pretioſiſſimis ſametis purpureis & baldekinis facto, aliiſque famulis, ſaccis apertis, pecuniam non modicam; videlicet Venetianos imperialibus admixtos, extra viam projicientibus, quam totus colligens populus, viam patefaciendo, ſuum ibidem in palatium pacificè & glo-

Vide Alb. Muſſatum lib. 1. de vita Henrici VII. c. 10. & Villanum lib. 9. c. 9.

Vide Muſſat. ibid. cap. 12.

& gloriosissimè est ingressus. Et amici Guidonis de Turri multis vicibus armaverunt se, & imperiales similiter. Post haec meridiano tempore, regnante solis ardore, quo homines solent fervorem declinare & dormitando memoriis quietem ministrare, filii Guidonis de Turri aliis cum infinitis proditorie Regem occidere toto conamine laborarunt, sed hoc avertebat numen divinae bonitatis. Nam Lupoldus Dux Austriæ de campo quo equitaverat causa spatiandi, per vicum illorum de Turri fuerat reversus, in quo maximos strepitus tinnitus equorum frequenter audierat, cum hinnitibus eorum, per unam portam casualiter apertam armatorum multitudinem respiciebat. Qui statim suos suo remisit hospitio, ut omnes Theutonicos excitarent, congregarent, & se occultè ad prœlium cum eis committendum festinantissimè præpararent. Ipse verò versus palatium equitavit, Regem excitavit, & causam sui adventus indicavit. Qui statim Domino Baldewino mandavit quòd suos coadunaret & se armarent & portam civitatis quam inhabitavit non exiret, sed eam non segniter observarent. Ipse vero Rex sua speciali cum familia suum palatium firmiter custodivit. Hinc ille probissimus de Austria Lupoldus se celeriter præparavit, & cum suis & aliis pluribus inimicos acriter invasit. Hic clamor multorum, sonitus tympanorum, resonantia hinnituum ascendit in altum. Ibi proditores prosternuntur, jugulantur, occiduntur. Plurima corpora exanimata in vicum crudeliter jaciuntur. Ibi ab Almanis rigidissimè prœliatur & rigidissimè triumphatur. Hic proditorum domus publicantur, spoliantur, aurum & argentum omnisque cultus pretiosus à Bononibus distrahitur. Hic mittens aurum, ille argentum, hic vestes, illeque utensilia avidissimè rapiebant. Tres vel quatuor vestem unam vel baldekinum rapientes pretiosum, à laceratione quilibet frustrum retinendo, taliter laceraverunt. Quid plura? Tot ibi sunt Bonones rapina ditati repatriantes quod ultra mediam plusquàm Bononum duo millia in exercitu deficere videbantur. Ipse Guido hoc factum intelligens, atque filii, in quoddam castrum extra civitatem rapiendo fugam turpiter evaserunt, ubi eos Rex obsidere faciebat. Sed ipse Guido inde; occultè tamen, recedendo dicitur evasisse. Filii tandem castrum in manus Regis donando & totam terram perjurando noscuntur recessisse. Et ecce laqueum proditoriè paraverunt, & eundem miserabiliter inciderunt.

Vide Muss. lib. 2. c. 1.

Cap. XI. *De privilegiis impetratis, & Subcancellarij concrematione.*

Impiorum exstirpatione facta, Dominus Henricus Rex Romanorum unà cum Domino Baldewino in Mediolano praesidens judicio mortis sententiam contra Guidonem & filios & fautores horribiliter fulminavit, & inimicorum aedificia, turres, mansiola publicavit, & ad terram dejiciendo funditus exstirpavit. Hic Brixienses per suos legatos se Regi subdiderunt, quibus Rex Th. Brisach Capitaneum & Vicecomitem, accepto ab eo fidelitatis juramento, praefecit. Quod tamen postea in suam damnationem, ut patebit perfidissimè violavit. Hic Dominus Baldewinus privilegium perpetuè duraturum ab Henrico Rege Trevericae Ecclesiae super theolonio Confluentino anno Domini millesimo tricentesimo undecimo, regni ejus tertio, Nonas Februarij utilissimè obtinuit, quod prudentissimè impetravit. Hinc Rex unà cum Domino Baldewino Papiam est ingressus, & baldam recepit, & postea Mediolanum remeavit. Quodam igitur die, cum Rex in secreto suo esset silentio, quidam Miles festinanter in haec & his similia prorupit verba. Cur Rex tua crudelissima in Theutonicos indignatio exarsit furiosa? Cur omnes tam innocentes quam reos tua occultissima & vehementissima damnavit sententia? Obsecro, si non vis reis, ut tamen innoxiis pietate regia misereris. Recordare quod propter te exilia patiuntur, & parce his qui pro tuo amore laboribus & periculis continuè subduntur. Rege verò non modicùm perterrito, & quidnam hoc esset sciscitante, fertur respondisse: Inferior tuus Cancellarius, quem titulo militari decorasti, quamplurimas scripsit litteras regio sigillo minori tam sigillatas quàm sigillandas, cunctis Lumbardiae civitatibus destinandas, isto sensu contextas, ut tuo regio ex praecepto uno & eodem die ipsis litteris intitulato omnes Theutonici capiantur, & omni mora postposita celerrimè interficiantur. Quae Rex audiens, nuntios secum misit, qui eum Cancellarium cum litteris ceperunt, & vinculativae custodiae addixerunt. Qui captus, statim confitebatur se hoc in Regis necem fecisse, & propter hoc in ejus servitio perstitisse, & se saepe Regem tractavisse, & si sibi opportunitas potuisset occurrisse, se ipsum Regem interfecisse, eo quod cerneret omnes Gelfinos omnimodè fore destruendos, & eos de Turri interficiendos, de quorum linea consanguinitatis esset oriundus, & quòd sex caratas albi vini infecisset, & Theutonicis causa intoxicationis potandum dedisset. Tandem eum Rex cremari & ossa ejus in cinerem redigi impetravit. Et sic in cinerem redactus, in quadam civitatis planitie hanc vitam miserabiliter terminavit. Et hinc per Laude, Creme, & per Surinum, Poerne & hostium turres & aedificia totaliter destruendo, Cremonam divertit; & ibi cum Domino Baldewino praesidens judicio, portas & turres ejus ad internecionem deduxit, & leonem deauratum effringendo totaliter destruxit. Et abhinc per Quintay Pompiam cum exercitu permaximo Brixiam obsidione circumsepsit, & montem in cujus pede situatur, ejus exercitus ex utraque incendio destruxerunt anno incarnationis dominicae millesimo tricentesimo undecimo, in vigilia Ascensionis ejusdem, quae, fuerat XIX. die mensis Martij, regni verò ejus tertio. Terra enim in conspectu ejus noscitur similis.

Jo. Villan. lib. 9. c. 15 Muss. lib. 8. cap. 4.

Cap. XII. *De Th. Brisach interempto, & Brixiae expugnatione.*

Sollicitudo cordis Henrici Regis fuit omnia imperialia ad jus & proprietatem imperij revocare. Unde Brixiam rebellantem, quam hostiliter obsedit, bellis permaximis crudeliter saepissimè invasit. Nam quodam die Brixienses armati exivere, cum quibus Regis & Baldewini exercitus cœpit bellum commiscere. Hic tubarum clangore, populorumque vociferatione, in aerem pulveris elevatione, crudelissimaque interfectione, bellum maximè fuerat aggravatum. Partes Regis viriliter insiliunt, illi acriter resistunt; hostiliter isti impellunt, illi viriliter repellunt; hic trucidatur, ille perforatur. Quid plura possum referre de parte Regis? Optat quisque mori, nisi bellum cedat honori. Ibi multi Brixienses fuerunt interfecti, & ille fax militiae, procurator perfidiae, Th. Brisach, aliis pluribus in civitatem turpiter fugientibus, extitit captivatus. Contra quem Rex mortis sententiam proferebat, & caput sibi amputatum supra miræ altitudinis hastam infigebat; corpus vero in quatuor partes divisum supra quatuor rotas stipitibus infixas dignissimè locabatur. Post haec, dum Dominus Walramus frater Regis & Domini Baldewini germanus exercitum circuiret, emissa de muro sagitta ad colli & humeri conjunctionem, sumptis sacramentis, verus ut catholicus, viam universae carnis est ingressus; quem in Verona diversis cultibus funus ejus condecentibus, lamentabiliter tumularunt. Postea aere ibidem corrupto plures moriebantur. Tandem Brixienses, consilio inito, exercitum Regis invadere nocturnali tempore callidè disponebant, & apertis portis exilientes, in monte balistariorum validis exortis clamoribus, tentoria incenderunt, quos partes Regis imperterritè petierunt congressione prœliali. Hic fortissimum committitur bellum, hic clypei galeaeque acriter percussi resonantiae sonitum referunt in caelum, hic illatis ictibus immensis ensem reverberat ensis, undique rigidissimè bellatur, belli fortuna vagatur,

Theodaldus Brusciati Villan lib. 9. c. 19.

gatur, ab utrisque permaximus auditur tumultus; sed Theutonici fugere nescii tot tot occiderunt, & residui in civitatem fugerunt, & paulo post omnes Brixienses se Regis gratiæ capistris propriis collis impositis submiserunt anno Domini millesimo tricentesimo undecimo, feria quinta post festum Matthæi. Tunc Rex civitatem, muros & portas funditus destruere, fossata placituei terræ præcepit adæquare; & sic Brixiam, tamquam villam patentem, per fossata planata, non per portas, intravit: & in ea una cum Domino Baldewino judicio præsidens, omnes ejus munitiones radicitus exstirpavit; & deinde per Soruyn, Cremone, Playsente, Castel sancti Iohannis, Pamenogic, Cortonc, Saraval, Gaio; Tridentum, Ianuam divertit. Cives Iannenses claves civitatis offerentes obviantes venerunt, juramentumque fidelitatis præstiterunt, & ipsum in Regem Romanorum suumque verum Dominum unanimiter receperunt.

Villan. lib. 9. c. 19.

CAP. XIII. *De obitu Reginæ, introitu Romæ, & Quatuor Coronatorum inhabitatione.*

Causarum multarum expeditione facta Ianuae, Domina Margareta Regina cœpit multùm ægrotare, & infirmitatis crescente molestia, ducta fuerat ad extrema, & suo spiritum qui condidit illum reddidit Creatori. Hic dolor Regis intima cordis læsit vitalia. Nam cum ea ut turtur castissimus cunctis vixerat temporibus. O mors truculenta, quid fecisti! Cur lunam de mundo sustulisti? Antea sol & luna lucem dederunt unà. Nunc sol solus sine luna. Hinc ejus sollemnissimæ parabantur exequiae. Luctu maximo & lamentatione corpus ejus conditum aromatibus ibidem apud Minores decentiùs per Episcopum & multos nobiles terrae fuerat sollemnissimè commendatum, multisque miraculis divinitus ibidem coruscabat, anno Domini millesimo tricentesimo undecimo, (die XIII.) mensis Decembris. Abhinc Rex eodem anno XXIV. die Februarii per mare navigio per portum Veneris portui Pisano applicavit; & in sexta die Martis Pisanam adiens civitatem, clavibus civitatis sibi obviam portatis, & juramento ab eis recepto fidelitatis, ibidem aliquandiu decrevit permanere. Tunc ante Lucam plurimos probitatis viros maximo cum exercitu destinavit, qui cum eis multa prælia durissima strenuè commiserunt, & circumquaque plurima castra & fortalitia vi expugnando viriliter ceperunt. Deinde Rex cum Domino Baldewino & aliis multis XXIV. die Aprilis per Rausegonem, Bibone, Campillo, Castellion, transeundo aquam Grosset, & per Admesiam, Montabor, Viterbium, & per campos de Bakenvelle transit * Pontinole per ante turrim Tripezon, de qua plurimi fuerant sagittati, anno Domini millesimo tricentesimo duodecimo Nonas Maij Romam strenuissimè fuerat ingressus; ubi Rudolphum Ducem Bavariae cum aliis multis nobilibus insignivit titulo militari. Et intrans ad sanctum Iohannem Lateranis, orationem multùm humilem & devotam suo oraverat creatori. Et dehinc divertens ad locum * Militiis appellatum, & ibidem multo tempore habitavit. Et ipso die Pentecostes cum tribus Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Comitibus, & universis incedens & comedens, coronandus in palatio Nevoriano sollemnissimè festinavit. Dominus vero Baldewinus cellam Quatuor Coronatorum ad Archiepiscopi Treverensis habitationem cùm Romam venerit pertinentem intravit, & eam ad suae Ecclesiae Treverensis proprietatem pertinere ad memoriam revocavit utiliter. Eo ibi existente, omnia beneficia ibidem vacantia habet conferre Praepositus.

Mussat. lib. 5 c. 4. Villan. lib. 15. c. 27.

Villan. lib. 9. c. 36.

* Ponte Emolo. Villan. lib. 9. c. 39. Pontem qui molis dicitur. Mussat. l. 8. c. 1.

* De palatiis Militiarum. Mussat. lib. 8. c. 7. Castrum quod Militia dicitur. Albert. Argentin.

CAP. XIV. *De Capitolij triginta turrium & monasterij Minorum expugnatione.*

Omnium inimicorum suorum dominabitur. Nam suus & Domini Baldewini exercitus Gelfinos imperij inimicos se in monasterio Minorum, in Capitolio & diversis turribus Romanis resistendi causa observantes rigidissimè invaserunt, muros perierunt ictibus, sagittis, eos capere acriter laboraruntt; & illi non segnes tela & lapides desupra pluentes, illos obruentes, illos ferientes, se multipliciter defensarunt. Tandem Theutonicorum exarsit animositas furibunda, qui viriliter muros transcendebant. Illos occiderunt, hos praecipitaverunt, & sic hoc monasterium cum violentia ceperunt. Eodem modo Capitolium invadentes, nec tela nec lapides timentes, plurimos invenientes audacia cum maxima tyrannide ascendentes, & ipsum violenter obtinuerunt. Nam reperti ibidem inimics, en malè turbantur, moriuntur, praecipitantur, quia crevit in hoc bello protervia Theutonicorum, & ulterius procedentes, nec hostes nec arma metuentes, triginta turres violentia expugnarunt, & cum gloria triumpharunt. Tandem Rex praesentibus Cardinalibus, Domino Baldewino, & pluribus aliis Romae in Capitolio praesidens judicio, plurimas proferendo sententias, Dominum Ludovicum de Sabaudia dignitate senatoria benivolè decoravit. Post haec Vrsini & Gelphini conglomerati bellum permaximum genti regiae intulerunt. Ibi hostis horribiliter irruit in hostem, hic verberando, ille perforando, alter alterum de equo praecipitando. Hi gladiis, alij baculis pugnant. Ibi Dominus B. de Columna & Petrus strenuissimè bellaverunt, & multi prostrati permanserunt. Hic clypeum clypeus, ictum reverberat ictus, & magnus erat tubae clamor crepitantis in urbe. Hic viri eximij, magnaeque probitatis gloria corusci, videlicet Theobaldus Leodiensis Episcopus, Abbas de * Vvyssenburch, & Petrus de Sabaudia invicti Israhel, bello in hoc gloriosissimo strenuissimè pugnando, heu heu ceciderunt, & morti debitum persolverunt. Nam hoc bello mota fuerat Romania tota. Ibi Regis exercitus Romam citra Tyberim obtinuerunt; & sic obtenta, tribus à Cardinalibus à latere Papae ad hoc specialiter destinatis in sancto Iohanne Lateranis anno Domini millesimo tricentesimo duodecimo, regni verò ejus tertio, die passionis Petri & Pauli consecrato, quae est * XXIX. die mensis Iunij, in Imperatorem sollemniter consecratus, & ab Ecclesia in Monarcham dignissimè approbatus. Et abhinc recedens, legem Mosaycam rotulo inscriptam sibi porrigentibus reddidit Iudaeis. Et ad sanctam divertens Susannam, ibidem curiam habendo sumptuosissimam cum Cardinalibus, Domino Baldewino, & pluribus infinitis nobilibus & cunctis advenientibus sollemnissimè festinavit. Ipso tempore, die beatae Mariae Magdalenae, fuerat hora diei tertia solis eclypsis permaxima in signo virginis causata, cujus, proh dolor, signum anno patebit proximo. Deinde Imperator contra imperij adversarios acies dirigens, & fortalitiam & castrum Cappe de Bont appellatum bellicosè expugnavit & incendio devastavit. Eodem anno, XXI. die Iulij, Tyberburch declinavit; ubi Dux Rudolphus Bavariae & plures Domini Dominum Imperatorem valefaciendo, maximo cum gaudio successu de tam prospero repatriarunt.

* Apud Mussatum lib. 5 c. 5. Nouenberc.

* Villan. lib. 9. c. 42. & Albertus Argentinensis Imperatoris consecrationē revocant ad diem primam Augusti.

Mussat. lib. 4. c. 8.

CAP. XV. *De multorum castellorum & castrorum expugnatione, & prælio in Lancsis, & Florentinorum obsidione.*

Pastor gentis metropolitanæ & urbis Trevericæ Imperatorem nondum noscitur deseruisse. Nam secum eodem anno die fuerat XXIV. Viterbium ingressus. Hinc per Amilione, Cortone, Tudertum Castellion violenter expugnabant. Marschalcus vero cum * prelibus sibi confœderatis Markant celeriter invasit, & cum aliis sex castris, cunctis hostibus refrænatis, violenter expugnavit; & totam illam terram usque Prase rapinis incendiisque devastavit. Deinde Imperator Montevvark & castellum sancti Iohannis bellicosè expugnatos igne concremavit, & nonaginta duos Castellanos capisteis collis impositis secum ducendo, graviter capitavit. Post haec ante Lantise praelium fuerat gloriosum. Ibi inimicus inimicum, vultibus distortis, validis clamoribus or-

* Ita in MS.

Mussat. lib. 9. c. 2. Villan. lib. 9. c. 44.

Ibid. c. 45.

tis,

ris, acriter impugnant. Hic percutit, ille repugnat; hic decollatur, ille trucidatur, multi praecipitantur, plures strangulantur; ibi diversi diversos ictus permultant, clypei galeaeque resultant. Maximè hoc praelium fuerat ingravatum. Sed & Theutonici conglomerati, iracundiaque provocati, inimicorum exercitus maximis cum laboribus per medium diviserunt, & ibidem pluribus in fugam versis, multisque occisis, triumphum validissimè obtinuerunt. Qua obtenta victoria, Domini Imperator & Baldewinus aquam transeundo in * sancto Saulo anno Domini millesimo tricentesimo duodecimo, die prima Octobris, castris & tentoriis ibidem situatis obsidione Florentiam vallaverunt. Ibi tantus coadunatus fuerat exercitus quod prima nocte suos adaquando equos aquam currentem periculosè transequitabilem vado transierunt, ita totaliter dissiccaverunt quod mane facto ejus fluxum minimè invenerunt, & ibidem multis pugnis Florentinos molestarunt, & totam illam terram rapinis & incendiis devastarunt. Et abhinc ultima die Octobris, tentoriis replicatis & deportatis, castris incensis, recesserunt, & Pectiperdis declinaverunt. Quos Florentini hostiliter insequentes usque ad * Pontem acidum supra Leyman venerunt. Quod partes Henrici & Baldewini cognoscentes, capitibus clypeisque reversis, ut lupus in agnos, in eosdem se rapuerunt. Fit strepitus multus, fit magnus utrinque tumultus. Capita truncata cadunt, lacerantur membra decora. Acriter pugnatur, belli fortuna vagatur. Tandem Florentinorum exercitus segregatur. Hi cornu dextrum caedunt, alique sinistrum. Tandem Theutonici magis animositate quàm ferro armati, tot tot occiderunt quod residui fugierunt. Dimisse parma fugit hic sua dum capit arma. Alter prostratus cadit in capiendo moratus. Plurima quid dico? Nullus succurrit amico. Et sic glorioso triumpho obtento Domini Henricus & Baldewinus ad sanctum Cassianum diverterunt, & ibi aliqualiter permanserunt.

[Margin: La Badia di S. Salvi. Villan. lib. 9. c. 46. Coenobium S. Salvi. Mussat lib. 9. c. 8.]

[Margin: * Ponte Ancisa. Mussat ibid. Ponte Anis. Idem c. 3.]

[Margin: Villan. lib. 9. c. 47. Mussat lib. 9. c. 4.]

CAP. XVI. *De Castelli sanctae Mariae novellae expugnatione.*

Verus fratris adamator Imperatoris iste Baldewinus anno Domini millesimo tricentesimo duodecimo die XVI. Novembris castellum sanctae Mariae novellae, firmando tentoria, obsidione circumsepsit, maximam habendo pugnam. Sui sagittis & ictibus muros & inimicos hostiliter petierunt. Illi se viriliter defendendo, non segnes, tela, lapides jacientes, tandem nimiis defensionibus fatigati defecerunt, & in Dominum Baldewinum gratiam eodem anno, XXV. die Novembris, unanimiter donaverunt quod inde Dominus Baldewinus plurima capiendo castra die Novembris ultima burgum sancti Cassiani est ingressus. Isto tempore Marschalcus Casele & totam terram violentia usque ante Seoe rapinis incendiisque devastavit. Hic Dominus Baldewinus privilegia suae Ecclesiae, quod Bopardienses & Vesalinces in * statis & aliis Trevirorum Archiepiscopo obediant & intendant, in pignore ab Imperatore benivolè obtinuit. quod utiliter impetravit. Datum apud sanctum Cassianum in castris ante Florentiam anno Domini millesimo tricentesimo duodecimo, regni ejus quarto, imperii vero primo, Idus Decembris sexto. Isto anno die Epiphaniae & multis aliis visa fuerat cometa in signo virginis tanquam situata. Fuit etiam eclypsis lunae multorum futurorum malorum praenosticantia. Abhinc Domini Imperator & Baldewinus Gebon devenerunt; ubi Imperator eodem anno XV. die Ianuarii more Treverico scribi consueto libertatem situavit, civitatem initiavit, & primum ponendo lapidem, Montem imperialem appellavit. Post haec civitate bene firmata eodem anno, octavo die Martii, per Pyescolle Pisanae civitati appropinquavit, ubi sibi Cardinalis Hostiensis & multi alii obviantes humiliter inclinantes sollemniter receperunt. Hic post triumphos choreae diversae parabantur, multimoda hastiludia exercebantur. Quid plura? Gaudia gaudiis cumulantur. Ibi Dominus Baldewinus ad suam terram visitandam, breviter tamen, reversus, Dominum Imperatorem valefaciendo XIX. die Martii in portu Pisano coepit navigio repatriare anno Domini millesimo tricentesimo tertio decimo, XV. die Maii Treverim in cunctorum laetitiam solemniter fuerat ingressus.

[Margin: Kyriander legit *statis* Vide Brower lib. 17. Annal. Trevir. pag. 193 & 194. posteriore ait.]

CAP. XVII. *De Imperatoris obdormitione.*

Subditorum cunctorum mitissimus defensator, rebellatorum vero rigidissimus extirpator iste Henricus ad vesaniam Roberti Siciliae Regis perdomandam versus Neapolim, ubi ipse habitavit, iter capiendo, & veniens Benevent, eodem anno XV. Augusti, idest, assumptionis beatae Mariae virginis, Missam more solito devote audiebat, & a quodam ordinis Praedicatorum religioso dominici corporis Christi sacramentum devote recipiebat, cujus sodalis ejusdem professionis ablutionem sumendam in calicem fundebat, quem ipse Imperator fidelissime sumebat, & statim postea totius corporis molestiam sentiebat. Postea sui prudentissimi intelligentes medici ipsum nulla infirmitate alia quàm intoxicationis materia graviter laborare, sibi indicarunt, devotissime supplicarunt quòd hanc intoxicationis materiam fineret eos per inferendem sibi vomitum radicitus revocare. Quibus fertur respondisse: Malo migrando ad Dominum diem claudere extremum quàm generare scandalum in sacrum Dominicum & detrimentum Christianorum. Et sic in illa infirmitate usque ad diem Augusti XXIV. laboravit, qui est dies Bartholomaei omnium Apostolorum secundùm sanguinem nobilissimi, ipse omnium Christianorum nobilissimus spiritum suum, qui fecit illum, reddidit creatori. Proh dolor! prospera in contrarium mutantur. Nam illud gloriosissimum Romanorum imperium à nullo fuerat Regum de tempore Frederici Imperatoris requisitum. Vnde vere fuerat totaliter dissipatum quod per istum maximis cum laboribus, praeliis, & bellis anno Domini millesimo tricentesimo decimo tertio die praedicta. * Et ecce cometae & solis eclypsis in signo virginis priùs causatis significatio cunctis viventibus lamentabilis, heu heu, hic adimpletur. Quis enim dubitat fidei catholicae solem eclypsim passum fuisse, cum post istius mortem multae haereses noscuntur extitisse? Quis superstes non vidit cometam comas cantilarum & discordiarum in omnes mundi partes quamplurimum diffudisse? Nam illud gloriosum Romanum imperium verè fuerat revocatum, coadunatum, & in maxima parte restauratum; cujus recuperationis finis imminebat, quod, proh dolor, ista mors pessima toti catholicae fidei nociva pessimè prohibebat. O mors pessima! quid fecisti? cur solem de mundo recepisti, solatium saeculorum, dominum armorum, aequitatem judiciorum, solatium viduarum & pupillorum rapuisti, & quicquid fuit juris rigoris, mundi decoris, fidei, honoris interemisti, infecisti, & heu omnimodè confudisti? Corpus verò ejus à Domino Henrico de Flandria Marschalco suo & suis fidelibus flebiliter lamentantibus Pisis fuerat relatum, aromatibus conditum, imperiali more redimitum, in Ecclesia Pisana eodem anno secunda die Septembris solemnissimè fuerat terrae commendatum. Spiritus verò ejus cum sanctis martyribus coronatus, in caelestibus electis conregnet omnibus per infinita saeculorum saecula. Amen.

[Margin: Mussatus lib. 10. c. 8. Vide supra pag. 338.]

Incipit prologus libri tertii gestorum Domini Baldewini de Luczelnburch.

TEmperantia est virtutum perfectissima, quae nec superflua nec diminuta attemperatur, quia circa abundantiam & defectum virtutes morales esse negantur, sed temperato inhaerere medio in ethicis affirmantur, unde singuli historiographi singulos persequentes stilo quadam scriptitare temperantiae conantur, ut nec superflui nec diminuti quomodolibet inveniantur. In hac igitur historia quaecunque superaddita

dita seu conglobata inveniuntur, non superfluè ponuntur, sed ut legentes intelligentiam capiunt planiorem. Cùm ergo ego cunctorum vernula scriptorum, qua potui temperantia, non magistrali, sed rudi fateor stilu hanc historiam huc atque pertractaverim, dignum est ut ei finem imponam, secùndum illud: *Nemo immittens manum aratro respiciens retro, regno adaptatur divino*. Dixi ideo corde intimo, *Custodiam vias meas*, terminando eas. Quomodo igitur procedam? Divinae recordor vocis Moysi dicentis: *Fac secundùm exemplar quod tibi monstratum est*. Exemplar enim hujus historiae rubiginosis est quamplurimum maculis obfuscatum. Nam oblivioni est in maxima parte jamjam ministratum. Divinum ergo invoco auxilium, ut mihi det exemplar mente innovatum, memoriae revocatum, objecto clarissimo probatum, septuplum purgatum; de suae quoque magnitudinis sede sapientiam mihi mittat in adjutorium, ut mecum sit, mecum laborer, & me ab uberibus suae consolationis dignetur laetare & torrente voluptatis domus suae potare, ut hanc historiam bono fine Deo, Treverensi Ecclesiae ad honorem, Domino Baldewino & praesentibus ad favorem, & omnibus futuris ad exemplar utilitatis valeam terminare per eum qui cum patre & spiritu sancto vivit & regnat unus Deus per cuncta saecula benedictus. Amen.

CAP. I. *De Ludovvici Regis per Dominum Baldewinum procurata electione & coronatione.*

Rancoris materia heu! per lamentabilem mortem Domini Henrici Imperatoris Principis strenuissimi toti mundo illata, Domini Almaniae Principes Electores vota sua in duo diviserunt. Nam Dominus Baldewinus pro Moguntinensi, Vvulmaro Brandeburgensi, & Duce Saxoniae, & Iohanne Rege Bohemiae, qui ultra mille galeatos Bohemicos secum adduxerat, Franckenfort anno Domini millesimo tricentesimo XIV. in crastino beati Lucae Evangelistae Dominum Ludovicum Ducem Bavariae habens secum Vvilhelmum Iuliacensem, Adolphum de Monte Comites, & alios quamplures Comites, nobiles, quos sua pecunia acquisierat, ultra quatuor millia galeatorum in propriis expensis unà. Henricus Coloniensis verò Archiepiscopus per nuntios suos & Rudolphus Dux Bavariae Domini Ludovici frater in Sasenhusen Fredericum de Austria Ducem in Romanorum Regem elegerunt, qui in Bunna per Coloniensem Archiepiscopum extitit coronatus. Sed Ludovvicus electus per Dominum Baldewinum Aquisgrani fuerat adductus cum potentia, suisque expensis per terram Coloniensis Archiepiscopi contra ejus voluntatem Coloniam duxerat, quem cives ad Domini Baldewini preces in Regem Romanorum communiter receperunt. Hic Dominus Baldewinus libertates suae Ecclesiae & privilegia fecerat innovare & confirmare, sibi ab imperio impignorata corroborare, & Comites Palatinos pro se & omnibus suis heredibus omni suo jure in Mon. & Thuron procuravit simpliciter renuntiare. Fecerat etiam Dominum Iohannem Regem Bohemiae & Petrum Archiepiscopum Moguntinensem ad omnia praedicta consensum suum adhibere & per omnia approbare. Isto etiam tempore pontes lapideos, unum supra ripam Kile prope Yranck, alterum supra ripam Riviere dictam, funditus instauravit. Hinc sancti Beati juxta Confluense collegium duodecim Canonicorum paravit, & per Papam confirmare procuravit. Isto tempore fuit fames permaximaque caristia in tota ista terra, ita quòd maldrum siliginis vendebatur Treverim pro sexaginta solidis. Tunc Graviscellis in * Hamnone venditum est maldrum tritici septem libris Hallensibus, grossis tribus, pro XIV. h. Etiam pestilentia universalis erat adeo magna quòd multorum pauperum corpora ex nimia fame & pestilentia infecta in stratis publicè inveniebantur, & à pluribus civitatibus magnae generales foveae in cimiterium consecratae parabantur, & pretia statuebantur ut ipsa cadavera sepulturae traderentur. Istae plagae heu! post mortem lamentabilem Henrici Imperatoris in flagellum omnium nationum statim esse coeperunt, & plusquam trienniam miserabiliter duraverunt. Vnde quidam metrificator: *Vt lateat nullum tempus famis esse cucullum*.

* f. Hannonia.

CAP. II. *De juvamine facto Iohanni Regi Bohemiae per Dominum Baldewinum.*

Eorum Regem & Dominum Baldewini nepotem aliqui in Bohemia Domini, scilicet Dominus de Lippa & sui, volentes ipsum de proprio pellere regno, quod factum nuntium per Cellerarium ad aures Principis Baldewini Treverim fuerat delatum, qui momentaneum colligens exercitum nobilium plusquam mille galeatorum, assumpto cum eo Petro Moguntino Archiepiscopo, Bohemiam hostiliter invaserunt, castra & oppida viriliter expugnaverunt. Quod intelligentes inimici, fugam turpiter inierunt; & sic Rege liberato apud . . . . Rex & Baldewinus convenerunt, & obviis se manibus lætantissimè receperunt, & in amplexus amicabiles irruerunt, & ultra dimidium annum in Bohemia pro pace reformanda & fortaliciis recuperandis dictus Baldewinus remansit. Eodem tempore Dominus Baldewinus & Iohannes Ludovvicum sum Regem in Bavaria per Fredericum Ducem quasi obsessum intellexerunt; cui toto suo cum cuneo, Petro Archiepiscopo in Bohemia remanente, perrexerunt, & in Ezzelingen convenerunt, & ibidem in ripa permaximum permiscentes prælium diei circa crepusculum cum accensis cereis acriter pugnarunt. Ibi Dominus Baldewinus Regem Bohemiae Militem fecit, propriis cum manibus pretiosissimè armatas gloriosiùs præliabatur. Tandem Fredericus cedere coactus ab hinc declinavit, & se per fugae subsidium turpiter absentavit Sequenti anno Domini millesimo tricentesimo decimo quinto, videlicet in ipso ultimo caristiae anno, Ludovvicus & Fredericus ante Spiram convenerunt; ubi Ludovvicus in praesidium suorum se recepit in cimiterium Iudaeorum, ubi ambo maxima victualium penuria laborarunt, ita quod adhuc nobiles rapas effodientes, esuriei satisfacientes, ipsas comedere artabantur. Quod Dominus Baldewinus intelligens, maxima cum potentia & victualium quantitate copiosa adveniens, plurima Regi Ludovvico victualia ministravit, & ipse cum Frederico Duce præliandi castra ante Spiram situavit. Fredericus vero cernens Ludovvicum Regem & Baldewinum Archiepiscopum praevalere, Austriam repetivit. Ibi Baldewinus multa suae Ecclesiae impetrans privilegia, & Bopardiam & Vvesaliam & additionem Balginchest in pignore suae Ecclesiae cum hulda acquisivit, & Treverim remeavit.

Vide Albert. Argentin.

CAP. III. *De pacis terræ conspiratione, Bruil prope Coloniam obsidione, & etiam Domini Baldewini dominatione.*

Vitae laboriosissimae iste Baldewinus noscitur extitisse. Nam anno Domini millesimo tricentesimo decimo sexto Domini Baldewinus & verè omnes Principes electores Aquensem & civitates Rheni majores ad Ludowicum Regem in Norenberch & post in Bacheraco congregati, totius terrae pacem juramentis, confirmantes, conspiraverunt, theolonia minoraverunt, & Comitem Hanoniae terrae Advocatum partibus in inferioribus praefecerunt. Hic Dominus Baldewinus Bacheracum & Rotibula cum hulda pro maxima pecuniae summa Ecclesiae suae in pignus recepit, Sternenbergh alienis legatum sibi donari redimendum impetravit, quod & redemit, & eo suam augmentavit Ecclesiam. Sequenti vero anno Domini millesimo tricentesimo decimo septimo Dominus Henricus Coloniensis Archiepiscopus pro Tulpeto reddendo suae Ecclesiae Vv. Comitem Iuliacensem diffidavit. Cui Comiti Dominus Baldewinus in adjutorium expeditionem non modicam suis sumptibus destinavit, cum inimicitiae adhuc inter dictos Archiepiscopos regnarent propter electionis dissensionem. quam expedi-

peditionem Comes in Tulpetum per duodecim hebdomadas & quatuor dies collocavit. Vnde in dicta expeditione existens saepe cum Henrici partibus diversos habendo conflictus, alios necando, alios vulnerando, continuè triumpharunt, & Tulpetum defensando viriliter conservaverunt. Eodem etiam anno Stirberch prope Egram à Lantgravio de Luckenbergh legitima emptione facta feudum ligium & aperibile suae in perpetuum esse Ecclesiae, ut in litteris continetur, utiliter ordinavit. Isto etiam tempore Vvitlich & Meyen muris circumdedit, & Canonicos regulares de Lonche propter frequentem hospitum visitationem depauperatos in Meyen transtulit, Ecclesiam ibidem eis incorporavit, claustrum eisdem aedificavit, ut regulam Canonicorum possent liberius conservare. Isto etiam anno & sequentibus Henricus Coloniensis Archiepiscopus, Iohannes Comes de Crucenache & plures alij, cùm essent de parte scilicet Ducis conspiratam terrae pacem frivolè violarunt. Nam omnes sua territoria transeuntes rigidè espoliarunt. Propter quod cives Colonienses castrum Brule anno Domini millesimo tricentesimo decimo octavo plusquam per tres menses obsidione compresserunt. Tandem hoc castrum voluntate civium in manus Domini Baldewini fuerat collatum, tamen in hunc modum, quod si Henricus Coloniensis Archiepiscopus pacem terrae non servaret, ipse Dominus Baldewinus hoc castrum in manus Coloniensium traderet destruendum. Et post in Septembri magnus terrae motus per longam moram perduravit. Sequenti vero anno millesimo tricentesimo decimo nono Dominus Baldewinus magnum conglomerando exercitum in Ludovvici Regis adjutorium contra Fredericum Ducem castra ante Vvesebaden in loco Scherstleyn dicto situavit, ubi Fredericus Dux intelligens Ludovvicum & Baldewinum praevalere, Baldewinus verò quod Bopardienses, si ei non vellent obedire posset auctoritate regia diffidare, impetravit, & Treverim remeavit. Isto etiam anno cives Colonienses Henricum eorum Archiepiscopum pacem terrae violasse coram Domino Baldewino legitimè probaverunt, supplicantes castrum Brule sibi dari violandum. pro quo etiam pecuniarum summam spoponderunt. Quod Dominus Baldewinus, licèt Archiepiscopus Henricus sibi tunc capitalis esset inimicus, facere recusavit. Nam dilapidationem Coloniensis Ecclesiae nequaquam voluit tolerare, sed in manus dedit eorum, non violandum, sed Archiepiscopo resignandum pace reformata. quam pacem ipse Dominus Baldewinus postea in Vrawenkathen prope Andernacum benivolè ordinavit.

CAP. IV. *De Maguntinæ Ecclesiæ prima vice Domino B. commissione, Cruczenache, Kestelim, Spaynheym obsidione, & Baldesteyn fundatione.*

Æternae memoriae Dominus Baldewinus anno Domini millesimo tricentesimo decimo nono maximis armatorum catervis in auxilium sui Ludovvici Regis Argentinam sumptuosissime perrexit; ubi cum Frederico Duce prælium libentissimè miscuisset, si ipse Fredericus perstitisset; qui cùm suam partem deteriorem esse conspiceret, vadum Bruze transequitavit, & ut ita dicam, non fugiendo, sed plures coadjutores requirendo, repatriavit. Isto tempore Dominus Petrus Moguntinensis Archiepiscopus recordationis felicissimae, defunctus sæculo, de carnis ergastulo feliciter migravit. Quo defuncto Moguntinense Capitulum ante argentinam venit ad Dominum Baldevvinum totaliter congregatum, & ad sanctam Moguntinensem sedem in Capitulo concorditer ipsum postulaverunt. Et ecce non post multum temporis intervallum venit quidam nigrorum de ordine monachorum, Matthias nomine, electus & confirmatus à Papa in Archiepiscopum Moguntinensem destinatus, qui se omnimodè in Domini Baldevvini gratiam donavit, electionem Domini Ludovici Regis per Dominum Baldevvinum approbavit, & cum ipso sibi utiliter conspiravit. Vnde Dominus Baldevvinus ipsum a Capitulo in Archiepiscopum receptari feliciter procuravit, de sua postulatione facta gratiarum multimodas referendo actiones. Post hæc anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo Adolphum Ducem Bavariae, Comites de Spaynheym, Nassauvve, & Iohannem Comitem de Cruczenache armis fuerat bellicis viriliter aggressus, & castrum Sprendelingen captum violenter obtinuit. Deinde ante Cruczenache venit, incendia usque ad portas inferendo; & Iohanni Comiti ibidem plurima in blado & vino inferendo damna, ad maximam interemptionem deduxit. Postea in Spaynheim quæcunque extra castrum reperierat, crudeliter vastavit, & dehinc Kestelim, quod erat Simonis antiquioris fratris Domini Ioannis Comitis, circumdedit; & cum ibidem multa intulisset damna, neptis sua de Valkenburch exorta, illius terrae Comitissa, suis cum infantibus descendit, & se aspectui Domini Baldevvini præsentavit, & flebili voce allatis filiis clamavit: O pater reverende, numquid carnem tuam vis & sanguinem egestati dare, quam potius debueras à cunctis defensare, cum tui sint consanguinei? Pater, recordare, & parce nobis hodie. Nam potens es salvare. A quibus dictis pietatis visceribus ab intimis motus humiliter recessit. Eodem anno Baldensteyn supra Lanam propter rebellionem Reyneri & Ioannis de Westerburch à fundamentis violenter erexit, castrumque Richenberch tunc construxit, quod Willhelmo Comiti Katzenelenboge in feudum ligium cum omnibus pertinentiis dedit, & anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo primo ipsius castri Baldensteyn feudum ab illis de Westerburch suæ Ecclesiae in perpetuum allodium comparavit. Et eodem anno conveniens Bacheracum ipsum castrum auctoritate regia libertati procuravit, & retentiones in omnibus imperii castris contra quoscunque, & quod omnia imperii obligata ubicunque posset redimere impetravit, & castrum Schadecke feudum ligium & aperibile facta emptione legitima procuravit, & Esch prope Clotten muro circumduci & libertari fecit. Isto etiam anno Dominus Baldevvinus illos de Dorsvvilre ad satisfaciendum suae Ecclesiae Capitulo maxima expeditione congregata coartavit.

CAP. V. *De Frederico Duce capto per Iohannem Regem Bohemiae, & Furstemberg obsidione.*

Recipere pacem, jure suo semper salvo, iste Baldevvinus promptissimus habebatur. Nam anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo secundo feria quinta post Bartholomaei cum haeredibus Rudulphi Ducis Bavariae, & Comitibus Nassavve & Spaynheim, qui adjutores erant Frederici Ducis Austriæ electi contra Baldevvinum, multorum (precibus) inclinatus castrum Kirperch suae Ecclesiae aperibile ligium à Simone de Spaynheim Comite acquisivit, & terram quam undique violenter acquisierat restituit. Dicti etiam Duces Bavariae Bacheracum Domino Baldevvino * p. l. confirmaverunt assignatione. Eodem anno Ludovvicus Rex & Fredericus convenerunt inter Ochingin & Molindorff congressione præliali. In quo praelio Dominus Iohannes Rex Bohemiae Domini Baldevvini nepos strenuissime pugnavit, & totum ipsius Frederici exercitum dissipavit, adnihilavit, totaliterque prostravit die sanctissimi antecessoris sui Wenczelai Regis, ipsumque Fredericum cepit, & captum Ludovvico Regi, sub hoc pacto quod ipsum non occideret, honestissimè assignavit. Sequenti vero anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo tertio & pluribus sequentibus annis Mars & Saturnus in geminorum erant coadunati signo. de quo astrologorum erat prænosticatio, quod multa deberent praelia per diversa mundi climata saeviter regnare, diversae quoque hæreses in Dei Ecclesia, proh dolor, pullulare. Eodem anno Dominus Baldevvinus Wellensteyn prope Cruczenache & Frederici Silvestri Nuenbergh prope Kir-

* Sic in MS. An Kyrlander edidi *ipse pignus*. Forte leg. *per litterarum conf. assignationem*.

castrum & turrim Seynheim feodum ligium & apertibile comparavit, & Regem Bohemiae feodo in Symeren renuntiare procuravit, quod ligium & apertibile Georgius Comes Hirsutus a Baldevvino & Ecclesia sua Treverensi cum pertinentiis recepit, exceptis intimicis & castrensibus, ut in suo privilegiorum libro plenius continetur. Post haec anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo quarto Smydeburch & partem Neurenburgi ligia & aperibilia fecit, & Comitem de Hennenberch XLI. marcarum argenti annuorum redditum feodalem statuit, quos redditus Ecclesiae Treverensi in sua terra assignavit. Isto etiam anno Domini Baldevvinus, Rex Romanorum, Dux Lotharingiae, & Comes Barensis confoederati fines Metensium exercituali potentia ingressi quicquid extra civitatem proprietatis habuerunt decoris & honoris funditus destruxerunt, & eorum rebellionem nefandam penitus perdomarunt, & singulos ad emendam praestandam, prout excessus imponebatur, coartarunt. Isto anno fuerat quidam sacerdos Coloniae degradatus & propter haeresim crematus. & verè tota civitas fuerat infecta pravitate haeretica, & vix purgata. quae haeresis à Moguntinensibus fuisse dicitur initiata. Post hæc anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo quinto Dominus Baldevvinus Furstenbergh circumdedit, & in obsidione diu mansit; postea condignam recipiens satisfactionem recessit. Eodem anno Winterbergh à Iohanne Comite de Spaynheim feodum ligium & aperibile Ecclesiae comparavit. Et anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo sexto Ludovvicus Rex fuerat Romam pacificè ingressus absque electorum suorum consilio, & non ab Ecclesia, sed à Senatu fuerat in Imperatorem coronatus.

CAP. VI. *De Bopardiae expugnatione, sancti Vvendelini emptione, & Ecclesiae Moguntinensis Domino Baldewino facta secunda commissione.*

Omen bellicosum saepius iste Baldewinus fuerat fortius. Nam anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo septimo Dominus Baldewinus Domino Matthiae Moguntinensi Archiepiscopo, qui Marchionis Mistenois oppidum Suden Geysen appellatum obsidione vallaverat, expugnare nequiverat, adjutorialem expeditionem destinavit, deinde personaliter veniens. Vnde hoc oppidum viriliter expugnavit, & cum tota sua acie in adjutorium Domini Baldewini Bopardiae properavit; ubi Dominus Baldewinus cum eis magnam habendo pugnam, eorum portas invadendo viriliter violavit, potenter intravit, & forinseci Bopardiae partem oppidi cum suburbio, contra tamen intentionem Domini Baldewini, cremaverunt, sic eos requirere suam gratiam malis eorum gratibus coartavit: qui se, oppidum, bona & corpora, suam implorando gratiam, voluntati suae unanimiter reddiderunt, & sibi & suae Ecclesiae subjectionem & fidelitatem perpetuam juraverunt, juribusque, libertatibus, & privilegiis suis renuntiantes, Domino Baldewino se & sua submiserunt. Isto anno totum sancti Vvendelini castrum & districtum comparavit. Sequenti vero anno Domini millesimo tricentesimo vicesimo octavo quaedam dissensionis materia inter Dominum Baldewinum & Comitissam de Starkenberch super quibusdam bonis in Birkenfelt exorta, super qua Henricus de Spaynheym Praepositus Aquensis & Emmericus de Lapide Miles pro Comitissa & suis treugas Domino Baldewino in manus suas Grimbergh promiserunt. Interim Dominum Baldewinum per Mosellae alveum navigio descendentem, non praemunitum, non diffidatum, dicta Comitissa proditione pendentibus treugis captivum in suo castro Starkenberch tenuit captivatum; à qua captivitate, promissione facta se in sua vita nullum castrum in Birkenfelt constructurum, liberum tamen aedificandi arbitrium suis relinquendo posteris, fuerat liberatus. Eodem anno Matthias Moguntinensis Archiepiscopus viam universae carnis fuerat ingressus. Hic fratres Moguntinensis Capituli Dominum Baldewinum in suum Archiepiscopum unanimiter postularunt, & postea Dominum Baldewinum in propria venientem persona suae dioecesis tutorem fecerunt, & castra & munitiones in ejus manus assignarunt. Quod statim cuncta ipsius Ecclesiae debita ab antecessoribus multipliciter contracta, quia longissima cum Lantgravio Hassiae fuerat in guerra, quae nondum erat sedata, ne aliqua supercrescerent damna, de sua propria pecunia funditus persolvebat. Isto tempore Dominus de Vvirneoburch Henricus à Papa fuerat in Archiepiscopum electus, confirmatus eisdem & directus. Cui Canonici crimina imponendo & defectus, ad sedem apostolicam appellarunt. Isto anno Dominus Baldewinus vallem sub Hoynberg situatam, renovationem Vvisskirche & Lyesheym castrorum ligia & aperibilia suae Treverensi Ecclesiae, recepta stipulatione, ut in privilegiis cernitur, adjecit. Sequenti vero anno Domini millesimo tricentesimo vicesimo nono Ludovvicus Imperator Romae quendam nomine Nicer de ordine fratrum Minorum Antipapam creavit, & in sedem beati Petri collocavit, Cardinales, Episcopos &c. Et ecce haeresis praenosticata hic fuerat praenosticata. Isto tempore itinera juxta Cochime, Tris, Stupam, & Neve, ubi equus inonustus vix poterat deduci, in tantum ampliavit quod equus sarcinatus seu asinus onustatus securè poterat pertransire.

Trithem. in chron. Hirsaug. ad an. 1325. & in chron Sponheim ad an. 1328.

Trithem. in chron. Hirsaug. ad an. 1328.

Vide Notas ad Vitas Papar. Aven. pag. 705. 712. 715.

CAP. VII. *De fundo Carthusiensium empto, & Baldenelcz fundatione.*

Rogatur itaque Dominus Baldewinus jura Moguntinensis Ecclesiae rigidus observare. Nam cives Moguntinenses per excogitatam suae malignitatis astutiam sub quadam aequitatis specie quaedam jura Ecclesiae sibi frivolè usurparunt, & Dominum Baldewinum pro ipsius Ecclesiae tutore recipere recusarunt. Quorum fines Dominus Baldewinus circumquaque exercituali manu forti depraedando, devastando, hostiliter ingressus, eorum inflatam superbiam rigidius edomavit. Oppidum quoque Eltevile appellatum inter Moguntiam & * Pigvviam situatum aedificavit, & Ecclesiam de Fleytsheym incastellavit, ut mercimonia & alia quae de Frankenfort secrete devehebantur, auferrentur, aliaque fortalicia circumcirca Moguntinenses acquisivit, ut per ea prohiberet quod victualia & alia necessaria nulla possent adduci, sicque cum Moguntinensibus plura bella & rixas habuerunt; ibique multi occisi & laesi fuerunt, coactique frequenter Moguntinenses per pontes & fossata usque ad portas civitatis fugati fuerunt, de quo eos in Ecclesiae tutorem se recipere coartavit anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo. Isto etiam anno castrum Smideburch tam comparando quam aedificando dedit Treverensi Ecclesiae. Eodem etiam anno juxta Treverim sanctum Albanum ab Abbate & conventu sancti Matthiae comparatum aedificiis Carthusientibus aptis coeperat decorare. Sequenti vero anno Domini millesimo tricentesimo primo Domini de Elcz, Erenberch, Vvaldeke, Schonecke, suis quampluribus cum complicibus, cupientes Domini Baldewini magnanimitatis magnificentiam aliqualiter incurvare, rapinis terrae semitas perturbando, unanimiter conspirarunt, contra quos Dominus Baldewinus exercituali potentia acies direxit, Elcz circumdedit, & Baldenelcz à fundamento constructum, quos ejus potentiam nihilavit, mirabiliter firmavit. Eodem anno castrum Solmecze feodum ligium & aperibile fecerat, Vvintersva suae Treverensi Ecclesiae construxerat ad tuitionem. Alio sequenti anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo secundo guerra durante contra dicta quatuor castra, castrum Rusenberch à fundamento aedificavit, de quo potentiae suae malleo erecta contrivit cornua superborum. eodem anno episcopatum Spirensem ad instantes preces Vvalrami fratris Comitis Veldenciae ibidem Episcopi & Capituli, qui tot debitis erat gravatus & guerris quod ulteriùs regere non poterat, ceperat regendum in temporalibus. Et ecce tres episco-

* Kyriena' Bingiam

scopatus simul strenuè regebat, debita persolvit, distracta ad jus & proprietatem fideliter revocavit. Vnde sequenti anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo tertio Domini de Eclz, Erenberch, Vvaldecke, Schonecke, videntes quod resistere suae potentiae non valerent, post guerrarum fessarum diù duratarum excidia pacis dulcedinem postularunt, quam Dominus Baldewinus pacis amator poscentibus fuerat largitus, & Iohanni de Elcz de suo castro Baldenelc suae Ecclesiae perpetuum juratum & fidelem Burgravium duxerat statuendum. Isto etiam anno, die Mariae Magdalenae, in meridie, fuerat Treverim subitaneum fluvium aquae diluvium permaximum, ita quod cuncti perterriti submersionis periculum timebant affuturum. Postea anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo quarto dominium de Schurenberch à Domino de Vonisberch comparatum Ecclesiae addidit Moguntinensi. Eodem anno Dux Lotharingiae die Novembris xiii. de homagio suo à Domino Baldewino recepto munimina tradidit litterarum. Alio anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo quinto, ad instantiam Ersordiensium Dominus Baldewinus personaliter cum magna potentia Marchionem Misnensem & Comites de Huynsteyn hostiliter invasit, eosque per incendia & bella multùm damnificavit. Sequenti anno Ersurdienses Domino Baldewino rebellarunt: contra quos misit Marchionem & armatos suos, qui contra eos bella quamplurima habuerunt. Isto anno die Simonis & Iudae, fuerat ventorum turbo in valitudine tanta quod multa alta aedificia corruendo fuerant disrupta. Vnde quidam metrificator:

Trithem. in chron. Hirsaug. ad ann. 1335.

SIMonIs eXCeLsI sternVntVr tVrbIne LVCI.

In quo versu computando MCCCXXXV. annos Domini poteris reperire. Anno vero Domini millesimo tricentesimo tricesimo sexto Dominus Baldewinus episcopatum Spirensem à debitorum gravaminibus relevatum, & multum melioratum, pace reformata, dictoque Vvalramo Episcopo de medio sublato, maxima gratiarum actione recepta, duxerat resignandum, & Gerlacum de Erenberch Spirensis dioecesis in Episcopum eligi procuravit. Eodem anno turbat vina gelu, venerus segetes, & equos sprue.

CAP. VIII. *De monasterii Carthusiensium consecratione, castri Montis sancti Iohannis constructione, & Vvelsberch destructione, dominii in Limpurch emptione.*

Voce imperativa papali & Cardinalium consilio emissa anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo septimo Domino Baldewino & Capitulo Moguntinensi fuerat mandatum ut episcopatum Moguntinensem in manus duorum Legatorum ad hoc in Pingvviam destinatorum tanquam in manus Papae liberè resignarent. Cui mandato Dominus Baldewinus obediens accessit Bacheracum, convocans ibidem Capitulum & officiales Ecclesiae Moguntinensis; praecepitque eis ut mandatis apostolicis obedirent, & juramento sibi per eos praestito libenti animo renunciarent. Quo audito, quia videbant quod eis ampliùs praeesse non veller, inobedienter ab eo recesserunt, & contra voluntatem Papae & Domini Baldevvini Henricum de Virnenburg eis à Iohanne Papa destinatum contra quem priùs crimina & defectus opponendo appellaverant, nunc in Archiepiscopum acceptarunt; qui statim omnia sua temporalia ab Ludovico Imperatore in feodum recepta, cum Domino Baldevvino est pacificatus. Isto anno apparuit cometa Iudaeorum interfectionis praenosticativa. Nam quidam depauperati nobiles sibi Regem praefecerunt, cui nomen Arindeler imposuerunt: qui civitatibus adhuc magnis expugnatis, Iudaeos quotquot invenire poterat crudeliter trucidavit. Alio anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo octavo Edvvardus Rex Anglorum Regem Franciae supra ducatum Normandiae diffidavit, & de Almania multis terrarum dominis plurima stipendia donavit, Franciam potenter intravit, cremando, spoliando, sed minimè perfecit. Postea anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo nono die Kyliani fuit eclypsis solis plusquam duarum horarum tempore meridionali. & postea in Autumno dicti de Svvizere in Berna plures interfecerunt praelio triumphali. Isto etiam anno Dominus Baldevvinus Regi Anglorum tanquam infinitis pecuniarum summis mutuatis coronam regni praedicti pro pignore acceptavit. Sequenti vero anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo circa *Laetare* visa fuit cometa tanquam in cancro situata. & postea nundinae Monstruele per Comitem Hannoniae & Dominum de Valkenburch fuerant spoliatae, multi occisi. Eodem anno Rex Anglorum die nativitatis beati Iohannis Baptistae transfretavit, & multis Francigenis interfectis, pluribusque phaselis captis, gloriosius triumphavit. Eodem etiam anno Dominus Baldevvinus ad vesaniam Comitum Vvalrami de Crucenache & Comitis Silvestris de Duna perdomandam, Dunam circumdedit, & castrum Montem sancti Iohannis appellatum à fundamento erectum contra Dunam fortissimè firmavit. Et postea die Thomae monasterium & conventum Cartusiensium juxta muros Treverenses ab eo funditus constructum solemniter dedicavit. Sequenti anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo primo in Majo Comes de Spaynheym per Dominum Ludvvicum Imperatorem Domino Baldevvino fuerat reconciliatus. Comes vero Silvester de Duna in castro quodam Velsberch dicto retentus, Domino Baldevvino per aliqua tempora magna inferendo damna, nocturnali tamen tempore, per spolia & incendia persistebat; quae Dominus Baldevvinus, tanquam leo se dormire simulans, supportavit. tandem evigilans, rugitu suo maxima exercituali potentia Velsberg obsidione vallavit. quam obsidionem Dux Lotharingiae cito suo conamine cupiens solvere, consilia & auxilia collegerat opportuna, eo quod castrum suum esset feodum suoque in territorio situatum. Videns etiam potentiam Domini Baldevvini esse praeminentem, timore tactus ad Dominum Baldevvinum in obsidionem properavit, secumque se quoscunque colligavit. Obsessi vero Domini Baldevvini videntes animositatem, cernentesque operum machinarum horribilitatem, quibus violenter expugnari metuebant, salvis rebus & corporibus in manus Ducis castrum ad Domini Baldevvini voluntatem violandum tradiderunt. & postea ad Domini Baldevvini jussionem funditus fuerat destructum. De qua tamen regalis fortitudinis castri violenta & celebri destructione esset mirè mirandum, si ultioni divinae non esset intitulandam. Nam ante obsidionem aura frigida & turbulentissima ante festum beati Martini, & in vigilia beati Martini qua obsedit, & postea in obsidione aura levis & gratissima annuo tempore contraria regnabat; sed castro violando tradito, cunctos ut prius aurae intemperies molestabat. Vnde totus vulgus sanctos se vindicare proclamabat. Alio sequenti anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo secundo Comes Silvester de Duna fessus guerrarum excidiis, poscens amoenitatem pacis, in propria persona metu coactus ad Dominum Baldevvinum Trevericum ingressus palatium, se omnimodè suae gratiae condonavit; cujus amicorum precibus Dominus Baldevvinus inclinatus eum in suam gratiam acceptavit. Isto etiam anno Durdraebum in maxima parte proprio igne divinitus flagellatum in tantum quod supra aquam....... dictam naves cum vino & mercimoniis, ita quod aquarum inundantia non poterant extingui, cremabantur. Postea in vigilia Iacobi maxima erat aquarum inundantia per totum Rhenum, non a Rheno, sed a fluvio Mogos dicto, quod tamen contra suam est naturam, in flagellum causata, ita quod integrae villae ruptae & defluxae cernebantur. Eodem anno XXIII. die Ianuarii quasi in prima noctis hora pluente grandine fulgura cernebantur & tonitrua audiebantur. Eodem

Vide vitas Papar. Avenion. pag. 228. 236.

anuo Comes Barensis a Domino Baldevvino homagium & feodum juramento innovatum acceptavit, & super eo duplicia munimina litterarum praebuit. Alio quadragesimo tertio anno Ludovvicus de Bavaria Imperator illustris Principis Domini Iohannis Regis Bohemiae filio de terra Carinthiae, quam prius sibi donaverat, ejecto, uxorem ejusdem raptam & suo filio traditam absque Ecclesiae judicio, non desponsatam, immo adulteratam, terram fraudulenter obtinuit Carinthiorum. Sequenti vero anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo quartò Dominus Baldevvinus pontem trans Mosellam in Confluentia sumptuosiùs construxit. Eodem anno Dominus Reynerus de Westerburgh Dominum Baldevvinum diffidavit. Vnde Dominus Baldevvinus exercituali collecta potentia Schadeck simul & Grenzau expugnata suae Ecclesiae obtinuit Trevirorum. Eodem anno medietatem dominij de Limpurch facta emptione legitima suae Ecclesiae adjecit. Alio quadragesimo quinto anno Frisones Comitem * Hannoniae eis bellum inferentem saeviter occiderunt. Eodem anno Dominus Baldewinus privilegium perpetuum per totam suam dioecesim contra mendicantium ordines super quarta parte legatorum parochialibus Ecclesiis donanda impetravit. Sequenti anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo sexto Henrico de Virnenburch Moguntinensi Archiepiscopo propter fautoriam Ludovvici de Bavaria ab omni pontificali honore à Clemente sexto privato, & * Nicolao de Nassavya in Moguntinae sedis Praesulem creato, ac ipso Ludovvico de Bavaria ab eodem Papa propter sua praescripta demerita ab omni dignitate regia sententialiter deposito, Principes Electores, videlicet Dominus Baldevvinus Treverensis, Vvalramus de Iuliacho Coloniensis, Gerlacus de Nassavya Moguntinensis, Dux Saxoniae, & Iohannes Rex Bohemiae, aliis vocandis vocatis, non tamen comparentibus, dictas depositiones ratificantes, auditis procerum regni sententiis in Rense diffinientibus quod praedictis sic se habentibus, eos ad electionem Regis fore processuros. Qui unanimiter vota sua in Dominum Karolum Iohannis Regis Bohemiae primogenitum direxerunt, & invocato spiritus sancti adjutorio in Romanorum Regem anno praedicto tertia post Kyliani XI. die Iulij concorditer elegerunt. Eodem anno inter Reges Francorum & Angliae praelio permaximo perpetrato, Princeps serenissimus, Domini Baldewini nepos, Miles imperterritus, Dominus Iohaunes Rex Bohemiae, licèt caecitate fuerit percussus, non minus tamen fuerat armatus, sagittis Anglicorum lethaliter vulneratus, viam universae carnis vicesima sexta die Augusti fuerat ingressus. Anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo septimo, die Aprilis XX. quae fuerat feria sexta infra octavas Paschae, Reynardus de Vvesterburch auxilio Ludovvici de Bavaria & consilio, Domini Baldewini Burgravio proditione ejecto, residuum de Grenzeu sibi usurpavit, quod oppidani Confluentiae reexpugnare & recuperare volentes, dum hostiles insidias adesse ignorarent, se ut levius ambularent dearmarent, arma famulis bajulanda commendarent, se ambulando disgregarent, plures capti, quamplures valde crudeliter fuerant trucidati. Eodem anno postquam Ludovvicus de Bavaria mala malis plicuisset, nec se salubertimis Ecclesiae monitionibus correxisset, die (XI.) Octobris, dum de venatione reversus fuisset, se membratim aggravatum sentivisset, & denuo alleviationis causa equum ascendisset, spatium iniisset, crescente dolore se incurvans à suis per brachia receptus, amplexatus, sustentatus, spiritum celerius exhalavit. Isto etiam anno, die exaltationis sanctae crucis, vineae & nuces congelabantur caumate pruinali, ita quod maxima vinorum caristia fuerat subsecuta. Alio anno quadragesimo octavo Dominus de Vvesterburch & peregrini Vilmarienses multa dioecesi mala intulerunt.

Vide Albert. Argentin. sententiam diversi editi Frehero.

* Hollandiae. Vide Albert. Argentin. & Trithem in chron Hirsaug. ad an. 1345.

* Gerlaco

CAP. IX. *De Vermich, & dominii de Coverna emptione, & de Solmeze destructione.*

Multorum consilio Dominus Baldewinus facta emptione legitima Vermich castrum cum suis pertinentiis suae Trevericae Ecclesiae comparavit, & Duci Iuliacensi, in cujus territorio situatur, in feodum perpetuum condonavit. Et Iuliacensis tunc Marchio à filiis suis captivitati addictus, Domini Baldewini consilio * in curia Domini Karoli Imperatoris Moguntiae celebrata confirmationem privilegiorum suorum & super archicancellariatu regni Arelatensis obtinuit ubi etiam per totam Galliam & Germaniam tutor & mamburnus fuerat constitutus regni Romanorum; quo plures sua feoda requirentes infeodavit. Quod etiam anno Hozolmecze cum pluribus confoederatis destruens, solo coaequavit. Eodem anno in capite Augusti collecta exercituali potentia Vilmar obsidione vallavit; ubi cum per quindecim dies contra Moguntinensium diffidationem sumptuosius potestanvè perstitisset, pluribus hostibus occisis turres machinis diruisset, adversarij cum Domino Baldewino placitare inceperunt, & eo modo convenerunt quod castrenses recedentes, castrum & oppidum in manus trium nobilium specificatorum conservandum traderent, quod si Dominus Baldewinus ipsum ad suam pertinere Ecclesiam competenti testimonio ostenderet, sibi suae Ecclesiae nomine perpetuo jure conservandum assignarent, & vice versa adversariis ministrarent. quod obsessi corporali juramento praestito spoponderunt, & Dominum Baldewinum de obsidione recedere seduxerunt, quod subito, ut suprà in Grenzau, temerè infregerunt. Eodem anno Dominus Baldewinus castra & territoria Vrendenberch, Vrenceosteyn, Coppa, & castrum & dominium de Coverna, cum suis castrensibus & pertinentiis comparata, & Bobingen feodum ligium & aperibile facta emptione legitima Ecclesiae addidit Trevirorum. Sequenti anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo nono Guntherus Comes de Svvartzenburch à Domino Henrico de Virnenburch deposito Moguntino & Domino Ludovvico filio Bavarij Marchione de Brandenburch & Domino Rudolpho Duce Bavariae dicto de Heydelberch contra Dominum Karolum in Romanorum Regem electus, ante Franckenfort castra situavit; cui Dominus Karolus Domini Baldewini adjutorio praelium acturus manu exercituali praevalida obviavit, nam fortificatus, quia filiam dicti Ducis de Heydelburch sibi desponsavit. Vnde dictus Gunterus intoxicatione, ut dicitur, infirmus videns se deceptum, corporeis viribus destitutum, suos electores cum Domino Rudolpho concordes, coactus in propria persona Domino Karolo sigillum suum regium & signa regalia resignavit, quem Dominus Karolus in gratiam acceptavit. Eodem anno nova flagellatorum secta surrexit, sed affectu cujus ignoratur. Qui flagelliferi nudo corpore, capite capucio & pileo & pudebundis lineo velamine tectis, cruce & vexillis & candelis ardentibus praelatis, carmina haeresi mixta decantando, se durissimè ad sanguinis effusionem acubus flagellis intextis verberando, saepius prostrando, sub quadam specie poenitendi incesserunt, quam poenitentiam non à sacerdotibus, se à laicis susceperunt, quos magistros praefecerunt; quibus etiam confitebantur, & ab eis absolvebantur; & poenitentiam injunctam peregerunt, quam sectam ut haereticam Dominus Papa Clemens sextus damnavit, & Domino Baldewino mandata destinavit, quae Dominus Baldevvinus non per plebanos sed per suos Burgravios & Schultetos & Scabinos executioni mandavit, & eam vix exstirpavit. Isto etiam anno Deus genus humanum triplici plaga flagellavit, ita quod plusquam medietas hominum cessit ab humanis; primo epidimia videlicet, cui gibbus crevit quacunque corporis parte, & omnes anhelitum ejus capientes celeriùs interierunt; secundo hemoroida, tertio . . . . . id est sacro igne, ita quod corpora sepulta in se ipsis celeriùs fuerant consumpta;

* Desunt haec nonnulla.

Vide Albert Argentin.

pta;

pta, ſic quod ab orbis initio non fuerant tempora periculoſiora. Quae plaga à Iudaeis fuerat impoſita, ſic quod aquam in omni terra intoxicaſſent, de quo aer infectus, tales plagae in omnia climata pullulaſſent. Quibus de cauſis in omni terra Iudaei alij ſuffocati, alij ſubmerſi, alij perforati, quidam prius ſuos pueros, poſtea ſemetipſos igni injecerunt, & ſe voluntariè peremerunt. Et iſta per ſequentem annum duraverunt.

CAP. X. *De Monckeler, Lyesheym, Hoſelmecze, Elkerhuſen deſtructione, & Domini Baldewini obdormitione.*

Amen, dicit Dominus Petro, quæcunque ligaveris vel ſolveris ſuper terram, in cælo ratificatur. Vnde anno Domini milleſimo tricenteſimo quinquageſimo Dominus Clemens ſextus Papa annum jubilæum in Vrbe celebravit, & peccamina pœnæ & culpæ relaxavit. Eodem anno Iacobus de Monckeler litteras compoſitionis & concordiæ inter ipſum factas ſigillo proprio & multorum amicorum ſuorum ſigillatas infregit: quem Dominus Baldevvinus, amicis ſuis id ordinantibus, ad hoc deduxit quod ſe captivitati ad Domini voluntatem adjecit, & in Treverico palatio tanquam pro ſerviendo aliquandiu manſit. Tandem Dominus Baldevvinus precibus inclinatus amicorum, acceptis litterarum munimentis, ipſum ſub conditione acquitavit. Qui ſtatim poſt Domini Baldevvini terras ſpoliando, cremando violavit. Vnde Dominus Baldevvinus anno Domini milleſimo tricenteſimo quinquageſimo primo, Maij die ſecunda, Munckeler obſidione vallavit, villam Ham navali introitu cepit, & turrim ibi ædificans, Grinecke appellavit. Tandem partes Domini Baldevvini ſuburbium ictibus ſagittis hoſtiliter invaſerunt, illi viriliter defendendo repulerunt. Ibi Dominus Hartardus de Schonecke non modicum lapidatus & parum ad brachium unum ſagittatus; ſed magis armorum ſtrictura & aeris & ſolis ſuffocatus, ſpiritum celerius exhalavit. quem Dominus Baldevvinus apud ſanctum Matthiam ſolemniter tumulari mandavit. Tandem Dominus exercitu commiſſo Confluentiam properavit. Ibi Comes de Seyna tradens litteras, caſtrum hoc recognovit pertinere ad Eccleſiam Trevirorum. Ibi etiam Comes de Berga caſtrum ſuum Windecke Domino Baldevvino venditum, ab eodem ſeodum ligium & aperibile ſuæ Trevericæ Eccleſiæ, homagiumque de Arwelſt acceptavit, & ſe juratum hominem ſubdidit Eccleſiæ Trevirorum. Reverſus Dominus ad exercitum, foſſatoribus conductis, qui malleis rupium duritiem conterentes, turris fortioris ſuburbii fundamentum ligneis ſtipitibus imponentes, ſepo, pice, ſulfure linientes, incendentes ipſam turrim cum parte muri dejecerunt & ſolo coæquaverunt. Et dum obſeſſi unanimiter protraderent, aliqui de parte Domini inſiſterunt: obſeſſi vero penuria aquæ laboraverunt, & ad fontem ſcaturientem ſituatum in foſſata caſtri ſubterraneam viam fecerant. Quo partes Domini Baldevvini diverſa opera ſumptuoſius facta laborioſius conduxerant, & periculoſius per ſcalas de rupe in rupem à latere ſituatas fontem hoſtiliter petierunt, & cum obſeſſis in eorum caverna ad fontem facto conflictu maximo nimia ſanguinis effuſione caverna diſrupta & obtenta glorioſiùs fontem obtinuerunt. unde obſeſſi omnis humoris ſolatio privati, viſo erecto ante caſtrum patibulo perterriti, gratiam quaeſierunt. Quibus Dominus Baldevvinus ſuae potentiae magnificentiam nobilitatis pietatiſque manſuetodine temperavit, & eis quos jam violentia devicit, ſua gravia faciens damna, miniſtravit gratiam. Nam indulſit quod per duodecim dies omni die de ſuo exercitu ad eorum victum vinum ac panem emerent & caſtrum ſine ſui laeſione obſervarent, ita quod ſi eis aliquod adjutorium diſſolvendae obſidionis & juvamen Domino Baldevvino nocendi quocunque poſſent modo ſociarent; ſi vero nullum, tunc termino elapſo ſinguli quae vellent & poſſent una vice exportando caſtrum in manus Domini Baldevvini miniſtrarent. quod in craſtino beati Thomae productum fuerat ad effectum. Hunc magnificum & glorioſum triumphum Dominus Baldevvinus non ſuae potentiae juſſit aſcribi, ſed clementiae divinae bonitatis Dei ad honorem. In craſtino natale Domini in horis & Miſſis Dominus in Monckeler effectus devotè celebravit, & cum ſuis lautius convivando ſolemniùs feſtinavit. Caſtrum vero poſtea ſolo coaequavit, & ex oppoſito in ſancti Petri allodio fortius caſtrum aedificavit, & Sareſteyn appellavit. Iſto etiam anno caſtrum Treis cum pertinentiis ſibi jure cedens feodali Eccleſiae addidit Trevirorum. Sequenti anno Domini milleſimo tricenteſimo quinquageſimo ſecundo Dominus Baldevvinus videns terrarum ſemitas multiplicatas, raptoribus nimiùm perturbatas, quorum inſultibus volens obviare, pluribus magnatibus ſibi confœderatis, regio nomine generalem terrae pacem & ejus advocatum Dominum de Sleyda ordinavit, & tertia die Iunij exercitali potentia Dunam in Eyflia in ſuas manus tradi coartavit; cujus tamen poſteriorem partem poſtea voluntariè Colonienſi Archiepiſcopo aſſignavit; & plurima caſtrenſium domicilia circa Dunam & Vlmenam, quae fuerant raptorum receptacula, devaſtavit; & ultra Rhenum progrediens, caſtra Saffroch & Hoſelebach, de quo obſeſſi tempore nocturnali metu corporeo coacti receſſerant, annihilavit. Et poſthaec Elkerhuſen quaſi inexpugnabile vallavit, & patibulo erecto, obſeſſis talem ac tantum metum incuſſit quod * ancſio ſuo deportato, caſtrum tradiderunt. quod igne crematum ſolo complanavit. Poſthaec Harckenberch obſidione vallavit, Reynerum de Vvelterburch coartavit quod Henricum de Graſchaff captum liberum dimitti procuravit, & triumpho reverſus fuerat glorioſo. Alio anno Domini milleſimo tricenteſimo quinquageſimo tertio Dominus Gerardus de Schonecken juxta Treverim Bohemos in adjutorium Regis Francorum contra Regem Anglicorum properantes pignera cautione, ut aſſeruit, cepit & ſpoliavit, & eos in Lyesheym conſervavit; quos Dominus Baldevvinus liberavit, & poſt haec caſtrum disjectum nihilavit, & Geroltſteyn obſidione vallavit, ubi in tanta aquarum penuria laboravit quod nihil proficiens, abhinc remeavit. Eodem anno Fredericus Comes Silveſter tertia die Septembris recognovit quod caſtrum Tronecke diſtractum Marcha dictam cum appendiciis de Talevanck teneat ab Eccleſia Treverenſi in feodum, & ſuper eo duplicia tradidit munimina litterarum. Eodem anno Dominus Baldevvinus, præſente Domino Karolo Romanorum Rege, Colonienſi & Moguntinenſi Archiepiſcopis, in vigilia natalis Domini in Eccleſia Moguntinenſi Veſperas & in capella Regis Matutinas & primam Miſſam Natalis celebravit, Regem communicavit, & confirmationem multorum privilegiorum impetravit, & xv. Kal. Februarij Treverim reverſus, infirmitatis moleſtia gravatus, receptis ſacramentis, & auctoritate apoſtolica à pœna & à culpa abſolutus, xii. Kalendas Februarij circa crepuſculum ſpiritum ſuo, qui condidit illum, reddidit creatori in die ſanctae Agnetis anno Domini milleſimo tricenteſimo quinquageſimo tertio more Treverico ſcribi conſueto anno nativitatis ſuae ſexageſimo octavo. Sedit annis quadraginta ſex, ſeptimanis ſex, dies quatuor, & vacavit dies duodecim; cujus exſequias Capitulum ſolemniſſimè per Epiſcopum Vlmacenſem cooperante Epiſcopo Acconenſe & Abbate ..... infulato, xii Kal. Martij, praeſente Domino Karolo Rege & pluribus magnatibus peragendo celebravit. Requieſcit in poſteriori choro Eccleſiae Treverenſis ſancti Nicolai ſepultus. Cujus anima paradiſica capiat gaudia per aeterna ſaecula ſaeculorum.

* ſ. avetio.

Epi-

Epitaphium praescripti Domini, ut habetur in ejus tumba.

HIc Baldewinus jacet antistes Treverinus,
Magnificus, justus, patriae lux, mente venustus,
Lutzlunburch natus, septeni denique gratus
Caesaris Henrici germanus juris amici,
Utilis Ecclesiae pater hujus dote sophiae,
Quam bene respexit augens permultaque, rexit
Sex quadraginta ferè simul annis, quis sibi verè
Guerra frequens crevit graviter, quia rarò quievit
Vincere praedones & castra per obsidiones.
Anno milleno C. ter L. s. ter duodeno,
Carne Kalendarum fuit exutus Februarum.
Quem pie Rex Christe clementer ad aethera siste.
Amen.

ADMONITIO DE SEQUENTI EPISTOLA.

Quoniam suprà pag. 319. ubi agitur de morte Henrici VII. Imperatoris, adnotatum est plerosque tum credidisse eum veneno esse necatum, quod ei datum sit à quodam religioso ordinis Praedicatorum, quam tamen opinionem multi contenderunt esse falsam, inciderítque non ita pridem in manus nostras exemplar earum litterarum quas ejusdem Imperatoris filius Iohannes Bohemiae Rex dedit ad eluendam maculam sanctissimo ordini injustam, quarum disertam mentionem faciunt viri celeberrimi, Iohannes Trithemius, Nicolaus Serrarius, & Christophorus Broverus, visum est eas heic opportunissimo loco edendas esse. Sic ergo habent in veteri membrana authentica quam servant fratres Praedicatores Virdunenses.

JOhannes Dei gratia Bohemiae Rex Luccemburgensis Comes, universis praesentes litteras inspecturis salutem in eo qui custodit veritatem in saecula & facit judicium omnibus qui injuriam patiuntur. Quia salvator noster in hunc mundum venit ut perhiberet testimonium veritati, & nos secundum modulum nostrum debemus ipsum, quantum possumus, imitari, & maximè quando per vanitates & insanias falsas veritas corruit in plateis & salus populi gravius impeditur ex eo quod aliqui diminuant bonam famam illorum qui pro veritate fidei mittuntur ut sint in lucem gentium & loquendo & exhortando usque ad extremum terrae proficiant cuilibet ad salutem. Quicunque enim sic cogitant infamia vel procurant contra Dei nuntios seu ministros, restat procul dubio quod contra populum Dei consilium malignantur. Unde ait Propheta: *Super populum tuum maglinaverunt consilium.* & causa ilico subinfertur:
Psal. 82. *quia cogitaverunt adversùs sanctos tuos.* & sequitur: *ut non memeretur nomen illorum ultrà.* Nuper autem retulit coram nobis religiosus vir frater Petrus de Castro-Reginaldi ordinis fratrum Praedicatorum quod in magnum ipsius ordinis dedecos & contemptum, facti sunt romancij, chronicae, & moteti, in quibus continetur quod clarae memoriae Dominum & genitorem nostrum Imperatorem Henricum frater quidam Bernardus de Montepeluciano ordinis supradicti, administrando ei sacramentum eucharistiae, venenavit, & propter hoc ad defensionem veritatis praedictus frater Petrus de Castro-Reginaldi habere super hoc litteram testimonialem humiliter supplicavit, & nos ipsius supplicationi prout possumus inclinantes, notum facimus universis quod à principio, quando rumores audivimus de praedictis, nos & amici nostri de his inquisivimus diligenter, & contra dictum fratrem Bernardum de Montepeluciano nihil invenimus fide dignum. Idcirco ipsum credimus praedictum facinus nullatenus commisisse, quia praedictum Dominum genitorem nostrum in sua infirmitate ultima ipse frater Bernardus diligenti obsequio custodivit & pacificè in sua religione inter fideles imperij commorando, ubi à familiaribus praedicti Domini genitoris nostri longo tempore supervixit; & hoc fuit non modicum ipsius innocentiae argumentum. Duae etiam amitae nostrae sorores praedicti Domini genitoris nostri habitum praedicti ordinis susceperunt, quarum una fuit Priorissa in quodam monasterio, & sic professae in dicto ordine usque ad mortem permanserunt. Postea etiam Domina Maria soror nostra germana suscepit habitum ordinis memorati. Tamen antequam esset professa inclytae recordationis Carolus Rex Francorum eam sibi in uxorem petiit copulari; & sic facta Regina Francorum, quandiu vixit, habuit Confessorem de ordine supradicto, & post mortem, sicut elegerat, habuit inter sorores ipsius ordinis * sepulturam. Et similiter avia nostra Domina Beatrix mater dicti Domini genitoris nostri, quae post eum aliquo tempore supervixit, fecit se inter sorores praedicti ordinis sepeliri. Nos etiam & carissima consors nostra habuimus postea de praedicto ordine Confessores. Et si nobis & amicis nostris apparuisset quod aliquis de fratribus ordinis supradicti in Dominum genitorem nostrum tam dolorosum & nefandum flagitium perpetrasset; nunquam voluissemus tot & tantas familiaritates fratribus ipsius ordinis exhibere. Ideo rogamus quantum possumus universos ut, sicut docet Apostolus, deponentes mendacium, loquatur unusquisque cum proximo suo veritatem, quod non credat narrationem ignorantium & romancij in quibus contra veritatem plurima continentur, quia hoc esset in detrimentum salutis eorum & praejudicium animae patris nostri. Rogamus etiam quemlibet qui super hoc à fratribus praedicti ordinis fuerit requisitus, ut procuret sicut poterit quod adversarii à praedictis aemulationibus arceantur, ita quod totus praedictus ordo fratrum Praedicatorum possit Deo sine cordis molestia liberius deservire & populum ad viam salutis efficaciùs revocare. Quod ut perpetuae firmitatis robur obtineat, praesentibus nostris litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Datum in castro nostro de Magduno super Enram Bituricensis diocesis XVII. mensis Maij anno MCCCXLVI.

* Obiit anno 1323 sepulta apud moniales ordinis S. Dominici juxta Montem Argisum in dioecesi Senonensi. Tilius.

CHRONICON SAVIGNIACENSE.

ANno Domini MCXII. beatus Vitalis eremita, optimus seminiverbius, in confinio Normanniae & minoris Britanniae aedificavit monasterium illud, quod dicitur Savigniacum. Hic beatus vir modernas institutiones in aliquibus Cisterciensibus similes monachis suis imposuit, virtutibus & miraculis claruit. Inter alia multa quendam militem mortuum populo praesente suis sanctis precibus resuscitavit. In dicto monasterio, quod ipse fundaverat, primus Abbas ordinatus, rexit abbatiam annis decem, & anno Domini MCXXII. gloriosè migravit ad Dominum. Huic successit beatus Gaufridus Bajocensis monachus, vir admodum litteratus, & in religione fervens, generis nobilitate pollens, sed vitae sanctitate excellens. Hic multa monasteria aedificavit, & consuetudines prioribus altiores Savigniacensibus imposuit. Qui abbatiae Savigniacensi praefuit annis XVI. & anno Domini MCXXXVIII. Domino reddidit spiritum. Cui post Evanum Anglicum, qui parvo tempore eidem monasterio praefuit, successit venerabilis Serlo de valle Badonis juxta Bajocas, qui fuerat praedicti Gaufridi in seculo discipulus, & monachatum priùs susceperat cum eo in monasterio Cerasiensi, sed relicto illo monasterio, pro majori religione Savigneium expetierat. Hic quia pro velle suo non ei obtemperaverant monasteria sibi subdita, Cisterciensi ordini se dedit, in manus videlicet beati Bernardi tunc temporis Abbatis Clarevallensis. Et in continenti concessus est ei prioratus omnium Abbatum ordinis per Domnum Cisterciensem & quatuor primos Abbates. Dictus vero Serlo Abbas quietem contemplationis desiderans, post conversionem domus Savignia-

gniacensis quinque annis tantummodo abbatizavit, & anno Domini MCLIII. cessit & apud Claramvallem remansit. Et tunc creatus est in Abbatem Savigniacensem Ricardus de Corceio ejusdem monasterij Prior, vir prudens & discretus, ac magnae honestatis; qui per quinque annos abbatizavit, & jura Ecclesiae Savigniacensis toto suo tempore constanter defendit. Anno vero Domini MCLVIII. Dominus Serlo quondam Abbas Savigniacensis apud Claramvallem diem clausit extremum. Eodem vero anno Abbas Savigniacensis Ricardus cessit, nullam praetendens causam nisi suam insufficientiam, tanquam vir humilis & valde timoratus. Alexander vero monachus Clarevallensis, qui prius fuerat Abbas Grandisilvae, dicto Abbati Ricardo successit, quem conventus Savigniacensis de consilio Abbatis Clarevallensis Fastredi elegerat, & tribus annis abbatizavit. Post quem apud Savigniacum creatus in Abbatem Ioslenus, vir sapiens & religiosus, & XVI. annis abbatizavit. Hujus tempore, videlicet anno Domini MCLXXIII. beatus Haimo migravit ad Dominum, & nova Ecclesia Savigniacensis incepta est. Anno vero Domini MCLXXVIII. Abbas Ioslenus post capitulum generale cessit, & apud Savigniacum remansit humilis & quietus & religionis amator. Eodem vero anno quo cessit, miserat conventum ad abbatiam Barberij. Eodem vero anno electus est & promotus in Abbatem vir vitae venerabilis & litteraturae eminentis Guilelmus de Tolosa de villa Cadomi oriundus. Et anno Domini MCLXXIX. electus est idem Guilelmus in Abbatem Cistercientem, ubi diem clausit extremum. Cui successit apud Savigniacum Dominus Simon genere valde nobilis, sed sanctitatis praerogativa nobilior. Quapropter Deo gratus habebatur & penes homines reverendus & laude dignus. Abbas vero Simon domum Savignej rexit per quinque annos, & infirmitatis causa, caecitatis videlicet oculorum, cessit, & apud Savigniacum remansit, ibique sanctissimam vitam duxit usque ad mortem. Cui successit Abbas Girardus, vir bonus & Deum timens, & per unum tantum annum abbatizavit. Post Abbatem Girardum creatus est in Abbatem vir religiosus & in temporalibus strenuissimus Guilelmus de Dobra, & per XXI. annum abbatizavit, neque diem clausit extremum. Cui successit vir bene litteratus, honestus, & religione fervens, Radulfus quondam Archidiaconus Bajocensis, qui per XIV. annos abbatizavit. Huic successit Abbas Rogerus, qui per quinque annos praefuit. Huic vero viam universae carnis ingresso successit vir devotus, magnae maturitatis & religionis, Lucas Bajocensis, & per tres annos abbatizavit, & anno Domini MCCXXIX. in die ascensionis Domini cessit. Huic successit & eodem die est electus venerabilis pater Dominus Stephanus de Lexinthonia Abbas de Stanlea, vir doctrina & scientia praeditus. Hic multa bona tam in hac domo quam in tota generatione fecit, fervorem religionis ibidem amplius excitavit, conventum Savigniacensem usque ad quadraginta monachos & eo amplius augmentavit, ipsam abbatiam multis aedificiis decoravit. Hic bonus vir, undique circumspectus, corpora sanctorum praesentis monasterij, Spiritu sancto edocente, de capella beatae Katherinae, ubi multo tempore quieverant, ad majorem Ecclesiam cum multo honore reportavit. Qua occasione Dominus multa & crebra miracula ostendere dignatus est. Facta est autem haec sanctorum Savigniacensium reportatio prima die mensis Maij anno gratiae MCCXLIII. Eidem vero Abbati à capitulo generali, eodem tempore quo dictam rexit abbatiam, concessum est ut ante corpora dictorum sanctorum de oblationibus fidelium continuè ardeat luminare. Insuper & in dicta Ecclesia Savigniacensi duas lampades pro satisfactione cujusdam Militis, qui enormiter dictam laesit Ecclesiam, & tertiam lampadem ante altare in quo cantatur Missa cotidiana de beata virgine Maria, in cujus honore consecratum est dictum altare, de eleemosyna cujusdam Canonici Abrincensis, qui ad hoc specialiter dedit, eidem Abbati concessum est ardere die ac nocte à capitulo generali. Necnon & aliam lampadem eodem tantummodo tempore quo Conventus est ad Matutinas, ante ostium dormitorij, eidem permissum est ardere de eleemosyna cujusdam amici praedictae abbatiae sacerdotis. Memoratus autem pater cum strenuè domum Savigniacensem annis XIV. gubernasset, in solemnitate beati Nicolai hyemalis electus est in Abbatem Clarevallensem. Et eodem anno in Cathedra beati Petri electus est in Abbatem Savigniacensem Dominus Stephanus de Castro Dum Abbas Bellibecci, qui fuerat quondam Decanus Rothomagensis, vir admodum litteratus, & religionis amator strenuissimus.

Anno Domini MCXXII. obiit pater noster Dominus Vitalis Abbas & fundator hujus sacri coenobij XVI. Kalendas Octobris.

Anno Domini MCXXVIII. Redonis civitas cum suburbanis omnibus pene penitus conflagravit.

Anno Domini MCXXXIII. eclypsis solis IV. Non. Augusti.

Anno Domini MCXXXV. obiit Henricus Rex Anglorum & Dominus Normannorum. Cui successit Stephanus nepos ejus, qui tunc Comes Moretonij & Bolonniae erat.

Anno Domini MCXXXVIII. obiit Dominus Gaufridus hujus loci Abbas secundus VIII. Idus Iulij.

Anno Domini MCXLI. IV. Nonas Februarij captus est Stephanus Rex a Roberto Comite Glocestriae, nemque liberatus à burgensibus Londoniae.

Anno Domini MCXLVII. Lodovicus Rex Francorum pergit Ierosolimam.

Anno Domini MCLI. mense Septembri obiit Gaufredus Dominus Normannorum & Consul Andegavorum.

Anno Domini MCLIII. obiit Eugenius Papa III.

Anno Domini MCLIV. mense Novembri obiit Stephanus. Succedit filius filiae Henricus nepos Henrici primi.

Anno Domini MCLV. obiit Anastasius Papa.

Anno Domini MCLVIII. obiit apud Claramvallem V. Idus Septembris Dominus Serlo, qui fuerat Abbas Savignej, vir vita & sermone atque scripturarum scientia conspicuus.

Anno Domini MCLXXI. occisus est sanctus Thomas.

Anno Domini MCLXXII. facta est concordia de morte sancti Thomae.

Anno Domini MCLXXIII. II. Kal. Maij obiit Dominus Haino de Landachop.

Tres filij Henrici Regis consilio Alienor matris suae recesserunt ab eo & adhaeserunt Regi Galliae.

Facta est secunda . . . . Filgeriarum à Rege Henrico, & Radulphus de Filgeriis & multi nobiles . . . . . . doli capti sunt.

Hoc anno mortuus est Robertus de Vitreio tertius in festo hyemali sancti Martini.

Eodem anno ceperunt aedificare novam Ecclesiam de Savigneio Ioslenus Abbas & monachi.

Anno Domini MCLXXVIII. rigor algoris & nivium arbusta & annosas vites perussit.

Anno Domini MCLXXIX. Philippus Rex Francorum coronatus est vivente & incolumi Rege Ludovico patre suo.

Anno Domini MCLXXXI. V. Kal. Iunij dedicata est basilica sanctae Katerinae à Domino Ricardo Abrincensi Episcopo.

Anno Domini MCLXXXIV. IV. Kalendas Maias egressus est conventus de Savigneio ad inhabitandam Abbatiam de Bona requie, tempore Domini Simonis Abbatis.

Anno Domini MCLXXXVII. Rex Ierusalem cum cruce dominica captus est, & terra tradita in manus impiorum.

Hoc anno accepit crucem Ricardus Comes Pictaventis.

Obijt Vvillelmus filius Radulphi Filgeriarum VII. Idus Iunij.

Anno

Anno Domini MCLXXXVIII. crucesignati sunt Philippus Rex Francorum & Henricus Rex Angliae cum multitudine maxima virorum.

Anno Domini MCLXXXIX. obiit Henricus Rex Angliae Octavis Apostolorum Petri & Pauli, & sepultus est apud Fronteval. Cui successit Ricardus filius ejus.

Anno Domini MCXC. perrexerunt Reges Franciae & Angliae Philippus & Ricardus Ierosolimam cum maxima multitudine nobilium utriusque regni.

Anno Domini MCXCI. eclypsis solis facta est in vigilia sancti Iohannis Baptistae.

Obiit Vvillelmus Burellus senior Abrincensis Episcopus.

Anno Domini MCXCIV. obiit Radulphus de Filgeriis apud Savigneium XVII. Kalendas Iulij.

Anno Domini MCXCIX. obiit Ricardus Rex Angliae Idibus Aprilis. Cui successit Iohannes frater ejus.

Anno Domini MCC. Rex Iohannes duxit in uxorem filiam Comitis de Engolesme.

Conventus Savigneij in Ecclesiam novam in die Assumptionis beatae Mariae primò intravit.

Anno Domini MCCI. Rex Iohannes cum Philippo Rege Francorum fœdus pacis iniit; cum Ludovico ejusdem Philippi filio neptem suam parvi Regis Hyberniae filiam dedit in uxorem, & cum ea dedit ei in maritagio civitatem Ebroicarum cum dio-

Hæc per plures annos gesta. ceesi sua castraque & villas & terras quas idem Philippus Regi Ricardo jure belli abstulerat. Rupto pacis fœdere, guerra inter eos oritur. Philippus vastat Normanniam, castrum Archarum obsidet, Arturum Ducem Britonum destinat in Pictaviam: qui apud castrum Mirabel aviam suam obsidens, à Iohanne patruo suo Rege Angliae cum toto exercitu captus est. A Iohanne Barones sui se dolosè, alij apertè, alij clam, subtrahunt, & sub juramento Regi Philippo se astringunt. Arturus arctae custodiae mancipatur, & modus sui exitus ignoratur. Iohanne moram faciente in Anglia, Philippus Falesiam obsedit, quae sponte se illius subjugat ditioni. Alij se subdunt, alij reliquerunt induciat; & non impetrato à Iohanne subsidio, Regi Philippo tota Normannia subdita famulatur.

Anno Domini MCCX. obiit Vvillelmus Abrincensis Episcopus cognomento Tolomeus. Cui successit Vvillelmus Burellus junior: cujus cùm crevit dignitas, crevit & probitas.

Obiit Andreas dominus Vitreij, filius Roberti junioris, V. Idus Iunij.

Anno Domini MCCXII. facta est commotio puerorum per totam ferè Galliam à Vvindonico castro & deinceps percurrentium & per plurima castra vagantium & dicentium se Deum quaerere; nec potuerunt cohiberi donec fame urgente ad propria remearunt.

Vide supra pag. 279 Commissum est praelium gravissimum inter Christianos & Sarracenos in Hispania. Sed operante Christo à paucis Christianis multi pagani superati sunt. Et quod memoria dignissimum est, in eodem praelio Dominus noster cuidam militi manifestè apparuisse asseritur.

Obiit Gaufridus dominus Filgerarium filius Vvillelmi & filius Agathae filiae Vvillelmi de Humeto XVIII. Kalendas Iulij.

Obiit Vvillelmus de Filgeriis filius Henrici XIII. Kalendas Ianuarij.

Obiit Alanus Comes de Goilou filius Henrici Comitis Kalendis Ianuarij.

Anno MCCXIII. Philippus Rex Francorum potentissimus coactis penè totius regni sui viribus cum ingenti exercitu profectus est in Flandriam, ut inde transfretaret in Angliam. Cumque idem Philippus classem plurimam in portu qui dicitur Dam coadunasset, Iohannes Rex Angliae consilio Reginaldi Comitis Boloniensis missis multis armatorum millibus in mioparonibus penè totam classem illam diripuit. Ex quo casu Rex Francorum turbatus, infecto negotio reversus est.

Anno MCCXIV. Iohannes Rex Angliæ cum paucis venit in Pictavia adversùs Regem Franciæ; sed parum proficiens, treugas cepit per quinquennium. Capti sunt à Philippo Rege Francorum tres Comites, Boloniensis, Flandrensis, Salesberiensis.

Magister Robertus de Corcone sedis apostolicæ Legatus venit in Franciam gratia crucesignandi.

Eodem anno Iohannes Rex Angliæ crucesignatus est in capite jejunii, & cum eo Ranulfus Comes Cestriæ, & multi alii.

Anno Domini MCCXV. Innocentius Papa III. celebravit Concilium in Ecclesia Lateranensi quantum nunquam fuit antea celebratum; in quo convenerunt excellentiores & litteratiores personæ ecclesiasticæ totius Christianitatis, ut orbis in urbe contineri videretur.

Hoc anno Willelmus de sancto Bricio Miles, nescio corpore an animo præstantior, obiit Andegavis in translatione sancti Martini; inde delatus Savigneium, cum antecessoribus suis sepultus est.

Comites & Barones penè totius Angliae insurrexerunt in Iohannem Regem suum.

Anno MCCXVI. obiit Iohannes Rex Angliae, filius Henrici junioris, XV. Kal. Novembris.

Anno Domini MCCXX. obiit Iuhellus de Meduana VI. Nonas Maij.

Obiit Domina Isabel mater ejus.

In hoc anno fuit dedicatio Ecclesiae sanctae Trinitatis sanctaeque Mariae de Savigneio. Facta fuit à quinque Episcopis & à populo innumerabili in devotione sancta, sexto Idus Maij. Illis autem qui infra octavas dedicationis causa peregrinationis venient ad Ecclesiam Savigneij, Episcopi supradicti indulserunt in remissionem peccatorum quadraginta dies de injuncta pœnitentia. Et hoc confirmavit Robertus Rothomagensis Archiepiscopus quantum ad provinciam suam.

Anno Domini MCCXXVI. obiit Amalricus de Creon Senescallus Angliae.

Anno Domini MCCXXIX. III. Kal. Iunij saisivit Radulphum Filgerarum Dominum & heredem de terra sua Petrus Comes Britanniae. Et quia idem Radulphus infra annos erat, ipse primo de novem milibus librarum Turonensium praedicto Petro Comiti satisfecit ad unguem.

Anno gratiae MCCXXX. quinto, in vigilia omnium sanctorum, Ludovicus Dei gratia Francorum Rex illustris Radulfum Dominum Filgerarum cingulo militiae sublimavit. Eodem anno, die sancti Nicolai, peperit Isabella uxor dicti Radulphi filium nomine Iohannem. Eodem die quo natus est, statim baptizatus est, & migravit ad Dominum.

Anno gratiae MCCXXX. sexto, in festo sanctorum Simonis & Iudae Apostolorum, bonae memoriae Vvillelmus quondam Abrincensis Episcopus migravit ad Dominum apud Abrincas. In crastino cum multo honore est delatus Savigniacum, & ibidem die tertia est sepultus.

Eodem anno, in crastino octavarum beati Andreae Apostoli, magister Vvillelmus de sanctae Mariae Ecclesia, Abrincensis Ecclesiae tunc Decanus, divino nutu ad eandem Ecclesiam in Episcopum est electus.

Anno gratiae MCCXXXVIII. obiit Iohanna uxor Amalrici de Creon IV. Kal. Octobris.

Anno Domini MCCXLI. VII. Kalendas Ianuarij obiit Guetenton de Vitreio Miles, & sepultus in Capella sanctae Katerinae.

Eodem anno, XVI. Kalendas Februarij, obiit Nicolaus Avenel Miles Dominus de Chalandreio, & sepultus in claustro sanctae Katerinae versus infirmitorium.

Anno Domini MCCXLII. in die Epiphaniae, circa auroram diei, obiit Petrus de sancto Severo monachus & confessor Savigniacensis, vir vitae laudabilis & mirè contemplativus. Hora qua cantabatur versus *Caeli aperti sunt super eum* intravit Ecclesiam.

Eo-

Eodem anno, Idibus Octobris obiit Philippus de Meauter monachus Savigniacensis, vir valde religiosus & compositus.

Eodem anno, Nonis Novembris, obiit Maria uxor Lapilli Militis & Castellani Domnitionis.

Anno Domini MCCXLIX. obiit Hugo de Batelliis Miles XVIII. Kal. Maij, & sepultus juxta matrem suam in claustro ante Capitulum.

Anno gratiae MCCL. V. Kal. Septembris obiit Robertus le Gendre noster benefactor, & requiescit in claustro sanctae Katherinae.

Anno Domini MCCLII. XIII. Kal. Martij magister Vuillelmus de sanctae Mariae Ecclesia Episcopus Abrincensis migravit à seculo, vir admodum litteratos & timens Deum necnon & religionis amator. Magister Ricardus dictus Lancus Canonicus Abrincensis, qui tunc erat Romae, canonicè electus est, & à Domino Papa Innocentio consecratus Episcopus Abrincensis.

Eodem anno obiit Theophania filia Vuillelmi le Gendre, quae jacet juxta fratrem suum in claustro sanctae Katerinae. Quae obiit XVI. Kal. Martij.

Anno Domini MCCLIII. IV. Kal. Februarij Hugues Comes Marchiae desponsavit Iohannam unicam filiam Radulfi Domini Filgeriarum in dicto castro, praesente venerabili patre Stephano tunc Abbate Savigniacensi, qui officium illius sacramenti solenniter celebravit, & multis aliis nobilibus utriusque sexus.

Anno Domini MCCLVI. die Veneris in feriatis Paschae receptus fuit illustris Rex Franciae Ludovicus apud Savigniacum cum honore magno; & ibidem die illo pernoctavit cum magno exercitu, & comedit in refectorio cum Conventu. Et in diebus illis plurima monasteria in Normania visitavit, & pannos plurimos olosericos eisdem obtulit. Necnon & multas eleemosynas in eadem provincia fecit.

Eodem anno, VI. Kal. Martij, obiit Radulphus Dominus Filgeriarum, filius Gaufridi Domini Filgeriarum; & in crastino sepultus est ante Capitulum Savigniacense juxta patrem suum.

Anno gratiae MCCLVII. in vigilia dominicae annuntiationis nata est Yolent filia primogenita Hugonis Comitis Marchiae & Engolismae de uxore sua Iohanna filia unica Radulphi Domini Filgeriarum.

Eodem anno obiit magister Gaufridus de Maieto Episcopus Sagiensis, & sepultus est in Ecclesia sanctae Andreae de Gofermo Cisterciensis ordinis coram majori altari.

Anno Domini MCCLVIII. obiit Matildis Comitissa Boloniae. Comitatus devenit in manu Regis.

Eodem anno, III. Nonas Ianuarij, hora matutinali, paries quidam in abbatia sancti Dionysij in Francia cecidit in Ecclesia & duodecim monachos suffocavit.

Eodem anno Dominus Henricus de Lexinthona Lincholiensis Episcopus obiit.

Eodem anno universi fructus terrae, qui fertiles apparebant, perierunt. Nam segetes, vineae, & arbusta grandine grosso & cornuto sunt percussa. Quae remanserunt segetes in mediis campis, inundatione pluviarum putruerunt.

Eodem anno obiit magister Guillelmus dictus Rollant Episcopus Cenomanensis apud Ianuam civitatem. Corpus ejus delatum fuit ad abbatiam Campaniensem.

Anno Domini MCCLIX. in crastino nativitatis sancti Iohannis Baptistae natus est Hugues filius primogenitus praedictorum Hugues Comitis Marchiae & Iohannae uxoris suae. (* *& obiit* MCCCIII. *in mense Novembri.*)

Haec addita sunt à manu recentiore.

Eodem anno, II. Nonas Decembris, pax longo antè tempore prolocuta & diutius praeoptata inter Regem Ludovicum Franciae & Regem Henricum Angliae super reclamio Normanniae & Aquitaniae tandem facta est apud Parisios, actore pacis & amatore Domino id agente.

Eodem tempore . . . . . primogenitus filius Regis Franciae mortuus est.

Anno Domini MCCLX. fuit annus bissextilis. In mense vero Aprilis fuit apud nos gelu urens & asperum, atque glacies, flante aquilone. Circa medium ejusdem mensis grando & nix terram cooperuerunt contra naturam temporum, cum in tota hyeme transacta nix visa non fuisset, gelu autem raro.

Anno Domini MCCLXIV. capti sunt à Simone Comite Montisfortis Henricus Rex Angliae & Houdardus filius suus.

Eodem anno, in vigilia Apostolorum Petri & Pauli, obiit Agatha Domina de Batelliis, & sepulta est in claustro juxta virum suum.

Anno Domini MCCLXXX. sexto, mense Augusto, III. Kal. Septembris, prandente primo Conventu ad coenam, factus est terrae motus apud Savigniacum absque tonitru, & per totum mundum universaliter, ut credimus. Regnante Philippo Rege Francorum nepote Petri Arragonensis, anno regni sui primo.

Anno Domini MCCC. tertio, prima die Maij, in festo beatorum Apostolorum Philippi & Iacobi, qua die levata fuerunt capita sanctorum Savigniacentium, & reposita circa majus altare, praesente innumerabili multitudine laicorum, Clericorum & aliorum praelatorum. Quorum sanctorum reverentia & honore fecit luminare magnum frater Guillelmus dictus Corteis, & professus fuit, & habitum sanctae religionis cum magna devotione suscepit. Qui praedictus Guillelmus à primaevae juventutis suae exordio fidelis extitit & irreprehensibilis, & etiam pro negotiis domus hujus ingentibus periculis se exposuit, & mare ad partes Angliae plures transfretavit. Qui per duos dies plenariè & septimana successivè pittancias duas nobis fecit, & diebus ceteris emendationes condignas. Quicumque vero hanc subscriptionem legerit & . . . . oret pro eo salvatorem omnium & etiam redemptorem ut in vita illa praedictum G. conservare dignetur & ad vitam perducere sempiternam. Amen.

Anno Domini MCCC. quinto obiit Gaufridus Ecclesiae Abrincensis Episcopus II. Kal. Februarij.

Eodem anno abbatizavit primo frater Thomas Morch. de Fulcardimonte, & multum laboravit contra Comitissam pro Conventu ejus domus.

Anno Domini MCCCLXXVIII. obsessum fuit castrum Moretonij & alia castra Regis Navarrae per Francigenas, & patria devastata per guerras.

VITA

EUGENII PAPÆ IV.

Scripta ab auctore coaetaneo.

EUgenius Papa quartus natione Venetus de Condulmeriis, primo fuit Thesaurarius Domini Gregorii XII. secundo factus est Episcopus Senensis & tertio Cardinalis in Luca, quarto vero die Veneris secunda Martii & die tertia hora vesperorum in sancta Maria de Minerva in Roma Papa factus & publicatus, & coronatus est die XI. dicti mensis Martii magna cum laetitia Romanorum & Principum anno Domini MCCCCXXXI. Eugenius vero Papa partem de Ursinis cepit contra communem existimationem, quod deberet recipere D. Principem in filium, nepotem Papae Martini immediatè praedecessoris, qui habebat thesaurum Ecclesiae & gentes armorum & plures terras. Sed oppositum fecit. Pro primo capi fecit Dominum Octonem Thesaurarium & Dominum Episcopum Tiburtinum olim cubicularios Papae Martini, & domos eorum novas multis bonis spoliavit, Capitaneo Stephano de Columna compatre suo, qui accepta portione sua de spoliis fugam petiit Penestrinam. Post aliquos vero dies Cardinalis de Columna frater Principis sine Papae Licentia de

Roma recessit. Unde secutum est quod in die sancti Georgii XXIII. Aprilis ejusdem anni gentes Principis intraverunt Romam, & primo duas portas ceperunt, sed nulli molestiam fecerunt, sperantes quod pars Columnensium insurgeret contra Papam. Ipsi verò non moverunt se, & statim Roma sbarrata fuit. Praefatus vero Stephanus fatuè Romam intravit, firmavitque se in palatio Ecclesiae sancti Marci, volens ulterius prosequi. Quare die sequenti succursus de gentibus Papae expulerunt gentes Principis; & inter alia portatores saccorum intraverunt in eos, & damnosius percusserunt. Deinde Romani & alii plures domos novas bonis repletas de familia Papae Martini turpiter spoliarunt. Domum Domini Dominici de Capranica, qui pronuntiatus fuerat Cardinalis per Papam Martinum, sed quia non misit sibi capellum; vacante sede, eum Cardinales non admiserunt. Item domum praefati Cardinalis de Columna, qui habitabat juxta sanctos Apostolos, domum Johannis Orlandi, domum praefati Stephani de Columna, & palatium sancti Marci, unde vi expulsus est, & domum Mariani, ac domum Domini Antonii Baptistae, qui portam Appiae Principi dedit. Die vero sabbati ultima Junii MCCCCXXXI. frater Thomas Prior, qui tractaverat Castellanum sancti Angeli interficere & castrum capere, revelato tractatu captus, graviter tortus est, & per ejus confessionem, & duo cives propter seditionem quam intendebant. Ditiores Romani capti etiam sunt, & aliqui politi ad torturam. Nunquam Roma in tali periculo fuit. Nam capto praedicto castro, si Papa ibi ignoranter confugisset, primo eo interfecto regiones plures cum gentibus Antonii de Columna partem adversam de Ursinis & cortesanos omnes spoliassem. Ita frater Thomas confessus est, & aliquos prodidit viros conscios hujus rei. Quare post degradationem solemnem, in campo florum appensus & mortuus, in quatuor divisus est. Eodem anno MCCCCXXXI. die vero XIX. Septembris Eugenius Papa die Mercurii prima quatuor temporum, eo in loco existente infirmo, pronuntiavit nepotem suum Presbyterum Cardinalem Venetiarum & Dominum Angelotum Romanum Episcopum Cavensem Cardinalem sancti Marci, & eadem hora dedit eis capellos; & equitarunt per civitatem soli, eorum cum familia. Et die XXII. mensis Septembris facta est proclamatio, campanis pulsans omnibus totius urbis, de pace facta inter Dominum Papam & Antonium de Columna Principem Salernitanum nepotem Papae Martini. Recepit enim Papa super hoc LXXV. millia ducatorum. Item eodem anno venit Imperator Sigismundus in Italiam, & XXII. mensis Novembris intravit Mediolanum. Deinde XXV. videlicet in die sanctae Catherinae coronam assumpsit in oppido Modoetiae. Demum anno MCCCCXXXII. plura bella facta sunt in Lombardia inter Ducem Mediolani & Venetos, & similiter in Foro Julii cum Ungaris. Et Concilium Basileae multùm fortificatum est, concurrentibus Principibus de Alamania & Rege Franciae & Duce Burgundiae, qui posuerunt causam suam in manibus Concilii, & similiter. Papa vero cum consilio Cardinalium transtulit illud Concilium in Bononia. Sed Imperator, Praelati, & Principes in Basilea congregati noluerunt consentire, immo tei monuerunt Papam & Cardinales ut ibidem deberent accedere. Et post longam contentionem Papa Concilium Basiliense confirmavit per bullas, misit ibidem praesidentes suos, duos scilicet Cardinales, pluresque Praelatos, & suis mandavit Praelatis aliis ut ad Concilium irent. Post haec Papa captus à Romanis honestè fuit, sed per astutiam fugit, & per Tyberim & per mare ivit ad Pisas, deinde Florentiam, & stetit ibi anno uno & mensibus octo & diebus viginti duobus. Et relaxato nepote Cardinale à Romanis, venit Florentiam, consecravit Ecclesiam Florentinam, demum recessit inde, & venit Bononiam XXII. Aprilis MCCCCXXXVI. Fecit reaedificare castrum unde itur de Bononia Ferrariam, & palatium plateae muro fortissimo à parte retro fortificavit & turribus circuivit. Eodem tempore dictus Eugenius Papa, videlicet an. Domini MCCCCXXXVII. anno sui pontificatus septimo, decima octava Septembris, in generali consistorio in Bononia Concilium Basiliense transtulit in Ferrariam civitatem Italiae, & hoc ad instantiam solemnis ambasiatae Graecorum, qui cum Ecclesia Romana unire se promiserunt. Eodem etiam tempore novum in Bononia venit quod Dominus Sigismundus Romanorum Imperator die IX. Decembris in Praga diem suum clausit extremum. Die vero octava Januarii anno Domini MCCCCXXXVIII. Concilium praefatum in dicta Ferraria coepit; ubi fuerunt in prima sessione Praelati cum mitris parati quadraginta unà cum Legato Domino Cardinali sanctae crucis. Demum dictus Eugenius Papa recessit de Bononia, & die XXVII. Januarii Ferrariam magno cum honore intravit. Et die VIII. Februarii MCCCCXXXVIII. applicuit Imperator Constantinopolitanus unà cum suo Patriarcha Venetias cum galeis & Venetorum quinque. Intravit Ferrariam, ubi erat Eugenius Papa & Concilium congregatum, die quarta Martii cum solemnitate, sicut solet Romanus recipi Imperator, superpallio super caput, Cardinalibus & tota curia comitantibus, cujus nomen erat Joannes. Et una die idem Papa in consistorio publico recepit Cardinalem Florentinum natione de Corneto, quem ante sex menses in Bononia creaverat, propter plures victorias contra inimicos Ecclesiae habitas. Die vero VIII. Martii de mane intravit dictus Patriarcha Constantinopolitanus, Papa vero recepit eum in camera paramenti. Qui fecit reverentiam debitam Papae, & deinde osculatus est manum. Die XX. Martii anno eodem antédicto novum venit quod XXX. dicti Martii gener Imperatoris noviter defuncti, videlicet Dux Albertus de Austria, qui sibi successit in regnis Boemiae, Ungariae, & Bossinae, electus fuit per electores imperii Romanorum in Regem. Praeterea Concilium Ferrariense die nona Aprilis an. Domini MCCCCXXXVIII. processionem fecit; ubi fuerunt centum & viginti mitrae numeratae. Et processit ab Ecclesia cathedrali, circuiens civitatem pro parte, & ad dictam redivit Ecclesiam, Missamque de spiritu sancto celebravit cum reliquo officio, ut moris est. Et finito officio, venit Imperator Joannes Graecorum cum omnibus Praelatis, Patriarcha Constantinopolitanus cum reliquis presbyteris & universis Graecis, qui ex opposito Papae & Praelatorum Concilii in parte sinistra sederunt. Habuit enim Imperator sedem more Imperatorum. Et lecto in publico decreto Concilii per Praelatum per bullam Papae, tunc in eodem pulpito Praelatus Graecus idem legit in lingua Graeca. Deinde per promotorem Concilii quaesitum fuit si placebat quod in Ecclesia & Concilio dicti Graeci unirentur. Cui responsum fuit per Praelatos omnes per verbum *Placet*. Et simili modo Graeci qui petebant uniri responderunt *Placet*. Eodem tempore Nicolaus Piceninus Ducis Mediolanensis capitaneus cum sex millibus equitum transivit in Romandiolam propè Ravennam, cepit Forlivium & Imolam, quae erant Papae, totamque Romandiolam Duci hereditariam fecit. Finaliter intravit Bononiam, nemine sibi resistente. Expulsis gentibus Papae, castrum novum, quod Papa fecerat, obtinuit, dictoque Domino Duci subjugavit MCCCCXXXVIII. Deinde versus Lombardiam recessit decursis aliquibus mensibus. Dominus Eugenius fecit sessionem in Concilio, & propter pestem transtulit Concilium de Ferraria ad Florentiam; in quo fuerunt etiam omnes Graeci eorumque Imperator & ipse Papa. Die verò decima Januarii anno Domini MCCCCXXXIX. in sessione Concilium translatum fuit. Die verò sexta Julii MCCCCXXXIX. in octava Apostolorum facta est sessio in majori Ecclesia Florentina, ubi fuerunt centum & decem mitrae, Papa Eugenio celebrante. Et ita lecta est bulla in Latino & Grae-

& Graeco de concordatis Graecis, labore plus XVI. mensium super symbolo quòd spiritus sanctus ex patre filioque procedit, & quòd licitè appositum fuit symbolo hoc verbum *filioque*, & quòd in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi conficitur, & quòd sit purgatorium, item quod Romanus Pontifex in universum orbem tenet primatum, ac successor Petri & Vicarius Christi, totius Ecclesiae caput, omnium Christianorum pater & doctor existit, & de ordine Patriarcharum secundùm cap. *Antiqua* de privilegiis, videlicet, quòd Patriarcha Constantinopolitanus sit secundus post papam. Lecta sunt haec & promulgata in praesentia Imperatoris Joannis, aliorum nobilium Graecorum & jurisperitorum & philosophorum, ac multitudinis aliorum Graecorum. Sed in celebratione Missarum & in aliis suis moribus sicut in primis terminis remanserunt. Demum post dicessum Graecorum laboratum est cum Armenis pro unione ferè mensibus quatuor, factumque est decretum & solemnizatum in Ecclesia majori Florentina, quemadmodum & Graecorum, circa institutionem fidei, ut in omnibus cum Ecclesia Romana concordent & agant. Et sic publicè Praelati Armeni praesentes, & etiam pro absentibus promittentes. Igitur lecta est ibidem bulla reformationis solemniter Armenorum. Datum in sacrosancta ycomenicaque sessione Concilii Florentini anno Domini MCCCCXXXIX. die verò XXII. Novembris.

Praeterea idem Dominus Eugenius Papa pronunciavit, fecit, & creavit in Florentia die XVIII. mensis Decembris anno Domini MCCCCXXXIX. anno pontificatus sui IX. in consistorio publico XVII. Cardinales, videlicet Archiepiscopum Remensem, Archiepiscopum Rothomagensem, Archiepiscopum Tarentinum, Archiepiscopum Rossiensem Græcum, Archiepiscopum Capuanum, Archiepiscopum Januensem, Archiepiscopum Eboracensem, Archiepiscopum Nicaenum Graecum, Episcopos Morinensem, Cumanum, Augustensem, Agriensem, Cracoviensem, & Portugalensem, Andegavensem, fratrem Joannem de Turrecremata, Presbyteros Cardinales, & Dominum Albertum de Albertis Diaconum Cardinalem. Et idem Papa dixit in sermone, videlicet: Et etiam creavimus certos alios loco & tempore publicandos.

Eodem tempore, videlicet sexta Novembris anno Domini MCCCCXXXIX. Amadeus Dux Sabaudiae, qui tribus annis ante aspiravit ad papatum & fecit se heremitam, electus est in schismate in Papam per congregationem Basiliensem, & vocatus Felix quintus.

Idem eodem tempore XVIII. Januarii anno Domini MCCCCXL. Dominus Eugenius transtulit nepotem suum Cardinalem Venetiarum de camerariatu ad vicecancellariatum Romanae curiae. Et fecit magistrum, Alovisium, primo cubicularium suum Archiepiscopum Florentinum, inde Patriarcham Aquilegensem, & cum illo titulo fecit eum Ecclesiae Romanae Camerarium. Deinde verò prima Julii MCCCCXL. eundem creavit in Presbyterum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem tituli sancti Laurentii in Damaso. Necnon creavit eadem die Dominum Petrum Barbo Venetum Protonotarium, nepotem suum ex sorore, sanctae Mariae novae Diaconum Cardinalem.

Penultima die Junii MCCCCXL. gentes armorum Ecclesiae prope burgum & civitatem Castelli fregerunt Nicolaum Picininum inimicum & incursorem terrarum Ecclesiae. In quo exercitu Ecclesiae principalis erat idem Dominus Aloysius & Legatus Patriarchaque Aquilegensis.

Bulla Eugenii Papæ IV. adversus Prosperum de Columna Cardinalem.

EUgenius Episcopus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ad apostolicae dignitatis apicem divina dispositione vocati, gregis nobis crediti curam habere ac vigili sedulaque solertia considerare nos convenit & singulorum discernere merita, ac deliberationis provida statera librare debemus, ut quos justi vigor examinis reos ostendit, juxta sui operis qualitatem, ne fiant perditio plurimorum, neque ipsorum impunitas incentivum aliis tribuat delinquendi, poenis debitis deprimamus, & sic quos timor Dei à malo non revocat, saltem poena cohibeat à peccatis. Sanè nuper pro parte dilecti filii magistri Angeli de Boncianis de Florentia in legibus licentiati generalis procuratoris fisci & promotoris causarum & negotiorum criminalium in Romana curia deputati super horrendae rebellionis acerbitatibus & detestabilium facinorum crudelitatibus per improbam domum sive progeniem de Columna commissis & perpetratis, nobis in consistorio generali praesentibus, venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus & cleri & populi multitudine copiosa, praesidentibus exposito quòd peramea felicis recordationis Martino Papa quinto praedecessore nostro sublato de medio, derelictisque per eum in palatio apud sanctos Apostolos, quo decesserat, & aliis locis inaestimabilium pretiosorum mobilium & aliorum bonorum & rerum Romano Pontifici ornatui congruentium multitudine copiosa ac immensis pecuniarum summis, dilectus filius noster Prosper sancti Georgii ad velum aureum Diaconus Cardinalis & Antonius tunc pro Principe Salernitano & Eduardus etiam tunc pro Comite Cellani se gerentes fratres quondam Laurentii de Columna nati & ejusdem praedecessoris nepotes, quantis eos Romana Ecclesia & apostolica sedes praesidiis ac divitiis & honoribus sublimaverat minimè recensentes, pretiosa mobilia, res & bona, ac pecuniarum summas hujusmodi plerisque manifesta & cognita subtraxerant & abduxerant & suis bonis miscuerant, ac per nos divina favente clementia ad apicem summi apostolatus assumptos ac praefatos Cardinales necnon certos urbis officiales omni caritate praevia requisiti ut ablata seu subtracta, & abducta hujusmodi, necnon castra, terras, & loca Ecclesiae per eos notoriè occupata restituerent, elata obstinatione non sine multae temeritatis audacia id facere renuerant, quin potiùs his & aliis ejusdem Ecclesiae impinguati divitiis, ut ingratitudinis filii, in eorum juventutis primordiis contra eandem Ecclesiam seditiones & oppressiones varias incitare moliebantur, necnon visitantes Romanam curiam & ad eam venientes & recedentes ab ea, spretis censuris & poenis contra tales promulgatis cooperante etiam in iis Johanne Andreæ de Rigofrigido de Columna, hostiliter invadendo, vulnerando, mutilando, spoliando, & alias enormiter persequendo, vias & stratas liberas & publicas violando, fideles Ecclesiæ ac cives Romanos capiendo, incarcerando, & exactionando, illorumque animalia & alia bona deprædando, abducendo, & alienando, ac plura & gravissima damna eis inferendo, quodque idem Prosper, qui plus aliis ab Ecclesiæ turbationibus debuerat procul dubio abstinere, cuique suorum fratrum reductionem commiseramus unà cum certis aliis Cardinalibus pertractandam, licèt minùs usque tunc perfecerant, seminatis in urbe contra nos & eandem Ecclesiam diversis conspirationibus, postquam nostris precibus annuere se dicens castra & fortalitia ad dictam Ecclesiam legitimè pertinentia nomine ipsius Antonii occupantibus ut ea nobis aut prædictorum Cardinalium collegio restituere deberent scribere debuisset, è contrario ne eidem Ecclesiæ illa restituerent suis scriptis animaverat, Castrum marinum per dictum prædecessorem

Odor. Raynald ann. 1431. §. 10.

in quodam per ipsum, ut dicitur, condito testamento in solidum sibi* relicto in offensionem orbis disposuerat, & Stephanum de Columna quondam Nicolai de Columna natum ad stipendia Ecclesiæ conductum ne pacta servares seditiosè corruperat, nobis & eisdem fratribus nostris inscils eandem urbem suos fratres prædictos & alios Ecclesiæ æmulos visitando illicentiatus exiverat, eis auxilium, consilium & favorem adhibendo, ita quod Antonius & Eduardus prædicti necnon Stephanus de Columna nobis & eidem Ecclesiæ fide præstita & nullatenus observata, eodem tempore obligatus, ut præfertur, suorum honoris & famæ prodigus Alexander Nicolai de Montefertino natus, Rogerius & Franciscus de Gajetanis, Franciscus & Cola de Sabellis, præter consensum & voluntatem dilecti filii nobilis viri Baptistæ de Sabellis, Conradus de Antiochia, & nonnulli cives Romani, & alii eorum in ea parte complices, fautores, adhærentes, & sequaces equestres & pedestres numero copioso porta Appia dictæ urbis fraudulenter capta, & occupata, illam intraverat, illorumque mentes exagitaverat innata perversitas & cupido malitiæ, eorum superbiæ contra eandem Ecclesiam exigentes, ad urbis & castrorum vicinorum subjectionem ambire & personam nostram ipsosque fratres nostros offendere seu saltem ab eadem urbe vituperosius profugare, curiales & eorum bona prædæ, nonnullosque cives gladio, domos igni submittere, aliaque nefandissima prosequi præsumebant, licet bonorum omnium protectore succurrente fidelis Romani populi resistentia virtuosa frustrati proposito suorum progenitorum de Columna nefandorum scelerum sententiarum per felicis recordationis Bonifacium Papam VIII. prædecessorem nostrum in illos tanquam infructuosos palmites, pestiferos, & nocivos, & eorum natos & posteros divulgatorum, quotiensque Nicolaus Stephani genitor & Jordanus de Columna patruus Antonii prædictorum, qui ut militaribus fruesentur calcaribus, contra dictam Ecclesiam se ad arma paraverat, & alias perversi progenitores eorum Ecclesiam & urbem præfatas invadentes, prout singulis innotescit, vituperosius ceciderant, immemores sequendo vestigia, ex dicta urbe repulsi forent, districtum illius guerrarum commotionibus * varios Ecclesiæ fideles, quorum aliquos in civitate nostra Narniensi per eundem Antonium occupata gladio crudelissimè interemerant, alios graviter vulneraverant, damnosis discursibus perturbaotes, nonnulla quoque castra ad monasterium sancti Pauli extra muros urbis ejusdem ordinis sancti Benedicti legitimè spectantia hostiliter occupaverant, & unum ex eis ignis incendio concremaverant, & alia diversa & execrabilia mala & flagitia perpetrara moliti fuerant & ampliora ex his mala sequi, nisi cleri succurreretur remedio, praesumebatur verisimiliter in futurum in Dei offensam, Ecclesiae vilipendium, ac aliorum perniciosum exemplum, ac pro parte dicti procuratoris & promotoris humiliter supplicato ut cum praemissa adeo essent notoria ac publica & manifesta quod nulla poterant tergiversatione celari, contra Prosperum, Antonium, Eduardum, Stephanum, Johannem, Rogerium, Alexandrum, Franciscum, Colam, Conradum, & Franciscum, & cives praedictos, eorumque & cujuslibet ipsorum complices, fautores, adhaerentes, ac sequaces per nos procedi, ipsosque & quemlibet ipsorum pronuntiari & declarari poenas & sententias tam generales quàm speciales à jure vel ab homine in talia committentes inflictas incurrisse ac laesae majestatis crimen commisisse, necnon omnibus honoribus, dignitatibus, beneficiis, dominiis, terris, feudis, ac bonis quibuscunque privari, ac ecclesiasticum interdictum in terris ad quas ipsos declinari contigerit observari mandare, aut saltem ad illa & alia praemissis condigna infligenda, & ea fieri & infligi seu declarari videndum & audiendum personaliter citare mandaremus cum instantia debita postulato, nos praemissam divinae majestatis offensam non valentes aliquatenus tolerare, & ne transgressiones invalescerent hujusmodi, transirentque aliis in exemplum, sed potius à talibus praesumtionibus arcerentur, omnipotentis Dei, qui licèt bonis bona retribuat, tamen usque ad terram humilias peccatores, ducti exemplo, ac intendentes Columnensium calumniam obviare, & praemissa, quantum Antonium, Stephanum, Alexandrum, Rogerium, Franciscum, Conradum, Colam, Franciscum, Johannem, cives, & complices, fautores, adhaerentes & sequaces praedictos, quorum nomina haberi volumus pro sufficienter expressis, concernunt, de venerabilium fratrum nostrorum Jordani Sabinensis, Antonii Ostiensis, Brandae Portuensis, Hugonis Penestrinensis Episcoporum, & dilectorum filiorum nostrorum Johannis tituli sancti Laurentii in Lucina, Ludovici tituli sanctae Caeciliae, Antonii sancti Marcelli, Johannis sancti Petri ad vincula Presbyterorum, Alfonsi sancti Eustachii, Lucidi sanctae Mariae in Cosmedin, Ardicini sanctorum Cosmae & Damiani Diaconorum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium fuisse & esse notoria decernentes & declarantes, ipsos omnes proximè suprà descriptos tenore litterarum nostrarum citamus ad comparendum coram nobis in consistorio nostro generali hac die praesenti ad procedendum & procedi videndum & audiendum per nos instante procuratore & promotore praefato usque ad definitivam sententiam ac declarationem & impositionem poenarum pro praedictis excessibus & flagitiis debitarum inclusivè, intimantes eisdem apertè quod sive comparerent in termino hujusmodi, sive non, contra eos procederemus prout justum foret, eorum absentia seu contumacia non obstante, ac decrevimus quod citatio hujusmodi nostri palatii apostolici valvis & aliis quibusdam publicis locis in urbe affixa perinde ipsos citatos artaret ac si personaliter citati & apprehensi fuissent. Et ne praefati Antonius, Stephanus, Rogerius, Franciscus, Cola, Conradus, Franciscus, Johannes, cives, & complices, fautores, adhaerentes, & sequaces praedicti palatium nostrum locum eis minùs tutum allegare valerent, universis subditis nostris & armigerarum gentium Capitaneis ubicunque ad praefatae Ecclesiae & nostra stipendia militantibus districtè praecipiendo mandavimus quatenus praefatos citatos cum decenti comitiva & sine armis neminem offendentes in veniendo ad urbem, morando in ea, & ab illa recedendo, in personis & rebus seu bonis eorum nullam inferrent injuriam, molestiam, vel offensam, nec ab aliis inferri permitterent quovis modo. Et quamquam excessus hujusmodi Prosperum & Eduardum praedictos concernentes à plerisque etiam notorii censerentur, cum illis tamen mitius paterna benignitate agere intendentes, praefatis Johanni sancti Laurentii in Lucina & Ardicino Cardinalibus commisimus ut super praemissis, quantum Prosperum & Eduardum praefatos concernerent, summariè, simpliciter & de plano, facti veritate duntaxat inspecta, ad instigationem procuratoris & promotoris praedicti & ex eorum mero officio, prout eis videretur, etiam extrajudicialiter, se informarent, & quae per informationem hujusmodi reperirent veritate fulciri nobis referre curarent, prout in eisdem nostris litteris plenius continetur. Hodie vero nobis in consistorio nostro generali praesidentibus, idem procurator seu promotor coram nobis comparuit, ac de executione citationis hujusmodi nobis legitima facta fide, citatorumque praedictorum non comparentium contumaciam accusavit, ipsosque contumaces reputari, & nihilominus eosdem sceleratos viros diversas spoliationes, rapinas, ac mutilationes, & homicidia in personis & bonis multorum, etiam ordini clericali & femineo sexui non parcendo, post praemissa detestabiliter perpetrasse inibi proposuerat, quae similiter notoria fore ipsa facti evidentia demonstrarat, contra illos per nos ad poenarum & sententiarum eis pro excessibus, insolentiis, & flagitiis, criminibus, & de-

li-

* relictum

* Veros

liſtis ab eis commiſſis hujuſmodi debitarum declarationem, & inhibitionem procedi cum inſtantia decreta poſtulavit. Nos igitur ſalvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, cujus, licèt immeriti, locum tenemus in terris, & qui arborem bonos fructus non facientem praecidi & in ignem mitti edocuit, evangelica doctrina ſuffulti, non volentes noſtram & Eccleſiae ſponſae noſtrae juſtitiam negligere nec praemiſſa per eoſdem citatos commiſſa, quae notoria, ut praemittitur, reputavimus, prout etiam reputamus, abſque Dei offenſa ulterius tolerare, dictoſque citatos reputantes, ipſorum praeſentia divina repleta praeſentia, de praedictorum fratrum noſtrorum conſilio & deliberatione ſolemni per noſtram diffinitivam ſententiam pronuntiamus & declaramus praefatos Antonium, Stephanum, Alexandrum, Rogerium, Franciſcum, Colam, Conradum, Franciſcum, & Johannem Andream, cives, complices, fautores, adhaerentes, & ſequaces laeſae majeſtatis, conſpirationis, rebellionis, & alia ſupradicta crimina, exceſſus, & flagitia nequiter commiſiſſe & perpetraſſe, ipſoſque tantorum maleficiorum patratores reos criminis laeſae majeſtatis ac publicos & notorios Romanae Eccleſiae hoſtes, perſecutores, ac bonorum ejus invaſores, raptores, occupatores, & ſacrilegos exiſtere, & ut tales perpetuo manere infames & ſemper exiſtere inteſtabiles, ut nec teſtandi liberam habeant facultatem, nec in aliquorum bonis ex teſtamento vel ab inteſtato ſuccedant, omneſque ipſorum civitates, caſtra, terras, & alia jura & bona nobis & Eccleſiae Romanae confiſcamus, non obſtantibus venditionibus, locationibus, pignorationibus, donationibus, conceſſionibus, & quibuſcunque alienationibus, ſi quæ forſan poſt concepta non commiſſa crimina hujuſmodi de civitatibus, caſtris, terris, ac aliis bonis & juribus ipſis aut eorum aliquibus per eos vel quoſcunque alios ſunt præſumptæ, & quibuſcunque contractibus ſuper iis initis & ineundis, ſive litteris inde confectis; quæ omnia viribus vacuamus, caſſamus & irritamus, ac decernimus nullius eſſe momenti, ac omnia eſſe vacua & irrita nuntiamus. Decernimus etiam ac ſtatuimus quòd habitationes & alia univerſa ædificia eorundem penitus diruantur, nullo unquam tempore reparanda nec etiam innovanda, ut eis manentibus perpetuò ſic dirutis & deletis, nunquam infamiæ ac damnationis eorum memoria moriatur, inſigniaque ſive arma domus de Columna, eò quòd ſub eorum vexillo tam nefanda patrata fuere, de loco quolibet deleantur. Et quia matris injuria tangit acriter filios, nec poſſunt de confuſione materna corda non conteri filiorum, ſi jam fideles tanta matris Eccleſiae offenſa commoti ad ulciſcendum ejus opprobrium deſtruendo vel diruendo ac demoliendo caſtra vel ædificia ſeu res alias perfidorum hujuſmodi noſtrum prævenientes judicium proceſſerunt, devotionis zelum vindictæ accelerationem monſtrantes, nos id ratum habentes & firmum, ea deſtrui ulterius ac dirui praecipimus & etiam demoliri. Si qua verò in feudum vel alio modo, aut ſi qua dignitates, privilegia, officia, vel beneficia ab eadem Eccleſia vel quibuſvis aliis tenent Eccleſiis aut Regibus vel Principibus ſeu quibuſvis aliis perſonis, illis eos omnino privamus, quae liberè ad ipſos eccleſiaſticos & alios eorum dominos revertantur; ipſorumque corpora careant eccleſiaſtica ſepultura. Et nihilominus eoſdem abominabiles viros omnes & ſingulos per nos in die caenae Domini prolatos & quoſcunque alios tam à jure quàm ab homine, etiam per recolendae memoriae Carolum IV. Romanum Imperatorem per ſedem apoſtolicam approbatas in talia committentes inflictas poenas & ſententias incurriſſe pari noſtra ſententia declaramus. Caeterùm ut non ſolum in ipſos auctores ſaeculares ſed etiam in ipſorum progeniem ultio inferatur, & ne minus exceſſus quàm dictae memoriae prorogetur, conſtituimus ut nulli eorum à praedictis delinquentibus deſcendentium ullo unquam tempore aperiatur alicujus janua dignitatis aut cujuſcunque honoris eccleſiaſtici vel mundani, nec horum aliqui ad clericalem ſeu monaſterium ſeu beneficium eccleſiaſticum ſeu in domibus regularibus ad alicujus praelationis honorem, nec ad poteſtariae, judicatus, tabellionatus, vel quodcunque aliud officium aſſumantur. Diffidamus nihilominus & forbannimus perpetuò praefatos reos laeſae majeſtatis & aliorum praedictorum criminum patratores, volentes & praecipientes ut pro diffidatis & bannitis ubilibet habeantur, bona quoque mobilia eorundem capientium effici volumus. Eorum quoque ſubditos & vaſſallos & alios quoslibet à quacunque fidelitate, promiſſione, obligatione, vaſſallagio, & juramento quibus eis teneri viderentur reddimus liberos & etiam abſolutos. Ac univerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Praelatis, & perſonis eccleſiaſticis, necnon Regibus, Ducibus, Principibus, & aliis Poteſtatibus, Rectoribus, Conſiliis, & communitatibus tam civitatum quàm caſtrorum, necnon generaliter omnibus perſonis eccleſiaſticis & ſaecularibus ſub poena excommunicationis & interdicti prohibemus diſtrictè ne ipſos ad civitatem vel alias ſcienter ipſos vel eorum complices, fautores & adhaerentes eiſdem recipiant vel receptent, aut eis favorem, auxilium, vel conſilium largiantur, quòdque Antonium prædictum ex nunc in antea Salernitanum Principem nemo audeat nominare; decernentes illos qui contra prohibitionem noſtram hujuſmodi fecerint, etiamſi cardinalatus, pontificali, regali, aut quavis eccleſiaſtica vel mundana præfulgeant dignitate, excommunicationis ſententiae, & loca eorum, quandiu in praemiſſis rei fuerint, interdicto eccleſiaſtico ſubjacere. Per hoc autem ſaecularibus poteſtatibus non adimimus facultatem utendi contra illos legibus quas adverſus tales catholici Principes ediderunt. Denique pronuntiando decernimus ut ipſorum delinquentium filii à ſucceſſione materna & avita & omnium proximorum hereditate & ſucceſſione penitùs ſint excluſi, de teſtamento aliorum nihil capiant, ſint ſemper egentes & pauperes; ut iis perpetua egeſtate ſordentibus ſit mors ſolatium & vita ſupplicium. Sintque ad teſtimonium perhibendum indigni, eorumque dictis tanquam fide vacuis non credatur. Decernimus inſuper & inhibemus notatos taliter eſſe infamia ſine venia, & pro praedictis vel eorum aliquo apud nos vel ſucceſſores noſtros intervenire tentaverint. Filiabus tamen eorum, ne remaneant indotatae, portio in bonis maternis hujuſmodi ſalva remaneat juxta legitimas ſanctiones. Per praedicta autem non intendimus alias poenas per jura canonica vel civilia aliaſque conſtitutiones contra tales ordinatas quomodolibet tollere. Quinimo praeſentes poenas cumulantes iiſdem, illas decernimus in ſuo robore & efficacia permanere. Abſolutionem vero omnium & ſingulorum qui praefatas noſtras ſententias incurrerint nobis vel ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus reſervamus. Ut autem hujuſmodi noſter proceſſus ad communem omnium notitiam perducatur, cartas ſive membranas hujuſmodi proceſſum continentes eundem in baſilica principis Apoſtolorum de urbe appendi vel affigi oſtiis ſive ſuperliminaribus faciemus, quae proceſſum ipſum quaſi ſonoro praeconio & patulo judicio publicabunt, ita quod ſcelerati praedicti & alii quos proceſſus ipſe contingit nullam poſtea poſſint excuſationem praetendere quòd ad eos talis proceſſus non pervenerit ſeu ignorarint eundem; cum non ſit veriſimile quoad eos remanere incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae vacuationis, caſſationis, recitationis, conſtitutionis, nuntiationis, ſtatuti, voluntatis, & mandati infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praeſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romae apud ſanctum Petrum anno incarnationis dominicae milleſimo quadringenteſimo triceſimo primo, xv. Kal. Januarii, pontificatus noſtri anno primo.

Ego.

Ego Jordanus de Ursinis Episcopus Sabinensis manu propria subscripsi.

Ego Johannes tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis, dictus Rothomagensis, etiam propria manu subscripsi.

Ego Alfonsus Cardinalis sancti Eustachii manu propria subscripsi.

Æneae Sylvii Senensis Frederici Romanorum Regis Secretarii & oratoris de morte Eugenii IV. creationeque & coronatione Nicolai V. summorum Pontificum oratio coram ipso Rege habita anno MCCCCXLVII.

CUpere te, Princeps serenissime, quae nostra in legatione sunt gesta referri tibi vel cernimus vel opinamur. Magna namque dum Romae fuimus contigerunt, cum & summum Pontificem sepeliri unum vidimus, alterum coronari. Innata est altis animis sciendi cupido. Animum nobilem nulla res magis quàm notitia rerum pascit maximarum. Te ergo, qui generositate non solum mortales antecedis, sed vicinus es superis, quo pacto legatio nostra peracta sit, quaeque vidimus & audivimus velle noscere non ambigimus. Gerentes ergo morem tuo desiderio relationem nostram quadrifariam, & quid in quavis parte acciderit, quàm brevissime absolvemus. Prima pars exponet iter nostrum de Vienna usque Romam. Secunda referabit quae acta sunt ab introitu nostro usque ad declarationem. Tertia dicet quae post declarationem usque ad obitum Eugenii & successoris electionem contigerunt. Quarta & ultima pars electionem novi Pontificis, coronationemque & expeditionem, ac reditum nostrum ante oculos ponet. Nec enim delicata ingenia multis verbis tenenda sunt. Sententias graves, non verba longa, nobilis animus exposcit; cui ut non simus molesti, narrationis jam facimus principium.

Cum abs te recessimus, invictissime Princeps, sexta & decima dies Novembris currebat anni dominici millesimi quadringentesimi quadragesimi sexti. Aspera hyems fuit. Nives omnia contexerant. Hungari per Austriam debacchabantur. Nam fide fracta contra jus fasque armati Austriam invaserant. Non licuit rectam nos viam facere. Montes imos pertransivimus, & per inhospitas gentes Tellas pervenimus. Commune post haec via Venetias venimus. Illic fuerat Vincentius Hungarus Johannis Vaivodae nuntius, qui Venetos adiverat, tuam vim accusaverat, suum dominum commendaverat. Accessimus & nos senatum illum Venetum. Exposuimus statum causae quae inter te & Hungaros vertebatur; visique sumus tuam innocentiam & Hungarorum injurias patefacere. Nihil tamen timere te ostendimus, sed parvi pendere illorum vim. Sic enim facto opus esse censuimus. Iis enim quos scimus non esse amicos, vel quos suspectos habemus, non debemus miseros nos esse ostendere, ne nostro laetentur infortunio ac nobis insultent, sed confidere nos & bonam habere mentem ostendendum est. Id fecimus abundè. Ob quam rem Dux ille Venetorum, qui omnium vice loqui solet, damnare se dixit facta Hungarorum. Retulit quoque Philippum Mariam multis injuriis contra se uti, ob quam causam coactum fuisse dominium arma capere & suam tueri libertatem, retulitque victoriam in agro Cremonensi partam. Cùm de Cancellario fecissemus mentionem, suumque debitum peteremus, subrisit, dixitque satis solutum esse pergamenum ceramque septem millibus florenorum. Nec replicantes aliud obtinere potuimus. Sic enim comparata est humana natura ut apud omnes plerasque gentes nihil difficilius imperandum sit quàm pecunia. Hinc vulgò dici solet secundum sanguinem esse pecuniam. Admonet hic locus, ni fallor, ut rem Cremonensem referamus. Philippus Maria Dux Mediolani unicam habuit filiam, eamque minimè legitimam. Hanc nubilem plenis annis Francisco Sfortiæ vicecomiti nuptum tradidit. Dotis nomine .... millia promissa sunt. Hypothecata ob eam causam Cremona est & Comiti tradita. Fiunt ibi nuptiæ. Franciscus exinde in Marchiam proficiscitur, uxoremque secum duxit. Bellum interea illi Eugenius movet, Marchiamque repetit. Juvat Eugenium Rex Aragonum Alfonsus, Duxque Venetorum & Florentini Francisco assistunt. Impar est bello Franciscus, utque prius illi succedat, repetit Cremonam offertque dotem Philippus. Sic enim conventum erat, ut pecunia tradita, restitueretur civitas. Sed invalida sunt inter Principes pacta. Nihil servatur nisi quod necesse est vel utile. Honestati locus raro est. Non suadent Veneti Cremonam restitui, quæ frænum est duci Mediolani. Ipsi curam civitatis recipiunt. Arx Comiti servatur. Philippus exercitum mittit, civitatem quæ jure negatur vi petit. Resistunt Veneti, mandantque Duci ut desistat. Is jus suum vendicare se dicit, nec fas esse Venetis obviare. Illi contra allegant. At cum fortius oppugnatur Cremona, irruunt Veneti in exercitum Philippi, atque ex improviso confligunt. Magnam cladem exercitus Philippi perpessus est. Inde progressi Veneti Abduam usque grassati sunt, ibique arcem in altera ripa obtinuerunt, potitique omnium molendinorum sunt usque Mediolanum ad tertium lapidem. Tanto afflictus malo Philippus à Pontifice maximo & Rege Aragonum, qui regno Siciliæ potitur, auxilia petit. Equitum illi quatuor millia, peditum tria millia mittunt. Nosque jam ex Venetis Ferrariam veneramus. Cumque Bononiam proficisci vellemus, transire illos per agrum Bononiensem accepimus insecurumque omne iter reddere. Qui militiæ operam dant, neque notis neque ignotis ignoscunt. Præda est quicquid obviat. Nihil morantur nisi fortiorem gladium. Obvertimus igitur viam, Faventiamque petimus. Nec sic tuti fuissemus, nisi petiturus Romam Estensis Marchionis Cancellarius se nobis adjunxisset. Obvii enim in sylvis Lucæ quamplures fuere qui exercitum sequebantur, impedimentaque per viam securiorem ducebant. Sed venimus Florentiam posthabita Faventia, Senarque profecti sumus, ibique, sicut decretum fuit Francfordiæ, Principum Electorum & aliorum nuntios expectavimus. Infra octendium affuerunt Maguntini, Palatini, Saxonis, Brandeburgensis, Brementisque, & quamplurimi aliorum tum Principum tum Prælatorum mandatum habentes. Ibi conventum est qua die Romam intrare deceret orationem fieri per Æneam nomine omnium, quæ post Romæ fieri deberet. Nemo enim alium per se loqui sinit nisi quæ dicenda sunt sciverit. Convenimus omnes apud Baccanum turrim. Locus sine muro est. Nulli major copia est. Pauca sunt mapalia, eaque hospitia faciunt Theutonici. Hoc hominum genus totam ferè Italiam hospitalem facit. Ubi non repereris hos, neque diversorium quæras. Ex hoc loco similiter accepimus iter. Sexaginta equites numero fuimus. Intellexeramus jam antea Thomam Episcopum Bononiensem & Iohannem de Carvagial electum Placentinum in sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales assumptos, erectiorisque mentis eramus. Nec enim malè sperare fas erat de re illa cujus tractatores sublimati fuerant. Cum Romam jam in conspectu haberemus, occurrunt apostolici frequentes nuntii, qui sistere nos gradum jubent, neque inhonoratos intrare nos sinunt. Magna est apud Italos legatorum reverentia. Sciunt evangelicum dictum: *Qui vos recipit, me recipit*. Non missus sed mittens, pandere. Ad horam & amplius expectavimus. Jussi sunt omnes curiales obviam proficisci. Effusa est ad spectandum maxima cum civium tùm curialium multitudo. A Cardinalibus infrà omnes Prælatorum ordines ad primum lapidem nos receperunt, secutique sunt ad domum usque nostram, quæ non longè à Capitolio fuit, omnesque seorsum se obtulerunt. Hæc acta sunt usque ad introitum Senensium,

quo-

quorum devotio erga imperium non indiget testimonio. Soli enim ex omnibus Italis per viam nos honorarunt esculentis & poculentis ad hospitium ubertim missis. Et sic primæ parti modum imponimus.

Vix equis descenderamus cùm affuit & Franciscus Episcopus Ferrariensis Thesaurarius apostolicus pluribus Episcopis comitatus, qui nomine summi Pontificis nos recepit, obtulitque multa, quamvis nihil attulerit. Hortatus est tractabiles ut essemus, nam bene dirigi omnia posseut. Huic gratias egit nomine omnium Æneas, (Nam ei plerumque dicendi onus incumbebat) dixitque regiam majestatem nihil petere nisi honesta atque utilia, nec diversam esse Principum Electorum sententiam, in oratoribus quoque non fore difficultatem. Contrà etiam hortatus est benignum ut se Papa praeberet unicuique & facilem. Nec multa fuerunt verba. Jejuni adhuc eramus, & dies in noctem iverat. Famelicum, non plenum, oratorem audire vellem. Sententiosus enim non verbosus est qui cibi cupidus esurire se post orationem novit. Ea nocte Cardinalis Bononiensis aprum nobis, perdices, phasianos, vinumque optimum misit dono, procurator pincernarum confectiones, ceram, & vinum. Post haec convenimus altera die apud sanctum Laurentium in Damaso. Tria ibi discussa sunt. Visa est oratio quam Æneas conceperat. Ea omnibus placuit, neque quicquam ex ea mutatum est, nisi, quod ubi neutralitatis mentio fiebat, animorum dici suspensionem magis placuit. Deliberatum est audientiam summi Pontificis per operam Thesaurarii petere, qui ad nos missus fuerat, ne Cardinalis unius studium implorantes, alterius indignationem incurreremus; ut sunt curiae insidiarum plenae, atque ubi majora sunt ingenia, ibi plus invenias simultatis. Conclusum est etiam, cùm adeundus esset Pontifex maximus, Metropolitanorum oratores accersiri. In ea re dubium erat. Nec enim auditurus Eugenius oratores Brandeburgensis & Bremensis Archiepiscoporum credebatur, qui Basileae fuerant confirmati. Sed accepto consilio à Cardinale sancti Angeli, non Archiepiscoporum sed Ecclesiarum nuntios vocare illos decrevimus. In omni re adhibenda est industria. Utilis est simulatio quae non habet mendacium. Contorquenda sunt aliquando nomina resque. Saepe ille impegit caput qui erecta cervice quodcunque ostium ingredi voluit. Ubi dicta est audientiae dies, jussi sumus apud sanctum Petrum convenire Missarumque interesse solemnibus. Illuc missi sunt ad nos Beneventanus Archiepiscopus, Ferrariensis antistes, pluresque alii, qui nos ad secretum consistorium adduxerunt. Eugenius in solio sedebat gravis ac omni veneratione dignissimus pater. Circa eum xv. Cardinales consedebant. Ibique postquam recepti ad osculum sumus, & arbitri omnes abierunt, orationem, sicut decretum erat, Æneas habuit, quae prae manibus est. In ea sic locutus est ut Treverensis & Coloniensis Archiepiscoporum desideria complecteretur, & tamen neque Papam neque Cardinales offenderet, sed ab omnibus audiretur. Ejus orationis quamplurimi postea copiam petierunt, non tam propter ornatum quàm propter materiam, quam omnes nosse aiebant. Ubi Æneas dicendi finem fecit, laudavit Eugenius, damnavit neutralitatem, commendavit Regem Electoresque. De Treverensi Coloniensique admodum questus est, suumque factum defendit, conclusitque in re principali cum fratribus deliberandum. Post haec, cùm peteret Æneas in factis Ungarorum aliam audientiam, libenti animo annuit; litterasque Johannis Vaivodae, quae prae manibus erant, imperatoriamque majestatem criminabantur, ut meliùs responderi posset, Æneae tradi jussit.

Vide Odor. Raynald. an. 1447. §. 4.

Erat ille Pontifex mirum in modum Regiae majestati affectus, nec timuit quemquam dum amicum juvare voluit. Alti cordis fuit & amicitiae tenacissimae. Felix quem semel dilexit. Malum, nisi vidit, nunquam ille putavit. Nulla res magis illum illexit nisi quia minùs se credidit diligere amicos, non ut deos, sed ut homines, decet.

His actis, dira febris adorta est Papam, diuque hominem torsit. De sanitate nunc desperatio, nunc spes fuit. Accessimus tamen ad eum jacentem, & excusavimus majestatem regiam quia non antea se declarasset. Retulimus difficultates quae Francfordiae fuerunt. Supplicavimus admitti petitiones quae in communi fiebant. Recommendavimus Coloniensis germanique sui causam. Questi sumus de his quae per Januenses fiebant. Pecunias quae dicebantur esse apud Picenos, uti commissum erat, petivimus, in scriptisque petitiones porreximus. Humaniter, ut solebat, Papa respondit accepisse se ex Bononiensi & sancti Angeli Cardinalibus sinceram regiae majestatis intentionem. Dixit super re principali sex Cardinales deputatos esse; in aliisque deliberaturum se ait. Atque ut respondit tuae serenitati rescripsimus. Et quamvis febribus urgebatur, vultum tamen laetum, quamvis gravem, nobis ostendit. Post audientiam apertum est ostium. Quae subticeremus, nisi quia meminisse illorum oportet qui nos ob reverentiam imperatoriae majestatis honorarunt. Primus omnium invitavit nos Johannes Calteserensis magister palatii, vir bonus doctusque. Tum Patriarcha Aquilegiensis, atque iste nos honorificentissimè pavit, seseque ultra omnes regiae majestati obtulit. Hinc fecimus de patriarchatu mentionem. Excusavimus præterita, futura limitavimus. Placuerunt omnia viro magnanimo. At cum accepissemus Petinensem Episcopum administratorem patriarchatus per Basilienses deputatum, ac per regiam majestatem admissum, ulterius loqui veriti sumus, ne mendaces inveniremur. Mentiri namque vel in maximis creduntur quorum non est rata fides in parvis. Morinensis quoque nobis saepissimè convivia exhibuit. Bononiensis quasi commensales nos habuit. Cardinalis sancti Angeli nunquam nos esse domi permisit. Mediolanensis non contentus muneribus missis, etiam cœnam apparare voluit. Andegavensis strenuè nos excepit. Nec minus Cardinalis sanctæ Mariae novae Firmanus, ac Columnensis. Sancti Sixti solos regios invitavit. Tarentinus omnes, Brandeburgensi oratore excepto. Procurator quoque Theutonicorum nobis convivium struxit. Saepius verò Ravennatensis antistes. Portugalensis Cardinalis invitavit nos. Sed jam fastidiosi tanta conviviorum frequentia respuimus. Vicecancellarius excusavit se, quia propter infirmitatem patrui minimè convivari decebat. Nobis verò multò gratiores erant excusationes quàm convivia. Voluptates enim rarior usus commendat. Tunc sapiunt fercula cùm rara sunt. Convivium magis fames quàm copia laudat. Caret usu convivii qui saepius convivatur.

In adventu nostro duae Cardinalium factiones erant. Rem nostram juvabant Cardinalis Aquilegiensis, Morinensis, Andegavensis, sanctae Mariae novae, Firmanus, Mediolanensis, sancti Pauli, Bononiensis, & sancti Angeli. Caeteri ferè omnes impugnabant, dicebantque venditam esse Theutonicis apostolicam sedem, seque quasi bubalos duci naribus. Ea res promotiones Bononiensis & sancti Angeli acceleravit, ut literati literatos confunderent. Hinc cum res coram Eugenio tractaretur, factumque nostrum impugnaretur, Quis vestrum, inquit Morinensis, est Bononiensi theologior? Quis Cardinali sancti Angeli in jure peritior? Quod si aequari illis non valeris, cur eorum facta reprehenditis? Renatusque est eo modo favor Eugenii. Ad tractandum tamen nobiscum utriusque factionis Cardinales deputati sunt. Acuit saepe ingenium contentio, perspicaciusque reddit. Sex lecti sunt Cardinales qui facta nostra discuterent, Tarentinus, Morinensis, sancti Sisti, Valentinus, Bononiensis, sancti Angeli. Septimus autem concordiae causae additus est Firmanus.

Alfonsus ea tempore Rex Arragonum Tiburim venerat, Romaeque ad quintum & decimum lapidem proximus erat. De suo adventu varii rumores erant. Quidam vocatum eum per Patriarcham ssserebant;

Vide vitam Dominici Capranica Card. pag. 177.

rebant; qui moriturum sciens Papam, sub ejus alis salutem quaerebat. Alii vero Regem Arragonum ex suo arbitrio novum creare Papam autumabant. Plures eum venisse aiebant Florentinos invasurum, & sic Philippo Mediolanensi operam laturum. Senenses certè in societatem belli ducebat, transitumque petebant. Circa hunc occupatus erat Cardinalis Valentinus, nec nostris potuit interesse tractatibus. Hujus Regis secretarius Æneam domi convenit, ostenditque carum esse Regi si ambo Tibur peteremus. Sed timuit Æneas ne suspectum Eugenio se redderet, nec ire voluit ad quem missus non erat. Diligenter namque mandati fines asservandi sunt. Nec secretarius ille apertè fari voluit ut Regem suum id commisisse diceret. Ipsius adventus Regis omnia quae victui necessaria sunt hominibus & jumentis praeter aquam cariora reddidit, quinimo etiam domorum auxit pensiones, quamvis urbem non intraverit. Sic avaritiam quaevis occasio manifestat. Parva pruina cellaria claudit. Accessimus deputatos quampluribus vicibus, dedimusque petitiones nostras in scriptis. Sed cùm videremus ad ea quae simul omnes petebamus aures surdas esse, ad ea descendimus quae seorsum conclusa Francofordiae fuerant; diximusque Cardinalibus, si priora concederent, Alemaniam totam in obedientia sedis apostolicae futuram; sin secunda, solum Regem, Maguntinensem & Bradeburgensem cum adhaerentibus; utilius autem esse totam habere nationem quàm partem. Inter nos quoque variae erant sententiae. Dicebant enim aliqui declarationem tutiùs ad Norimbergensem differri dietam, ibi ut tota natio se declararet. Alii dicebant nisi tunc declaratio fieret, desperatam rem esse. Inter haec curiales Alemani qui beneficia impetrarant, intelligentes se nostris illudi tractatibus, ambire Cardinales, se dicere diutiùs serviviste, nulla esse emolumenta laborum, ingratum Papam, ingratos Cardinales fore. Illinc omne malum in Alemanis suisque conterraneis prodire dicebant, eosque ad nos remittebant. His Æneas, insulsè agitis, inquit, qui declarationem impedire conamini. Si extra obedientiam sumus, nec quae impetrasti's beneficia potestis adipisci nec alia impetrare. Si verò praestamus obedientiam, quamvis careatis impetratis, impetrare tamen alia beneficia potestis. Stultum est rem simul spemque perdere. Nos quae in mandatis recepimus mutare nequaquam possumus. Omnis concordia possessoribus favet. In tractatu Cardinalium maximae difficultates contentionesque fuerunt. Grave videbatur Cardinalibus annatas remittere, collationes beneficiorum amittere, Concilium convocare, decreta recipere, privatos restituere; aiebantque non solum in natione Germanica id esse nocivum, sed alias exinde nationes recessuras & apostolicam sedem perditum iri, nec bene consultum esse caeteris Ecclesiis quando Romana, quae est caput omnium, langueret; condocere Christianae religioni Romanum Pontificem fore potentem, ut tueri alios Praelatos queat, inter Principes pacem continuere, infidelibus resistere, haereses extirpare; nunquam tot haereses in Christiana religione fuisse quot fuerunt ante Sylvestrum, quia paupertas Romani Pontificis neglectui fuit. Nos contrà pauperem minimè Papam velle dicebamus, annatarum loco provisionem fieri debere, quae tolerabilior nationi foret, nationes non posse exemplo uti nostro, qui temporalia non perpetua quaerebamus ad futurum usque Concilium mansura. Ex Cardinalibus quidam auctoritatem summi Pontificis minui timebant, quidam emolumenta, quidam utrumque. At postquam diebus plurimis disceptatum est & usque ad desperationem litigatum, inventa demum concordia est. Concilium, uti petivimus, promissum est, decreta Basiliensis Concilii usquequo in futuro Concilio aliter ordinetur recepta sunt vel usquequo cum Legato aliter fuerit concordatum. Circa possessores amplius provisum est quàm nostrae instructiones exposcerent. Restitutio Dominorum Treverensis & Coloniensis Archiepiscoporum, ut in articulis habuimus, repromissa est. Circa professionem major difficultas fuit. Auctoritatem namque Conciliorum, uti in Basilea declarata fuerat, nullo pacto admitti volebant. Sed opitulati sunt in ea re nobis Maguntini, qui ad Concilii Constantiensis decreta referri illam sufficere dixerunt: quos secutus est Brandeburgensis orator, & nos volupe accessimus. Super his omnibus fieri minutas obtentum est. Sed in illis etiam diutius disputatum est. Ad extremum & verba & clausulae nostri arbitrio recepta sunt. Ad haec autem obtinenda nomine regiae majestatis quatuor promittere nos oportuit quae a nostris instructionibus non erant aliena. Primum, quòd regia majestas quàm primum commodè posset, intellecta declaratione Romae facta, iterum se solemniter declararet, mandaretque Principibus & civitatibus ut suae declarationi se conformarent. Secundum, quòd recipi Legatum honorificè, ut moris est, praeciperet. Tertium, quòd ex Basiliensi civitate mandaretur ut salvum conductum revocarent illis qui sub nomine Concilii illic degerent. Quartum, quòd ad recompensam apostolicae sedi faciendam regia serenitas non solum mediatricem sed etiam adjutricem se exhiberet. Haec omnia nomine regio promisimus, quia sic instructiones nostrae nos admonebant. Nunc Regi incumbit quod promissum est facere. Ipse enim non nos promisimus. Quicunque pacta sibi servari vult, ne violator pactorum inveniatur caveat. Reciproca sunt ultro citroque beneficia. Qui facit recipit. Otioso nemo beneficus est. Caeterum cùm omnia composita forent, subortum est majus dubium. Invalescebat Eugenii morbus, timorque mortis erat, &, ut fieri solet, omnia in majus extollebantur. Cœperunt ex nostris aliqui haesitare an facienda declaratio esset, nec morituro Pontifici praestandam censebant obedientiam quae Germaniae Principes divideret. At Johannes de Lysura, acri vir ingenio & facundia copiosa, non Pontifici tantùm sed apostolicae quoque sedi praestari obedientiam affirmabat, personam mori, sedem non mori; si re infecta decederemus, magnas in natione futuras discordias Principum, huc illum, illuc alium tendere; longum praeteriturum tempus antequam Principes convenirent in unam sententiam quot nuper convenerant, magna esse quae obtenta fuerant, habendas esse omnino bullas, difficile namque obtineri à successore talia possent; servandam esse unionem Principum, qui jam concordes essent, neque id fieri posse nisi per declarationem, qua neglecta, singulos esse liberos, facta pro fœderibus obnoxios: suum esse consilium suamque sententiam absque declaratione minimè obeundum; etiamsi unum tantùm digitum Eugenius moveat, nolle se multis irrisum iri, nolle rei bene gerendae occasionem amittere. Eadem sui collegae sententia fuit. Nos postquam accessimus & reliqui omnes subsecuti sunt, quoniam si mori contingeret Eugenium & canonicam fieri successoris electionem, nulli dubium erat quin rata manerent omnia; sin autem discordes fuissent Cardinales electionemque minùs rite fecissent, nationem sui juris fere ac ex integro posse deliberare. Nec certa res erat de morte Papae; qui si nobis infecta re abeuntibus convaluisset, cùm per eum concordiae satisfactum esset, reprehensione non parva digni fuissemus. Cùm ergo conclusum esset fieri declarationem, mandavit Eugenius sexta Februarii die publicum celebrari consistorium, adesse Praelatos, convenire curiales. Sed cùm oratores Principum nondum particularia expedivissent negotia, neque sine illis publico vellent consulere, non sine scandalo in alium diem dilatum est consistorium. Accessimus omnes palatium apostolicum. Nondum bullae omnes erant confectae quae dari omnibus possent, sed de quavis materia una confecta erat. Vocarunt Cardinales Æneam & Joannem de Lysura, eosque interrogaverunt an fieri declaratio posset. Responsum est posse, si coram omnibus promitteretur etiam moriente Papa reliquas bullas quae non essent scriptae datum iri Legato apostolico cum litteris restitutionis

Co-

Coloniensis & Treverensis Archiepiscoporum & cum litteris similibus iis quae Maguntiae dabantur pro illis duobus ac Palatino & Duce Saxoniae. Promiserunt haec omnia Cardinales etiam coram aliis, verbumque pro Cardinalibus summa prudentia Pater Cardinalis Morinensis fecit. Post haec introducti sumus ad Pontificem in penitiori cubiculo jacentem; quem velut unum ex sanctis patribus mirati sumus ac venerati, osculatique manus ejus. Inerat homini gravitas, plenusque majestate vultus erat. Ipsa facies Pontificis indicabat. Ubi nos vidit, benignè allocutus est, ac dicere jussit paucis verbis. Obedientiam suae sanctitati praestitimus. Receptisque de sua manu litteris, eas Maguntinis assignavimus. Multum enim saepe eis detulimus ut rem conduceremus ad finem. Ibi Palatini & Saxones suos Principes honestis verbis excusarunt quòd in exhibitione obedientiae non concurrerent. Aiebant enim illos non Romae, sed Norimbergae, futuram declarationem intellexisse, atque idcirco non dedisse de declarando mandatum, placiturum tamen illis quae Romae fierent, nec se dubium habere quin Principes ipsi in Norimberga se declararent ac regiae majestati & caeteris se conformarent. Eadem verba in publico consistorio postea repetiverunt. Papa gratias Deo retulit, nosque cum benedictione lacrymantes dimisit. Nec enim tenere lacrymas quisquam potuit qui tam venerandum majestuosumque patrem succumbentem morbo videbat. Jam sol in occasum ibat cùm publicum consistorium adivimus. Multa illic hominum millia expectabant. Insignis concio erat; mirificumque auditorium. Consedebant Cardinales, Praesules, Advocati, & ingens turba Doctorum stabat. Nos etiam è regione pontificalis cathedrae stabamus. Tum Æneas brevem ex tempore oratiunculam habuit, nec tempus longiorem ferebat. Et legendae plurimae litterae fuerunt. Nominavit etiam Æneas omnes qui sese tunc declarabant, reddiditque in medium litteras imperatoriae majestatis atque incliti Bohemiae regni: quae omnes lectae fuerunt. Cùmque inter alios nominaretur magnus ordinis Prutenorum magister, Andreas theologus mirae facundiae ac probatae conversationis pater, qui procurator ordinis erat, tanquam suus dominus suusque ordo declaratus diutiùs amè fuisset, ejus dictis sese opposuit, quamvis antea se taciturum promisisset. Tum Æneas, Nihil opus est verbis, inquit, Reverendissimi Patres, ipsius magistri extant sigilla, quæ meis dictis fidem astipulantur. Ipse magni magistri orator apud Francfordiam unioni conventionique nostrae se miscuit. Quae ibi conclusa sunt hic exequantur. Erubuit homo, nec libertatem replicandi habuit. Cognovit tamen postea suum erratum, & ut virum decet bonum, veniam petiit. Nemo nunquam errat. Sed animo pertinaci errorem tueri nefarium est. Vix errasse videtur qui correxit errorem. Declaratio nomine ipsorum facta est, Frederici Romanorum Regis, regni Bohemiae, Theodorici Maguntini Archiepiscopi, Frederici, Johannis, atque Alberti Marchionum Brandeburgensium, Frederici Magdeburgensis, Frederici Salzburgensis, Bremensis etiam Archiepiscoporum, Willermi Ducis Saxoniae, Jacobi Marchionis Badensis, Ludovici Lantgravii Hassiae, plurium quoque Praesulum nationis Germaniae, quorum epistolae lectae sunt mandataque inspecta. Johannes de Lysura pauca verba, ornata tamen, pro Maguntino effatus est. Nec aliis oratio defuit, sed unusquisque suo loco verbum fecit. Postquam omnes locuti sumus, Vicecancellarius Cardinalis Venetiarum primum omnium commendatis cum Rege omnibus divinae pietati gratias egit, quae deposita tandem neutralitate inclitam Germaniae nationem sedi apostolicae reintegravit. Orator Salzburgensis Archiepiscopi, etsi novissimus omnium Romam petiit, in tempore tamen venit, interfuitque tractatibus, & omnium gratior apostolicam sedem quibusdam pecuniis honoravit; cujus gravis tarditas acceptior fuit quàm nostra levis celeritas. Ut primùm verba finita sunt consistoriumque dimissum, ingens ac festivus campanarum sonus est auditus. Et quia jam nox adveniat, ignes tota urbe accensi sunt, praeceptumque est in crastinum omnis interdicta venditio & mercatum, diesque festus clausis tabernis & stationibus actus est. Sequenti vero Dominica processionem fieri solemnem placuit de sancto Marco, cujus planum parum à Capitolio distat, usque in Lateranum, portarique thiaram quam Sylvestro Papae dono dedit Constantinus. Haec diutius apud Constantinopolim delituerat. Postea per Romanos Pontifices redempta Avinioni degebat. Noviter enim illam sub pignore stantem lucratus Eugenius, afferrique Romam jusserat & inter reliquias apud sanctum Johannem condi. Mitra est oblonga triplici corona circulata. Margaritae illic nonnullique lapides splendent. Minimè tamen sunt quales vel in tuo diademate vel in apostolica mitra hodie cernimus. Neque enim adhuc pompam hujus aevi luxuriam adaequarat. Castior aetas praecessit. Majores nostri neque ornatui neque cibo ut nos indulserunt. Veniet adhuc lascivius saeculum, vitamque nostram minorum vitia commendabunt. Portata est igitur in processione corona Sylvestri, & apud Lateranum recondita. Ibi Morinensis celebravit; factusque est sermo, ac mirificè commendati Rex Romanorum suique Principes cum omni natione. Finemque illic solemnitas declarationis accepit. Et nos etiam sic secundae parti nostrae relationis modum imponimus, atque ad tertiam festinamus.

Ex magnis scopulis, Dive Cæsar, incolumis nostra navigavit oratio. Superest tamen adhuc undarum pelagus, stant adhuc venti, insultantque procellæ. Sed superabuntur omnia, & navis nostra salva perducetur in portum. Declaratione, ut dictum est, facta, plusculos dies Romæ remansimus, expeditionique litterarum intendebamus. Interea magis ac magis ægritudo Pontificis augebatur. Frigidus erat animus & ultra consuetudinem gravis. Hic pestifer seni fuit. Duplex illum febris urebat, vexabatque catharrus. Interdum & ventris fluxus impetuosior erat. Istis ille malis attritus sæpe nuntiabatur mortuus. Timor omnes curiales invaserat, metumque propinqui Regis Arragonum augebat. Mercatores pretiosa quaeque asportaverant. Tota in ancipiti civitas erat. Viae circumquaque praedonibus infestabantur. Apud Viterbium ex seditione civium nonnulli cæsi sunt. Vulsinii dominus cùm audisset hostem suum ex primoribus orbis Venetorum Roma reverti, insidias locavit, aggressusque hominem ex improviso, ex comitatu ejus plerosque truncavit. Illum pernix equus & admotum illi calcar salvavit. In eo congressu etiam sacerdoti amota est vita. Frequentes in terris Ecclesiæ novitates fuere. Nec enim boni sunt qui metu suas comprimunt manus, sed ut primùm sunt liberi, ad ingenium revertuntur. Recta ratio bonum virum, non timor, facit. Voluntatem, non opus, inspicit Deus. Sed nunc spes salutis, nunc mortis metum offerebat.

Interea Praesul Aquensis, qui ad Regem Franciae missus fuerat, Amedeique Ducis Sabaudiae, qui se Felicem appellat, concordiam pertractaverat. Scripsit etiam Eugenio venturum se Romam, resque optimas afferre, intellexisse tamen Januenses novitatem fecisse novumque Ducem elegisse, quod minimè Regi Franciae placeret, civitatem illam ad regnum pertinere, nec jus suum Regem neglecturum. rogare igitur Eugenium ne quid auxilii Januensibus daret, Regem autem in recuperatione suæ civitatis adjuvaret; sic illum animosiùs unioni daturum operam. Beneficium aut præcedat retributio aut sequatur oportet. Nemo cuiquam sine spe servire potest. Significavit etiam universitatem Parisiensem injussu Regis alia regni gymnasia litteris commovisse ad pacem ecclesiasticam, Concilii congregationem expetere; indignatum eo facto Regem universitatis oratoribus diù audientiam denegasse, tandem per consiliarios absque praesentia sua illos auditos, petivere plura in cassum, reprehensor fore quod inscio

Rege Concilium petierint, nec aptum illud unioni medium esse, Regi melioris vias patere, jamque in manibus penè unionem videri, postquam verò unio haberetur, pro caeteris Ecclesiae necessitatibus a Romano Pontifice Concilium expetendum.

Caeterum quia Januensium incidit mentio, dicendum quo res illa modo peracta sit. Januae Adorni praesidebant. Fregosii ejecti erant. Eorum Princeps Thomas, qui Dux secundus fuerat, in carcere tabescebat. Quaerebant Fregosii in patriam reditum; concitataque multitudine Regem Franciae in urbem recipiendum suadebant, ejusque oratores adesse curaverant. Multum enim illa civitas Franciae afficitur, quamvis est imperii. Et faveret imperio, si curam ejus haberet imperium. Fit igitur in civitate tumultus, Dux deponitur, qui ex domo Adorna fuerat, fit novus consultatus, introducuntur Fregosii, mittitur in carceribus Thomas, qui etsi omnium consensu Dux creatus, ea tamen animi moderatione utitur ut ducatum renuat, nepotemque suum florenti aetate sibi senio confracto praeferat. Felicem hominem licet dicere, qui dignitatem non admiserit, sed rejecerit. Bis Dux fuit, bis expulsus; ad extremum non ducatu abdicatus est, sed ducatum à se ipse abdicavit. Gallici, qui Regis Franciae legatione fungebantur, petere se ad dominatum admitti, regimen urbis dominationemque sibi deberi dicere jurgioque flagitare. Iis Fregosii gratias egere quòd recuperandae patriae adjutores fuissent, beneficium tamen non dominio sed alio privato officio recognoscendum dicebant. Nec deerant qui urbem imperialem, non Gallicam, dicerent. Sicque Janua prohibiti Francigenae sunt.

Dum haec aguntur, Franciscus Sfortia, qui Venetorum stipendiis multis annis meruerat, sive quòd Veneti ad retinendam Marchiam parum juverant, sive quod stipendiorum finierat terminus, sive quod eum ruinae soceri sui poenitebat, (sciebat enim quod illo succumbente nulli vel Principi vel tyranno in Italia locum patere, sed omnia communitatum futura) sive quod aliud fuit, occultos habuit cum Philippo Maria tractatus, revertique ad eum decrevit. Quidam Eugenium, quidam Regem Arragonum, quidam Marchionem Estensem Leonellum sui reditus impulsores putavere. Nonnulli etiam Florentinos in causam traxere. Nec enim tantum Venetorum successum Florentinorum reipublicae consulere suspicabantur. dominandi appetitum insatiabilem esse, nec vicino nec amico parcere, proximam quamque victoriam sequentis esse gradum, nec Longobardiam sive Thusciam satis firmam videri Venetis. Apud Italos non est probro duces armorum nunc istis, nunc illis servire. Temporaria stipendia sunt; quibus finitis, licet armigeris cui velint favere. Conventiones pactique capitula plura fiunt dum Capitanei conducuntur. Nullum de proditione licet arguere qui pacta servavit. Sed aperiendi sunt in conventionibus oculi. Licere Francisco Sfortiae sine violatione fidei suum Ducem repetere rumor erat. Jamque conclusum ferebant dum captus est apud Venetos unus ex Cancellariis ejus, qui tormentis adactus secreta Comitis pandere, quamplures cives senatorios fassus est pecunia Francisci corruptos. Atque inter hos Andreas Donatus Dux Candiae nominatus est. Ad quem intercipiendum missum retinere ferebat, nonnullos alios salutem fuga quaesisse. Hoc accessu Comitis vires Ducis admodum augeri sententia fuit. Marchia illum cedere dicebatur, pecuniamque Pontificis & Regis Arragonum ad centum millia aureorum recipere. Tunc etiam non parva fama fuit Ungaros insultare Austriae, tuaeque famae, Rex inclite, plurimum detrahebatur. Nos autem in consistorio secreto praesentibus oratoribus Principum Electorum aliorumque justitiam tuam Ungarorumque perfidiam exposueramus. Cardinales omnes de veritate instructos satis reddideramus. Quae autem dixi in scriptis habentur, nec opus est illa repetere. Sed obviavimus rumoribus quoad potuimus, nec te formidare Ungaros asseveravimus. Cardinales Bononiensis & sancti Angeli patres optimi, non quasi communes homines, sed quasi australes, tuum honorem tuumque decus tuebantur, & inanibus ibant tuis rumoribus obviam.

Post haec, cum desperata salus Eugenii videretur, coepit Archiepiscopus Florentinus, vir omnium judicio bonus, extremam unctionem afferre. Cui Pontifex: Quid est? Tu me inquit, inunges? Credis me tempus nescire. Satis ego adhuc sum fortis. Cum aderit hora, admonitum te faciam. Sile modò. Pugnabat adversus mortem intrepidus pater, anceps que diù praelium tenuit; nec medicorum satis erat certum judicium. Hoc cùm accepisset Alphonsus Rex Arragonum, Quid mirum, inquit, si Comitem Franciscum, si Columnenses, si me, si totam Italiam bello impetiit Eugenius, qui ausus est cum morte pugnare, nec facilè succubuit? At cum certa mortis signa supervenissent, accersiti sunt Cardinales; quos in hunc modum allocutus est Eugenius. Meum tempus meusque dies est, venerabiles amatique fratres. Moriendum est mihi. Nec de naturae legibus queror. Diù vixi, & honoratus. Utinam officio meo satisfecissem. Sed voluntatem magis quàm opera respicit Deus. Mihi pontificatus, etsi speranti, non tamen ambienti obvenit. Multa accidere adversa dum sedi praefuimus apostolicae. Non tamen idcirco minùs acceptos nos Deo credimus; quia quos diligit Deus, corrigit atque castigat; nec malè acta esse cum hominibus censuit qui cum fortunae varietate luctantur, sed esse arcanas causas ad quas nulla mortalium curiositas potest pervenire. Utcunque res hactenus transierunt, nobis maximum solamen est antequam oculos clauderemus reunitam Ecclesiam cernere. Hoc Frederico filio nostro Romanorum Regi, Theodoricoque Maguntino Archiepiscopo fratri nostro, & dilecto filio Marchioni Brandeburgensi adscribimus. Caeterum quia jam horae nostrae subripiuntur, modicumque vobiscum ero, quia vocor ad judicem Regem, & patrem, testari priùs volumus, testamentumque Domini nostri Jesu Christi vobis relinquere; qui transiturus ex hoc mundo ad patrem, *Pacem meam*, dixit, *relinquo vobis*. Ego vos omnes praeter unum Cardinales creavi, & illum unum quasi filium tractavi, amavique omnes, meique estis fratres. Obsecro, dulcissimi, servate vinculum pacis, diligite invicem, non sint inter vos schismata, adimplete legem Christi, & alter alterius onera portate. Mox vacatura est apostolica sedes. Scitis quem virum cupiat hoc solium. Eligite successorem qui me doctrina & moribus superet. Nulla vos affectio seducat. Non privatae rei, sed publicae consulite. Caeterùm si me audieritis, potius mediocrem virum unanimiter quàm praestantissimum discorditer eligetis. Ubi pax, ibi & spiritus Dei est. Nuper unionem effecimus. Sed radices schismatis nondum evulsimus. Cavete ne pullulet, ne germinet, ne vos ipsi fomentum scissioni praebeatis. Salva Ecclesia est, si concordes eritis; misera, si discordes. Sed ista circumspectioni vestrae magis paternè quàm necessariò dicimus, qui pro vestra prudentia non ignoratis quid Ecclesiae conveniat dignitatique vestrae. Verùm ne me mortuo de funere disputetis; quod in ceremoniis Pontificum scriptum est, id solum facite, nemo amplius agat, nec funus adornet meum. Absint pompae & inanis gloria sepulturae. Apud Eugenium III. humili loco sepeliri libet. Si quis impedimento fuerit, anathema sit. Excussit omnibus lacrymas. Cùm autem instarent plerique revocari ab exilio Cardinalem Capuanum, nequaquam obtinuere. Quod plerique sinistrè interpretati sunt. Absurdumque dicebant Romanum Pontificem etiam in extremis laborantem odii custodem esse. Sed interpretantur omnes malum quàm bonum facilius. Non enim erat odium in Pontifice; qui potestatem hominem occidendi habuit, pepercitque. Sed, Nescitis, inquit, quid petatis. Et vobis desiderium ejus & illi exilium magis convenit. Post haec inun-

To. 2. Oldoini pag. 889.

To. 2. Oldoini pag. 889. & To. vi. Ital. Sac. p. 439.

munxit Eugenium Florentinus. Ille in cathedra sancti Petri vitalibus exinanitis viribus invictum alterumque spiritum exhalavit. Corpus ejus balsamo conditum per integrum diem populo patuit, atque inde sepultus est apud sanctum Petrum in Vaticano juxta Eugenium III.

Vix Pontificem invenies sub quo plura & adversa & secunda contigerint. Is Concilium congregavit dissolvitque. Is bella quamplurima gessit, vicit, atque succubuit. Sententiam depositionis sub nomine Concilii adversùs se perpessus est. Ipse deponentes deposuit. Adversarium & competitorem in pontificatu habuit. Neutralitas en Pontifice res nova & inusitata cœpit. Perdidit Alemaniam & recuperavit. Graecos ad unionem redegit. Jacobitis evangelium ignorantibus legem dedit. Adversùs Turcas classem misit, Legatoque Juliano in Hussitas potestatem praebuit. Sigismundo Caesari prius bellum intulit, post diadema concessit. Archiepiscopos Episcoposque dignitate privavit. Nec Cardinales nec Electores imperii reliquit intactos. Sanctum Nicolaum de Tolentino canonizavit. Romae captus est, fugit, redit. Marchiam perdidit recuperavitque. Braccium Montonium in agris jacentem excommunicavit, mortuum absolvit. Johannem Vitellescum sublimem fecit, pòst cepit, qui mortem in carcere obiit. Bononiam recuperavit, pòst amisit. Regi Arragonum infestus fuit, pòst illi regnum confirmavit. Venetorum prius amicus, deinde suspectus haberi cœpit. Alti cordis fuit. Sed nullum in eo magis vitium fuit nisi quia sine mensura erat, & non quod potuit, sed quod voluit aggressus est.

Eo mortuo, affuerunt mox oratores Regis Arragonum, qui in hunc modum Cardinales sunt allocuti. Accepit majestas regia summi Pontificis obitum, doletque tanto patre orbatam esse Ecclesiam, facturumque hortatur collegium vestrum successorem illi uti dignum sufficiatis, vicinitatem suam nulli suspectam esse debere. Si quid vel juvamenti vel tutamenti ad liberam Pontificis electionem conferre potest, in promptu est. Quicquid jubetis lubens faciet. Iis actae sunt gratiae.

Cardinales novem diebus exequias celebrarunt. Has summo mane apud sanctum Petrum habebant. Postquam pransi fuerant, apud Minervam conveniebant rei publicæ consultari. Cardinalis Capuanus ut audivit Eugenium mortuum Romam venit, magnoque populi ac cleri favore exceptus est, exequiisque interfuit, & pro illo preces effudit qui ipsum in exilium miserat. Magni consilii vir fuit multarumque litterarum, aetate ac moribus maturus. Multi

To. 2 Olsin. pag. 903.

papatum illi auspicabantur. Sed non quae populi est opinio, eadem est senatus. Raró vulgus cum sapientibus sentit. Pauci ex Cardinalibus remotiores illo fuerunt a summo pontificio. Is post electionem factam in morbum incidit, Eugeniumque secutus est. Ejus ædes Cardinali sancti Angeli non minori hospiti obvenerunt. Sic dum sibi ædificare homines putant, alienis construunt, nec heredem suum quisquam potuit scire. Incerti sunt & vani cogitatus nostri. Non quod sapienter, sed quod feliciter cogitamus impletur.

Eugenio duo sermones facti sunt. Alterum Malatesta quidam ex genere Auditorum, alterum Cardinalis Bononiensis fecit, prima & ultima exequiarum die. Ille vitam Eugenii commendavit, hic obitum. Ille qualis fuerat Eugenius enarravit, hic qualis eligi deberet successor edocuit. Comminatus est extremum judicium Cardinalibus, si amore, si odio, si aliquo affectu indigno in electione uterentur; tantaque vehementia locutus est ut angelum non hominem sermocinari putares, pluresque sibi summum pontificium augurarentur.

Interea portarum custodia curialibus commissa fuerat. Capitolium procurator ordinis Primenorum custodiendum accepit. Castri sancti Angeli minimè mutari custodiam placuit. Conclave apud Minervam haberi decretum est, quamvis jus canonicum in eo palatio haberi mandet ubi mortuum Pontificem constat, quód eo tempore minus tutum videbatur. Barones Romani ad futuram electionem Pontificis videndam quamplures convenerunt, qui mox abire jussi sunt. Prohibiti cæteri ne venirent. Timebant enim Cardinales ne Barones impetum facerent, vique Papam quem vellent sibi extorquerent, aut alio modo electionem macularent. Stante namque adhuc radice schismatis, non solum maculas electionis, sed macularum quoque suspiciones fugiendas esse arbitrabantur. Nemo acerbius excludi tulit quam Baptista Sabellus homo nobilis & senio gravis, qui jus sibi observandarum clavium conclavis secreti competere asserebat, atque hoc defunctum honore libenti se animo moriturum ajebat. Sed frustra questus. Privatam causam publicæ oportuit cedere. Romani tempus nacti pluribus se levari oneribus obtinuere.

Conclave in dormitorio Prædicatorum Minervæ constructum est. Ostium primum quatuor Prælatis commissum est, qui quatuor claves habuere, Archiepiscopus Ravennas, Anconitanus, Aquilanus, & Senocensis Episcopi. Hi quoque sub duabus clavibus tenebantur. Alternatim nos cum oratoribus Regis Arragonum, Regis Cypri, & Anconitanorum hat observavimus. Statio nostra in Campidolio fuit. Rursus aliud erat ostium quod nos claudebat. Hujus custodiam procurator Rhodiorum habuit.

Finitis exequiis, decima post obitum Eugenii die Cardinales apud Minervam hora vespertina convenerunt; receptisque juramentis fidelitatis ab officialibus quibusque, cum processione & invocatione sancti spiritus humi deflexis capitibus atque oculis conclave sunt ingressi; reclusisque clavibus, cellulas non ligno sed panno clausas habent, parietes omnes lanei, audire quicquid inter sese agatur possunt. Nullum ibi lumen nisi commentitium. Loca cellarum sorte deliguntur. Post per se quisque ornat suam. Quidam rubeis, quidam viridibus pannis tabernaculum sibi faciunt. Solus omnium Cardinalis Bononiensis suam cellam albo vestivit. Forsitan nec purior nec mundior cujusquam erat mens. Nec enim ante illam diem extorquere quisquam ex eo potuit votum ejus.

Capella in conclavi fuit, ubi communis Missa celebrabatur. Ea finita, soli Cardinales inter se scrutinium habebant. Octo & decem fuerunt numero. Nec papatus ulli venire poterat nisi duodecim votis experito. Quamvis sint qui jure licere dicant electi quoque vocem facere numerum.

Lex est Cardinalibus prioribus quinque diebus quæcunque velint cibaria tradi, exin triduo unicum dumtaxat ferculum, sive assum sive elixum magis cupiant, post solum panem vinumque permitti. In conclave licet Cardinalem duos famulos habere, Cappellanum Scutiferumque. Ultra hos nemo intromittitur, nisi Sacrista & duo ceremoniarum clerici, quibus post electionem lucro est cella novi Pontificis & quod illic ornamenti est. Cibaria in cornuta feruntur clausa. Sed aperiuntur ante ultimum ostium per quatuor Praelatos, inspiciunturque, ne quid literarum armorumve feratur. Cornutarum nomine nihil aliud intelligas quàm cistas ligneas depictas & armis cujuslibet Cardinalis ornatas. Intus fercula reconduntur. Duo scutiferi unam perticam suspensam portant. Alii bini praecedunt. Sequuntur in processione Episcopi caeterique clerici de familia ejus Cardinalis cujus cornuta fertur. Tot funera duci credas quot cornutae Cardinalesque sunt. Usque adeo miseros curiales adulandi consuetudo illexit ut cum Cardinalibus nequeant, cornutis assententur; atque illas nihilo minus quàm Cardinales honorant. Duae his in rebus risu dignae visae sunt ceremoniae. Haec una. Altera, quoniam media hyeme sub pyra, quam doloris castrum appellant, quatuor lugubribus induti vestibus flabellis quae non adsunt muscas expellant, ventulumque non praesenti Pontifici faciunt. Alterum superstitiosum dixerunt qui-

quidam, alterum aliud. Nos utrasque ceremonias ab Ecclesia secludi vellemus, quam puram & immaculatam esse praedicant. Sed concedendum est aliquid consuetudini. Illud admodum placuit nobis, quoniam singulis diebus processio sacerdotum circa conclave fuit, summis precibus spiritus sancti praesentiam electioni deposcens. Nec enim abesse solet cum sincera mente deposcitur ille, sed ultro vocantibus adest, opusque dirigit. Is & orationis nostrae tertiam partem in finem perduxit. Sic & ipse quartae & ultimae partis dirigat, tuasque aures, Caesar clementissime, benignas praebeat. Si quid est enim de his quae diximus quod pietati divinae tribuendum putes, hoc quod restat maximè Deo imputandum est. Bene mehercule atque verè Cardinalem Portugalensem dixisse constat. Is ut est voce quàm cruribus ac tibiis robustior & lingua quàm corpore agilior, cùm locum electionis exiret, impedimentoque parvo cespitans cecidisset, interrogatus an Papam Cardinales fecissent. Non, inquit. Cùmque instarent famuli, factumque à Cardinalibus Papam contenderent, sic enim antestari alios aiebant. Nequaquam, inquit, fecimus Papam; Deus fecit, non nos. Audi ergo, Caesar invictissime, opus Dei, opus sanctum, opus mirabile, spiritus sancti jam secreta pandemus. Quae ultimae orationis nostrae servavimus, ut magis haereant quae novissimè exeunt.

Oldoin. to. 2. pag. 949.

Cum intrarent Cardinales conclave, communis opinio fuit Prosperum de Columna summum pontificium adipisci. Sed proverbium Romanorum est exire Cardinalem qui Pontifex intrat conclave. Sic illi obvenit. Sed vir magnanimus altique cordis summum etiam pontificium spernere potuit. Nec enim illum spes erexit, nec dejecit desperatio. Nobilitate, moribus, & scientia papatu dignus, hoc uno dignior quia contempsit. Dum scrutinium papatus fieret, favebant huic Aquilegiensis & Morinensis Cardinales & alii quamplures. Vicecancellarius & Tarentinus alium quemvis quàm hunc malebant. Simultates autem fuisse & urbis divisiones. Duo scrutinia feruntur habita. In primo Cardinalis de Columna decem, Firmanus octo, qui nunc Pontifex, quinque, alii alia habuerunt vota. Portugalensis & sancti Pauli Bononiensem superarunt. Sed nullus ad papatum satis vocum habuit. Per eam diem, quae dominica fuit, varii inter Cardinales fuere tractatus. Quidam Columnensi favebant, quidam summis conatibus obviabant. Ipse in utramque partem armatus erat.

Ventum est die lunae ad scrutinium secundum. Quamplurimi extra collegium voces habuerunt. Archiepiscopus Beneventanus Florentinusque nominati sunt; Correctoremque & Nicolaum de Cusa nonnulli vocabant. Sed superavit omnes Cardinalis de Columna, qui etiam hac die decem votis flagitatus est. Bononiensem solùm tribus vocibus expetitum ferunt. Morinensis vero ubi Prosperum apostolatui proximum vidit, Quid, inquit, Reverendissimi Patres, tempus terimus? Nihil Ecclesiae periculosius est cunctatione nostra. Urbs anceps est. Rex Arragonum muris imminet, Amadeus de Sabaudia nobis insidiatur, Comitem Franciscum hostem habemus, hic multa incommoda ferimus. Quin Pontificem citius eligimus. Ecce angelum Dei Cardinalem de Columna mansuetum agnum. Quin hunc Papam assumimus? Decem habet vota, duo absunt. Quin consurgitis, vocemque hic afferetis? Acta res est. Si unus accedit, non deerit alter. Stabant omnes immobiles. Tum Bononiensis, ne longior mora Ecclesiae noceret, assurgens Columnae Cardinali accedere voluit. At Tarentinus veritus quod erat futurum si ille accessisset, Siste, inquit, paulisper Bononiensis. Caecum est festinantis consilium. Grandem rem agimus, nihil tardè fit quod bene fit. Pervestigemus rem altiùs. Non qui villae uni praesit, sed qui totum regat orbem, qui caelum claudat & aperiat, qui liget & solvat, & alium in terris Deum electuri sumus. Nunc examine, nunc consilio est opus. Parum vidit qui cito vidit. Tum Aquilegiensis: Omnia quae dicis, Tarentine, eo tendunt ne pontificatum Columnensis habeat. Si tua ex sententia Pontifex fiat, non incusabis celeritatem. Non consultantis est sed nolentis diutina deliberatio. Dic obsecro quem vis Papam? Tunc ille, Bononiensem, inquit, vellem, eumque nomino. Placet & mihi, Aquilegiensis respondit. Accedit Morinensis, accedunt & alii. Repentè ad XI. voces pervenitur. Exit Cardinalis sancti Sixti. Et ego te, inquit, Thoma, Pontificem facio. Nam & vigiliam hodie beati Thomae facimus. Mox alii omnes factum probaverunt. Ille postquam diu in cassum se excusavit, imperfectumque suum testatus est, Cardinalium precibus acquievit; induensque pontificale, nomen sibi Nicolai V. ob reverentiam sui sanctissimi Patris Nicolai Cardinalis sanctae crucis adoptavit. Exacta jam hora sexta in nonam ferebatur dies; apertaque conclavis fenestra, Cardinalis de Columna Prior Diaconorum crucem pontificalem emisit, creatumque Papam populo acclamavit. Altus erat locus, nec Cardinalis de Columna agnosci nec vox bene exaudiri poterat. Exit rumor Cardinalem de Columna creatum Papam. Tum rupti repentè cancelli. Ursini arma domi jam recipere atque ad tuenda sua festinabant. Populus hilaris, quia Romanum haberet Papam, & Columnenses salutationibus, risibus, vocibusque gaudium exprimebant. Alii domum ejus praedae exposuerunt. Ubi seductus is rumor est, Cardinalis quoque Capuani diripiunt domum. Atque inde agnita veritate Bononiensis bona susceperunt, sed admodum pauca. Hoc pauperi beneficium est quod pauca potest amittere. Rex Arragonum haud libenter hanc promotionem accepit. Columnensi namque affectus erat.

Hic novus Pontifex rupto muro conclavis in Ecclesiam deductus est, & ante majus altare collocatus; ibique sibi omnes Cardinales obedientiam praestiterunt. Post haec ascendens equum niveum, qui ad hunc usum paratus erat, ad sanctum Petrum perrexit. Equum ducebat Procopius senator, & alii oratores qui aderant Regum & Principum. Ingens ubique populi multitudo fuit, nec ab osculo pedum magnis percussionibus prohiberi vel viri vel feminae poterant. Ferventiora sunt omnium rerum principia. Tempore frigescit caritas. Rursus Cardinales in sancto Petro obedientiam exhibuerunt. Atque tandem fessus fractusque Pontifex totaque immutatus facie in palatium deductus est. Accessimus etiam eum die illa, quamvis importunum erat tempus. Is ubi nos vidit, surgens amplexum dedit, vixque pedum permisit oscula. Pauca pro tempore diximus, te gavisurum assumptione sua, ut commendatum haberet supplicavimus, bene Ecclesiae & imperio fore si duo mundi capita invicem se diligerent. Familiariter & benignè, ut solebat, respondit. Et quia confirmationem Eugenii petiveramus, Ego, inquit, quae cum natione Germanica meus antecessor fecit non solùm approbare confirmareque volo, sed exequi & manutenere omnia. Nimis, ut mihi videtur, Romani Pontifices fimbrias suas extenderunt, qui nihil jurisdictionis caeteris Episcopis reliquerunt. Nimis quoque Basilienses apostolicae sedis manus abbreviaverunt. Sed ita evenit. Qui facit indigna, ut injusta ferat oportet. Arborem quae in unam partem pependit qui volunt erigere, in partem adversam trahunt. Nobis sententia est in partem sollicitudinis qui vocati sunt Episcopos suo jure minimè spoliare. Sic enim jurisdictionem nostram nos denique servaturos speramus, si non usurpaverimus aliena. Rogavitque nos ut ad coronationem suam maneremus, quam in Dominica *Laetare* facturus erat.

In ea quae secuta est nocte maximi facti sunt ignes. Castellanus sancti Angeli venienti ex Minerva Pontifici supra pontem obvius venit, arcisque tutissimae claves restituit, contraque datas recepit. Hanc tamen postea, sicut accepimus, arcem procurator custodiendam accepit. Tota curia totusque orbs ex hujus assumptione Pontificis laetata est. Fuerunt qui

alium

alium Cardinalem, à quo majora ſperabant, Pontificem factum magis optaſſent. At hunc Papam nemo invitus vidit. Nemo ex Cardinalibus fuit praeter hunc noſtrum quem non aliquod excluderet odium. Alium Urſinenſes, alium Columnenſes, alium Veneti, alium Mediolanenſes, alium Gallici, alium Cathalani formidabant. Et tamen unum ex his quem habituri erant inimicos improvida mens mortalium diligebat. Sed conſcius omnium rerum paraclitus hunc accepit, hunc praefecit quem amaturum ſciebat omnes. Vidit ſcrutator cordium Deus in hoc patre ſummam humilitatem, hanc exaltavit. Vidit ſingularem juſtitiam, hanc praemiavit. Vidit praecipuam humanitatem, hanc amavit. Vidit prudentiam grandem, hanc delegit. Vidit ingentem magnitudinem, hanc probavit. Vidit ſcientiam profundiſſimam, hanc Eccleſiae ſuae ſponſae praefecit. Vidit exuberantem eloquentiam, hanc neceſſariam in Pontifice maximo judicavit. Neque enim una vel altera doctrina callet, ut quidam ex noſtris, qui una & hac minus nota ſcientia ſuperbientes contemnunt cæteras. Artibus ſeptem quas liberales vocant ſic à puero imbutus eſt ut omnia praeſentia ſint. Philoſophos omnes novit, hiſtoricos, poetas, coſmographos, theologos. Nam & ſacris artibus initiatus eſt. Juris civilis & pontificii notitiam habet, nec medicinam ignorat. Extra ſcientiam eſt hominum quicquid illi occultum eſt. Provincias plurimas peragravit, Principes Chriſtianae reipublicae majores adivit, in rebus maximis verſatus eſt, & domus & civitatum regimina eſt expertus. Quòd ſi unquam ſperare beatam Eccleſiam futuram licuit, ſub hoc Pontifice ſpes iſta florebit, quoniam rectorem ejus ſapientiae ſtudere contigit. Nunc vulgò dicitur excluſis vitiis, virtutes & doctrinas imperium habituras. Origo illi ex Sarzana eſt. quod Jannenſium eſt oppidum in Thuſcia juxta Liguſticum mare, ubi nunc ſedes Lunenſis eſt. Honeſto loco natus eſt. Majores ejus quidam ex Luca, quidam ex Piſis profectos Sarzanam aiunt.
Vide vitam Cardinalis Capranicæ pag. 177. Armis in pontificatu nullis uti vult niſi quibus Eccleſia utitur. In craſtinum electionis ſuae duos Cardinales ad Regem Arragonum tranſmiſit, Vicecancellarium & Camerarium. Ille contrà quatuor ad ſummum Pontificem oratores deſtinavit, qui publicè ſic concionati ſunt. Gaviſa eſt regia ſerenitas ex tua promotione, ſanctiſſime Pater. Nam & ſibi & toti Eccleſiæ exinde bene ſperat. Commendat ſe tuæ ſanctitati, & offert regna & arma. Coronandum te ſcit. Et quia nequit adeſſe, miſit nos venire ſuoque nomine coronationem honorare. Hilari fronte hos excepit Pontifex, gratiaſque Regi & oratoribus egit.

Ubi dies coronationis advenit, adfuerunt omnes urbis Barones, circumvicinæ civitates legatos miſere, multi ſua ſponte venerunt. Ingens hominum multitudo ad ſpectaculum confluxerat. Cives ubi tranſiturus Papa fuit vias quaslibet pannis adornarunt & texerunt. Summo mane res cœpta eſt. Crucem ante Pontificem, Æneas Picolomineus portavit, in Diaconorum receptus ordinem. Epiſtolam unus e comitibus Latinè & alter Græcé decantavit. Cardinalis ſancti Angeli evangelium Latinè, & Abbas quidam Græcè. Miſſam ipſe ſummus Pontifex celebravit. Aquam ter recepit. Primam orator Cypri, ſecundam orator Regis Arragonenſis, tertiam orator imperialis Procopius Miles dedit. Ibi Cardinales omneſque Prælati obedientiam Papæ praeſtiterunt. Quamprimum autem Eccleſiam intravit, ante portam Canonici idem fecere. Acclamatum eſt ibi juxtà corpora beatorum Petri & Pauli: *Nicolao V. à Deo decreto ſummo Pontifici & univerſali Papæ vita*, Lectiſque letaniis per Cardinalem de Columna, gradatim per ſanctos quoslibet acclamatum eſt: *Tu illum adjuva*. Qui acclamant ſunt Auditores, Advocati, Secretarii, Acolythi, & Subdiaconi. Similis acclamatio fit in Eccleſia Lateranenſi. Ubi Miſſa finita eſt, ad pulpitum itur quod in gradibus prioribus eſt ante veſtibulum templi. Illuc ſolus aſcendit Papa cum Cardinalibus, Æneaſque cum cruce, & clerici ceremoniarum duo. Ibi rurſus præſtita per Cardinales obedientia. Primus Diaconus Cardinalis de Columna, acclamante univerſo populo *Kirie eleiſon*, coronam capiti ſacrato impoſuit. His peractis, Prælati, Baroneſque in equis. Sed Abbates, Epiſcopi, Cardinales, equis albo veſtitis inſident. Tria ante Papam vexilla feruntur & umbraculum unum. Corpus Papæ ante proceſſionem portatur, multaque circum luminaria. Roſam auream in manu habet Pontifex ſiniſtra, dextra populo ſe benedicere innuit. Equum ejus per vices ducebant nunc Procopius, nunc Arragonenſes, nunc Barones.

Apud montem Jordanum Judæi legem Pontifici tradiderunt; quam ille non damnavit, ſed interpretes.

Sic itum eſt ad ſanctum Johannem; ubi multis peractis ceremoniis, illæ fuerunt ultimæ, quia Prælatis & oratoribus pecuniae datae ſunt, Cardinalibus argentei duo, unus autem aureus, & aliis aureus & argenteus. Longum jejunium longamque vexationem haec pecunia penſavit; quae eo dulcior fuit quia cum fine laborum venit. Apud Lateranum ſolemne palatium eſt & inſigne clauſtrum monachorum, quod Eugenius reparator aedificiorum urbis etiam communique monaſteriorum ſtruxerat. Papa in palatio, Cardinales in clauſtro comederunt. Noſque Cardinalis ſancti Angeli hoſpites habuit. Poſt prandium per eandem viam reditum eſt ad ſanctum Petrum jam nocte. Mandaverat Pontifex te ut ſaepe accederemus. Paruimus non inviti. Litteras confirmationis geſtorum per Eugenium petivimus, obtinuimuſque gratias pleraſque quas pro nobis & pro amicis petivimus. Interdum annuit, interdum negavit. Sic locutus eſt ut non ſe difficilem, ſed nos injuſtos oſtenderet. Nempe Æneam nulla negatio laeſit niſi quae Johanni Campiſio ſecretariatum negabat. Non tamen Pontifici ſed amicitiae quod imputaret erat. Poſtquam coronationis litteras Regibus ac Principibus ſcribi juſſit, id inſeri omnibus voluit, ſe cameram apoſtolicam ad inſtitutum veterem reducturum. Dixit & nobis ſe nolle prioribus exactionibus uti, cauſaſque illarum bella & magnas expenſas reſtrictuturum. Qui exponit, inquit, & ubi non debet recipere cogitur. Ita eſt equidem. Rapit impiè qui donat ſuperfluè. Et recipientis & dantis moderandae ſunt manus. Poſt coronationem rurſus alii Regis Arragonum oratores venerunt. Tres curiae ſuae majores ſunt Comites, quoque Milites, quorum unus etiam Doctor fuit. Hi publico in conſiſtorio obedientiam ſolemnem Nicolao Pontifici praeſtiterunt. Orationem habuit unus ex eis, qui ſaepius ceſpitavit. At Pontifex paululum moratus tam ornatè tenuitioveque reſpondit ut omnes in admirationem ſui converteret. Poſt haec advenerunt Peruſini. Orationem jureconſulto dignam habuerunt. Sunt Peruſinis, uti manus, ita ingenia prompta. Advenerat Romam adoleſcens quidam ex Peruſinis exulibus anno XVII. natus, egregia indole. Laurentium, ni fallor, vocabant. Is etiam oratione ornata gravique ſummum Pontificem adorſus eſt. Memoria illi æterna fuit. Nihil Ciceronis incipi poterat quod ille non proſequeretur. Favet ingeniis Nicolaus, adoleſcentique benefacturus creditur. Nam & Ferrando Hiſpano ſumma doctrina juveni initio ſui pontificatus pingue beneficium contulit.

Expectavimus ſubinde Legati ad Germaniam venturi creationem; interrogatique ac juſſi opinionem dicere, Cardinalem ſancti Angeli commendavimus. Papa etſi illo propter res Hiſpanicas aegrè careret, nationi tamen Germanicae voluit complacere. Quo Legato pronuntiato & per Cardinales, ut moris eſt, domum uſque aſſociato, itineri nos accinximus; expeditiſque litteris III. Kal. Aprilis ex urbe receſſimus. Oratores Florentinos ad primum lapidem obviam habuimus, Senenſes in Vulſinio reperimus, Bononienſes parum citra Florentiam. Majorem hebdomadam & Paſcha alter noſtrum Senis alter Florentiae fecit. Florentini adverſus Senenſes repreſalia con-

concesserant. Eam ob causam salvam conductum Æneas petebat, jussusque erat unus ex familia Pii Ottis illum conducere. Sed illo ad diem non veniente, jussis familiaribus sequi mutatis vestibus, Æneas solus praecessit, ejusque in via famulum qui ad se veniebat invenit. Sic expectatis familiaribus Florentiam venit. Inde similiter fecimus. Apud Tianum, quod moderni Tagleamentum vocant, ingens discrimen evasimus. Solutis in Alpibus nivibus magnaque pluvia inundaverat fluvius. Peregrini quamplures aderant tranare cupientes. Equi & homines simul vehimur. Ubi ad eurlum navis venit, velocior sagitta in ripam fertur. Peregrini submergi timentes in terram saliunt, cordaque navis percussi omnes prostrantur; dumque periculum fugiunt, magis incidunt. Quamplures tibias brachiaque laeserunt; parumque absuit quin inter navem ripamque comprimerentur.

Post XII. Kal. Maii ad te reversi sumus. In via percepimus oratores Venetorum Philippique Ducis Mediolani Romam missos, similiter & Januenses. Papa, sicut nobis dixit, nisi vult pacem Italiae componere. Irritati animi sunt. Fama erat Delphinum in Italiam venturum opemque Philippo laturum. Erant & qui Ducem Sabaudiae in partibus Philippi dicerent. Sed vincit omnia diligens cura. Saepe res fieri vidimus eum minimè sperarentur. Multa huic Pontifici fortunata cesserunt. Forsitan & hoc sequetur. Nempe dum Romae fuimus quamplures Hispanos, Cathalanos, Gallos, Germanosque vidimus qui mores curiae detestabantur, recessurosque dicebant, qui postea sub moderno Pontifice nec si pellerentur abituros se affirmant. Sic probitas hujus partis omnes allexit. Aquensis Archiepiscopus & orator Regis Renati nihil se dubitare dicebant quin Rex Franciae totaque Gallia modernum Pontificem sequerentur.

Hae sunt Italiae res quas nostra in legatione vidimus, audivimus, fecimus. Si mandatis tuis rite paruimus, si bene acta res est, Deo gratias referto, qui tuos dirigit actus, praeteritoque & praesenti Pontifici votivam expeditionem adscribito, qui te amantes nil tibi potuerunt non concedere. Si quid erratum est tuaeque contraventum voluntati, ne malitiae, ne desidiae, sed ignorantiae atque imbecillitati deputato. Nos certè in recessu nostro ex liberalitate summi Pontificis centum aureos, qui nos in via laetificarent, accepimus. Tuum est nunc promissa servare, renovare salvum conductum, innovare declarationem, mandare omnibus ut Pontifici obediant Nicolao, Legatum, eum advenerit, honorificè suscipere, & in his quae restant agenda juvare. Haec si feceris, observator non violator promissorum judicaberis, (Nam quae promisimus te obligant) animosiores qui tibi adhaereant facies, schismati viam praecludes, neutralitatem, quam difficulter exivisti, non reintrabis, terror eris aemulis tuis, & Ungaris maximè, Papam tibi affectuosissimum reddes, & ad suscipiendam coronam imperii iter habebis apertum. Dixi.

Æneae Sylvii Picolominei Senensis coram Divo Caesare Frederico tertio facta oratio explicit, quam id in orator in gratiam Nicolai V. compilavit eique misit, aliam quoque huic similem Regi serenissimo praesentavit. Ex tunc electus Tergestinus Episcopus in partibus Austriae, post vero Senensis Episcopus, ac demum à Calixto III. Cardinalis creatus; quo defuncto, summi apostolatus apicem adeptus, nomen sibi Pii II. assumpsit, coronatus Romae tertia Septembris die anno Domini MCCCCLVII.

BAPTISTÆ POGGII

AD R. P. D.

CARDINALEM PAPIENSEM

CARDINALIS FIRMANI

vita incipit feliciter.

PRÆFATIO.

CUm multos nostra & majorum memoria fuisse constet qui maximis in rebus domi forisque summa cum laude sint versati, soleo plerunque eorum, ut ita dicam, infelicitatem mecum ipse reputare quòd nulli aut admodum pauci sint inventi quorum vitam aliquibus litterarum monumentis illustrare contigerit, cùm tamen plurimos doctrina & ingenio praestantes habuerimus, qui in eis hominibus recensendis ingenium exercere potuissent. Verùm ii, nescio qua spe ducti, aut illa antiqua repetere aut haec omnino tacere maluerunt. Quòd si illorum fuit judicium non fuisse ullos dignos quorum vita merito litteris mandari à doctis viris potuerit ideoque vel nullam vel omnino parvam ex iis quae scriberent gloriam se sperabant consecuturos, equidem meo judicio plurimùm errasse deprehendentur. Neque enim video cur Franciscus Petrarcha, Dantes, Boccacius, ut alios praeteream, multorum qui & ante se & suis temporibus floruerunt jure vitas scribere non potuerint, si vera sunt quae ipsi de nonnullis breviter tradiderunt, aut quamobrem Leonardus Aretinus, qui Francisci Petrarchae, Iannotius, Manettus Nicolai quinti, Facius Alphonsi, Campanus Brachii, Platina Pii ac Victorini vitas eleganter summaque cum doctrina memoriae mandaverunt, sua gloria potiùs sint fraudandi (invidia & livor absint) quàm ex Latinis Spartianus, Lampridius, Suetonius; ex Graecis vero Laertius, caeterique qui antiquorum vitas ac gesta copiosissimè perscripsere; aut quamobrem qui ex nostris clari inter alios excelluerunt, non eandem atque illi gloriam benefactorum dictorumque sint habituri. Quis est enim ita malevolus qui & eorum quos commemoravi & multorum aliorum virtutes, quae plurimae sunt, mores, doctrinam, gesta indignas doctorum virorum commemoratione dicere audeat? ita etiam fastidioso stomacho ut ea referri aliquando aequo animo non patiatur; quandoquidem in dies Neronis, Caligulae, Commodi, Heliogabali, & similium portentorum memoriam refricari auribus suis non solùm non molestè ferant, verùm etiam libenter audiant. Equidem haud abnuerim, quòd ipsi saepius afferre solent, illorum temporum magna ingenia, maximis etiam in rebus versata, materiam scriptoribus uti amplam, ita & admirandam praebuisse; nec eo inficias quàmplurimos ex illis omni virtutum genere excelluisse. Illud tamen affirmo, fuisse multos ex nostris, sive ii domi sive foris sint versati, qui nequaquam vel rerum gestarum gloria, vel doctrina, vel sanctitate vitae multis, quos ipsi summis laudibus prosequuntur, postponendi viderentur, si modo ea scriptorum ingenia nacti forent. Quis enim est qui Albertum Magnum, Thomam Aquinatem, & item Ægidium Romanum, multos praeterea philosophos, à quibus tam virtutum quàm doctrinae omnia exempla capi potuissent, Xenocrati, Diogeni, Chrysippo, & aliis hujusmodi non anteponat? Quis Federicum Barbarossam, Gottfredum Bulionium, Tambellanum Xerxi, aut Cyro, aut Pyrrho, de quibus tam multa feruntur, comparandos negabit? Quis Galeazum Virtutum Vicecomitem ac Philippum Mediolani Ducem, ut alios penè innumerabiles praeteream, indignos judicabit quorum facta celebrari à scriptoribus debeant? Igitur cùm multos habuerimus quorum vita omni laude & veneratione sit censenda dignis-

dignissima, in iis vero nostra aetas Dominicum Capranicensem Cardinalem Firmanum, virum vitae exemplaris, integritate, fide, doctrina singulari, tulerit, ejus vitam literis mandare institui; non quod illi immortalitatem meis scriptis pollicear, quam sibi ipse sanctissimè acta vita comparavit, (id enim majoris foret ingenii) sed ut ejus laudem jam propè senescentem, quantum ego possem, à silentio vindicarem; simul ut alios, qui multi sint, ingenio & doctrina praestantes ad haec aggredienda invitem. Nam si quisquam, non solum iis temporibus, sed multo etiam superioribus fuit cujus vita recenseri à quoquam & laudari merito possit, hic est profecto. Nemo enim illo castior, nemo sanctior, nemo denique omni virtutum genere fuit ornatior. Non tamen in ejus explicanda vita sectari minima quaeque est animus, quod multos ex antiquis illis fecisse legimus. Nam & infinitum esset opus; & multa de ipsis scripta libenter audimus quae de nostris non sine audientium stomacho à nobis recenseri possent. Te vero, Reverendissime Pater, potissimum elegi ad quem hoc quicquid est operis mei destinarem; quod & me tibi plurimum debere cognosco, & cui aequius ea dedicem non video quàm ei qui & dignitate par illi nunc est, & cum eo quondam familiarissimè in omni vita vixit, multarumque ejus viri virtutum tamquam hereditarium munus suscepit. Te namque solum docti homines his temporibus patronum habent. Tu unus eos amplecteris, foves, ac tua liberalitate sustentas. Tu humanitatem conjunctam dignitati possides: Tu omnem fastum, omnem superbiam contemnis. Tu mitis, tu placidus, tu comis, omnes excipis & alloqueris. Quare cum aliquando curis quas secum ista dignitas afferre solet & negotio vacaveris, haec percurres; quae si tibi probata esse cognovero, est quod plurimùm gaudeam. Perspexi enim tuam in me benevolentiam, novi doctrinam, novi judicium animi tui; nec invidorum aut malevolorum morsus pertimescam: quin potius hoc meo studio & labore delectabor, quo memoria viri optimi ac sanctissimi aliqua ex parte renovari videbitur, & alii multi excitari, qui vel haec eadem copiosius elegantiusque rescribant, quò Latina lingua abundasse praeclaris ingeniis nostra tempestate aliquando judicetur, vel multos praestantes viros meritis laudibus prosequantur; quorum praeclarissimè amplissimèque acta vita ad hanc diem proprio honore fraudata, si celebrata à scriptoribus fuisset, non omnino antiquis illis quos tantopere admiramur, dissimiles domi forisque crederemur.

DOMINICI CARDINALIS

Capranicæ vita incipit feliciter.

I. DOminicus anno salutis millesimo quadringentesimo pridie Kalendas Junii natus est. Patrem habuit Nicolaum ex familia Capranicense. Hoc sub parente piè & castè nutritus, primam infantiam transegit. Mox, aetate adhuc puerili, ad litteras addiscendas addictus publicis sub praeceptoribus, grammaticae, inde rhetoricae operam dedit; tantumque in iis studiis profecit quantum & ejus aetas tenera & adhuc rudis conditio temporum ferebat, quibus nullo aut parvo pretio eloquentiæ studia ad eam diem fuissent. Id tamen est assecutus, ut si illum licuisset in iis studiis perseverare, eloquentem fuisse evasurum ex iis quæ postea scripsit appareat. His ergo studiis peragratis, ad jus civile & pontificium animum adjecit. Igitur Patavium profectus, biennio Julianum Cæsarinum audivit, virum uti doctrina, ita vitæ sanctitate venerandum, quicum postea Cardinalis est creatus. Intellecta deinde Johannis Imolensis fama, Bononiam concessit, & illum continuum triennium audivit tanto studio ut numquam scholam eo absente ingrederetur. Ita verò illum toto eò tempore observavit ut ab ejus latere numquam ferme discederet; & aliquando Johannem ad amicos conversum dixisse ferant, vel se omnino falli, aut videre adolescentem magno sibi honori futurum. Fuit enim illi a pueritia ingenium perspicax, lingua acuta & prompta, judicium incorruptum, præterea studiorum tanta cupiditas, ut plerunque vel totas noctes insomnes legendo transigeret; si quando vero somno vinceretur, sedens capite ad parietem reflexo per horam dormire consueverit. Ita cùm eo tempore tantum profecisset ut nulli ejus sectae secundus haberetur, insignia iis qui ad extremum studiorum tantorum pervenerint concedi tamquam emeritis solita accepit, annos natus viginti duos; statimque acceptis litteris à Martino quinto, qui ex Concilio Constantiensi rediens Mantuæ subsisterat, ad illum proficiscitur, à quo Cameræ Clericus est factus. Est autem is magistratus qui ea tempestate in Romana curia & dignitatis magnæ esset & gratiæ. Rerum namque omnium Ecclesiæ ac Pontificum veluti Quæstores urbani, libros in quibus rationes publicarum pecuniarum continentur tenebant, lustrationem exercituum, urbis, provinciarum omnium curam suscipiebant. Quæ omnia temporum culpa penè amiserunt. Inde in Secretariorum numerum adscitus, clarissimis totius orbis viris collega additur, & qui non minus dignitatis existimationisque ei officio attulerunt quàm ipsi ab eo loco ornamenti acceperint. Hi fuerunt Leonardus Aretinus, Cincius Romanus, Antonius Luschus, Vincentius, & parens meus Poggius Florentinus; cum quibus nec satis longo intervallo in eum ordinem lecti, Jacobus Languisco Veronensis, Blondus Forliviensis, & alii multi simul floruerunt; qui unà cum eo sunt extincti. Nam posteaquam a Calixto, nullo aut hominum aut loci habito respectu, sordidissimis multis in eum ordinem lectis, ad cohortis pretoriæ modum numerus est institutus, quæ quondam maxima in curia Romana erat, dignitas esse desiit, & in nullo honore haberi. Et qui deinceps rerum potiti sunt, rati oblatam sibi honestam causam quò tantam gentium colluvionem comprimerent, ad unum omnibus collatis, eum ordinem funditus sustulerunt. Non tamen omnino desperandum est futurum aliquando ut amplissimus ordo in antiquam dignitatem restituatur, quandoquidem & summa ipsius loci auctoritas & memoria multorum virorum excellentium, qui maximo ornamento quondam Pontificibus fuerunt, aliquos excitaturæ fore videantur.

II. Igitur cùm Secretarius esset, cum Leonardo Datho, qui eo tempore & sacrarum litterarum scientia & sanctitate vitæ clarissimus ordinis Prædicatorum, ut appellant, Generalis erat, ad dissolvendum generale Concilium à Pontifice Senas mittitur, in qua tum urbe convenerat ea nonnullorum Italiæ Principum & Prælatorum voluntate, qui ægre ferrent à Pontifice sperni quæ quondam de communi omnium voluntate accurate optimequè in eo Concilio decreta erant, cujus auctoritate ad pontificatum electus foret. Eò igitur ubi ventum est, sua prudentia effecerunt ut omissa ejus rei mentione, id in civitate Germaniæ Basilea septennio post conventurum indicerent.

III. Romam inde Dominicus rediens, Protonotarius factus, in Flaminiam pro Legato destinatur, ut Forlivium Imolamque urbes à Philippo Duce Mediolani novissimè restitutas Pontifici administraret & in fide contineret, quod ejus maxima diligentia factum est. Nam cùm de pace inter Ducem & Venetos Florentinosque belli socios convenisset, & Bononia Baptistae Canneteli opera à Pontifice defecisset, expulsis adversae factionis principibus, qui partes Pontificis sequebantur, Flaminia etiam omnis ad defectionem spectaret, Dominicus extemplo contractis in unum praesentibus copiis (ii erant equites sexcenti, qui Ecclesiae stipendiis militabant) eas urbes in fide continuit, & innovare res molientes prohibuit; nonnullis ejus rei auctoribus ultimo supplicio affectis, accersitis insuper novis auxiliis à Carolo Mala-

Malatesta, qui Ariminum Vicarius pro Ecclesia tenebat, contra Baptistae & Bononiensium audaciam castellum sancti Petri & castellum Bononiensium oppida defendit. Insequenti deinde aestate, majoribus copiis à Pontifice acceptis, duce Iacobo Caudola, Bononiensibus bellum inferre jussus est. Igitur adjuncta sibi exulum manu, quorum princeps erat Antonius Bentivolus, & ipse à Baptista pulsus, agrum Bononiensem hostiliter ingressi, omnia ejus oppida, quae aut vi capta fuerant, aut sponte in ditionem hostium venerant, receperunt. Ducto deinde propius urbem exercitu, cuncta igni ac ferro populati sunt, ea potissimum ratione, ut aut hostes ad pugnam elicerent, aut vastatione agrorum ad deditionem compellerent. Verùm cùm nec direptio villarum, nec agrorum depopulatio, ullave alia belli calamitas eos terreret, urbem obsidione einctam pactione in fidem receperunt. Protracta est tamen ductorum culpa ad undecimum mensem obsidio, qui adeo infide bellum gerebant, ut cùm aliquando exules moenia ascendissent, potuissetque parvo labore urbs capi, si auxilia petentibus subministrassent, castris egredi, Legato etiam detestante eorum perfidiam, noluerint. Quamobrem pluribus amissis, illi, moenibus dejectis, sunt urbe potiti; tranquillatisque Romandiolae rebus, ob navatam operam bene ac feliciter Firmi Episcopus declaratus, & procuratio . . . . urbis omnisque ejus regionis quam Ducatum Spoletanum vocant illi demandata est. Quam provinciam biennio ea vitae integritate, continentia, justitia administravit quanta ad assequendam omnium provincialium benevolentiam fide sua incolumi fieri poterat ac reverentia. Nullius namque gratia, nullius precibus eum à justitia moveretur, aequabilem se omnibus semper praebuit. Id vero quod difficillimum videtur praestitit, quia varias quibus ea provincia abundat factiones adeo sedavit, atque eorum principes tanta benevolentia, sua humanitate, mansuetudine, prudentia invicem devinxit ut inter eos nullae inimicitiarum aut irarum causae remansisse viderentur, sibique ac rebus suis optimè consultum à Dominico crederent & gloriarentur. Is namque eum specimen justitiae, temperantiae, continentiae, Ecclesiae Praesulum ferme primus dedisset, ostendit persaepe administratores provinciarum aut avaritia sua, aut luxuria, aut ambitione multarum perturbationum fuisse causas, cùm quandoque praeficiantur iis externarum gentium viri, qui aut precibus amicorum emendicati, aut aliquomodo potentioribus obnoxii, ut plurimum egentes atque omnium rerum inopes sint, nulla vero virtute sed fortunae beneficio id muneris assecuti, arrogantes, superbi, contumeliosi reperiantur, eaque agant, ea aggrediantur quae quivis praedo mercenarius, non dignitatis, quam nullam cognoverunt, non virtutis à qua longè abhorruerunt, non provincialium, quorum cura non rapina illis demandatur, sed suae cupiditatis memores, se non provinciarum administratores sed mercatores potiùs credentes, potissimùm attendunt quonam maximè modo suam avaritiam atque egestatem expleant, in qua continuè vixerunt: quae etiam eo immoderatiùs agunt quo magis successorem timent. Accedit praeterea, quod omnium cumulus est miseriarum, & plurimos ad maleficium impellit, quia oppressorum voces aut ad Pontifices deferri nequeunt, aut si fortè devenerint, aulici quique principes circumstant plerunque sanguine miserorum empti, sive amicitia ducti, sive ut iis idem impune facere liceat, Pontificum voluntatem, quamvis optimam, deprimere non desistant.

IV. Ita cum Dominicus eam provinciam administrasset ut nec mitius aut aequius ab optimo patrefamilias domus regi & res administrari posset, tantaque fuisset lenitate, mansuetudine in omnes, eaque caritate ut à plurimis pater, à multis frater, à nonnullis filius, accepta ea dumtaxat dignitate, diceretur, nullum, vero ejus factum atrox, nullum injustum, nullum avarum, nullum libidinosum, nullum quoque insolens verbum, nullum impudens quisquam vel audierit aut viderit, adversus omnem cupidinem atque avaritiam invictus vixerit, à Martino creatus est Cardinalis secretus. Moris est Romanorum Pontificum, multisque annis observatum, cum aut plures pro Cardinalium creatione sibi sunt infensi, vel ipsi augeri collegii numerum aegrè ferant, Pontifices vero quempiam ad eam dignitatem velint extollere & competitorum molestias evitare, dissimulata aliquorum creatione de collegii sententia, quos volunt nominant Cardinales, praesentibus jurejurando adactis se illos pro Cardinalibus habituros nec obstaturos quominus in suum collegium recipiantur. Certum insuper tempus statuunt quo id palam fiat. Qui contra fecerint, sacris interdictum fore. Ita Dominicus Cardinalis creatus est. Convenerat vero inter Pontificem & Cardinales ne intra biennium pronuntiaretur Dominicus, quod si interea mori Pontificem contingeret, liceret illum interesse pro Cardinali alterius electioni, ac deinceps talis haberi, idque jurejurando sanxerant.

V. Ceterum Martino haud multo post mortuo, Dominicus dimissa provincia Romam venit, & ad aedem beati Laurentii via Numentana subsidens, ex amicis quendam in urbem ad collegas misit, qui & publicè & privatim à singulis postularet ut venire sibi ad suffragia ineunda pro creando Pontifice liceret, simul & ostenderet illum sua humanitate petere ab iis quod scirent sibi liberum esse. Sed cum variis inter eos habitis sententiis, prout cujusque animus ambitione aut odio rapiebatur, res longius trahi videretur, missis iterum ad omnes amicis communibus, qui aut id ab eis impetrarent, aut injustum se venturum exponerent, quamvis aequa postulare videbatur, tamen nonnullorum Cardinalium persuasionibus ab incepto destitit affirmantium, si hanc suam, quamvis justam, voluntatem paulum differret, futurum ut facilius quod speraret assequeretur.

VI. Expectata ergo novi Pontificis creatione, cum Eugenius ordine quartus electus esset, statim ad illum misit qui primo ei pro tanta potestate adepta gratularentur, deinde peterent ut se cum Cardinalium insignibus ingredi urbem pateretur. Cum vero procrastinando nedum à Pontifice differri sua postulata videret, verum etiam consiliis quorundam Cardinalium, qui Martino infensi fuerant, aures praebentem de se capiendo consilia agitare, omissa ejus rei mentione in provinciam reversus, Montefalcum Ducatus Spoletani oppidum se contulit. Eò quoque cùm missos a pontifice milites venire intellexisset & parum abesse, simulato in propinquum castellum itinere, clam quatuor comitibus assumptis ad Soractis montem (is est in Faliscis) proficiscitur, & in sacello quodam sexaginta dies continuos latuit, omnia experiri statuens quò Pontificis iracundiam & plus aequo inimicorum calumniis praebentem aures leniret; qui ea specie quòd diceret Martini nepotes, quibuscum bellum Eugenius inceperat, ejus opera contra Ecclesiam arma movisse, omnia ejus bona publicaverat, beneficiis etiam spoliaverat. Sed cùm ejus leniendi nulla spes videretur, & apud iniquum judicem malis praeterea usum consultoribus agi causam animadverteret, inita quoque de se interficiendo consilia, Basileam proficisci constituit, quò aliquot antè annis illo auctore Concilium à Sena translatum diximus. Verùm cùm prius adire Ducem Mediolani placeret, qui tum maximè infensus Eugenio erat, impetrata a Senensibus fide publica Sarteanum venit. Ibi vocatus per viatorem in judicium ab iis Cardinalibus quibus mandatum erat a Pontifice ut eam causam cognoscerent, venire noluit, & codicillis manu sua conscriptis, quibus ad Basileense Concilium provocabat, ad eos missis, Plumbinum maritimum Etruriae oppidum se contulit. Deinceps expectata triremi, quam ad eum Philippus mitteret, Genuam concessit. Ibi benignè exceptus à magistratibus, qui pro Philippo urbem administrabant, equis insuper aliisque ad victum necessariis adjutus, ad Philippum terrestri itinere Me-

dio-

diolanum profectus est; ab eoque humanissimè ac liberalissimè susceptus hospitio, plures dies apud illum mansit. Impetrata deinde abeundi venia, superatisque Alpibus, per Helveticorum agrum Basileam contendit. Ubi eò venit, illico apud Concilio præsidentes (ii sunt viri aliquot de Concilii sententia electi, virtute & doctrina præstantes, auctoritate etiam ac potestate maxima, ut ad quos à Pontifice provocatio est) Pontificis injuriarum conquestus, suam causam proposuit, quam triennium continuum ea modestia agitavit ut cùm plerunque tanta inopia fuerit, interceptis Pontificis jussu tum paternis facultatibus tum proventibus beneficiorum, ut necessariis etiam ad victum indigeret, & Pontifex extorquere ab illo eam dignitatem vellet quæ maxima post pontificatum sit, nemo tamen dictum quicquam ab eo asperius, nihil contumeliosum in illum aut inimicos audierit, quos plurimos habebat apud Pontificem potentes, qui suæ dignitati adversarentur, ejusque animum suapte natura mitem & ad meliora promptum assiduis delationibus criminationibusque accenderent, tum etiam alios minorum ordinum quorum natura est ut ex adversis aliorum rebus & miseriis suam potentiam crescere, & vel adulando vel detrahendo Principum benevolentiam inire & ambire dignitates velint. Vicit tamen Dominici constantia, & tandem ex Concilii sententia Cardinalis declaratur summo cum omnium inimicorum dolore. Nec multò pòst ab Eugenio vocatus Florentiam, ubi tum fortè degebat, in itinere, quem tanto labore ac periculo tantaque impensa defenderat Cardinalatus pileo puniceo (quod ejus dignitatis insigne est) uti cœpit. Impetraverant enim à Dominico Eugenii Legati, postteaquam Præsidentes pronuntiaverunt eum Cardinalem esse ac pileum ferre dederant, ne priùs quam Bononiam venisset, eum gereret, magna contentione habita ut hunc ab Eugenio accepturus Florentiam venire vellet.

VII. Assumpto pileo recuperatisque omnibus quae quondam amisisset, aliquot annis quietam vitam duxit, studiis maximè ac rei familiari intentus. Nam cum parum acceptus Pontifici esset, ob eamque rem aliquid ab illo petere vereretur, quod facilè negaturus videbatur, omnia negotia, omnem curam, tum privatarum suarum rerum, tum etiam amicorum praetermisit. Quod si fortè aliqui ad eum venirent qui suo patrocinio apud Pontificem egerent, vel iis se surripuit, aut suam operam denegavit apertè; nec ullis precibus diù ab illa sententia dimoveri potuit. Vnde morosi ac difficilis nomen subiit. Quam etiam opinionem auxit, quia natura erat severus, nec ullius rei simulator aut dissimulator, ideoque instantibus plerumque asper, ad injustas verò preces sicut inexorabilis, ita ubi quid ab eo pervicacius peteretur, ad iram pronus, sed quae statim recideret. A luxuria omni alienus & ambitione, idem continentissimus, & alienæ luxuriæ acerrimus castigator; idem minimè cupidus, sui tamen parcus. Verum ubi illius integritas, fides, continentia omnibus nota esse cœperunt, summamque in eo viro tum prudentiam, tum modestiam esse apparuit, Pontifex illam pristinam duritiem in maximam benevolentiam convertit. Primò namque lenire odium, mox illum diligere carumque habere, demum illi plurimùm credere cœpit, omnia ex illius voluntate agere, illius judicium potissimum sequi. Itaque provinciam Picenum illi administrandam festinavit; deinde etiam exercitui Legatum praefecit quem contra Franciscum Sfortiam parasset, qui omnem ferme eam provinciam occupaverat. Ad exercitum igitur profectus, arbitratus se satis esse facturum si & hostes populationibus arceret & socios in fide tueretur, cunctando ac sedendo bellum conficere decrevit. Ita aliquandiu protracto bello, cum sua diligentia eò hostes essent redacti ut vel decedere provincia commeatuum inopia vel se dedere cogerentur, ab exercitus ductoribus, qui se injussos pugnaturos vulgò minabantur, mutare consilium est coactus. Vnde cùm potiùs improbare quam non sequi eorum consilium posset, & ipse in pugnam eum aliis processit, nec quicquam praetermisit in acie quod ad optimum etiam ducem pertinere videretur. Sed illius optimam mentem haud par fortuna secuta est. Fusae namque ac fugatae Pontificis copiae sunt, capta ac direpta impedimenta omnia. Ipse insuper latus ac manum saucius, mutata veste è pugna Auximum se recepit. Plures in eo praelio occisi, multi capti, quorum magnum numerum sua ipse pecunia redemit. Plures etiam à Francisco liberi ejus gratia absque pretio abire jussi.

VIII. Missus iterum Perusiam, & illi orae praefectus, praeter antiquam illam in administrandis urbibus moderationem adhibitam atque diligentiam, plurimos magicis superstitionibus deditos, & in his mulierem quandam famosissimam, scelerum convictos igni damnavit. Id praeterea in hujusmodi legatione continuò observavit ut bis in hebdomada Iurisconsultos omnes & eorum discipulos in palatium convocaverit, ac propositis quæstionibus eos disputantes attentissimè audierit, nonnunquam verò etiam ipse alteram partem tueretur. Interea cum Asculum & Rochacontrada sua opera à Francisco descivissent, & multa ejus provinciae exemplum secutura viderentur, si ad quem deficerent in iis locis cum imperio forent, jussus transire in Picenum cum exercitu, Firmum compluraque ejus regionis oppida, impunitate proposita, partim deditione civium, partim vi, in Pontificis potestatem redegit. Sed audita haud multo post Eugenij adversa valetudine, impetrataque abeundi venia, Romam concessit. Eugenio vita functo, creatus Nicolaus ordine quintus illum extemplo Tibur ad Alphonsum Regem Aragonum destinat, qui aegrotante Eugenio per speciem Ecclesiae opem offerendi eam urbem ingressus, Nicolao restituere recusabat. Hic ergo cum ad Regem venisset, sua auctoritate effecit ut eam urbem quamprimum Pontifici relinqueret. Post haec reversus in Picenum ad reliquias belli prosequendas, omni vi oppugnare hostium loca aggressus, omnia de Ecclesia intra paucos dies recepit. Mox hostes certamen detrectantes, desperatis rebus abire provincia compulit. Post eam recuperatam, singulas illius urbes circuivit, earumque populos pro cujusque meritis sublevavit, res eorum stabilivit, dissentiones composuit, provincialium causas tum publicas tum privatas summa caritate & benevolentia audivit. Iuri autem reddendo plurimum temporis impartiit, qui multos annos vexata bellis provincia sine legibus potentiorum arbitrio vixerant; singulos etiam infimi generis homines summa clementia ac patientia audiens, plurima quoque ipsorum aequitate & misericordia magis quàm legibus composuit. Nam quae proficiscebantur à legibus, ad facilitatem aequitatemque referebat, & controversias tollere quam litium actiones constituere malebat. Quae autem ipse non poterat, suis audienda & cognoscenda distribuebat. Nam tanta erat se sequentium turba ut non minus trecentis hominibus in singulos dies audierit & eorum causas cognoverit; miserorum maximè patrocinio suscepto, quibus, cum solvendo non essent, nec unde litium actiones sequerentur, se mediatorem posuit, ut aequitate res judicarentur. Quo factum est ut à multis vexationibus provinciales privatim sublevarentur. Publicè vero multis urbibus atque oppidis immunitates concessit. Vectigalia pleraque nova amovit, leges multas ad reprimendam Praetorum & Ministrorum avaritiam tulit. Ipse ne victum quidem ab illis exegit; dona omnia respuit praeter ea quae modica Legatis urbes ingressis à civibus offerri solent; nec in se aut eos qui secum erant fieri sumptus ullos passus est. Ita provincia peragrata Romam reversus, à Nicolao summus Pœnitentiarius factus est. Est autem ea hujus loci dignitas ac potestas ut secundum Pontificem maximae sit auctoritatis; quam quo facilius retineret, id maximè observavit ut ejus mini-

ministri nonnisi probatae vitae essent, sed ii potissimum qui scriptores appellantur. Tantam vero in singulis diligentiam adhibuit ut nihil unquam in eo egerit cujus non probabilem saltem rationem afferre posset.

IX. Sub idem tempus Byzantium, quae & Constantinopolis, in Turcarum potestatem venerat, tum Graecorum perfidia atque avaritia, tum etiam nostrorum Principum negligentia. Quod cùm Nicolaus aegre ferret, & suis temporibus adeo praeclaram urbem impiorum viribus accessisse de sua auctoritate judicatum iri crederet, ad eam recuperandam animum adjecit. Sed cum suae vires magnitudini rei non sufficerent, eaque tempestate plurimùm mari ac terra Alphonsi Regis Aragonum opes possent, Dominicum ad illum misit, quem arma capere pro tantae urbis recuperatione hortaretur. Sed cum Rex teneri se Italico bello, quod tamen sua & Venetorum ambitione ortum erat, causatus expeditionem differre, nec nisi rebus Italiae compositis agi quicquam de ea re posse videretur, ad Pontificem rediit.

X. Per id ferme tempus Genuae per factiones civium novi motus exorti erant. Contendebant Petrus & Ludovicus de Campofregoso, antiquissima familia, & magna apud plebem propterea gratia, & Ioannes Philippus de Flisco, & ipse homo summae potentiæ & magnæ cognationis, civitatis principes. Dissensionum erat causa quòd Ludovicus, qui imperium populari favore tenuerat, & Petrum affinem suum honore atque auctoritate auxerat, ab eo deinde per fraudem ejectus restitui in antiquum locum gratiæ atque honoris volebat. Iohannes, cùm sua potissimum opera Petrus adeptus ducatum Genuæ esset, nulla in re fidem promissam sibi ab illo præstitam magno dolore afficiebatur. Petrus, qui dimisso imperio suam salutem committere potestati eorum qui se læsos arbitrabantur tutum non censeret, omnia prius tentanda existimabat. Quare cùm suæ cuique etiam clientelæ, divisa nobilitas, divisus populus esset, magna insuper foris potentia, ad apertum bellum descenderant; eoque irarum jam res processerant ut nisi cum manifesta urbis pernicie arma depositari non viderentur. Itaque veritus Pontifex ne ea res majoris tumultus principium foret, satis etiam cognoscens quam opportuna urbs ad omnes res esset si bellum in Turcos susciperetur, Dominicum ad eorum res componendas misit. In eo itinere persuadet Ludovico itemque Iohanni Philippo ut omissis civilibus dissentionibus pacem, si æquis conditionibus daretur, cujus se interpretem futurum reciperet, amplecterentur. Deinde hortatus ut in ea sententia permanerent, Genuam contendit. Ubi eò venit, nil priùs egit quam peractis de more sacris, imploratàque Dei & aliorum numinum ope, supplicia ad omnia templa tota urbe haberentur; è contra verò ejus ratione habita omnia secunda prosperaque evenire. Intellecta deinceps causa discordiarum civitatis, principes, quos ad extremum ferme discrimen & cum patriæ pernicie diffidere apparebat, summa diligentia ac prudentia placavit: ereptisque armis ex manibus civium iratorum, civitatem in summo otio & tranquillitate collocavit, maxima omnium gratulatione; tantam difficultatem in ea re componenda expertus propter mobiles illorum animos & in postulatis pervicaciam ut aliquando desperatis rebus Dominicus de discessu cogitaverit. Fuit enim reconciliandis amicitiis aut inimicitiis componendis promptissimus, ejusdemque rei studiosissimus; ut etiam quos aut ratione aut auctoritate lenire non posset, precibus quoque humilibus, ut ad genua sæpius procumberet supplex, in suam sententiam traduceret. Seditionibus civium sedatis, ad componenda sacra loca & mores sacerdotum conversus, qui ea licentia ac lascivia vivebant ut nil magis contra religionem esset, cum vulgo sacræ mulieres sacerdotibus atque aliis miscerentur, ædes earum sacræ veluti lupanaria essent, ipsæ urbem noctu interdiuque nulla aut sexus aut religionis verecundia cum suis amatoribus percurrerent, sacerdotes quoque eadem admitterent, brevi in antiquos mores ac religionem restituit. Quæ quò facilius conservarentur, decreto etiam sanxit ut vetusto ritu quotannis synodi in Genuensium dioecesibus celebrarentur, atque ea acta essent, Episcopi quamprimum ad Pontificem referrent. Multa præterea piè prudenterque ab eo viro facta atque instituta sunt, quæ à te in iis commentariis quibus omnem legationem illam complecteris, copiosè & eleganter sunt explicata. Illud nequaquam prætereundum videtur, tantam fuisse tum Dominici diligentiam ut haud contentus res Genuensium composuisse, maritima quoque auxilia contra Turcam ab iis impetraverit. Qua ex re quanta fuerit quondam illius urbis magnitudo facilè judicari poterit; quando magna imperii parte amissa, & intestinis civium factionibus penè debilitata, tamen quadraginta cives in ea inventi sunt qui singuli singulas armatas triremes Dominico ad id bellum pollicerentur. Rebus Genuensium ita compositis ut non modo suam gloriam, sed Pontificis auctoritatem majestatemque auxisset, acceptissimus omnibus Romam revertitur.

XI. Inde cum Pontifex quietis Italiae cupientissimus, tentatis omnium animis, pacis & belli arbitrium esse penes Regem intelligeret, iterum Dominicum ad Alphonsum mittit, persuasus aut de pace omnino desperandum, aut eo interprete cum Rege conventurum. Nec fefellit hominem opinio. Nam brevi Regem & alios ad pacem sua prudentia perduxit; quae quanta in eo fuerit, ex hoc uno facilè cognosci potest quia annum & eo amplius Romae, ubi omnium Italiae Principum rerumque publicarum Oratores convenissent, nequicquam tentata est. Agitata est tamen aliquandiu, animo Regis à quietis consiliis abhorrente, qui peteret ut Florentini domum Ludovico Patriarchae Aquileiensi restituerent, quam aliquot antè annis publicè datam, quia is eo proximo bello contra eos pro Rege sensisse diceretur, publico etiam decreto ademissent, tamquam illi crimen falso objectum esset, ut quae de Gerardo Gambacurta capta, quod & ipse in eadem suspicione fuisset, Florentini redderent, veluti hoc suae fidei maximè interesset, Florentinis vero id se facturos negantibus, & de sua auctoritate agi existimantibus si quae quondam publico consilio egissent retractarent; vicit tamen Dominici constantia, & Regem ad aequas pacis conditiones deduxit. Qua ex re maximum ab omnibus sibi tum amorem, tum gratiam conciliavit; apud Pontificem vero plurimum fidei, plurimum etiam auctoritatis comparevit.

XII. Ea functus legatione, Romae deinceps vixit, tum officio suo ministrando intentus, tum etiam iis quae ad Ecclesiae utilitatem dignitatemque pertinere arbitrabatur. Ingentes enim labores magnasque curas ita pro aliis continuè suscepit, ita sacerdotum dignitatem & commoda pro viribus & defendit & auxit, ut non sua causa sed ad communem omnium utilitatem natum diceres. Nihil vero magis toto eo tempore egit, cum Nicolao primum, mox Callisto Pontificibus, quàm instare orareque ut Byzantio recuperando incumberent & ad id Christianorum Principes incitarent. Ipse interea quamplurimis Genuensium convocatis, praeterea Hungaris ac finitimarum provinciarum Graeciae habitatoribus & Turco, percunctatus diligentius de locorum omnium ac portuum natura & situ sæpissimè est; & quà potissimum bellum inferendum esset, terrestribusne copiis an maritimis pugnare satius foret, & unde facilius quae exercitui, quae bello necessaria essent, unde commeatus comportari possent, auxilia suppeditari, quàve hosti plurimum resisti; eaque omnia accuratissimè in parvum volumen redacta ad Pontificem misit. Verum ubi ea sperni ab illis vidit reliquisque Principibus, expilandis autem undequaque per speciem parandi belli pecuniis enixè impendi operam, à Callisto praesertim; tanta indignatione id tulit ut pleronque

que lacrymis non abstineret, saepissime vero eorum rapacitatem apertè detestaretur, praediceretque brevi ea cura neglecta futurum ut Turcus omnino Graecia potiretur, & majores calamitates reipublicae Christianae prætbiturus foret. Nec fefellit virum ad omnia prudentem divinatio. Mœsiam namque, & Achaiam, Epirum, Macedoniam, Peloponesum ferme omnem ille in suam potestatem redegit, Albanos propriis sedibus expulit, Christianos maximis incommodis affecit; quorum nil eventurum cernebat, si principio, quamvis parvo conatu, obstitissent. Iis itaque rebus maximè sollicitus animo Dominicus continua cura, ut nulla re magis, angebatur. Nam propriis incommodis nequaquam tristari est solitus, nec propinquorum cognatorum injurias aegrè ferre, quia oblivisci earum quàm ulcisci maluit, licèt propulsare humaniter illatas tuerique suos illæsos semper voluit. Verum si quid hujusmodi contra religionis existimationem sive apostolicae sedis majestatem auctoritatemque fieri vel à Pontifice aut Cardinalibus praeter eorum dignitatem videbat, qui avaritia ducti Principum benevolentiam sibi conciliare cupiebant, quàm aegerrimo animo tulit, eorumque conatibus, quoad potuit, semper obstitit. Quare cum sub Callisto Pontifice Franciscus Episcopus Ferrariensis, vir certè innocentissimus ac doctissimus, à Borsio Marchione Ferrariensi per vim episcopatu ejectus esset, privarique illum à Pontifice peteret, ejusque rei multos fautores ex collegio haberet, & solus Dominicus intellecta causa illi contra multorum potentiam restitit, quamvis Pontifice invito, præstititque sua auctoritate ut Franciscus, quoad ipse vixit, suam dignitatem retineret. Hoc autem officium non solùm amicis, sed etiam incognitis saepius praestitit, ubi opus fuit, inquiens non hominum se quantum justitiae rationem habere. Omnium vero qui Pontificis ditionis essent, prae ceteris perpetuam propugnationem suscepit, ac pro eorum salute ornamentisque tuendis eam diligentiam adhibuit ut ab omni vi atque injuria eos defenderit. Quibus ex rebus tantam sibi apud omnes gratiam peperit, ea quoque illius viri bonitatis, fidei, integritatis opinio cunctos tenebat, ut non solum Pontificis imperio subjecti, si vi opprimerentur, ad ejus patrocinium confugerent, sed omnes undique omnium gentium ac nationum quibus aliquid Romae negotii erat.

XIII. Apud Principes vero Christianos summa in opinione fuit sanctitatis. Alphonso autem Regi Neapolitano, Philippo primum, deinde Francisco Sfortiae Ducibus Mediolanensium tanta in veneratione, ut eum semper appellare parentem & inter loquendum & in epistolis consueverint. Alphonsus verò etiam ejus auctoritate & oratione ductus, quam in illa sua prima legatione ad eum habuit, auctionem beneficiorum sacrorumque omnium facere desierit, ac sacratis Pontificum decretis paruerit. Tantum certè omnes illi detulerunt ut nihil arduum, nihil magnum, sive cum Pontifice, sive cum aliis, eo inconsulto egerint; Oratoribus verò suis ac negotiorum procuratoribus, quos Romae haberent, etiam mandata dederint ut nihil eo inscio aut nolente tentarent. Ceterum cum Nicolaus primò, deinde eo mortuo Callistus à Francisco Sfortia auxilia contra Jacobum Picenninum peteret, quem arma moturum contra Ecclesiam suspicabantur, non prius ad illum misit quàm à Dominico id facere est persuasus. Eugenio post reconciliationem, deinde Nicolao ita carus continuè vixit, ut tamquam parenti illi detulerint. Ferunt tamen initio pontificatus Nicolaum alieno ab illo animo fuisse; quia cum suffragiis Cardinalium electus ad pontificatum esset, Dominicus, tamquam ad rem vix credibilem motus, videre diligentius suffragia voluerit. Miraculi enim loco ducebat hominem novum, qui anno & semis antea privatus sacerdos & egens fuerat, repentè Pontificem creatum; Sed haud multò post Nicolaum, cognita hominis virtute, illum sibi convinxisse, nihil deinde egisse quin ejus consilium priùs percunctaretur; joco etiam ei dixisse saepius: Tu iterum suffragia videre voluisti. Cardinalibus autem tanta in veneratione fuit ut mortuo Callisto ex collegii sententia Pontifex designaretur.

XIV. Nam praeterquàm quod in eo summa rerum agendarum prudentia, constantia, integritas, in rebus omnibus fides erat, fuit etiam adeo emendata vita, ut honestate, probitate, exemplo omnibus esse posset, & nihil in eo fictum unquam apparuit, esse quàm videri bonus semper studuit; omni vitae ac supellectilis cultu neglecto, nunquam culcitra ex pluma cubuit, sed straminea; adeoque id sedulo in omni vita observavit ut vix biduo antequam decederet à medicis amicisque illi persuaderi potuerit ut sententiam mutaret, quod ne causa captandae popularis aurae facere videretur, ejus rei conscium praeter cubicularios neminem habuit. Lectos vero instratos, quamvis splendidè, modicè tamen paratos tenuit. Interiori amiculo laneo à pueritia usus est. Quin etiam eo vestitus & calceatus continuè dormivit. Camisiae autem, quà circumdata cervicibus apparet, lineam partem adjunxit. Vestitu alio usus est nando, & tamen honesto, & qui ab omni fastu & pompa alienus esset, quorum erat inimicissimus; dicere frequenter consuetus non in iis dignitatis ornamenta esse, sed in religione, fide, justitia, ceterisque virtutibus. Solitus est aliquando, cùm ad eum sacerdotes, nec infimi ordinis venirent qui vestium limbos ex pretiosioribus pellibus haberent, inter loquendum etiam de rebus seriis depilare, sciscitantibus verò plerisque causam illis respondere, quid ita ostentatores essent, & cur non potius omnem vestem intrinsecus fulcirent, si id utilitatis causa facerent, quàm oras vestium ambirent. Pari modo & sacerdotes purpura usos reprehendit, etiam maximo cum stomacho iteram ac tertiò, ut nemo adire purpuratus coram auderet. Munditia tamen fuit magna, sed nequaquam odiosa. Virtus ejus talis ut esset opulentia sine reprehensione, parsimonia sine sordibus. Cibo duntaxat unico in mensa usus est, sive id assum esset, sive elixum. Elixo tamen frequentius utebatur. Ciborum varietatem aspernatus est, qui praeterquàm quod insalubris sit & nimium luxuriosa, fastidium parit. Hanc autem frugalitatem & in conviviis observavit, uno aut summum duobus ferculis convivas excipiens, cum tamen non sine delectu hominum aut ordinum convivaretur. Cibique ipse erat minimi, & ferè vulgaris; famis tamen impatiens, ita ut si quando negotiis longius detineretur, etiam coram Pontifice & Cardinalibus comederet. Comedebat vero parum quid zacchari, aut uvas passas, aut aliud quippiam ex zaccharo confectum. Quo cibo unicè delectatus est, ita ut saepius nihil aliud cum modico pane coenaverit; idque ferre secum impransus ad Pontificem iturus semper consuevit. Vini quoque fuit parcissimus. Vasis vitreis aut fictilibus plerumque in mensa usus est, praecipuè solus, aut inter amicos. Vasorum vero argenti tantum habuit quantum fieri neglecto omni luxu poterat. Semper, cum coenavit aut pransus est, lectorem adhibuit, maximè sacrorum operum, qua ventrem simul atque animum pasceret. Ipse ea attentione audivit ut corrigere lectorem, si quid errasset, soleret. Interdum & coenavit & pransus est inter domesticos eodem in coenaculo, ut non nimio sumpta, ita nec lautiori ab universa familia cibo. Sed patronus ac dominus idem quoque severus fuit. Domesticum, quod is contra suam voluntatem extra domum dormisset, domo exclusit, nec adduci unquam potuit ut eum reciperet. Alium, qui conservum verberaverat, similiter domo ejecit.

XV. Vivendi usum ita instituit. Se semper duas aut tres horas ante lucem surrexit, nisi cùm casus aliquis tenuisset. Nam somni ita parci fuit ut ad summum quatuor horis dormire sit solitus; ac statim horis, prout sacerdotum moris est, dicendis operam dabat. Deinde aut sacra ipse celebrabat, quod faciebat quàm frequentissimè; aut si quo casu praeter-

termitteret, iis interesset. Peractis sacris, legere consuevit, donce tempus esset venientes audire, quod deinceps ad horam prandii prorogabat. Ubi pransus erat, doctos viros, quos domi semper habuit, ad se convenire volebat, & propositis quaestionibus, de philosophia & theologia maximè disputantes audivit. Ipse saepius aliquid in medium afferens, eos ad dicendum alliciebat, disserebatque, aequo etiam animo de sententia ejici passus. Ubi satis sermonis habitum erat, se in cubiculum cum suis recipiens, domestica primùm negotia ab iis audiebat, tum aliorum, si qui forent qui aut sua gratia aut opera indigerent; & illorum curam aut Secretariis aut auditoribus aut dispensatori, prout cujusque negotia essent, demandabat. Quae vero suam diligentiam suamque auctoritatem apud Pontificem requirerent, in breve conjiciebat, quo Pontificis voluntatem de singulis perscrutaretur. Conferebat autem se ad eum saepissime ob negotiorum multitudinem, quae ad eum undique confluebant. Id vero continuè observavit, ut priusquam mane cubiculum egrederetur, breve rerum omnium conscriberet quas ea die facturus esset, eoque deinde ordine cuncta, ut erant notata, tractaret, deinde noctu, prius quàm cubaret, ea quae novissimè supervenissent, pari diligentia notaret, & notata quaeque relegeret, si quid autem esset aut temporis culpa aliave causa praetermissum, in posterum diem rejiceret, absolveret. Inde legit aliquid, aut scripsit.

XVI. Post meridianas horas progrediens, qui ad eum conveniebant, sive salutandi sive negotii gratia, sedens plerunque audiebat omnes. Audiebat persaepe stans, aut inambulans; idque exercitii causâ. Ubi publica expedisset, in cubiculum se recipiens, subscriptioni supplicationum officii primo dabat operam; deinde breve mane à se conscriptum, deinceps epistolas tum amicorum, tum aliorum qui ad eum scriberent, perlegebat. Post haec legebat aliquid. Legit vero prae ceteris Augustinum de civitate Dei, Hieronymi omnia, & Cassiani opera, ex aliis Senecam, quem familiarissimum habuit. Fuit ingenio summo ac memoria, maxima autem rerum. Nam neque audierat quicquam unquam, neque viderat, aut etiam legerat, quin eorum recordaretur. Verborum vero ferme nullam habuit. Credo quod rebus contentus, verba posse ipse fingere non dubitaverit.

XVII. Nihil cuiquam denegavit unquam quod ipse praestare posset, aut gratia sua quempiam fraudavit. Nihil autem se facturum recepit quod non effecerit. Qua in re tantam diligentiam adhibuit ut per se stare crederet quo minus qui peterent absolverentur. Quos vero opibus aut potentia per vim opprimi vidit, iis maximè nullo aut benevolentiae aut amicitiae habito respectu auxilio fuit, nihil omnino praetermittens quod ad illius salutem & suam fidem spectare arbitraretur, ita ut nec potentum inimicitias extimesceret. Quare multis saluti fuit, gloriari saepe solitus neminem frustra patrocinium suum implorasse, avertisse etiam à cervicibus multorum maximas calamitates. Beneficium vero nec vendidit unquam, nec vendi passus est. Ideo, ne in suspicionem aliquam incideret, nunquam à privato, etiam amico, munus accepit quin par aut majus redderet. Aliquando annulum digito extractum dono mittenti quippiam dedit. A civitatibus & provinciis nonnisi edulia accepit. In omni autem vita ea constantia & gravitate fuit quae non solum gratiae resisteret, verum etiam suspicioni. Feminam nullam domum suam ingredi est passus, sive eae alienae sive conjunctae aliqua cognatione essent. Quod si fortè aliquam sua opera indigere aut conjunctarum ullam ad se venire contigisset, in vestibulum domus descendens aut propinquam sedem, illam audiebat, dimittebatque. Praeterea adeo continentis vitae fuisse constat ut postquam sacris initiatus sit, castissimam vitam duxerit, honestate etiam tanta ut ne à cubiculariis quidem unquam visus sit nudus.

XVIII. In cetera vero vita adeo integer vixit ut nec multis annis valetudine adversa laboraverit, nec vita ab invidis malevolisque ulla in re unquam culpari potuerit. Quod si integritas in omnibus laudanda est, in iis tamen qui in imperio aut potestate sunt, admiratione digna videri debet. Nam multi, quos etiam vidimus, licet in parva fortuna continentes, integri, casti, liberales fuerint, tamen postquàm ad potestatem rerum pervenere, intolerabiles, avari, luxuriosi, superbi, maxima licentia facti sunt, ignari tales solere esse dignitates quales sint qui illis praesunt, arbitrari praeterea omnes sanæ mentis illas non semper virtutum præmia esse, sed fortunae beneficia; cùm extolli in dies videamus nulla doctrina, nulla virtute homines insulsos, stupidos, nunquam sobrios, quos nisi cum summo fastidio videre tamquam personatos nequeamus. Hic tamen in tanta rerum licentia, quam omnium rerum impunitas sequitur, unde etiam homines solent plerumque fieri deteriores, talem se ubique semper præbuit ut non minus dignitatem illam Dominico egere quam Dominicum illa honestatum appareret, documentoque fuerit suos cuique mores fortunam fingere. Mendacium nec joco quidem unquam dixit, nec pati potuit, dicens nil magis alienum ab homine esse debere. In loquendo vero liber adeo ut nec Pontifici parceret. Eo dicente aliquando publicè, *De fratrum nostrorum consilio & voluntate fecimus*, surrexit Dominus; detectoque capite, se nihil unquam de ea re audivisse affirmavit. Nicolaus cellam, quam sumptuosissimam in pontificia, quæ est in Vaticano, Deo immortali erexerat, cum multis cantoribus replesset, & aliquando Dominicum percunctaretur post Missam, tamquam de re honorificentissima facturus foret, quid ei de illo canentium choro videretur, respondit sacculum sibi porcellis plenum videri, audiri namque clamantium strepitum, sed nihil ex eo percipi. Cuidam stipem petenti, quod manus Catalanorum elapsus esset, quasi ob eam rem mendicare cogeretur, & alii ad misericordiam commoverentur, ad adstantes conversus. Quid ergo, inquit, debetur nobis qui in eorum manibus sumus? de Callisto locutus.

XIX. In creatione Pontificis quidam ex collegis ad eum accedens petiit; qui etsi sciret pontificatum ad se perventurum, cupere tamen & orare illum ut sibi suum suffragium daret, quo talis viri testimonio probari videretur. Respondit id se non facturum, nec commissurum ut illius facti conscientia aliquando urgeretur. Erat enim ille vir tardo admodum ingenio, & vita non multum probata. Idem ad nullas quoque preces fuit inexorabilis, ita ut nec minis nec precibus de sententia dejiceretur, ullusve gratia decederet. Callisto ad pontificatum assumpto, volentique Borgiam ex sorore genitum Ducatus Spoletani pro Ecclesia Vicarium facere, & Cardinales partim timore, partim Pontifici gratificantes, illi assentiri viderentur, solus apertè restitit, & id fieri prohibuit. Quare offensus Callistus, per speciem legationis in Angliam Dominicum mittere, qui eorum Regem capere arma contra Turcum hortaretur, & urbe ablegare constituit, veluti rebus suis adversantem. Id quoque cum parum succederet, agitasse deinde Pontifex dicitur de eo capiendo, sed aut deterritum viri auctoritate, aut morte præventum abstinuisse incepto.

XX. Ambitiosos homines maximè irrisit. Sæ adeuntes ex his qui tota urbe cursitant, limina potentium terentes, cùm numquidnam à se vellent Dominicus percunctaretur, iisque se visitatum illum venire dicerent, porrecto brachio sæpius rogavit ut vena tentata viderent an febri aliove morbo laboraret, (Est enim id verbum quo medici utuntur) deinde increpitos admoneret ut potiùs domi secundum eorum ordinem aliquid agentes quietè viverent & virtuti operam darent quam tota urbe vagarentur. Futurum enim necessariò quandoque (ut boni doctique in pretio habeantur, & quamvis inviti ad munia Ecclesiæ vocentur) se vero nequaquam adirent,

nisi

nisi ubi sua opera indigerent. In promiscuis autem auditionibus quadam etiam severitate se adeuntes excepit, ita ut nec infimi ordinis homines, qui fortè compositа aut longius repetita oratione aut blanditia verborum gestuve corporis humiliori & abjectiori loquerentur interpellaverit asperiùs, ut hujusmodi inepta loquacitate omissa rem breviter explicarent. Qua re fiebat ut in magna adstantium corona plerosque attonitos lingua atque animus deficerent. Quibus verò vel opera sua vel gratia usui esse non poterat, instarent nihilominus importunius, multos malè mulctatos verbis à se amovit. Adulatorum genus abhorruit quasi perniciosissimam pestem, quos etiam amovere à se, publicè quoque acerbius redarguere & increpare summo cum stomacho sit solitus. Igitur iis moribus assecutus est ut durus difficilisque nonnullis videretur, & ad vitæ institutionem rudis, cum tamen in ceteros esset humanissimus. Audiebat omnes, quibus poterat opem ferebat, nulli consilio deerat.

XXI. Accedebat ad hæc formæ qualitas. Nam aspectu erat aspero & vultu qui severitatem quandam præ se ferret. Statura fuit etiam mediocri, dextero pede admodum claudus natura, sed ut non multum dehonestaretur. Id verò vitium quò facilius occuleret, crepidis continuè usus est. Erat præterea incorruptus, alieni verò & omnium rerum abstinentissimus, & (ut de Catone scribitur) cum virtutis omnem speciem amplecteretur, honestatem cum severitate adamavit. Moderationis humanitatisque tantæ fuit ut quid quisnam de se sentiret, ab amicis liberè dici sibi optaverit, & audiverit attentius; ita si quid minùs bene fecisse redargueretur, libenter emendaret, idque sedulò ut facerent, humanissimè hortaretur, quædam ipse convinceret, & errare illos ostenderet. Sed nihil omnium ægrius tulit quam detractorum voces & absentes carpentium, humanum esse dictitans aut alterius peccatum occulere, aut errantem clam amicèque redarguere. Ipse ubi aliquid amicis vitio dari audivit, sive verò seu falsò, quamvis non primi aut secundi loci amici essent, iis ad se vocatis benignè ostendit quæ illis vitio darentur; simul admonuit ut vitam ab infamia illæsam servarent; si verò falsa essent quæ ferrentur, rogare ut & suspicione abesse curarent. Qua re fiebat ut & qui deliquissent, vitam emendarent, & cæteri suspicionem evitare conarentur, omnes verò cognita hominis caritate plurimùm se illi debere faterentur. Amicis, quorum consuetudo plerumque malorum causa esse solet, nonnisi continentissimis optimisque viris usus est; quos & consiliis suis continuè adhibuit. Nam nec ad amicitiam quemquam facilè admisit; & quos admisit, constanter retinuit, eisque etiam plurimum detulit, quibus autem potuit magno semper honori & dignitati fuit. Pro cujusque etiam meritis ita eorum opes auxit ut miserias paupertatis effugerent. In eorum quoque necessitatibus non secus absentes ac præsentes illi curæ esse cogitum semper est, id amici officium existimans, si cum posset ultrò beneficium præstaret. Unde sæpius factum est ut multi prius aliquod beneficium in se collatum cognoscerent quàm id futurum cogitaverint. Quae vero fecisset, occulta esse cupiebat, nec ab eo quidem qui accepisset sibi commemorari aequo animo passus, satis amplam gratiam habitam & relatam arbitratus si amico non defuisset. Creato Callisto, memor amicitiae quae illi cum parente meo erat, à Pontifice . . . . . . refici secretarium & literas apostolicas, ut moris est, impetravit, curavitque mittendas Florentiam. Fortè accidit ut eae interea ad sacrum aerarium delatae in manus Patriarchae pervenirent, qui pariter eundem benevolentia complecti videbatur. Hic igitur alieni officii fructum capiens, suo nomine eas Poggio transmisit, significans praeterea ob antiquam necessitudinem se in eo negotio meritam diligentiam praestitisse. Quae postea Dominico relata nihil illum offenderunt. Quin bene habet, inquit, si Poggio satisfactum est. Nec de ea re ad illum quicquam scripsit.

XXII. Ipse immortali memoria beneficia retinuit. Martini Pontificis propinquos omnes summa benevolentia, quoad vixit, est prosecutus. Prosperum vero ejus nepotem Cardinalem, licèt admodum juvenem, in omni vita caritate magna coluit, & cum omni Columnensium familia ab omni vi atque injuria non sine suo periculo defendit. Amicos praeterea eorum ac clientes, & qui ejus partis erant, continuo tanta cura ac studio prosecutus est ut pro uniuscujusque commodis ac dignitate perpetua propugnatione suscepta nihil unquam praetermiserit quod aut saluti aut honori aut utilitati eorum conducere existimaret vel ad augendam Columnensium gratiam, auctoritatem, amplitudinem spectaret, quos omnes per se posse esse ampliores volebat. Fuere tamen eo tempore qui ab illo haec agi quod factionibus esset deditus iniquè interpretarentur, quandoquidem si ea non fecisset, haud quaquam ingrati notam vitare potuisset, & si non minus quàm Martinum fecissent, tamquam superiorem colerent. Ipse inimicitias nullas gessit, neminem unquam laesit; nulli fides ejus, nulli opera, nulli res familiaris defuit. Verum illud in eo homine praedicatione dignum fuit & optimi viri indicium, quod multitudini honestorum hominum, quos premi inopia scivit, pro facultatibus subvenit, quamvis eae illi essent pertenues. Percunctabatur amicos diversorum ordinum, qui domum suam frequentarent, de urbis ac civium conditione; deinde singulorum necessitate perspecta, aut iis salaria ad vitae sustentationem suppeditavit, aut alia ope juvit. Multis victum ac vestitum praebuit, quamplurimorum etiam filias sua pecunia collocavit, & quàm frequentius, nil aequè pium sibi videri inquiens quàm injuriae & turpitudini expositas propter inopiam & naturae imbecillitatem ad honestam vitam traducere, quod etiam in adolescentibus observavit in quibus aut ingenii aut virtutis indoles appareret, ne res eorum angustae officerent quo minus bona sibi à natura data exercere possent. Sed id aut ipse per se fecit, aut quàm occultissimè curari per suos voluit, quos fidos sibi delegerat, ne captandae popularis aurae causa facere judicaretur. Nemo autem unquam ab eo frustra quicquam petiit. Quare aliquando sibi calceos detraxit ut cuipiam largiretur. Quandoque etiam cum offensum fortuna quemquam vidit minus bene vestitum, suum amiculum dedit. Et cum pecunia ad erogandum non sufficeret, saepius vasa argentea quae habebat conflari & petentibus distribui jussit. Cumque ob eam rem ab amicis argueretur, respondere consuevit hominis proprium sibi videri quamplurimis benefacere, quod adeo in omni vita fecit ut plerumque necessariis ad victum deficientibus, pecuniam sumere mutuo ab amicis cogeretur.

XXIII. Cardinalatus dignitatem ad summam civilitatem reduxit. Nam praeterquam quod modicis proventibus contentus fuit, quippe qui non plus tribus millibus aureis annuatim ex suis facultatibus reciperet, omnium se adeuntium adulationes & in salutationibus allocutionibusque prostrationem corporum humi & ad omnem quoque nutum sonantia & ampullosa verba respuit, maltaque indignatione audivit. Sacerdotum dignitati plurimum detulit, Episcopos ceterosque qui aliquo honore aliis antecellerent, nonnisi non sedentes, aut aperto capite audivit. Viros bonos ac doctos evexit, quoad potuit, summaque benevolentia ac liberalitate excepit. Aditus ad eum ferme nimius etiam humillimo cuique de plebe homini patuit. Aderat ipse horis statutis, loco publico domus, aperto ostio ut omnibus illum adeundi libera facultas esset; quos ita audiebat ut gravitatem cum dignitate retineret. Veritatis amator, & bonorum magis quam hominum doctorum, doctorum tamen amantissimus. Non superbus, non ambitiosus, non fictus, non contumeliosus, non rapax, non avarus, non circumventor, quibus etiam vitiis domesticos carere voluit. Itaque nullus fumi venditor, nemo arrogans, nemo simulator, aut dissimulator

lator in ejus domo erat. Omnes integri, casti, continentes. Qua in re plurimum diligentiae adhibuit, praecipuè vero ut incorruptos servaret. Nullum ex domesticis purpura uti passus est aut veste quæ non genu tenus protenderetur. Eos autem in quibus aliquod integritatis aut virtutis simulacrum inesse cognosceret, quoad potuit, ad honores extulit, inquiens Christianam religionem melius se habituram fuisse si virtutum amatores ad ejus administrationem eligerentur.

XXIV. Ex ejus ergo domo, quæ & castitatis sanctitatisque exemplum fuit, plures clarissimi viri tamquam ex seminario aliquo prodierunt & omni virtutum genere ornatissimi; in quibus Æneas Senensis primus floruit, qui & eo vivo ad eandem dignitatem electus est, & Callisto in pontificatu succedens, Pius secundus est cognominatus, vir profecto eloquentissimus eruditissimusque. Et tu, Reverendissime Pater, qui à Pio propter doctrinam ac probatissimos mores in familiam suam Picolomineam adoptatus primo, deinde Papiensis Præsul factus, Cardinalis tandem creatus es, Amicus Aquilanus integritate vitæ & pontificii juris doctrina insignis, & . . . . . tempore sedente Paulo secundo eandem dignitatem adeptus, Franciscus Archidiaconus Toletanus, vir tum bonitate, tum scientia sacrarum litterarum, omnium nostrae aetatis facilè princeps, Antonius Latiosus Forliviensis, vir castissimus, Leonardus Perusinus Theologus clarissimus, Blondus Forliviensis vir literatissimus, & alii permulti tam doctrina quàm moribus venerabiles. Quos autem domi viros claros retinere non potuit, summa benevolentia est prosecutus. Dilexit verò prae caeteris Antonium Archiepiscopum Florentinum, Ægidium Episcopum Arminensem, homines optimos atque eruditissimos. Maxima autem affectione complexus est parentem meum, eumque in omni vita coluit. Multos praeterea (quos enumerare longum est) plurimum dilexit. Nam nemo vir probus, nemo doctus ea tempestate fuit quin illi esset carissimus. Fuit praeterea ejus viri sanctitas ut qui sibi amicitia conjuncti fuerunt, aut in ejus domo vixerint diutius (quod nulli nostrorum temporum contingit) assecutos sciamus ut viri integri & prudentes communi omnium judicio habiti plurimas dignitates, eo etiam defuncto, sint adepti. Tanta fuit apud omnes virtutum illius opinio ut verissimè appareat nullum magis boni malive Principis testimonium esse quàm amicos, cum ii semper tales sint, quales fuerint qui eos in suam amicitiam admittunt.

XXV. Studia in maximis occupationibus nunquam omisit. Operam multam, etiam provectioris aetatis, theologiae & philosophiae, ei quam moralem dicunt, impartitus est, praeceptoribus usus Francisco Toletano & Leonardo Perusino, quos continuo apud se habuit; tantumque in iis profecit ut inter doctissimos haberetur. Nullum verò unquam diem praetermisit quin aliquid aut scriberet aut legeret. Legit autem tanta ut semper cura & negotio vacasse facilè videri possit. Cujus rei hoc unum est argumentum, quod cum plus mille & quingenta librorum volumina habuerit ad jus tum pontificium tum civile spectantia, nihil in iis fuerit quod ipse non viderit diligentissimè. Idque in omnibus Augustini & Hieronymi libris fecit. Historias tantas novit quantas nemo alter. Poetas vidit omnes. Oratores ac philosophos habuit familiarissimos. Scripsit ille nonnulla eruditè magis quàm eleganter, quae in vulgus emanarunt, ad religionem nostram spectantia. Plurima etiam partim aedificavit, partim restituit. Ædificavit sibi domum in regione Columnae à fundamentis pro dignitate sua commodam satis ac magnificam, ita tamen ut superfluos in ea sumptus atque ornamenta vitaverit: quam deinde moriens ex testamento gymnasium esse voluit, ad quod plurimi adolescentes addiscendi studio diverterent, & iis necessaria ad victum constituit, magna pecuniarum summa in eum usum erogata. Decrevit in ea & bibliothecam ad communem doctorum hominum utilitatem, congestis ibidem libris, quos magna impensa in omni doctrinarum genere ad duo millia voluminum coegerat tum optimos, tum pulcherrimos, & ut qui domum eam incolerent, quique studiosi forent, pro arbitrio illis uti possent. Hanc tamen domum Angelus ejus frater à Pio Pontifice ad eandem dignitatem vocatus, illi haud dissimilis, & qui vitae integritate & morum sanctitate nulli ejus ordinis cedat, suo usui reservatam inhabitat. Et ne laudabilis voluntas fratris irrita esset, contiguum illi gymnasium sumptuosius, magnificentius construxit. Ædificavit & Dominicus reparavitque nonnulla in Hetruria, in Piceno. In Soractis monte, ubi quondam latuisset, beato Sylvestro aedem à fundamentis extruxit.

XXVI. Hoc vero praecipua laude dignum in eo fuit, quod cum redditus habuerit & pro dignitate tenues, & aliorum qui pari potestate respectu penè nullos, iisque contentus vixerit, nullam tamen Ecclesiam tenuit quin aut eam aliqua ex parte instauraverit, vel illius fructus sua impensa auxerit. Quod utinam ceteri quoque fecissent. Non enim regias opes quemque possidere, non omnia concupiscere impotenti avaritia, & minima quaeque sectari cerneremus, non illorum curae commissas Ecclesias ruere, non bonis doctisque viris neglectis rejectisque asseclas quosdam ac ministros omnia adipisci, omnia possidere videremur; aut eos qui emere, tamquam hasta posita, quod concupiscant possint.

XXVII. Optimo igitur vitae instituto cùm Dominicus viveret non minori apud omnes gratia quàm aut fortuna aut dignitate, in morbum incidit, ab initio quidem haud periculosum, attamen molestum. Profluvio namque ventris laborare & se domi continere coepit, verum ita ut negotiis ex consuetudine fungeretur, nec solito magis accumberet. Post vigesimum diem, cum Callistus vita functus esset, & creandi Pontificis necessitas instaret, ideoque Cardinales conventuri essent, ne dissimilis sui videretur, utque quod in omni vitae institutione fecisset, reipublicae Christianae proficeret, adesse huic rei voluit. Quare fretus consilio medicorum, alvum pharmaco ad eam rem parato sistit. Ex qua re in febrem incidit, & quidem vehementem. Cumque ea continuo augeretur, omnia Ecclesiae sacramenta, ut ad eam diem sanctissima ejus acta vita exigebat, summa religione primum suscepit. Deinde ingravescente morbo, ubi adesse vitae finem sensit, amicis ad se vocatis, magnificè ad eos de contemnenda morte locutus est. Ad quae verba cum amici ingemerent, rogavit ne suam mortem lacrymis prosequerentur. Se enim, inquit, vixisse ad eam aetatem ad quam pauci ex multis perveniant, omnes ferme desiderent. Juvenem praeterea se adeptum quae mortales summa putent, instituisse quoque ad eam diem ita vitam suam ut sperandum ab eis sit se misericordia & clementia Dei optimi maximi adjuvantibus eo ubi vera felicitas ex hoc veluti carcere migraturum. Quare orare illos ut lamentis parcerent, ne non dolere ejus discessum sed invidere huic suo summo bono viderentur. Persuadere se illis ut hanc potius suam diversionem laetitia prosequantur, cujus ipse vel maximum hoc gaudium caperet quod in eorum conspectu vitam finiat. Dolere enim homines eorum mortes debere qui in Dei veri caelestisque beatitudinis ignoratione occidant, vel qui ita vixerint ut posthabita virtutum atque animae cura, soli corpori inservientes, tunc demum cogitare de morte incipiant cum calamitosae miseraeque vitae curriculo exacto se victuros desperarint, quique in summa dignitate constituti, solum quod praesens in oculis fuerit respiciant, nec ultorem scelerum Deum expaveant, aut bonorum remuneratorem credant. Valerent quidem, & postaquam abiisset, Deo pro animae suae salute supplicarent, & ad eum preces tum pias tum frequentes effunderent. His dictis, omnium apprehensa dextra, amplexusque, lacrymantes omnes dimisit. Nec multo post excessit è vita quinta die postquàm febris eum tenuisset.

XIX.

XIX. Kal. Septembris, anno salutis nostrae supra millesimum quadringentesimo quinquagesimo octavo, aetatis vero octavo & quinquagesimo, vir certè sanctissimus, & qui merito dignus crederetur ea dignitate quam tanto labore defensam annos ferme triginta summa cum laude tenuit, elatus est maxima omnis generis hominum frequentia, comitante omni civitate, laudatusque publicè summa cum adstantium attentione. Funus insuper celebratum summa omnium mœstitia, & in ejus sumptum pecunia ab amicis collata, illatusque sepulcro quod ipse sibi in templo Minervae vivens fecerat.

Huic Dominici Capranicae Cardinalis vitae lubet subjungere narrationem sancti Antonini Archiepiscopi Florentini de morte ejus, tum quia locus est valde insignis, tum ob sanctissimorum hominum inter se amicitiam, quam & Baptista Poggius & Franciscus Castelionensis in vita Antonini, quae extat apud Leandrum Albertum, testantur magnam fuisse. Haec sunt igitur verba sancti Antonini parte III. tit. XXII. cap. XVI.

ACcidit in diebus illis & aliud lugubre quod urbs tota deflevit. Nam reverendissimus Cardinalis Firmanus Dominus Dominicus de Capranica ejusdem mensis (Augusti) XIV. die ea infirmitate fluxus appositus est ad patres suos, cum multa devotione ex hoc mundo transitum faciens, in aspero repertus cilicio quod ad carnem ferebat assiduè. Multum tristitiae & doloris mors ejus intulit cunctis qui noverant eum, propter eminentes virtutes ejus. Verè hic homo justus erat, propter rectitudinem ejus à cunctis dilectus, prudentia & consilio magnus, in jure peritus, & religiosorum pater & refugium. Manus copiosè extendebat ad pauperes, sobrietate & sanctimonia praeclarus, ex devotione non modica frequenter celebrans, studiosus, à lectione non cessans, in diversis partibus legationem eleganter exercens. Honorificè vita functus traditus est sepulturae in conventu sanctae Mariae supra Minervam ordinis Praedicatorum.

Addere etiam placet veterem narrationem de morte Juliani Cæsarini Cardinalis, cujus auditor olim fuerat Capranica, à me descriptam ex autographo Ægidii Carlerii Decani Cameracensis, quod extat in bibliotheca collegii Navarrici Parisiensis.

Hic reverendissimus Dominus Cardinalis vocabatur Dominus Julianus de Cæsarinis, qui tempore primi adventus Bohemorum erat Cardinalis sancti Angeli, postmodum verò assumptus fuit ad titulum sanctæ Sabinæ. De hoc reverendissimo patre retulit mihi Ægidio Carlerii Decano Ecclesiæ Cameracensis mense Februarii anno Domini 1447. more Gallicano unus ex familiaribus suis gloriosissimi sui martyrii triumphum. Cùm enim peccatis nostris exigentibus Teucri de Christianis reportassent victoriam, multis fidelibus interemptis, aliis terga vertentibus, hic reverendissimus pater capitur, coram Teucrorum seu Turcorum Imperatore sistitur. Adducuntur doctores suæ execrabilis legis, qui cum illo de fide certant, nitentes eum subvertere & ad impiam eorum sectam pertrahere. Quod cum nulla ratione hoc facere possent, nunc promissionibus, nunc comminatis suppliciis mentem sanctam satagunt à bono proposito revocare. Nam tyrannus, si ei consentiat, spondet eum facere summum suæ legis sacerdotem; sin autem, diversa experiri tormenta. Cùm vero hic reverendissimus pater nullatenus acquiesceret, sed Dominum Iesum Christum & fidem ejus constanter profiteretur, assunt tortores & medici. In media platea urbis, præsente tyranno, astantibus quodam venerabili Episcopo & multis Christianis captivis, super scalam ponitur, à tortoribus excoriatur per corrigias aliquas pelle à carne separata, inter quas lanceantur quædam subulæ ferreæ. Cùmque isto martyrio esset fatigatus, iterum rogatur ut ad suam sectam, dimissa lege Christianorum, redeat. Quod si facere vult, promittunt medici præsentes curam vulneribus exhibere. Sed nec honorum suorum sinbitio nec sanitatis beneficium propositum sanctum potuit violare; sed in Christi fide perseverans, rursus torquetur ut priùs, & ad exitum properans, ad Episcopum præsentem conversus ait: En vides, pater venerabilis, ego ad Christum venio; tibi commendo hunc gregem meum, hunc scilicet populum Christianum. Fortis esto athleta Christi & ipsum in fide confirma. Et sic triumphator migrat ad Dominum, cui & laus & gloria per immortalia secula. Hæc mihi retulit in Cameraco ille familiaris suus suprà memoratus; qui, ut inquit, præsens tunc erat, & vidit eum vivum & mortuum. Subjunxit quòd corpus tyrannus jussit comburi & cineres in capsa argentea vel aurea in signum victoriæ quam de Christianis obtinuerat reponi. Si hæc vera sunt, annon, nescio.

Tractatus Iordani Bricii I. C. pro Eugenio IV. adversus Cardinalem de Capranica, scriptus jussu Petri Cardinalis Fuxensis anno MCCCCXXXIII.

FElicis recordationis Dominus Martinus divina providentia Papa quintus die Veneris IX. Kal. Iunii Romae in palatio sancti Petri condidit unum statutum seu decretum in consistorio secreto, praesentibus Dominis Cardinalibus qui erant in curia; cujus tenor ad litteram sequitur & est talis. Habetur to. XII. Concilior. pag. 694.

ANno Domini millesimo quadringentesimo vicesimo sexto, die Veneris IX. kal. Junii, Romae in palatio sancti Petri, praesentibus omnibus Cardinalibus qui erant in curia, excepto Cardinali Aquilegensi, qui tunc infirmabatur, ad quem fuerunt missi duo Cardinales, videlicet Placentinus & de comite, pro ejus voto sciendo, & ipsis consistorialiter congregatis in forma consueta, scrutinio praecedenti secreto publicè creavimus, assumpsimus, pronunciavimus ultra Cardinales eadem die assumptos & publicatos, Dominicum Episcopum Ilerdensem in Presbyterum, Prosperum de Columna, Dominicum de Capranica electum Firmanum, Iulianum de Caesarinis Auditorem camerae in Diaconos sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales; qui Ilerdensis & Firmanus aliàs juxta morem consuetum creati fuerunt, sed ex bonis causis tunc & nunc unà cum aliis duobus noluimus publicari, sed dicto Ilerdensi reservavimus locum suum, licèt publicatus non sit.

Item volumus, statuimus, & ordinamus quod si contingat nos mori ante publicationem dictorum quatuor, habeantur statim pro publicatis solemniter etiam quoad electionem Romani Pontificis & ad omnia alia, etiam si tituli ipsis quatuor assignati non essent.

Item volumus, statuimus, & de apostolicae potestatis plenitudine decernimus & mandamus omnibus & singulis Cardinalibus sub poenis excommunicationis ipso facto & inhabilitationis omnia activae scilicet & passivae quoad electionem Romani Pontificis, quod eo casu, scilicet mortis nostrae ante publicationem dictorum quatuor Cardinalium, quod ipsi alii Cardinales teneantur & debeant immediatè, scilicet, infra diem naturalem, habita notitia mortis publicare praedicta, dictosque quatuor Cardinales recipiant pariter & admittant in omnibus ac si publicati & admissi fuissent, sicut superiùs est expressum.

Ita fuit. A. Cardinalis propria manu Episcopus Penestrinus Laudensis.

Ita fuit. A. Cardinalis Bononiensis propria manu.

Ita fuit. F. Episcopus Sabinensis Cardinalis Venetiarum propria manu.

Ita fuit. A. Cardinalis Aquilegensis manu propria,

Ita

Ita fuit. G. Cardinalis Senenſis manu propria.
Ita fuit. T. Cardinalis Tricaricen. manu propria.
Ita fuit. B. Cardinalis Placentinus manu propria.
Ita fuit. G. Cardinalis ſancti Marci.
Ita fuit. R. Cardinalis de Brancatiis.
Ita fuit. A. Cardinalis ſancti Euſtachii manu propria.
Ita fuit. L. Cardinalis de Comite.

Cujus decreti occaſione Reverendiſſimus in Chriſto Pater & Dominus Dominus Petrus Dei providentia Albanenſis Epiſcopus ſacroſanctae Romanae Eccleſiae de Fuxo Cardinalis nuncupatus dubium ſequens ad conſulendum & allegandum tradidit ut ſequitur.

Vtrum vigore dicti decreti de plenitudine papalis poteſtatis editi in eventum quo appareat Dominos Cardinales in cedula ſubſcriptos poſt mortem dicti Domini noſtri Martini quondam non recepiſſe dictum Dominicum electum Firmanum ut Cardinalem, nec ad electionem ſummi Pontificis Domini Eugenii quarti admiſiſſe, ex hoc ipſi ſubſcripti debeant inhabiles ad papatum vel ad electionem ſummi Pontificis activè & paſſivè fore & fuiſſe reputari. Et cùm dictus Dominus Eugenius quartus à duabus partibus Cardinalium electus in Papam fuerit, an ejus electio propter contemptum & inhabilitatem praetenſos veniat per generale Concilium infirmanda ſeu caſſanda.

Quis, ut ait Hieronymus, unuſquiſque offert tabernaculo Dei quod habet, & illa paupercula mulier evangelica duo tantum aera in gazophylacio pro maximo opere obtulit: quod quamvis modicum, ei tamen ad magnum meritum reputatum extitit. *Lucae* 21.

Quae conſiderans ego, licèt modicus, in tanto & mihi grandi & gravi opere aliqua pauca ſubiciam, ante omnia tamen proteſtationes de quibus in cap. *Damnamus. De ſumma Trinitate* praemittens, proteſtans etiam quod per aliqua quae dicam infrà alicui perſonae injuriam inferre non intendo, ſed ſolum de eis honeſtè quantum potero loqui, juxta tamen caſus exigentiam, & non aliàs & etiam cum omni honore & reverentia cujuſcunque loqui & ſcribere intendo. Quae omnia in ſingulis hujus opuſculi partibus, ubi utile & expediens erit, haberi volo pro repetitis.

Viſo igitur decreto Domini Martini Papae quinti & Dominorum Cardinalium ſubſcriptione & themate praeſcripto, quamvis ex themate ipſo non appareat claritas eorum quae poſtea in facto ſecuta ſunt in electione ſanctiſſimi Domini noſtri Papae Eugenii quarti vel non admiſſione Domini Dominici de Capranica ad ipſius electionem, niſi quantum ex allegationibus ſimilibus Domini praeſcribentis colligere potui, alium tamen ordinem tenebo in dubiis removendis quàm ipſe fecerit; & ideo alia dicam, pauca de ſuis tangendo.

Elicio ſpecificè dubia tria principalia infraſcripta. Primum eſt, utrum decretum per Dominum Martinum de plenitudine poteſtatis factum, in forma in qua eſt, de jure valuerit & tenuerit, & an ei illud facere licuerit. Item ſecundum, an ſubſcriptio Dominorum Cardinalium ſubſecuta eos taliter circa electionem Romani Pontificis ligaverit quo minus libere ea nonobſtante ad electionem praefati Domini noſtri Papae procedere potuerint, dicto de Capranica ad eam non vocato vel admiſſo. Item & tertium, ſuppoſito ſine praejudicio, ſed non conceſſo, quod decretum praetenſum valuerit, & ſubſcriptio Dominorum Cardinalium circa electionem eos ligaverit, utrum praefatus Dominus noſter Eugenius ſit verus Papa, & contra ejus electionem objectio dicti de Capranica dicentis quod propter non admiſſionem ipſius ad electionem Apoſtolici ſit admittenda vel ejus electio ad ſummi apicem quomodolibet impugnanda vel in dubium revocanda.

Vt ſim brevis & clarus, quia nihil tam congruum legibus quàm claritas in authent. de teſtam. imperfect. circa medium octavae collationis.

Ad primum dubium videtur attendendum quod decretum praetenſum fuit & eſt nullum, ſcandaloſum, peſſimi exempli, & plenum periculoſiſſimi & triſtiſſimi in Eccleſia Dei eventus, & univerſalem Eccleſiam notorie ſcandalizans, & per conſequens Domino Papae Martino id facere non licuit, nec ſubſcribi meruit. Quae rationibus ſequentibus comprobantur. Vt tamen melius videatur quia diſputatione certandum eſt, ratione tamen vincendum. *ff. de muner. & honor. l. Munerum §. Mixta munera* 23. *q.* 6. *Vides*.

Quia igitur hoc pro bono & evidenti utilitate univerſalis Eccleſiae & totius Chriſtianitatis, & ut ſchiſmata & ſcandala & turbationes ac confuſiones à populo evitentur, providè decretum eſt & à ſanctis patribus ordinatum in ſacris Conciliis generalibus quod ad Cardinales pertinet Papae electio, & Papa illa immutare vel eis derogare vel formam novam conſtituere & ordinare aut illam deſtruere vel alterare per quod ſtatus Eccleſiae deformetur non poteſt, imo uſque ad animam & ſanguinem illa ſervare tenetur, ut ſerioſe haec habentur 25. q. 1. *Quae ad perpetuam ſunt ordinata*. & cap. ſequentibus, ubi textus formaliter ita dicunt: *Leo papa Anatolio Epiſcopo*. In rubro: *Non debent ullo modo variari quae ad perpetuam ſunt ordinata quietem*. In textu: *Quae ad perpetuum ordinata ſunt generaliter utilitatem nulla commutatione varientur, nec ad privatum trahantur commodum quae ad bonum ſunt commune praefixa; ſed manentibus terminis quos conſtituerunt patres, nec injuſtè uſurpetur alienum, ſed infra fines ipſos atque legitimos, prout quiſque valuerit, in latitudine ſe exerceat caritatis*. Sequitur ibidem in ſuperſcriptione: *Item Hilarius Papa*. In rubro; *Divinas conſtitutiones, id eſt, apoſtolicae ſedis decreta, nulli temerare licet*. Item ſequitur aliquibus interpoſitis in ſuperſcriptione: *Item Vrbanus Papa*. Sequitur in rubro: *In quibus Romano Pontifici licet novas condere leges*. Sequitur textus: *Sunt quidam dicentes Romano Pontifici ſemper licuiſſe novas condere leges. quod & nos non ſolùm non negamus, ſed valde affirmamus. Sciendum verò ſummopere eſt quia inde novas leges condere poteſt unde Evangeliſtae aliquid nequaquam dixerunt. Vbi verò apertè Dominus vel ejus Apoſtoli & eos ſequentes ſancti patres ſententialiter aliquid diffinierunt, ibi non novam legem Romanus Pontifex dare, ſed potiùs quod praedicatum eſt uſque ad animam & ſanguinem confirmare debet. Si enim quod docuerunt Apoſtoli & Prophetae deſtruere, quod abſit, niteretur, non ſententiam dare, ſed magis errare convinceretur. Sed hoc procul ſit ab eis qui ſemper Eccleſiam contra luporum inſidias optimè cuſtodierunt*. Concordat Marc. x. Item ſequitur ibidem in rubro: *Apoſtolicae ſedis auctoritas contra ſtatuta ſanctorum patrum aliquid condere non valet*. Sequitur textus: *Contra ſtatuta patrum condere aliquid vel mutare nec hujus quidem ſedis poteſt auctoritas. Apud nos enim inconvulſis radicibus viget antiquitas, cui decreta dicta patrum ſanxerunt reverentiam*. Et ſequitur ibidem. *Item Marcellus Papa*. Et in rubro: *Stare non poteſt nec valet quod contra evangelicam vel propheticam vel apoſtolicam doctrinam ſeu conſtitutionem factum fuerit*. Sequitur textus: *Omne quod irreprehenſibile eſt catholica defendit Eccleſia*. Et infrà: *Injuſtum judicium, id eſt, diffinitio injuſta quae regio metu vel juſſu fuerit à judicibus ordinata, non valeat; nec quicquam quod contra evangelicae vel propheticae vel apoſtolicae doctrinae conſtitutionem vel eorum ſive ſanctorum patrum actum fuerit ſtabit; & quod ab infidelibus vel ab haereticis factum fuerit, omnino caſſabitur*. Item ſequitur ibidem in rubro: *A ſtatutis patrum non deviare &c*. Sequitur textus: *Prima ſalus eſt rectae fidei regulam cuſtodire, à conſtitutis patrum nullatenus deviare*.

Primo tamen videtur quod valuerit; quia Papa Chri-

Christi vicarius, Petri successor, omnia potest, & solus habet potestatis plenitudinem, cunctos judicans, ipse autem a nemine judicatur, imo de ejus potestate (dubitare) sacrilegium videtur, ut haec sparsim probantur & plenius exarantur 9. q. 3. *Nemo*, cum septem capitibus sequentibus. 2. q. 6. *Decreto*. & cap. sequenti. 40. di. *Si Papa*. cum infinitis concordantiis. Facit Cod. *De crimine sacrilegii*. cum similibus.

Item dixit Iesus Christus Simoni Petro & successoribus suis: *Quodcunque ligaveris super terram &c.* Matth. 16. extra qui filii sunt legi. *Per venerabilem*. prope finem, & de re judic. *Ad apostolicae* lib. VI.

Item advertendum quod licèt facta fuerit de plenitudine potestatis. Quae verba sunt maximae importantiae, efficaciae, & effectus, ut infrà plenè declarabitur. Ergo &c.

Contrarium pro veritate videtur addendum rationibus sequentibus; quae fundabo primo rationibus humanis, demum per auctoritates sacrae scripturae & Doctorum Theologorum.

Primo certum est quod Papa sibi successorem non potest eligere. Illa enim venit à Deo. Iohannis XX. *Pasce oves meas*. 8. q. 1. *Moyses*. &c. *Si ergo*. Quod singulariter in eo quod non fuit permissum Moysi de successore ordinare, ut infrà latius dicetur in versu *Item advertendum est*.

. Sed Papae electio ad sacrum collegium Dominorum Cardinalium tam de jure communi quàm approbata & inveterata & observata consuetudine pertinet Cardinalibus, cum auctoritas nomine totius christianitatis & universalis Ecclesiae sacrorum Conciliorum & sanctorum Patrum decretis libera est ad hoc attributa potestas. 23. di. *In nomine Domini*. & Lateranensi & Lugdunensi & Viennensi generalibus Conciliis elec. *Licèt de vitanda*, ubi haec notat Ostiensis: Et facit e. ti. *Ubi majus* lib. VI. & cap. *Ne ratione* eo. tit. in Clementinis. Hoc eis etiam competit ex diuturna imo longissima & approbata consuetudine tanti temporis de cujus contrario non extat memoria; quae etiam jure scripto cessante pro jure constituto haberetur. *ff. De aqua quotid. & aestiva l. Hoc jure. §. Ductus aquae, & de verbor. signif. cap. super quibusdam. §. Praeterea, De praescription. ad decimas. lib.* VI. Obtentum enim fuit & observatum à dictis citra temporibus inconcussè quod ille quem Cardinales vel eorum duae partes in Papam seu summum Pontificem canonicè elegerunt, nunciatione & publicatione facta Principibus & aliis de quibus fieri solitum est, fuit pro tali ab omnibus Regibus & Principibus & à toto Christiano populo & Ecclesia universali reputatus, habitus, tentus, & receptus, eique ut tali paritum & obeditum inconcussè, & obeditur hodie palam, publicè, & notoriè. Et hanc potestatem habent Cardinales ipsi, non ab homine, sed à Deo immediatè; ut infra clarè probabitur & dicetur, & haec omnia sunt obtenta & à dictis temporibus observata. Facit quod notatur in dicto cap. *Licèt* per Ostiensem.

Item Cardinales sunt Capitulum universalis Ecclesiae, ut notatur 12. q. 2. *Cùm redemptor*. &c. *Abbatibus*. per Archid. & notatur *Cod. de bonis quae liberis. l. Cùm multa*. per Baldum. Facit quod notatur de judic. *Cùm venissent* per Iohannem Andreae. Sicut igitur Capitulum sede vacante eligit Episcopum, ita Cardinales Papam de jure communi . . . . eod cap. q. 2. Gregorius Augustino Anglorum Episcopo sic dicit in rubro: *Statuta Apostolicorum praedecessorum Apostolicus de-*
25. q. 2. c. 4. *struere non debet*. Sequitur textus: *Si ea destruerem quae antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed eversor esse justè comprobarer, teste veritatis voce, quae ait, Omne regnum in se divisum non stabit, & omnis scientia & lex adversùm se divisa destruetur*. Facit bene 7. q. 7. *Si illa*. Quos textus libenter inferam, quia videntur dubium & caussam totam absque aliis adminiculis decidere ubi non plures concordant. Quae jura allegat notabiliter glossa in cap. *Si Papa*. ad fi. 40. di. Facit quod plene notatur. De statu monachor. *Ad nostrum*. per Henric. di. 4. Scandala enim à subditis removere & non seminare debet quilibet bonus pastor & princeps, & maximè Papa, qui noctes insomnes transire debet propter quietem gregis dominici sibi commissi in prooemio libri sexti & in authent. & diem juss. collat. Octava. Et infrà etiam hoc probatur. Et licèt quidam dicere possent quod Papa circa jura praedicta posset dispensare, hoc tamen Martinus non fecit, quia de eis in genere vel in specie nullam mentionem fecit. Item & casu quo hoc posset & fecisset, hoc facere debuisset ex causa justa expressa, & ad publicam non ad privatam utilitatem. Quod hic non apparet, ut infrà statim dicetur. Item fortè dispensare non potuisset, ut ex dicendis apparebit clarè.

Item confirmatur. Quia potestas à Deo collata est Papae ad aedificationem, non ad destructionem, teste Apostolo 2. Corint. 10. & ult. circa finem, & dicto cap. 25. qu. 3. *Si ea destruerem*. Per hanc ergo cedulam seu decretum Domini Martini, si valeret, sequeretur destructio & inhabilitatio in principalibus & honorabilioribus membris universalis Ecclesiae, scilicet Dominis Cardinalibus, qui sunt Consiliarii; assessores, & collaterales Papae, & ad quos post ejus mortem libera futuri Romani Pontificis est à jure & decretis sanctorum generalium Conciliorum & longissima & approbata consuetudine attributa potestas, ut jam dixi. Ergo clarè patet quòd hoc facere non potuit nec debuit, nec factum tenuit.

Item advertendum quòd in dicto decreto non sunt aliquae nonobstantiae. Non enim dicitur ibi *nonobstante* decretali *Licèt de vitanda*, nec cap. *Significasti*, vel cap. *Ubi majus*, & cap. *Romani*. De elec. &c. Et ideo non est verisimile Romanum Pontificem, qui jura tuetur, uno verbo totam observantiam electionum multis vigiliis excogitatam atque inventam velle everti, ut *Cod. de inoffic. testam. l. Si quando*. in principio, in textu & glosa. Decreta enim & statuta in Conciliis generalibus per sanctos patres cum tantis vigiliis ordinata & hactenus observata non potuerunt vel debuerunt sic everti per unum tale decretum, ut statim dictum est.

Item ad praemissorum confirmationem subjungitur ad propositum notabilis quaestio. Quaerunt Glosatores & Doctores juris canonici utrum Papa possit omnes Episcopos deponere, & tenent quòd non, quia hoc esset totam universalem Ecclesiam scandalizare & turbare, ut haec notantur 9. q. 3. *Per principalem* quam sequuntur Archidiaconus & alii. Maxima enim causa & multiplex probatio & solemnis processus & discussio exigitur in depositione & inhabilitatione unius solius Episcopi Cardinalis: quia requirerentur LXX. testes, in Presbytero vero Cardinale LXIV. in Diacono Cardinale XXVI. 2. q. 4. *Praesul.* & capite sequenti. Facit quod notatur de schismat. cap. unico, lib. VI. Quanto ergo debet major causa subesse & processus solemnitas observari & causa ponderari in depositione multorum, arg. *De sacrosanct. Ecc. authent. Multò magis*. Et facit 15. q. 7. *Felix* &c. *si autem*.

Concluditur ergo evidenter quod excommunicare vel inhabilitare Cardinales vel novam eis dare formam in electione Papae non potuit fieri sub conditione. Inhabilitatio enim & exauctorizatio similis est morti civili, *Cod. de Primicerio l.* 2. lib. XII. Et notatur *ff. de Senatorib. l. Cassius*. Facit *ff. De manum. vindicta. l. Iusta*.

Constat autem quod Papae non permittitur aliquid facere per quod Ecclesia notoriè scandalizetur vel ejus status universaliter turbetur, cùm sit positus ad aedificandum, non destruendum; ut est dictum, & infrà dicetur latiùs. Non enim debet sustineri nec ab Ecclesia defendi per quod constat scandalum in Ecclesia generari, *Ne Clerici vel monachi secularibus*. & cap. *Igitur*. Et per hoc decretum in nullo potuit detrahi formae traditae in Conciliis generalibus &c.

&c. Et notatur in dicto cap. *Licet* super verbo *In Ecclesia Dei* & in dicto cap. *Licet*. Ita enim est Vicarius illius qui non venit solvere legem & Prophetas, sed adimplere, Matthaei quinto capite. Et infra dicetur plene circa secundum dubium.

Praeterea illud decretum vel ordinationem facere est una maxima & aliàs invisa novitas, ex qua nulla secuta est nec sequi poterit in Ecclesia Dei communis utilitas. Solum enim illud factum est ad privatam aliquorum particularium utilitatem, & per consequens non valet; quia in rebus novis constituendis evidens debet esse communis utilitas. *ff. De constit. Princip. l. fin.* ubi est expressum. Numquid, deprecor, ex illo decreto vel ordinatione sequebatur in Dei universali Ecclesia haereticorum vel Bohemorum conversio? Numquid Regum & Principum Christianorum tamdiu contendentium & debellantium pacificatio, numquid Graecorum reductio, vel terrae sanctae acquisitio, vel aliquid simile? Certè minimè, nec eorum aliquod nec aliquid bonum commune in universali Ecclesia, ut statim sequetur. Ergo &c.

Si enim hoc vel eorum aliquod vel simile publicam respiciens utilitatem sequi potuisset, fortè sustineri valeret decretum ipsum vel ordinatio. Sed hic neutrum sequi potuit, sed solùm utilitas aliquorum privatorum versabatur, qui non erant nec sunt tam generosi virtutum, & maximè iste de Capranica, qui nec genere nec scientia pollet, ut fertur, quòd aliquod ex eorum elevatione vel ad Cardinalatum assumptione bonum commune vel universalis Ecclesia reparari, reformari, vel relevari potuisset plusquam de aliorum assumptione. Æquales enim, imo majores eis de aliis nationibus reperti fuissent, & specialiter isto de Capranica, qui conqueritur, & propter istum est quaestio quoad praesens duntaxat. Et ideo dictum decretum non fuit nec est tanti ponderis quin deridendum fuerit & contemnendum. Et si Domini Cardinales illo contempto, maximè ejus statu & conditione attentis, ad electionem Domini nostri Eugenii processerunt, bene fecerunt. Deridendum enim est & contemnendum imo extirpandum quod ratione caret. *ff. De negotiis gestis. l. Sed an ultro. §. 1. Sed hanc sententiam Celsus deridet. ff. De decretis ab ord. l. fi.* Et facit *C. de legib. l. fin.* 68. di. *Chorepiscopi*, ubi est expressum.

Haec non dico ad injuriam dictorum quatuor Dominorum in cedula nominatorum. Audio enim quod valentes Domini erant omnes. Iste tamen de Capranica minoris conditionis & status inter alios. Sed non tanti omnes sunt quod propter eos tale decretum tam periculosum fieri necesse fuisset in scandalum verisimiliter futurum totius universalis Ecclesiae, & specialiter de Capranica, per quem scandalum schismatis paratum esse dicitur in Dei Ecclesia propter ejus conquestionem. Quod si sequeretur, quod absit, melius esset nobis si natus non fuisset homo ille. *Matth. 25. & Marci* 14. Et si etenim Papa eos cardinalare voluisset, hoc sine scandalo facere potuisset, non autem tales viam & modum amplecti vel servare per quem confusio, scandalum vel inconveniens sequi in Ecclesia universaliter poterat, quae bonus Princeps à subditis tollere debet, non eis viam parare, ut authent. *Divinae jussion.* Collat. octava, & suprà dictum est.

Item attendendum est ad causam vel rationem decreti dicti Domini Martini, quia verisimiliter hoc, ut arbitror, factum fuit ad finem quod successor dicti Martini Romanus vel Italicus eligeretur, attenta natione omnium istorum Dominorum quatuor nominatorum, quorum duo Romani, alii Italici dicuntur; & praesumitur quod indirectè volebat idem Martinus sibi de successore Italico providere, quod sibi isto modo non licuit. Quare rogare debet Praelatus Deum ut ei bonum tribuat successorem 7. q. 1. *Petisti*, in fin. non autem eum sibi eligere vel directè seu indirectè ordinare. Ad Deum, non ad hominem, hoc spectat, Ioh. 20. ibi: *Pasce oves meas*. De elect. c. *significasti*, & 8. q. 1. *Moyses* & c. *Si ergo quia adeo habet primatum* 21. di. c. *In novo*, &c. seq. Et ejus electionem Deus sibi reservavit, 79. di. c. ultimo. Facit illud: *Item dabo vobis pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina*. Facit De judi. c. *Novit*; ibi: *ad regimen universalis Ecclesiae superna dispositione vocati &c.* Item ibidem post medium, *quia potestas nostra non est ex homine*, sed à Deo, & infrà etiam dicetur secundum Theologos.

Et propterea contemnere potuerunt & debuerunt Domini Cardinales, repulso ipso de Capranica, dictum decretum tamquam illicitum, insolitum, exorbitans contra jus & utilitatem publicam, & contra canonicas sanctiones & decreta patrum condere nihil potest. 25. q. 2. *Decessorum* 35. q. 9. *Quod quis*. Facit cap. *Si contra jus vel ut*, *pu.* l. *Rescripta contra jus*, ut suprà.

Item & quatenus de facto processit, est dictum decretum à sacro Concilio vel à Domino nostro Papa tamquam scandalosum, confusione plenum, pessimi exempli & pestiferi schismatis praeparativum, & Ecclesiae universalis turbativum, revocandum. Hoc enim facere Dominus noster Papa solus non potest sine sancta synodo, ut probatur De sepulturis *Dudum* in principio, in Clement. De immunit. Eccles. Clem. unica in quibus est expressum, etiam in casibus minus dubiis quam sit iste. In dicta enim Clementina unica ultimo allegata Papa constitutionem Bonifacii VIII. etiam in favorem & pro bono totius cleri ordinatam propter vitanda inter Principes scandala sustulit & revocavit. Quanto magis ergo ubi hoc concernit favorem totius universalis Ecclesiae, sicut in proposito, hoc facere potest imò debet, non videtur dubium.

Item pro praemissis facit una ratio civilis, quae talis est. Leges civiles dicunt quod testator habens pulcram domum & decoram in civitate, quamvis sit ipsius plenus & in solidum dominus, tamen non potest columnas marmoreas vel alios lapides magnos & decoros in ea positos à dicta domo detrahendos alteri legare, vendere, vel donare; ut sunt tex. *ff. de contrah. empt. Senatus. Cod. de aedific. privatis. 2.*

Et est ratio politica, ne urbs ipsa vel publicus aspectus ipsius deformetur ruinis, ut dicunt tex. in dictis titulis. Nunc ad propositum. Ex hoc sequitur quod Papa qui non est ita dominus universalis Ecclesiae sicut privatus est dominus rei suae, cum ipse Papa solum minister rationabilis & dispensator Ecclesiae & rerum ecclesiasticarum existat, ut infrà dicetur, non potuit ergo unam vel plures columnas aut lapides vel membra decora universalis Ecclesiae, scilicet Dominos Cardinales, ab ipsa domo & Ecclesia tollere, vel quoad electionem eos inhabiles reddere, vel exauctoritare, maxime sine causa rationabili. Per hoc enim ipsa universalis Ecclesia, quae consistit in capite & decore membrorum maxime principalium Dominorum Cardinalium, dehonestaretur &, ut ita dicam, dismembraretur, & Ecclesia ipsa & ipsius publicus aspectus deformaretur ruinis, turbareturque, & scandalizaretur; ut de se patet, & suprà dictum est. Hoc clarè habetur. Propter quod Papa dictum sic Ecclesiam deformans decretum facere non potuit, nec factum valuit. Et ipsa videtur urgens & legalis ratio facere, quia nemo potest facere quin jura in factis suis locum sibi vindicent. *ff. de C. 1. cap. Nemo*. Et quamvis Princeps sit solutus legibus, tamen secundum eas vivere debet. *Cod. De legib. Digna vox*. cum similibus. Non enim debet solvere legem, sed adimplere, ut suprà dictum est, & infrà latius dicetur circa tertium dubium.

Quod autem Papa non sit dominus nec tantum jus in Ecclesia vel ecclesiasticis personis habeat quàm homo privatus laicus habet in re sua, (cujus est arbiter & moderator plenus. *Cod. Mandati l. in re mandata.*) evidenter ostenditur rationibus & auctoritatibus multis. Primo ipsius Iesu Christi dicentis Lucae 22. *Qui praecessor est in vobis, sit sicut ministrator*,

tor. Et Apost. 1. Corinth. 4. *Sic nos aestimet homo ut ministros Dei & dispensatores &c.* Et ipse Petrus ait; *Non quasi dominantes in clero, sed forma facti gregis &c.* Et alibi procuratores sunt Praelati, non domini. *De donat. cap.* 2. Quod etiam de Papa intelligitur, ut infra statim dicetur, & probatur *De praebend. cap. 2. libro sexto*, ubi dicitur quod Papa habet plenariam dispositionem omnium beneficiorum. Non dicit dominium. Ex quo sequitur quod Papa non potest ad libitum detrahere bona Ecclesiarum, ut quod ademit de ipsis teneat; (Hoc enim facere posset, si esset Dominus) sed cum sit administrator & dispensator bonorum Ecclesiae, in quo requiritur bona fides, non habet sibi collatam potestatem in eis nisi ad communem Ecclesiae utilitatem; quia potestatem ei dedit Deus ad aedificationem, non ad destructionem, ut dictum est. Ex quibus sequitur quod si Papa pro libito detrahat bona Ecclesiae, & ea non dispenset bona fide, de jure non tenet quod agit, & non solum tenetur agere pœnitentiam de peccato propter abusum rei; sed si infideliter agit, ad restitutionem tenetur, si aliunde habet, cum sit defraudator rei alienae. Secus si esset dominus; quia in re sua quilibet est legitimus administrator, ut est dictum. Verba sunt Domini Cameracensis Cardinalis in tractatu suo infrà saepius allegando.

Item dicit Ægidius Avinionensis Episcopus *in cap. Ad succidendos, De schismat. lib.* VI. quod cum Papa sit administrator & vicarius, non debet potestate sua malè uti, nec jura aliorum occupare, nec in praejudicium alterius judicare, facere, vel ordinare; quod si fecerit, successor suus haec debet revocare; ut notatur De sequestrat. possess. & fruct. cap. 1. lib. VI. per eundem. *Postquam ad diversas mundi partes dispersi fuerunt Apostoli, Petro tamquam principale officium gerenti assistebant tamquam Cardinalatus ministerium exercentes, sicut nunc Papae assistunt Cardinales tamquam ejus principales accessores & Consiliarii atque cooperatores in regimine universalis Ecclesiae. Postquam vero Apostoli à Petro separati in opus praedicationis diversa mundi loca perlustrantes speciales sibi dioceses sortiti sunt, ex tunc episcopale officium. De quorum cardinalatu intelligi potest illud propheticum 1. Reg. 2. Domini sunt Cardines terrae, & posuit super eos orbem. Ex quo iterum sequitur quod priùs fuerunt Cardinales orbis quam urbis. Nam sicut Petrus fuit Papa orbis, id est, universalis Ecclesiae, ante quam Episcopus Ecclesiae Romanae, sic & Apostoli prius fuerunt Cardinales orbis antequam aliqui fuerint Cardinales Romanae urbis, ut suprà dictum est in quarta quaestione. Cujus conclusionis verba, quia faciunt ad propositum, sunt ista; quod Petrus fuit prius Pontifex summus quàm Episcopus Romanus. Utrumque tamen episcopatum à Christo immediate recepit. Pro cujus declaratione sciendum est quod quando Christus constituit Pontificem summum dicens,* Pasce oves meas, *& eisdem verbis potestatem dedit erigendi sedem ubicunque vellet, ut ibi esset particularis Episcopus. Unde, sicut ecclesiasticae tradunt historiae & sanctorum patrum decreta testantur, Petrus quatuor annis tenuit cathedram Ecclesiae nullam sibi particularem eligendo Ecclesiam, sed tamquam Praelatus & caput omnium fidelium sedebat ubicunque volebat. Unde in Hierusalem, ubi legitur Jacobus statim post passionem Domini à Petro & Apostolis fuisse Episcopus ordinatus, Petrus licèt in omnibus praefuerit, tamen illam Ecclesiam tamquam sibi specialem non elegit, sed post quatuor ferè annos Antiochiae sedit annis septem, & illam sibi Ecclesiam appropriavit. Deinde verò apparente sibi Christo & eodem revelante sedem suam Romam transtulit, & ibi factus est Romanus Episcopus, ut ibi proficeret. 7. q. 1.* Mutationes. *Et sic ex tunc in Petro & suis successoribus duo episcopatus concurrerunt, videlicet universalis Ecclesiae, & particularis Ecclesiae Romanae. Et hic finis dictae quartae conclusionis. Redeo ad praescriptam sextam conclusionem. In signum verò dictae discretionis investitura papatus dicitur Papae investicio de papatu Romano, ut praesit urbi & orbi. In utroque verò tam urbis quam orbis praesidentia coassistunt Cardinales, tamquam speciales ipsius coadjutores vice & nomine tam Romanae quàm universalis Ecclesiae. Et ideo ipse Papa ante suam consecrationem profiteri debet de sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consensu, directione, & commemoratione ministerium summum agere atque peragere, ut patet in professione quam fecit Bonifacius VIII. quae incipit:* Ego Benedictus Caietanus. *Ex praemissis sequitur septima conclusio, quod sacro collegio vel senatui Apostolorum succedit in ordine hierarchiae sacrum collegium Cardinalium, videlicet quantum ad illum statum quo Apostoli assistebant Petro antequam post eorum divisionem fierent particularium Ecclesiarum Episcopi. Statui autem Apostolorum, in quantum fuerint Episcopi, succedit ordo Episcoporum. Et ita intelliguntur dicta sanctorum ex quibus sumitur illa glossa Lucae x. super verbo:* Designavit & alios septuaginta duos: *ubi dicitur quod sicut in Apostolis forma Episcoporum, sic in septuaginta duobus Discipulis forma est ministrorum secundi ordinis, & omnis potestas sacerdotalis ad hos duos ordines reducitur.*

Deinde post decimam conclusionem dicti sui operis subjungit idem Dominus ad probationem praedictorum in septima conclusione hæc verba: *Circa septimam conclusionem nota quod aliquibus videtur quod Silvester fuit primus qui Cardinales vocavit, ut 2. q. 4. Praesul, & fuit id capitulum conditum in generali Concilio, ut ibi patet. Aliis videtur quod Marcellus Papa.* Cujus scripta videre volui propter haec & alia multa infrà dicenda in multis locis. Quae scripta solemnia gesta magnalia sunt in Avinione in monasterio sancti Martialis, ubi sunt ultra viginti quinque volumina grossa per eum facta tam super toto jure canonico quam in consiliis.

Si igitur hoc de rebus Ecclesiae æstimationem recipientibus Papae non conceditur, multò minus ei concessum est in personis ecclesiasticis, maximè in majoribus & principalibus, videlicet Cardinalibus. arg. in dicta aut. multo max. cum similibus.

Item probatur alia ratione quod non potuerit Papa sic sine maxima causa Cardinales omnes purè vel sub conditione excommunicare vel inhabilitare, quia etiam unicum Cardinalem Papa deponere vel inhabilitare non potest, sed hoc pertinet ad Concilium generale. *De Clericis non residens. cap.* 1. Et ibi expressim per Innocentium, quem sequitur novellator & Ancarano. Et est ratio secundùm eos, quia Cardinales, tamquam maximi, debent speciali praerogativa laetari. *De off. leg. cap. 1, lib. sexto.* Et sunt pars corporis Papae, quicum judicant orbem. *Qui filii sunt legit. Per venerabilem*; ut infrà dicetur. Propter ergo tantam vicinitatem debent esse participes privilegii singularis. *ff. de excus. tutor. l. Non tantùm.* Et una eadem res non debet diverso jure censeri. *ff. de usurpat. l. Eum qui aedes. & De decim. Tua.* ut notant Dominus Ioannes Andreae & Ancarano in dicto capitulo secundo post Innocentium.

Sed contra hoc facere videtur *De schismat. Ad succidendos lib.* VI. ubi Bonifacius Papa solus de fratrum suorum consilio deposuit Cardinales de Columna. Respondetur quod ibi suberat causa evidentissima, & etiam enormis error & delictum notoriè Cardinalium ipsorum. Et ideo secùs hic, secus ibi. Item illa decretalis fuit per Benedictum XI. dicti Bonifacii immediatum successorem revocata, ut ibi dicit Archidiaconus. Redeundo igitur ad propositum, nunc rationes sacræ scripturæ & auctoritates Dominorum Doctorum Theologorum ad præmissorum confirmationem in medium deducantur.

Theologi dicunt, Sacro collegio vel senatui Apostolorum succedit collegium Dominorum Cardinalium, scilicet quantum ad illum statum quo Apostoli post Christi Ascensionem assistebant Petro antequam post eorum divisionem in orbe fierent parti-

ticularium Ecclesiarum Episcopi, ut infrà clarè dicetur. Pro cujus latiori declaratione, & ut sciatur origo Cardinalium, & quam potestatem habent in Dei Ecclesia, est advertendum quod bonae memoriae Dominus Petrus Cameracensis Cardinalis, summus Theologus, quem ego vidi, & cum eo saepe locutus fui, in quodam solemni tractatu quem fecit de ecclesiastica potestate circa principium in sexta quaestione dicit formaliter & multum notabiliter ad propositum in haec verba.

Part. 1, Oper. Gerson. pag. 809.

Sexta conclusio. Licèt nomina papatus & Cardinalatus tempore Petri & aliorum Apostolorum non fuerint in usu Ecclesiae, sed postea crescente Ecclesia in titulum honoris ex devotione fidelium haec nomina, sicut & nomina Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum, in usum venerunt à sanctis patribus approbatum, unde ecclesiasticae potestates dictis nominibus papatus & cardinalatus nunc designatae, ex tunc in Apostolis praefulserunt, videlicet in Petro papalis dignitas & in ceteris Cardinalatus auctoritas. Pro cujus declaratione sciendum est quod, sicut patet ex discursu historiae actuum Apostolorum & aliis ecclesiasticis historiis ac sanctorum patrum decretis, ante divisionem Apostolorum &c. De elec. cap. Ubi majus. lib. sexto.

Pag. 904.

Et in hoc non refert, quia debet attendi effectus, & non vocabulum. De verb. signific. Intelligentia. *cum tribus capitibus sequentibus. Et nota quod Hostiensis & quidam Doctores canonici multa ponunt de auctoritate Cardinalium tam sede vacante quam plena in cap.* Ad liberandam. De Judae. *& in cap.* Cum ex eo. De poenitent. & remiss. *& cap.* Antiquam. De privileg. *in cap.* Nullus 79. di. *& in cap.* Ego. N. De jurejur. *in cap.* Fundamenta. De elect. *& in cap. 2. De offi. Legat. lib.* VI. *& in Extravaganti* Execrabilis. *Circa septimam conclusionem nota quod Cardinales etiam non Episcopi praecedunt Episcopos, quia comparantur Senatoribus, qui erant primi post imperatorem, & dicebantur patres conscripti. Et de hoc per Archidiaconum* De offi. Legat. c. 1. li. VI. *& pro hoc 96. di.* Constantinus. *ubi concedit Constantinus ut uterentur ornamentis Senatorum. Et dato quod nullo jure probaretur, sufficit quod hoc est receptum a tempore de cujus contrario non est memoria. Nam tale tempus habet vim legis.* De praescript. c. 1. li. VI. & ff. De aqua cotid. & aesti.

Pag. 905.

l. Hoc jure. §. Ductus aquae. Et paucis interpositis sequitur ibidem quod sacer ille Senatus Cardinalium a cardine nomen accepit 22. *Sacrosancta* super verbo *Cardo* per Archid. & sequitur. *Nota quod electio Papae pertinet ad Cardinales, non solum de jure, sed etiam de consuetudine diu obtenta, ut notat Host.* De elect. *Licet & haec consuetudo secundum philosophum dicitur altera natura, & habet vim legis, & legem interpretatur & corrigit.* De consuet. cum dilectus.

Item ad Cardinales pertinet haec electio tamquam ad clerum Romanum seu principales de clero Romano. arg. 24. di. c. 1. *Facis.* 79. di. c. 2. &c. Si quis ea. & c. Si quis pecuniam. *Sed ultra praemissa humana & positiva jura restat in jure divino fundare statum hierarchicum Cardinalium & eorum auctoritatem. Ubi prius supponendum est quod Christus Ecclesiam suam instituit statibus, officiis, & gradibus variis hierarchiae, juxta illud Apostoli ad Eph.* 4. Unicuique vestrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit: Ascendens in altum dedit dona hominibus. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi. *quod est Ecclesia. Et eadem sententia habetur 1. Corinth. 12. Et haec perfecta & completa statuum distinctio maximè in die Ascensionis instituta est, ut innuunt praemissa verba Apostoli allegantis illud:* Ascendens in altum dedit dona hominibus. *Ex quo sequitur quod varietas officiorum, statuum, graduum, & dignitatum in Ecclesia non principaliter est ex institutione Ecclesiae, nec cujuscumque puri hominis auctoritate praecessit. Quare nec etiam destituere potest ea homo sive destruere. Ulterius supponitur quod praemissa officiorum varietas ad sui pulchritudinem & ordinem requirit quòd inter auctoritates Ecclesiae legitimas sit hierarchica subordinatio, & quod una, scilicet papalis auctoritas, sit suprema ex Christi institutione, & non humana auctoritate, sed divina, juxta illud Ioh.* 20. Pasce oves meas. *Unde licèt pluraliter dicat Apostolus,* Dedit Apostolos seu Episcopos, *tamen ad innuendum id quod dictum est praemisit:* Unicuique vestrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. *Quasi diceret quod uni plus, alteri minus donatum est, & uni supremum regimen ecclesiasticum commisit. Ideo dicit idem Apostolus 2. Corinth.* 10. Nos non in immensum gloriemur, sed secundum mensuram regulae quam mensus est nobis Deus. *Ubi glossa:* Usurpantes sibi regimen animarum sine commissione Christi aut sui Vicarii, & potestatem commissam ultra terminos sibi praefixos extendentes, non secundum mensuram regulae, sed in immensum gloriantur. *Ex praemissis infertur quod sicut status Papae, sic post eum status Cardinalium ad ordinem hierarchicum Ecclesiae ex Christi institutione pertinet. Nam ipsi, quantum ad hunc statum, statui apostolico immediatè succedunt. Pro cujus declaratione sciendum est quod Apostoli possunt triplicitèr considerari, primo ut Christo principaliter astiterunt ante ejus Ascensionem, secundo ut astiterunt Petro tamquam primo pastori ante Apostolorum divisionem & separationem à Petro, tertio ut ex praecepto Christi, postea à Petro separati, per mundum se diviserunt; ut in sexta conclusione tactum est. In primo statu Apostoli fuerunt pares, nec Petrus eis praeerat. In secundo & tertio statu praeerat eis Petrus. Et quantum ad primum & secundum statum Cardinales repraesentant Apostolos in hoc quod assistunt Papae, qui est Vicarius Christi & Petri successor. Sed quantum ad tertium statum, Episcopi succedunt Apostolis, ut in dicta sexta conclusione praemissum est. Et hos notavit Apostolus distinguens status Ecclesiae, cum distinguit statum pastoralem, cui incumbit cura animarum particulariter à statu apostolico, ad quem spectat regimen & ordinatio totius Ecclesiae generaliter. Et juxta hanc sententiam dicit Archid. 22. di.* Sacrosancta, *quod Papa se debet inter Cardinales connumerare ratione status apostolici in quo sunt, condividendo eum à pastorali statu licèt etiam Apostoli fuerint pastores. Sed status in se sunt diversi, & priùs fuerunt in statu apostolico per Christum instituti quàm in pastorali per Petrum; quia ante passionem omnes duodecim fuerunt Apostoli, sed post passionem factus est Petrus à Christo omnium pastor; & tunc status pastoralis fuit ordinatus, licet apostolicus status antè fuisset. Petrus ergo & sui successores retinuerunt utrumque statum, sed Cardinales apostolicum duntaxat. Et ita est diversitas inter nunc vocatos Cardinales, Archiepiscopos, & Episcopos, qui in statu apostolico vario modo succedunt Apostolis. Notatur in glossa primae ad Corinth. 3. super illud dictum fidelibus.* Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas. *Nam ut dicit glossa, Paulus erat Apostolus Corinthiorum, Apollo Archiepiscopus eorum; Cephas, id est, Petrus, omnibus major erat. Unde ulteriùs sequitur quod ad statum Cardinalium tamquam ad statum apostolicum primo pertinet unà cum Papa regimen & ordinatio Ecclesiae; quia ex caritate se obligant ut cum capite suo Christi Vicario generaliter fidem & christianitatem usque ad sanguinis effusionem defendant, in cujus signum capellum rubeum portare dicuntur. Ex quibus sequitur quod Cardinales sunt in statu perfectionis altioris quàm sit generaliter status pastoralis; quia inferiores pastores tenentur se exponere pro grege particulari, sed Cardinales tenentur se exponere pro Ecclesia, quod est perfectius; quia bonum*

quam

quanto communius, tanto divinius, ut dicit philosophus.

Haec sunt verba formalia praefati bonae memoriae Domini Cardinalis Cameracensis in dicto tractatu sparsim descripta, quae hic propter ejus auctoritatem & verborum notabilitatem transcribi feci formaliter & fideliter, quia tractatus ille apud omnes communiter non habetur, & sunt multa notabilia ad propositum meum, per quae patet quod status Papae & etiam Cardinalium à Christo immediatè est institutus & ordinatus originaliter. Ponit etiam quia potestatem quam habent Papa & Cardinales secundum scripturam divinam, ex Christi ordinatione processit. Quae non noverunt omnes humani juris professores. Quae potestas est ad aedificationem, non ad destructionem. Et ideo non potuerunt Papa & Cardinales transgredi terminos quos posuerunt patres sui; exemplo Christi, à quo sunt immediatè instituti, non debuerunt solvere legem ejus, sed adimplere. *Matth.* 5. Et infrà magis declarabitur. Per Dominum igitur Martinum Papam non potuerunt nec debuerunt ita destitui vel inhabilitari Cardinales, etiam ipsis consentientibus, sine causa legitima; & per consequens decretum praetensum non valuit, neque valet, imo contemnendum ut suprà dictum est, & specialiter quia non ad utilitatem publicam & communem, sed privatam totaliter, & sine causa rationabili & legitima, sed pro una truffa & fabula, ut ita dicam comparativè. Non enim hoc Papae permissum est, ut suprà saepe scriptum est & infra dicetur. Multa alia sunt in dicto tractatu, quae hic convenienter addi possent, quae gratia brevitatis transcribere omisi. Recollegi tantum ex eo quae magis ad casum & dubium nostrum mihi pertinenter facere visa sunt.

Ex quibus ulteriùs sequitur secundùm eundem quod licèt debeat obediri Petro & ejus vicario tanquam capiti suo in iis quae pertinent ad aedificationem, non tamen in iis quae pertinent ad ejus destructionem, quod etiam expresse probat Apostolus secunda ad Corinthios 10. ubi ait: *Nam si amplius gloriatus fuero de potestate nostra quam nobis Dominus dedit in aedificationem, non in destructionem*, & in cap. ult. in finem, ibi: *Ut non praesens durius agam secundum potestatem quam Dominus dedit mihi in aedificationem, & non in destructionem vestram.* Et ideo ubi Papa utitur potestate sua in aedificationem Ecclesiae, multa privilegia specialia habet quae sibi soli competunt; quae notantur de translat. Episc. Cum in generali privilegio per glossam & Doctores ple. alibi latius per Guillelmum in Speculo tit. de legat. §. *Nunc ostendendum*; ubi ponit casus centum numero Papae specialiter reservatos. Et Bald. *Cod. De precib. Imper. Offer. l. Rescripta*, ubi notabiliter loquitur. Et Albericus in alphabeto juris canonici super verbo *Papa*, ubi videtur aliqua addere. Haec tamen privilegia non habet Papa in destructionem Ecclesiae vel ejus membrorum principalium, maximè Cardinalium, 25. q. 2. *Si ea destruerem*, suprà allegatum & transcriptum. Imo concedendum est Papam ab universali Ecclesia vel generali Concilio in aliquibus paucis tamen casibus judicari & condemnari, videlicet in casibus Ecclesiae destructionem tangentibus secundum Dominum Cardinalem, qui hoc deducit & probat rationibus in dicto tractatu. Aliàs enim sequeretur Christum, qui verum est & summum caput Ecclesiae & institutor ejus sapientissimus, eam non perfectè & sufficienter ordinasse, quod est haereticum & contra illud Deuter. 3. *Dei perfecta sunt opera* secundum eundem Dominum Cardinalem. Et facit illud Psalmi *Benedic.* 103. *Omnia in sapientia fecisti* & notatur plenè 40. di. *Si Papa*, per omnes ibi scribentes. Ubi dictus Dominus Ægidius Avinionensis Episcopus multa notabilia dicit de hoc.

Concluditur ergo quod decretum praedictum nullum est & iniquum rationibus praedictis, & non tenendum, nec timendum. Etsi enim sententia excommunicationis, licèt injusta, sit timenda, ubi tamen nulla est, nec tenenda nec timenda secundum Hostiensem; qui hoc notat insuper de sententia excommunicationis, §. *Quis sit effectus*, versiculo *Haec vera sunt de sententia justa*. Quo casu, quando est nulla, non est necessaria absolutio. 2. q. 1. *Primates*. Sententia enim excommunicationis, suspensionis, vel interdicti nulla non ligat apud Deum nec Ecclesiam, nec efficitur quis irregularis se immiscens divinis. Ita eleganter notatur de clerico excom. ministrante, cap. *si celebrat*, per Henr. circa principium, & de sententia excom. sacro. di. 1. per eundem, iniquitas enim nullitati similis est. *De sententia & re jud. Pastoral. in Clem. super verbo, Non habebat po an & eo. ti. Cùm Bertoldus, super verbo, Concessimus, per Innocentem.* Hic autem est etiam iniquitas evidens, quia omnes isti qui cardinalari debebant, erant unius nationis, quod non est aequum. Non enim sic faciebat Moyses summus sacerdos, & ejus successor Josue, qui habebat regimen regale, & unus principaliter praeerat omnibus, sub illo tamen septuaginta duo seniores de omni populo & plebe eligebantur, ut probatur Deuteronomii primo. De toto enim orbe eligendi sunt Cardinales orbem judicaturi, secundum Bernardum ad Eugenium, ut infrà dicetur. Et sic patet dictam ordinationem non tantum nullam, sed iniquam & injustam fuisse & esse.

Quibus convenientissimè quae supra dicta sunt, quòd Papa non est dominus, sed administrator, & aliis praemissis adaptantur & concordant quae venerabilis & recolendae memoriae Bernardus Abbas Claravallensis ait in libello de consideratione ad Eugenium tertium Papam; quem libellum describere volui, & aliqua ex ipso sparsim scripta, quae magis mihi visa fuerunt ad propositum, hic transcribi. Primo enim libro quarto ante medium, & ante versum *Liber superiores*, formaliter Papam Eugenium alloquens ait: *Consideres ante omnia sanctam Romanam Ecclesiam, cui Deo auctore praees, Ecclesiarum matrem esse, non dominam; te vero non dominum Episcoporum, sed unum ex ipsis, porro fratrem diligentium Deum & participem timentium eum, de cetero oportere te esse formam justitiae &c.* Et subjungit qualis debet esse Papa. Quae verba licèt sint pulcherrima, gratia brevitatis, & quia non tangunt principaliter hunc articulum, transcribere omitto.

Item idem Bernardus lib. secundo post principium dicit sic: *Blanditur cathedra? Specula est, in te denique super intendis, sonans tibi Episcopi nomine non dominium, sed officium; quoniam in loco eminenti utinam omnia prospectes, qui speculator super omnia constitueris. Enimvero prospectus iste procinctum parit, non otium. Quomodo libet gloriari dum otiari non licet? Nec locus est otio ubi sedula urget solicitudo omnium Ecclesiarum. Non tibi aliud divisit sanctus Apostolus. Quod habeo enim, hoc tibi do. Quid illud? Unum scio, non est aurum, nec argentum, non est mihi. Si habere contingat; utere non pro libito, sed pro tempore. Sic eris utens illis quasi non utens.* Et sequitur statim ibidem ad propositum aliquibus interpositis: *Nec enim ille tibi dat quod non habuit. Quod habuit, hoc dedit, sollicitudinem super Ecclesias, nunquam dominationem. Audi ipsum. Non dominantes, ait, in clero, sed forma facti gregis. Et ne dictum sola humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini est in evangelio: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic. Planum est, Apostolis interdicitur dominatus. Ergo tu tibi usurpare audeas aut dominans apostolatum, aut apostolicus dominatum. Planè ab alterutro prohiberis. Si utrumque simul habere voles, perdes utrumque. Alioquin non te exemptum illorum numero putes de quibus queritur Deus sic: Ipsi regnaverunt, & non ex me: principes extiterunt, & ego non cognovi eos. Jam si regnare sine Deo juvat; habes gloriam, sed non apud Deum. At si interdictum tenemus, audiamus edictum: Qui major est vestrum,*

fiat

fiat sicut minor, & qui praecessor sicut qui ministrat. Forma apostolica haec est. Dominatio interdicitur, indicitur ministratio, quae commendatur ipsius exemplo legislatoris, qui secutus adjungit. Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat. Quis se titulo hoc ingloriam putet quo se prior Dominus gloriae praesignavit? Et sequuntur ibidem multa quomodo se debent gloriari exemplo Prophetarum & Apostolorum. Et Sequitur: *Dominabis lupos, sed ovibus non dominaberis. Pascendas utique, non premendas, suscepisti.* Et sequitur: *Si filius es Apostolorum & Prophetarum, & tu fac similiter.* Et sequuntur multa ad propositum, quae gratia brevitatis omitto, & infrà remitto latiùs videnda.

Item quia fortè dicetur quod dictus Dominus Martinus hoc fecit & ordinavit de plenitudine potestatis quam habebat, ut patet in dicto decreto, audiatur idem Bernardus libro tertio ante finem circa octo columnas super exemptionibus Praelatorum & aliarum personarum ecclesiasticarum à suis immediatè superioribus, dicens ad propositum in haec verba: *Murmur loquor & querimoniam Ecclesiarum. Truncari se clamitant & demembrari. Vel nullae vel paucae admodum sunt, quae plagam istam aut non doleant aut non timeant. Quaeris quam. Subtrahuntur Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis sive Primatibus. Bonane species haec? Mirum si excusari queat vel opus. Sic factitando probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed justitiae fortè non ita. Facitis hoc quia potestis; sed utrum & debeatis, quaestio est. Honorum & dignitatum gradus & ordines cuique servare positi estis, non invidere, ut quidam vestrorum ait: Cui honorem, honorem. Spiritualis homo qui omnia dijudicat, ut ipse à nemine judicetur, omne opus suum trina quadam consideratione praeveniet, primum quidem an liceat, deinde an deceat, postremo an expediat. Nam etsi constet in Christiana utique philosophia non decere nisi quod licet, non expedire nisi quod decet & licet, non continuo tamen omne quod licet, decere aut expedire consequens erit. Age, aptemus, si possumus, tria ipsa operi huic. At quomodo non indecens tibi voluntate pro libito uti, & quia non est ad quem appelleris, potestatem exercere, negligere rationem? Tunc major domino tuo, qui ait: non veni facere voluntatem meam. Quamquam non minùs dejecti quàm elati animi est velut rationis expertem, non pro ratione, sed pro libito agere, nec judicio agi, sed appetitu. Quid tam bestiale? Et si indignum cuivis utenti ratione vivere ut pecus, quis in te rectore omnium tantam contumeliam naturae, injuriam honoris ferat? Sic degenerando, quod absit, generale opprobrium fecisti proprium tibi. Homo cùm in honore esset, non intellexit &c.* Et post aliqua sequitur ibidem: *Non est bona arbor faciens fructus tales, insolentias, dissolutiones, dilapidationes, sterilitates, scandala, odia; quodque magis dolendum est, inter Ecclesias inimicitias graves, perpetesque discordias. Vides quàm verus sit ille sermo: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Quid si fortè non licet? Ignosce mihi. Non facilè adducor licitum consentire quod tot illicita parturit. Tunc denique tibi licitum censeas suis Ecclesias mutilare membris, confundere ordinem, perturbare terminos quos posuerunt patres tui? Si justitiae est jus cuique servare suum, auferre cuique sua justo quomodo poterit convenire? Erras si ut summam, ita & solam institutam à Deo vestram apostolicam potestatem aestimas. Sic hoc sentis, dissentis ab eo qui ait: Non est potestas nisi à Deo. Proinde quod sequitur, Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, etsi principaliter pro te facit, non tamen singulariter.* Et post pauca: *Monstrum facies si manu submovens digitum, facis pendere de capite superiorem manum brachio collateralem. Tale est si in Christi corpore membra aliter locas quàm disposuit ipse. Nec tu putes alium esse qui posuit in Ecclesia quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios doctores & pastores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi. Atque corpus hoc quod tibi ipse Paulus suo vero apostolico figurans eloquio & capiti convenientissime aptans, totum compactum perhibet & connexum per omnem juncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis faciens in aedificationem sui in caritate. Nec vilem reputes formam hanc quia in terris est. Exemplar est in caelo. Neque enim filius potest facere quicquam nisi viderit patrem facientem, praesertim cùm ei sub nomine Moysi dictum sit: Vide facta omnia secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est. Viderat hoc qui dicebat: Vidi civitatem sanctam Hierusalem novam descendentem de caelo, à Deo paratam sicut sponsam. Ego enim propter similitudinem dictum reor, quod sicut illic Cherubim & Seraphim ac ceteri cuique usque ad angelos & archangelos ordinantur sub uno capite Deo, & ita hic quoque sub uno Pontifice Primates vel Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, vel Abbates, vel reliqui in hunc modum. Non est parvi pendendum quod & Deum habet auctorem & de caelo ducit originem. Quod si dicat Episcopus, Nolo esse sub Archiepiscopo, vel Abbas, Nolo obedire Episcopo: hoc de caelo non est, nisi tu fortè angelorum quempiam dicentem audisti: nolo sub archangelis esse, aut etiam alio quolibet inferiorum ordinum aliquem non ferentem subesse cuique, nisi Deo. Quid inquis? Prohibes dispensare? Non, sed dissipare. Non sum tam rudis ut ignorem vos positos dispensatores, sed in aedificationem, non in destructionem. Denique quaeritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur. Ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est; utilitas dico communis, non propria. Nam cùm nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.* Haec dicit Bernardus ubi suprà libro tertio circa finem, qui ibidem subjungit de ambitione & generaliter super universum Ecclesiae statum. Quae & multa alia in dicto libello posita ad propositum hic transcribi possent, quia verba aurea sunt; sed relinquo gratia brevitatis. Ista enim, licet pauca sparsim posita recollegi tamquam meliùs ad casum nostrum facientia; quamvis ferè totus libri discursus posset convenienter adaptari, prout dixi suprà de tractatu Domini Cardinalis Cameracensis. Quem librum seu libellum Bernardi allegat & multipliciter commendat bonae memoriae Dominus Baldus de Perusio utriusque juris professor illustris in multis locis, & signanter ff. de offi. praetor. A Barbatius in lectura in fi. l. qui nominat auctorem illius libelli testem veritatis, & quod verba sua sunt elegantia, plena fide & veritate. Haec autem ultima verba Bernardi hic subjunxit; in quibus licèt non fiat de Cardinalibus mentio, ipse tamen de eisdem quamplura dicit qui & quales debeant eligi & qualiter exemplo Moysi senes, non juvenes, non tam aetate quàm moribus, quia senes populi sunt, & de toto orbe eligendi sunt orbem judicaturi, & multa notabilia de eisdem & eorum virtutibus; qui utinam tales essent omnes quales eos esse debere describit libro quarto post principium. Tamen praemissa pro tanto rescribi, quia si Papa non potest vel debet alios inferiores Praelatos eximere vel gravamina eis inferre, cùm sit eorum Coëpiscopus, non dominus, ut latè dictum est, multo minus potuit Dominus Martinus praedictus, qui etiam inter Cardinales numeratur, ut est dictum, Cardinales excommunicare, inhabilitare, & alia quae egit facere in favorem quatuor, non de toto orbe, nec de ejus diversis partibus, sed omnium Italicorum, & ad ipsorum vel finaliter unius solius eorum utilitatem privatam & nullo modo communem, & utinam ad bonam & rectam intentionem. Quicquid sit, tamen non sequebatur ex hoc in Dei universali Ecclesia evidens utilitas quod sic constituta & decreta & observata in generalibus Conciliis & ad quie-

tem

tem totius universalis Ecclesiae cum tantis vigiliis & laboribus ordinata alterare, mutare, & confundere, aut destruere, Ecclesiam ipsam potuerit turbare, scandalizare, vel turbationem in ea ponere, plenitudinem tempestatis & confusionis ponere in eadem, quod apud tanti capitis graves viros truffa vel fabula aut monstrum in Ecclesia reputatur, ut ex praemissis omnibus colligitur evidenter. Et haec de primo dubio principali dicta possunt sufficere de praesenti.

Restat tamen respondere ad rationes in principio in contrarium factas, quibus ex jam dictis patet ad omnes evidens responsio unico verbo; & ideo superfluum est ultrà aliquid dicere. Quod enim demonstratae rei additur, frustra est. *ff. De dote praeleg. l. 1. in fine*. Et supervacuum est solem facibus adjuvare. 6. q. 1. *Si omnia*. Gratia tamen clarioris intellectus, & ut aliqua omissa dicantur, responderi potest, quando dicitur, Papa Christi vicarius, Petri successor, omnia potest &c. verum est ubi aedificat, non autem ubi destruit, ut suprà dictum est; etiam si hoc faciat de potestatis plenitudine, ut statim dictum est secundum Bernardum.

Item ad id quod dicebatur, *quodcunque ligaveris &c.* respondetur quod hoc est verum si justè faciat & mediante justitia, clave non errante. 24. q. 1. *Manet.* &c. *Quodcunque*. & infrà per glos. Idem tenet Archid. expresè 11. q. 3. *Cepisti*. & dicto c. *Manet*. Idem tenet in cap. *Apostolica* super verbo *ligaveris*. Idem Guillelmus in speculo de pœnit. & remiss. verbo. *Quod si in eadem persona*. Idem de Bracho in suo alphabeto super verbo *ligaveris*. & communiter omnes. Idem tenet magister Nicolaus de Lira in dicto cap. 16. Matth. super verbo *ligaveris*. Scilicet supposito hoc in terra debito usu clavis, Deus approbat in caelis, aliter non. Verba sunt Nicolai de Lira.

Hic erravit graviter, ut ex praemissis patet; & potuit imò debuit sibi in facie resisti, nec ei obtemperare debuit. Reprehensibilis enim fuit, *ad Galat.* 2. Iudicium enim Papae tale esse debet ut non possit nec valeat periclitari. Turpe enim est retractare quod fecit, secundùm Bernardum, libro quarto post principium cap. 2 Concordat lex civilis dicens quòd cavere sibi debet Princeps ut aliquid non faciat reprehensibile seu reprehensione dignum. *ff. de haeredib. instit. l.* Plenè secundum Baldum, qui ibidem quamplura notabilia dicit.

Item ad hoc quod dicitur quod hoc facit Papa de plenitudine potestatis &c. patet responsio per dicta Bernardi ad Eugenium. Illa enim non debet abuti, nec ad hoc est sibi data ut destruat, sed ut aedificet justa & plantet. Quòd si non faciat, non debet dici dispensatio, sed crudelis dissipatio.

Item Innocentius dicit quòd Papa plenitudine potestatis uti non debet nisi ex magna & justa causa, ut notat eleganter de elec. *Innocent.* Quae cessabat omnino in casu nostro, quia fuit merè voluntaria. Et ideo debet illa potestas restringi & temperari, ne sequatur absurditas vel abusus secundum Dominum Cameracensem ubi suprà. Hic autem sequi poterunt scandala, abusus &c. Et idem etiam dicunt Doctores canonum, ut sequitur.

Item dicit glos. Bernardi de concess. praebend. cap. *Proposuit*. quòd licèt Papa habeat plenitudinem potestatis, tamen contra universalem statum Ecclesiae dispensare non potest. 14. q. 1. *Memor sum*. & allegat jura multa. Facit quòd notatur 25. q. 1. *Quae ad perpetuam*. Et ita apparet secundum Doctores Theologos & Canonum quomodo & quando debet uti plenitudine potestatis. Iura etiam civilia concordant in ratione. Potestato enim alicui data quis debet civiliter & rationabiliter uti. ff. de l. fi. Cui. ubi est textus in ratione sui.

Item advertere debebant omnes, cùm essent prudentes, & futura praevidere, quia poterat ex hoc pestiferum schisma in Dei Ecclesia suboriri, quod vitare debebant sicut venenum mortiferum, & potiùs mortem quàm illud pati. Praeteriti enim & inveterati schismatis, quod proh dolor per quinque lustra duravit & ultrà; praeteriti enim ratio scire futura facit de elect. *Vbi*. in principio lib. vi. per Iohannem Monachi. Vnde leguntur in mari historiarum à fratre Iohanne de Columna composito lib. 5. cap. 61. de schismate vitando formaliter verba sequentia. *Dionysius Novato fratri salutem. Si invitus, ut ais, ad hoc venisti, ostendas in eo si desinas volens. Oportuerat enim quidem pati omnia ne scinderetur Ecclesia Dei. Erat non inferior gloria sustinere martyrium pro eo ne scindatur Ecclesia quam est illa ne idolis immoletur. Imo secundùm sententiam majus puto hoc esse martyrium ubi unusquisque pro sua tantùm anima, in hoc pro omni Ecclesia martyrium sustinet. Sed nunc sive tu suadere, sive etiam cogere potes fratres redire ad concordiam, majus tibi erit emendationis meritum quam fuerit culpam commisisse, quia illud non jam imputabitur, hoc etiam laude dignum dicetur. Si vero illi in credulitate permanserint, tu tamen salvas animam tuam. Vale pacem desiderans quam tibi imprecor.*

Ad secundum dubium principale de subscriptione Cardinalium, an eos ligaverit &c. videtur quod sic; quia se subscribendo videntur omnia contenta in decreto seu cedula approbare. *Cod. De re alien. non alie.* 2. Et ibi notabiliter facit *ff. de testam. tu. l. Ex sententia*. Et de subscriptione Cardinalium notatur 12. q. 2. cap. *Cum Redemptor*, per Archidiaconum.

Contrarium dico quod consensus vel subscriptio non nocuit quò minus potuerint eligere libere dicto Domino de Capranica non vocato vel admisso. Vbi advertendum primò ad modum subscriptionis Cardinalium. Non enim aliter consenserunt Cardinales, sed simpliciter per eorum scripturam attestantur & testimonium perhibent quod Papa ita ordinavit; non quod pœnis ibi contentis consenserint vel se subjecerint expresè, ut patet ex verbis quæ clara sunt, & eorum forma est attendenda. *ff. De leg. 3. l. Ille. §. Cum in verbis*. & de privileg. *Porro*. Item videtur quòd etsi consensissent expresè etiam pœnis illis, hoc fecisse dicuntur ex nimia reverentia quam gerebant Papæ, qui erat potens opere & divitiarum & amicorum multitudine in civitate propria; quæ reverentia metui æquiparatur; nec dici debet propriè consensus liber in aliquo, si rubore confusus & persuasus contradicere tunc probatur *ff. de furib. l. fi.* Et facit optimè quod plenè notatur *ff. Quarum re. actio non datur. l. 1. §. Quae onerandae*. per glos. & Bartolum. Et hoc tetigi de primo scribens. Quare non repeto. Addo. Facit benè *ff. Quod falso tutor. l. Novissimè* §. 1. & quod notatur per Baldum ibi. Et hic ulterius advertendum quod præmissa loquuntur in temporalibus, in quibus ordinationes, sententiæ, vel alii actus temporales licèt valeant ipso jure; obstat tamen exceptio, ut in toto. titulo *De his quae vi metusve causa fiunt*. In sententia autem clavium, si excommunicationis vel alterius censuræ spiritualis sit per metum hunc lata vel alius actus factus, est nulla & nullus ipso jure, quia non debent claves vim pati activè vel passivè. *Quod met. causa. cap. 1. lib.* vi. cum ibi notatis. Facit quod notatur 11. q. 3. cap. *Quatuor*. Illa verò allegantes. Cod. De sacrosanct. cap. *Determinus*, ad fin. per Baldum. Facit bene 3. q. 1. §. fi. ubi textus notabilis.

Plus dico, quod etsi liberè & purè consensum clarum omnibus præstitissent, eosdem non ligavit quò minùs potuerint impune ad electionem procedere, cum non valuerit quod egerunt, prout suprà dictum est. Ad totum enim collegium seu senatum Cardinalium pertinet Papam eligere nomine & vice non sua, sed totius universalis Ecclesiæ & pro ejus evidenti utilitate tam de jure quàm consuetudine inveterata, ut est dictum. Cum igitur hoc non ad sui utilitatem vel favorem introductum est, sed pro bono publico universalis Ecclesiæ, non potuerunt nec expresè nec tacitè illi renuntiare etiam cum juramento. Hoc enim posset facere simplex Clericus

Dopo il qual voto addormentatasi, tutta la notte dormì, e la mattina si trovò sana e libera senza alcun dolore. Come mi narrò M. Francesco Cerusico Lucchese, che la medicava. Il quale gli compiò poi il braccio di cera, e portollo a S. Romano; & io fui quello che lo riceveti, e lo posi all'altare di S. Vincenzo.

DI UN TERZABITO, CHE IMPARO' A LEGGERE PER I MERITI DEL P. F. GIROLAMO.

Fu in Viterbo un Terzabito, dell'Ordine nostro, il quale essendo andato molto a scuola mentre era fanciullo, per esser grosso d'ingegno non aveva mai potuto imparare a leggere. Ma essendo poi attempato e quasi vecchio, prese domestichezza con un Viterbese domandato Bagna Cordelli, il quale per esser devotissimo del P. F. Girolamo leggeva spesso l'Opere sue. Abbattendosi con esso molte volte il detto Terzabito, venne per questo in desiderio grandissimo di poter leggere da se stesso per sua salute, e consolazione; onde si raccomandò cordialmente a Dio, che per i meriti degli tre martiri gli facesse questa grazia. Cosa stupenda! cominciando egli un giorno a provare se aveva ricevuto tal dono, trovò che sapeva leggere benissimo, senza che altri gli avesse insegnato. Questo mi riferì il P. F. Jacopo di Sicilia, il quale diligentemente aveva esaminato questo Terzabito, essendo Priore nel Convento della Quercia.

DI UN ATTO MEMORABILE DELLA CASA DE' VALORI.

Non voglio lasciare un atto notabile fatto dalla Casa de' Valori, la quale fu molto affezionata al P. F. Girolamo, dopo la morte del quale essendo stati i Frati più settimane rinchiusi in San Marco per le gran persecuzioni, la prima volta che uscirono fuora per accattare il pane passando dalle loro case, e vedendole abbruciate, e mal condotte per causa del P. F. Girolamo, non si ardirono a domandarvi la limosina, ma passando avanti picchiavano agli altri usci; & essendo sentiti da' Valori, e veduto che non picchiavano l'uscio loro, vennero giù e chiamarono li Frati dicendo queste parole: perchè non venite voi alle nostre case per la limosina? che vi abbiamo noi fatto? Noi vi abbiamo messo la carne, il sangue, e la robba, e patito insino al fuoco, di che ringraziamo Dio, e siamo parati a fare molto più per quell'opera, e per l'onore di Dio. Fate pure di venire alle nostre case per tutti i vostri bisogni, perchè ci sarà gran dispiacere se farete altrimenti. E così detto empirono le loro tasche di pane, e gli mandarono in pace. Li due Frati a queste parole incominciarono a piangere per allegrezza; e tornati al convento raccontorno agli altri quanto loro era occorso. Questi furono F. Cornelio converso, che andò poi a Vallombrosa, e F. Mariano, che fu poi fatto a Roma piombatore.

COME IL P. F. GIROLAMO FU RIVELATO E PREDETTO.

Fu in Prato una vedova, la quale si confessava da' frati nostri, & aveva spirito di profezia. Perciò che predisse il sacco di Prato molti mesi prima che fusse, dicendo in particolare dove aveva a essere il campo de' nemici, e dove rompevano le mura, e donde entravano, e che vi doveva essere uno più onorato degli altri vestito di rosso, intendendo il

Cardinale de' Medici. Onde ella si fuggì e scampò tal tribulatione prima che venisse. Costei disse al suo Confessore, che la notte di Natale aveva visto Jesù nel presepio con la Vergine, e con Giosesso, essendo intorno gran moltitudine di Angeli, & i pastori che adoravano il Bambino, videvi anco il suo Angelo tutto armato, & il P. F. Girolamo con gli suoi compagni in forma di martiri. E sentì che il Bambino disse solo questa parola: Io voglio rinuovare la mia Chiesa. Dipoi l'Angiolo suo le disse: perchè non vai tu a confessarti a' Frati di S. Domenico? non sai forse, che molti loro hanno ad essere adoperati in questa rinnovazione? Et ella con gran timore rispose: Io ho inteso, che essi sono eretici per conto di alcuni loro frati, che sono stati abbruciati in Firenze. Avevano i Frati Minori seminato questa zizzania ne' populi, & i semplici vi rimanevano ingannati (1). Disse allora l'Angelo: ecco qui quelli tre Frati, che sono ora martiri gloriosi: vediti che fanno orazione per questa rinovazione. Allora si levò su il P. F. Girolamo dicendole: non esser più incredula, ma và a S. Domenico, e dì alli miei Frati, che di questo sangue questa altra volta ne ha a toccare anco a loro; e li mostrò una piila piena di sangue. Onde ella spaventata rispose: a chi ho io a dir cotesto, che non vi conosco persona? Rispose: al Confessore che tu piglierai, dicendoli, che egli lo dica a tutti i Frati. E così poi fu fatto. Onde un giorno dopo desinare il P. F. Jacopo di Sicilia, essendo Priore in Prato, fece raunare tutti i Frati in capitolo, ed il Confessore di detta donna fece a tutti quella imbasciata. Un altra volta raccontò questa visione. Mi pareva, diceva ella, esser condotta dall'Angelo mio in una bellissima stanza molta ornata, dove erano più persone vestite di rosso (non aveva mai costei veduto Cardinali nè Papa, però diceva così) come quello che era nel campo degli Spagnuoli, e sedendo tutti avevano in mezzo di loro uno molto ornato e pretiosamente vestito, che aveva in capo come una pergamena di rocca con tre corone piene di gioie, & era molto simile nel volto a quel vestito, che era nel campo degli Spagnuoli, volendo significare Papa Leone X. Dipoi viddi venire uomini in mantello e cappuccio alla fiorentina, con più coppie di Frati Minori Osservanti, i quali si sforzavano che quello così ornato cavasse fuora una scritta contra gli tre Frati morti e loro seguaci; a' quali egli rispondea: perchè volete voi che io facci loro più male? Se fecero peccato alcuno ne hanno fatto la penitenza, & i seguaci loro si portano bene, nè si può far nulla contro di essi con buona coscienza. Nondimanco tanto gli furno d'intorno, che quasi per forza gli trassono di mano non sò che scritta. La qual visione si verificò nel Breve mandato da Papa Leone al Vicario dell'Arcivescovo, & alli Canonici Fiorentini, che dovessero esaminar la dottrina del P. F. Girolamo.

DI UN NOBILE SANESE LIBERATO DALLA PESTE.

In Siena fu un cittadino, chiamato Lodovico Buoninsegni, il quale l'anno 1523. ebbe in casa sua la peste, dalla quale gli morì la sua figliuola maggiore. Costui esortato dal Prior di S. Spirito fece voto a Dio, che se per i meriti del P. F. Girolamo la famiglia sua era liberata, arebbe mandato a S. Marco un cero d'un ducato a onor suo; dopo il qual voto cessò la peste in casa sua, e rimase libero.

(1) IL prudente Lettore non dedurrà da tutta questa leggenda conseguenza alcuna contro la religiosità de' Padri minori di S. Francesco potendo essi come poco informati di tutta la cabala degli avversarj di F. Girolamo, e persuasi dalle formali parole della Sentenza Pontificia che lo condannò come eretico, restare innocentemente ingannati dalla pubblica fama, e perciò opporsi a questo Religioso per vero zelo dell' onore di Dio.

D'UN PRATESE CHE MORI' DISPERATO.

Un Pratese, domandato Puccetto di Lorenzo Pucci inimicissimo del P. F. Girolamo venuto a morte non volle ricevere alcun Sacramento, ma sempre venne dicendo, & gridando: porco, porco; & cosi morì, il che fu noto a tutto Prato.

DELLA PUNITIONE D' UN ALTRO AVERSARIO.

Dovendo andare una mattina il P. F. Girolamo a Prato, un Fiorentino chiamato Giorgio Ginori uscì la notte di Prato, & andogli incontro per ammazzarlo; ma Dio lo fece cascar da cavallo, onde si ruppe una gamba, nè potè venire al fine del suo malvagio intento.

D' UN MIRACOLO FATTO DAL P. F. DOMENICO DA PESCIA.

Essendo gravissimamente infermo, & già fatto in transito un fanciullo che era figliuolo di Thomaso Malegonnelle, nobile Fiorentino, occorse che Fra Domenico da Pescia, suo confessore, andò per visitarlo & trovatolo che non parlava più, & che humanamente era spacciato, confortò il Padre a sperare in Dio con viva fede; di poi fatto uscire ognuno di camera, insieme col suo compagno s'inginocchiò facendo oratione, & stette così circa mezza ora. Di poi levatosi andò al letto dove era il fanciullo, & segnatolo, & datogli la beneditione si messe di nuovo in oratione, & così fece più volte, finche il fanciullo cominciò a risentirsi, & a riavere il parlare; onde F. Domenico li domandò, se voleva guarire; & rispondendo il fanciullo di sì, soggiunse F. Domenico: abbi fidanza grande in Dio; & ritornò di nuovo all' oratione; doppo la quale ritornato al fanciullo, lo trovò tutto scarico; al quale posta la mano in capo, disse il fanciullo: Padre, io son guarito, io mi voglio levare; & da se stesso uscì dal letto, & vestissi; & presolo F. Domenico per la mano lo menò in sala rendendolo al Padre, & alla Madre sano, & salvo, & data a tutti la beneditione si partì, & il fanciullo poi, quando fu grande, si fece frate in S. Marco.

FEDE DI FRA ZANOBI DE' MEDICI.

Fassi fede per me F. Zanobi de' Medici, come questo dì 3. di Maggio io ebbi a me Jacopo Niccolini, il quale la notte innanzi alla morte del P. F. Girolamo fu deputato alla custodia sua, & esaminandolo io di tutto quello, che gli rivelò il sopradetto F. Girolamo, mi disse, che dopo molti santi colloquj gli disse così: Jacopo per la carità, che tu mi hai fatta, ti voglio rivelare un secreto. E' manifesto, che ho predetto a questa Città molte tribolationi; or sappj, che la grande e massima tribolazione che ella deve avere, sarà al tempo che verrà nella chiesa un papa domandato Clemente. Nota questo che io ti dico, & scrivilo, & tiello bene a mente. Et di poi soggiunse; ma non dubiti la Città che al fine Dio l'ajuterà & salverà. Jacopo scrisse il tutto in una poliza, la quale portò a una sua parente monaca delle Murate detta Suor Orsetta, acciò la conservasse; & s' egli morisse innanzi a lei la publicasse, quando occorresse tal caso. Et io F. Zanobi de' Medici co proprii orecchj udij questo dal sopradetto Jacopo Niccolini, presente fra Niccolò delle Galvane, & fra Santi da S. Casciano.

DELLE INGIURIE FATTE AGLI AMICI DEL P. F. GIROLAMO.

Doppo che il P. F. Girolamo fu preso, molte e grandi furono le tribulationi degli amici & seguaci suoi, massime trovandosi i frati di S. Marco scommunicati tutti dal proprio Generale, oltra alla scommunica del Papa, dalla quale i Canonici del Duomo gli havevano assoluti. Et perche la Chiesa era stata contaminata di sangue humano mandorno due Padri a Roma in nome di tutto il Convento, i quali condotti avanti al Papa prostrati in terra gli domandorno perdono, & il simile fecero al Protettore, & al Generale. In Firenze successe poi una Signoria nimicissima a tal dottrina, la qual tolse a' Frati i libri della libreria così Greci, come Latini, che erano costi duemila ducento ducati. Fu anco tolta loro la campana & concessa a' Frati di San Francesco del Monte. Fur poste al Convento le guardie a spese de' frati, acciò niuno potesse entrarvi, nè uscirne; fu anco tolta loro la Sapienza, la quale era stata prima a essi concessa, fu parimente tolta loro la messa di Palazzo, & data a' Frati Osservanti di S. Francesco. Fur dati anco dipoi alla congregatione di molti Conventi per disunire & dispergere i frati. Nondimeno in tante angustie non fu alcuno de' frati, che mutasse il proposito di perseverare nella santa Religione, benchè vi fusse gran numero di novitii non professi. Un Cappellano di M. Pandolfo della Luna, il quale alloggiò con il Romolino in San Piero Cheraggio riferì, come la notte seguente alla morte del P. F. Girolamo, molti Cittadini portorno gran somma di danari al detto Commissario, & che fra gli altri uno gli portò mille ducati, co' quali egli poi ritornò a Roma, come fu fama, comprò un cappello rosso. Dicesi anco che costui ritornò poi a penitenza, e che leggeva l' opere del P. F. Girolamo, & piangeva la sua morte; nondimeno venuto a morte in quel di Napoli gridava, che si sentiva dentro abruciare; & alcuni de' circumstanti testificorun a certi nostri frati, che avevano visto dalla bocca sue, & dal naso, & dagli occhi uscire fiamme di fuoco. Fu anco riferito, che Papa Alessandro pentitosi di tal fatto ebbe una volta a dire in Concistoro, che volentieri gli averebbe posti nel catalogo de' Santi: & io fui presente quando Papa Giulio II. disse nel convento della Cerq. che volentieri l' arebbe canonizato. Il Confessoro del P. F. Girolamo disse a F. Girolamo de' Rossi da Pistoja, che non aveva trovato in lui pur un peccato veniale, & che della scomunica non aveva fatto una minima parola. La beata Colomba da Perugia, trovandosi il giorno della morte loro a udir messa in San Domenico, cominciò a piangere dirottamente; ma dopo alquanto dimostrò nel volto gran festa, & sendo domandata della cagione, rispose: io piangeva, perchè vedeva su la piazza di Firenze esser crocifissi tre frati dell' Ordine nostro, & dipoi abruciati. Mi sono poi rallegrata, perchè ho visto l' anime loro accompagnate dagli Angeli salire in cielo; il che sentendo il Legato di Perugia spedì subito un corrieri, & trovò tutto esser vero. Il P. F. Jacopo di Sicilia, sendo mandato dal Gaetano Generale a visitare quella provincia, abbattendosi a un uomo di santissima vita del medesimo Ordine, gli comandò per obedienza, che gli dicessi sinceramente quel che egli sentisse del P. F. Girolamo; il quale poichè ebbe fatto sopra di ciò oratione, rispose, che egli era nel coro de' martiri. Il medesimo P. F. Jacopo, essendo Vicario generale, comandò al P. Frat' Angelo da Reggio, uomo di gran perfetione, & che aveva fatto miracoli mutando l' acqua del mare in acqua dolce per darne ad un suo compagno assetato; che gli dicessi quel che credeva del P. F. Girolamo; il quale rispose, che siccome Iddio parlava con Mosè a faccia a faccia, così parlava con F. Girolamo. Fur dopo la morte loro fatte di molte proibitioni, che non si parlassi di tal cosa, nè si servassino le cerimonie & creanze dal P. F. Girolamo introdutte, come delle processioni di laude, delle croci rosse, & altre simili; i libri suoi non si lasciavano leggere, & cominciò a allargarsi il vitto & il vestito, & ogni altra cosa; cominciò anco a pul-

lulare

lulare la superbia degli studj, & molti saltorno la granata, & capitorno male, chi per andare in Lombardia, & chi in un modo & chi in un altro. La communione non si frequentava più come prima, la Compieta cominciò a dirsi dopo cena la state, per fare ogni cosa contro gli ordini del P. F. Girolamo, i figliuoli del quale non però si movevano, ma stavano forti in perseveranza, & li più ferventi erano alleguati in luoghi remoti, & di cattiva aria. La Bibbia, che prima i Frati soleano sempre portare sotto il braccio, cominciò a essere tralasciata, & era uccellato chi la portava. E finalmente poco si attendeva all' interiore. Fu anco tentato di tirare alle dignità i primi della Congregatione lasciando i più deboli & di manco credito; & io dissi a certi Prelati a questo proposito, la nostra Congregatione è fatta come l' Idra, la quale se perde un capo n' acquista sette, e bisognerà più di tre Papati a fare cotesto effetto. Le messe che prima si dicevano con tanta devotione s' abbreviavano in modo, che in una città di Toscana, che si dilettava di messe breve, e i populi ebbeno a dire, noi volevamo ben le messe brevi, ma non però più di quelle del Duomo. Parimente i secolari, che non ricorseno all' orationi, molto declinorno, massime dopo che fu letto in Consiglio quel processo falso. Alcuni ne furno messi in carcere, altri furno costretti a fuggirsi dalla patria, & in molti altri modi fur perseguitati. Fu tra gli altri messi in prigione un Bartolomeo Mei, & come egli proprio disse, toccando della fune, non sentì dolore alcuno; convertì anco una meretrice, che gli era stata data in compagnia per farlo peccare. Paolo Antonio Soderini, fratello di Piero, che fu poi Duce, uscendo di casa il giorno dopo la morte del P. F. Girolamo, quando fu in Porta Santa Maria, fu tanto l' impeto degli adversarj, che coi cannoni & rocchetti della seta gli colseno addosso infino a fanciulli, & l' arebbono morto, se non era soccorso, & salvato in una casa di alcune persone da bene, & tutto era per l' affetione sua verso il P. Girolamo. Infinite altre persecutioni occorseno, che con la grazia di Dio erano lietamente da' buoni sopportate, & con patienza tollerate.

DI ALCUNI MIRACOLI OCCORSI IN S. LUCIA.

Era in santa Lucia di Firenze una Suora, detta Suor Mauritia de Reddiò, la quale sendo stata lungamente inferma di gavine non trovava rimedio alcuno, ma sempre andava di male in peggio; & essendo ancor Novitia, una sera tutte le Novitie insieme con lei si messero in oratione, ricorrendo con gran fede ai meriti del P. F. Girolamo; la quale fornita la segnorno in forma di croce con una santa reliquia di detto P. il che fatto la inferma si sentì sbarbare dal capo & dallo stomaco, come radici durissime, onde per la gran pena tutta si sentiva mancare, & le piaghe si serrorno, rimanendovi però le schianze; & facendo un'altra sera la medesima oratione, & segnandola con la reliquia, tutte le schianze cascorno, & rimase netta come un argento; & questo fu la sera di san Giorgio martire.

Un'altra Suora fu nel medesimo Munistero, domandata suor Archangela Aldobrandini, la quale avanti alla professione hebbe tale infirmità in un braccio, che tutto si rattrasse, nè lo poteva punto adoperare; onde la madre sua detta Maria Ginevra de Rucellai, l'esortò che volesse con gran fede ricorrere al P. F. Girolamo, come havea fatto quell' altra Novitia de Redditi; postasi dunque un giorno in oratione la Maestra con un altra suora segnorno la detta Novitia con la reliquia, & subito il braccio si distese.

Un altra Suora professa nel detto Munistero, detta suor Humiliana, trovandosi con un dolore intensissimo di testa, & sentendo da un orecchio un martellamento tale, che il Medico dubitava non avesse una postema nel capo, nè trovando cosa che le giovasse, una sera prese la detta reliquia, se la pose sopra l'orecchio, & subito fu liberata.

Nel medesimo Munistero l'anno 1516. si guastò alle Monache 120. barili di vino, & facendovi venire un secolare che s'intendeva di racconciare i vini, & il canovajo di San Marco insieme col Confessoro, domandato F. Lorenzo da Uzzano, lo trovò in modo guasto & fradicio, che voltatosi alla Madre Priora dissero, che non ne dessero in modo alcuno alle Monache, perche tutte s'infermerebbono, & che tal vino non avea rimedio di poterlo racconciare, & che lo gittassino via in ogni modo. Vennevi poi anco il Vicario di San Marco, & anch'egli disse il medesimo. La Canovaja non restava di usare varii rimedij ma sempre diventava peggiore, & era divenuto amaro come veleno, onde al fine si volse al divino ajuto, & presa la detta reliquia del P. F. Girolamo insieme con tre Suore si pose in oratione, & una di esse vidde nella mente sua venire nella canova quattro Frati, cioè li tre martiri, & il P. F. Silvestro da Marradi; & il P. F. Girolamo disse a quella Suora, che volete voi? & ella rispose: vorremmo che questo vino si racconciasse; & egli sorridendo stette alquanto sopra di se; onde F. Silvestro da Marradi cominciò a pregarlo che facesse loro questa gratia. All'ora il P. F. Girolamo andò, & segnò in croce tutte le botte che erano guaste, fra le quali ve n'era una che gittava un fetore che niuno vi si poteva accostare senza venirsi manco; & fatto questo si partì, lasciandovi odore di viole mammole soavissimo. Levandosi poi le tre Suore dall'oratione incominciorno a segnare le botte con la reliquia, & quella che avea hauta la visione non harebbe volato, parendole superfluo; pur lasciò fare per non palesarsi; dipoi la Canovara spillò le botte, & vidde che il vino avea fatto gran mutatione di colore & di sapore, in modo che la mattina seguente ne dette a mensa; & essendoli ancor rimasto un certo che d' imperfetione venne pensiero a quella Monaca, che avea visto il miracolo, che ciò intervenisse perche ella non lo manifestava. Onde facendo nell'animo suo proposito di manifestarlo, il vino venne alla sua perfettione, & diventò ottimo. Et fu cosa mirabile che il medesimo vino alle volte parea dolcissimo, tal volta brusco, & alcuna volta sapea di malvagia. Et liberò anco di molte Suore dal duol di testa, & di stomaco, & di altri mali. Et di più tenendo conto la Canovaja del vino che si consumava di giorno in giorno, trovò che crebbe più di quaranta barili, & ne fu dato anco a molti secolari, i quali pigliandone con devotione restavano liberi da molte infirmità.

D'UN CHE FU SANATO DALLA LEBRA.

L'anno 1545. era in Firenze un giovane di anni 33. il quale si domandava Andrea di Barilla da san Godenzo, tessitore di velluti, abitante nel Campaccio. Costui si trovava da capo a piedi coperto d'una scorza di lebra, & essendo povero huomo non poteva ajutarsi con le sue fatiche, ma era costretto di andare uccattando; & trà gli altri andava spesso a raccomandarsi a un prete di san Lorenzo, detto Ser Pier Bernardo da Ripa, il quale un giorno gli disse; io vorrei pur che tu cominciassi un giorno a lavorare, & fare qualche cosa. Rispose il povero huomo volentieri lo farei; ma voi vedete bene come io stò. Soggiunse Ser Piero; vuoi tu guarire? disse l'infermo: sappiate che io non ho altro desiderio; disse all'hora Ser Piero, va, & lavati tre volte in Arno, dicendo ogni volta tre *Pater nostri*, *& tre Ave Marie* a riverenza di quei tre martiri, la cenere de' quali fu gittata in quelle acque, & sarai sanato, perchè quelle acque sono santificate da quelle sacre ceneri. Andò l'infermo semplicemente a lavarsi, secondo che il buon Prete l' havea

vea esortato, & era del mese di Giugno, & spogliatosi dalle tre *Pater nostri* & tre *Ave marie*, & poi entrò nell'acqua, dove stato alquanto uscì fuora, & quella lebra era tutta risecca, & stava per cascare. Tornò dunque il secondo giorno, & fatto il medesimo, tutte quelle schianze gli cascorno da dosso, & rimaseno nell'acqua. Et la terza volta tornato uscì del fiume colle carni sane, & pulite come un argento. Di questo ne è testimone detto Ser Pier Bernardo, Ser Francesco Bonino, Gio. Batista Velli, & il detto Andrea in san Marco confessò tutto esser vero in presenza di F. Thadeo Bartoli Priore, e di F. Marco della Casa suppriore, & di F. Vincenzo di Bernardo sagrestano di detto convento.

D'UN MIRACOLO FATTO AL VESCOVO DE' PAGANOTTI.

Il Vescovo di Vasona già Frate di san Marco domandato F. Benedetto di Piero Paganotti, quando il P. F. Girolamo fu sententiato alla morte, ebbe comandamento dal Papa sotto pena della privatione del Vescovado, che venisse a digradarlo insieme con li due compagni. Onde egli per timore acconsentì a far tale opera, con ordine de Commessarij, che non dovessi ricercare altrimenti la cagione della morte loro. Hor non andò poi molto, che il detto Vescovo infermò incurabilmente di tisico, & più volte gli si roppe la vena del petto; & una volta gli si roppe di tal sorte, che poco mancò che egli non mancassi di questa vita. Trovandosi dunque una volta solo nel letto per riposarsi un poco, vide venire a se tre Frati di san Domenico, l'un de quali, che parea il principale, si pose a sedere a piedi del letto, & stando gl'altri due ritti dinanzi a lui, il Vescovo vedendoli pensava fussino Frati di san Marco, o di santa Maria Novella; onde disse loro, chi siate voi? venite più quassù. Et non rispondendo loro nulla, il Vescovo ebbe più volte a replicare il medesimo, nè perciò essi giammai si mossono, se non poiche gli ebbe più volte chiamatigli. Onde andati più sù dinanzi a lui, & stando ritti, uno di loro gli disse: Monsignore, conoscetecci voi? rispose il Vescovo, Padre, io non vi conosco. Soggiunse quel Frate, guardate pure se voi ci conoscete. Rispose di nuovo il Vescovo. Padre, io non vi conosco. Disse il Frate: bene è cosa da maravigliarsi, che voi non ci conosciate; noi ve lo vogliamo dire chi noi siamo. Questo quì è il P. F. Girolamo Savonarola da Ferrara, quell'altro è il P. F. Silvestro Marruffi, & io sono F. Domenico da Pescia, che voi digradaste quando andammo alla morte. Et detto così al Vescovo voltossi al P. F. Girolamo, & li disse: P. F. Girolamo abbiamo noi da rendere bene per male, o mal per male? rispose il P. F. Girolamo; noi abbiamo a rendere ben per male, & non mal per male. Di poi stendendo la mano, & dandogli la benedictione gli disse: nel nome di Dio tu sii sanato. Et così detto tutti disparveno, & il Vescovo rimase sano, & libero dalla sua infirmità. Questo miracolo fu narrato dal Vescovo proprio a i Frati nostri in questo modo. Soleva il detto Vescovo ogni anno per la festa della Epifania, & di san Marco cantar solennemente la Messa nella chiesa di san Marco; sendo dunque propinqua la Epifania, il Priore mandò secondo il solito dui Frati ad invitarlo, i quali furno il P. F. Simone Stradi, el P. F. Ruberto Ubaldini da Gagliano, i quali andorno al Monistero del Portico fuor della Porta a san Pier Gattolini, dove il detto Vescovo per sua quiete s'era ridotto. Havendolo dunque invitato, egli accettò volentieri l'invito; ma volle che i due Padri restassino a desinare seco quella mattina. Onde postosi a mensa con loro, mangiando si venne a ragionare del P. F. Girolamo, nel qual ragionamento disse il Vescovo queste parole: io ho gran paura di non percuotere un giorno il piede in un fil di paglia, & rompere il collo. Dissero all'hora i Frati: o perchè Monsignore? Rispose il Vescovo: perchè io gli digradai. Disse l'uno de Frati: voi facesti la obedienza. Soggiunse il Vescovo: io la feci come la feci, si suol commettere al Vescovo, che esamini prima quella persona, che si ha a digradare; & trovato il difetto proceda a digradarla; ma a me fu comandato, che io non ricercassi nè che nè come, ma senza altro lo digradassi. Vedete dunque se ho ragione di temere, ma notate ancora quel che m'è occorso poco tempo fa. E così seguitando narrò loro a mensa tutto il miracolo sopradetto. Li quali dui Padri lo raccontorno poi in S. Marco. Et il P. F. Simone Stradi, Frate osservantissimo, & di santa vita, lo raccontò in particolare a me F. Vincenzo di Bernardo essendo io suo novitio in S. Domenico di Fiesole. Et di poi me l'ha confermo più, & più volte, & l'ultima fu nell'infermità, della quale egli si morì, sendovi presente il P. F. Marco della Casa supperiore di S. Marco, & il P. F. Vincenzo Sette da Perugia Lettore.

ALCUNE MEMORIE DEL P. F. JACOPO DI SICILIA NOTATE DAL P. TIMOTEO DE' RICCI VECCHIO.

Molte volte io F. Timoteo di Roberto de' Ricci da Firenze dell' Ordine de' Predicatori ho desiderata far memoria di alcune cose udite dalla propria bocca del Reverendo P. F. Jacopo di Sicilia, mentre egli fu per cinque anni Priore di S. Marco circa l'anno 1516. Padre di santissima vita, & di somma reputatione in tutta la provincia nostra. Volendo dunque ora in parte sodisfare a questo mio desiderio, dico, che trovandomi io una sera con sua Reverenza, la pregai fussi contento di dirmi, se sapea nulla che fusse testimonio della santità del P. F. Girolamo da Ferrara, dicendoli, che arei voluto testimoni fuor del nostro circuito di Toscana. Il quale benignamente mi rispose, che intorno a questo area due cose da dirmi molto notabili; & soggiunse: Trovandomi io in Sicilia attualmente Visitatore in un convento, dopo la morte del P. F. Girolamo, mi abattei ad un frate domandato F. Francesco Rera da Messina, il quale per la sua santa conversatione era per tutto il Regno domandato il santo, & incontrandolo nel primo chiostro dinanzi al Capitolo caritativamente lo trassi per la cappa in Capitolo, & gli dissi: Padre F. Francesco, vorrei, che mi dicessi quello che voi intendete, & credete nell' animo vostro del P. F. Girolamo da Ferrara, come sapete, abruciato in Firenze con due altri frati. Alla quale domanda egli rispose così: Reverendo P. Visitatore, io non ho di tal cosa cognitione cima, nè in bene, nè in male. Allora io gli dissi: vi comando *in virtute Spiritus Sancti, & sanctae obedientiae*, che in fra tre giorni appartenenti alla visita di questo luogo mi rispondiate la verità di quello che ne intenderete. Et egli inchinato il capo riverentemente accettò l'imposta obedientia. Il seguente giorno a caso mi riscontrai in lui appunto nel medesimo luogo dinanzi al Capitolo, & mi prese per la cappa accennandomi, che mi voleva parlare, & entrati insieme in Capitolo disse così; Padre Visitatore, jeri voi mi domandasti quello che io sapeva del Rev. P. F. Girolamo da Ferrara abbruciato nella città di Firenze con due compagni; io vi risposi il vero, che non avevo di lui cognitione alcuna; ma hoggi rispondo a V. R. mosso dalla vostra potestà, & forzato dalla obedientia, cioè, che li tre frati dannati al fuoco sono tutti tre computati nel coro de' Martiri in cielo. Et detto questo ci partimmo allegri l'uno dall' altro. Et dipoi il dì seguente il detto Padre accostandomisi di nuovo dissemi nell' orecchio, P. Visitatore, quello che jeri vi dissi di quelli tre Padri, tutto è vero. Et io F. Timoteo sopradetto ho scritto fedelmente tutto questo

ad

ad futuram rei memoriam per contento universale di tutti i fedeli, & prima a onore di Dio glorioso, poichè a sua Majestà è piaciuto, che *ex ore proprio illius Patris hæc audierim auribus meis, ut fincere illa enarrare his, qui audire, vel legere voluerint.*

DELLA SANTITA DI DETTO FRA FRANCESCO.

Nel medesimo tempo, & luogo narrommi il detto P. F. Jacopo, come essendo Vicerè di Napoli Consalvo Ferrando, chiamato il gran Capitano, & combattendo egli contra i Franzesi, detto F. Francesco inspirato da Dio andò a ritrovarlo, & gli disse, che infra termine di 15. giorni doveva ottenere la vittoria, avvisandolo de parte di Dio, che egli, quanto era possibile, impedisse gl' incendj, gli omicidj, & gli altri scandali, che in simili frangenti sogliono occorrere; & che altrimenti facendo, guai a lui, & alla casa sua. Et essendo poi successa la vittoria, secondo che il detto Padre avea profetato, il Vicerè sopradetto spese in varj benefizj fatti a' Conventi dell' Ordine nostro intorno a xx. mila scudi. Aggiunse anco il detto P. F. Jacopo, come questo P. F. Francesco era molto dedito all' oratione, & grande amatore della povertà & del silentio, & che quanto poteva fuggiva il parlare co' gran Maestri. Onde volendo una volta il suo Prelato mandarlo a parlare a una Signora, la quale molto desiderava di conoscerlo, egli allegando la perdita del tempo, & altre ragioni ricusava l' andarvi. Veggendo dunque il Prelato tanta repugnanza, gli comandò un giorno, che andasse a visitare una povera donna inferma, dove egli volentieri andò, vi trovò la detta Signora, che quivi l' aspettava; talchè ingannato non potè fare, che non parlassi seco per un gran pezzo. Ma ritornato poi al Convento disse al Prelato, che egli come prima s' era ingannato, aveva perduto tempo, dimostrando, che non avea possuto persuadere alla detta Signora alcune cose pertinenti alla sua salute.

D'UN ALTRA RIVELAZIONE FATTA DEL P. FRA GIROLAMO.

Soggiunse ancora il P. P. F. Jacopo, come essendo egli stato mandato a Firenze da Papa Alessandro dopo la morte del P. F. Girolamo, acciò fussi Vicario Generale della Congregazione, trovandosi per le gran tribulationi il Convento di S. Marco molto oppresso dalle fatiche, & dalle occupationi, talche egli solo non poteva supplire ad ogni cosa occorrente, scrisse a Roma a nostri Superiori, che volessino mandargli per ajuto qualche buono & valente Padre. Onde fu a questo eletto un P. F. Angelo de Palermo, & fattoli comandamento, che quanto più presto venisse a Firenze, il quale contristato insino alla morte per tale obedienza, rispose così al Prelato: Padre Rev. mandatemi più tosto in qualsivoglia lontano paese, che a Firenze, dove i nostri frati, & particolarmente li tre condennati al fuoco hanno, come ho inteso, tanto scandalizzato quella Città. Ma il Prelato volse pure che egli venisse. Onde egli partito di Sicilia venne a Roma, & trovandosi nel Convento della Minerva, posto una volta in oratione, fu interiormente illuminato dal Signore & fatto certo quanto egli si ingannassi circa li tre Padri abbruciati li quali erano stati servi, & ministri particolari di Dio. Et tanto consolato si partì da quelle orationi, che gli pareva ognora mille anni di trovarsi a Firenze. Dove poi arrivato, quando il P. F. Jacopo lo vide, levati le mani al cielo ringratiò Dio, che i Prelati gli avessino mandato un Padre, del quale non arebbe saputo desiderare un altro che fusse stato più secondo il cor suo. Et poichè ebbeno mangiato insieme all' ospitio, si ritirorno soli in una camera, dove il P. F. Jacopo, gli disse: o Padre ditemi, come intendete voi questa cosa della morte di questi nostri tre Frati? a me pare, che chi ne dice male siano buone persone: & che chi ne dice bene siano anco migliori; onde io non so quello, che m' habbi a credere. Il P. F. Angelo stava cheto, & non rispondeva niente. Ma pure importunando il P. F. Jacopo, gli rispose sorridendo: Et che so io se quello, che vi rispondessi, fussi secondo il vostro volere? all' ora disse il P. F. Jacopo: o Padre mio, che altro debbo io desiderare di sapere, se non la mera verità di questa cosa! All' ora il P. F. Angelo apertogli il cuor suo gli scoperse quanto a Roma gli era occorso nell' oratione. Onde il P. F. Jacopo lietissimo l' abbracciò & baciò: dicendogli: o Padre mio, questo è quello, che io desideravo di sapere. Hora son sodisfattissimo; & così molto lo ringratiò che l' avesse fatto partecipe di tal segreto.

D' UNA MONACA DI S. VINCENZO SANATA MIRACOLOSAMENTE.

Fù, & è ancora hoggi in S. Vincenzo di Prato una Monaca detta Sor Obedienza, figlia di Simon Ginori, la quale ebbe una infirmità, che gli durò circa sei anni; dipoi peggiorando diventò hidropica e rattratta in modo con le gambe stravolte, che le calcagne le toccavano quasi le rene, & il braccio diritto era tutto disteso, & interizzato, talche non potea punto piegarlo, nè potea dormire, nè star posata sopra quel lato, e le dita della mano erano tanto serrate, & ritirate nella mano, che ella incominciava già a infracidirsi. Le quali rattrazioni venivano di secso, & infirmità occulta, & incurabile come espressamente affermavano Maestro Marcantonio da S. Gimignano, e Maestro Nicolao di Maestro Luca. E bisognò metter una piastra di piombo tra la palma della mano, e la punta delle dita per prohibir la corruzione. Hor trovandosi la Città di Firenze assediata dall' esercito di Papa Clemente, le Monache di S. Vincenzo, che erano in numero più di cento; per fuggire il pericolo de' Soldati quasi tutte vennero da Prato a Firenze, & alloggiorno nel Palazzo di Giovanni Bartholini, vicino a S. Trinita, & fra l' altre con gran fatica venne la detta suor Obedienza inferma portata nelle ceste. Essendo dunque le dette Monache visitate de certe Gentil donne parenti loro, una fra l' altre, che avea una Figlia in detto Monistero, & aveva avuto in casa sua un miracolo sopra un infermo mediante una reliquia del P. F. Girolamo, la quale vedendo la strana infirmità della detta Suora, propose alle Monache la detta reliquia, esortandole ad aver fede in quella, & offerendosi a portarla loro, se la volessino. Il che intendendo le Monache volentieri l' accettorno. Onde ella tornando un altro giorno portò la detta reliquia, & era della carne arrostita del P. F. Girolamo, e si serbava nel Monistero di S. Lucia di S. Gallo. Ricevuta dunque le Monache questa reliquia con molta reverenza, fecero quel giorno, & tutta la notte seguente di molte orazioni, intorno a quella inferma con ferma fede di dover essere esaudite. Et in particolare una sua sorella carnale monaca del detto Munistero chiamata suor Prudenza avea più anni fatto orazione a quelli tre Martiri, & avea desiderato qualche reliquia loro per porla addosso alla sua sorella inferma. Hor come piacque a Dio una mattina che fu alli XII. d' Ottobre 1529. dicendosi la Messa, quando fu il tempo di levare il Signore una Suora, detta Suor Margherita de' Buon'ngegni prese quella S. Reliquia, e la pose sopra la mano rattratta, dicendo a Dio nel cuor suo: se quelli tre Padri Nostri sono ora beati dinanzi a te, facci, Signore, quella grazia di sanar questa inferma in questo punto. Il che detto la inferma in un subito si risentì, & in presenza di un gran numero di Suore per virtù di detta reliquia aperse la mano cascando in terra la piastra di piombo, & potè piegare il braccio. Onde prese la reliquia da se stessa, & la baciò, & insieme la mano risanata che la teneva. Et sentì gaudio inestima-

stima-

ſtimabile non ſolamente lei, ma anco tutte l'altre Suore. Dipoi lei da ſe ſteſſa con la medeſima reliquia toccò le ginocchia ſue, & ſubito le diſteſe, in modo, che poteva ſedere. Et non andò piu innanzi per allora, diſponendo così la Providenza di Dio. Onde ella andava per caſa con le gruccie, parendole aver ricevuta una gran ſanità, ringraziandone ſempre Dio. Dipoi alli 26. di Gennajo 1530. le Monache fecero un altra volta portar la detta reliquia. Et fatta come prima la comune orazione, & tocca con eſſa le gambe della medeſima Monaca inferma, ſe ne diſteſe ſubito una interamente, & di quella reſtò ſana affatto; ma l'altra non ſi moſſe punto inſino alli 19 di Marzo del medeſimo anno, quando fecero portar la terza volta la ſopradetta reliquia, con la quale toccando l'altra gamba, ſi diſteſe come l'altra, e reſtò perfettamente libera. Onde ella con gran letizia laſciò le gruccie ſulla predella dell'Altare, & da ſe ſteſſa andò per tutta la ſala, che allora ſerviva per Chieſa. Vennero poi a vederla Marcantonio, & Maeſtro Atanaſio Medici eccellentiſſimi, & vedendola Maeſtro Marcantonio diſſe con gran maraviglia; ſe io non vedeſſi quello poco d'attrazione in queſta parte della mano, che prima era tanto inſenſibile & arida, non crederei mai, che queſta fuſſi quella Suora medeſima. Dove è da notar che le dita della man deſtra, che prima era rattratta non ſi diſteſero perfettamente, ma rimaſero così alquanto piegate, come per un teſtimonio del miracolo; perciò che tal piegamento non la impediſſe nè dal filare, nè dal cucire, nè dallo ſcrivere, nè da nient'altro eccetto che dal far il pane, dove biſogna per iſpianarlo aver la mano perfettamente diſteſa. E doppo l'aſſedio tornando le Monache a Prato ella andò ſempre a piedi più gagliardamente, che molte, le quali erano ſtare ſempre ſane. Fu queſto miracolo di tanto ſtupore, che per tutta Firenze ſe ne parlò. Talche il Vicario dell'Arciveſcovo lo inteſe, & ſe non era il P. F. Niccolò Michelozzi, Prelato delle ſuore, *coram teſtibus* ſarebbe eſaminata la coſa. Et noti ciaſcuno, che il preſente miracolo è ſtato da me raccolto, & ſcritto fedelmente queſto dì XXV di Agoſto 1538. alla preſenza di quella Suora ſanata, la quale ancor vive, & della Madre Suor Cecilia Baldacci da Firenze, al preſente Priora del Monaſtero, ſiccome era anco al tempo del miracolo, & della Madre Suor Raffaella da Faenza ſuperiora, e della Madre Suor Colomba de' Medici ſoppriora quando fu fatto il miracolo, & della Madre Suor Margherita de' Buonmgegni, & di molte altre, che ſi trovorno preſenti al miracolo. & queſta è la mera verità notata da me Fra Tommaſo di Roberto de' Ricci di Firenze, confeſſore del predetto Moniſtero, a preghi di tutte le ſopradette Suore a laude, e gloria del noſtro Signore Iddio.

Io F. Timoteo da Perugia, il quale di mia propria mano ho traſcritto il ſopradetto miracolo inſieme con l'altre memorie del P. F. Girolamo, che in queſto libbro ſi contengono fo fede, come a dì XXIX. d'Aprile di quell'anno MDLXVI. andando io al Capitolo di Piſtoja, & paſſando da Prato, andai appoſta al Muniſtero di S. Vincenzo per informarmi della verità di queſto Miracolo, & parlai con quella medeſima Suor Obedienza de' Ginori, al preſente ancor viva, & con gli occhi miei viddi quel poco di attrazione reſtata nella ſua mano, & lei medeſima confermò eſſer vero quanto di ſopra è ſcritto, & il medeſimo diſſe ancor Suor Filippa Strozzi ſuppriora del Muniſtero, la quale ſi trovò preſente al Miracolo, & così alcun altre Suore confirmorno la medeſima verità.

DI UN ALTRO MIRACOLO OCCORSO NEL DETTO MUNISTERO DI S. VINCENZO.

Suor Caterina di Piet Franceſco de' Ricci trovandoſi Idropica, e gravata dal mal di Pietra, & eſſendo già ſtata due anni con la febbre continua angustiata anco con un poco di Aſma, & da altre pene, fu in queſto modo miracoloſamente ſanata. L'anno 1540. alli 21. di Maggio fu fatto voto al P. F. Girolamo, & ſuoi compagni, che ſe ella guariva di quella pena, & afflizion di ſtomaco, & corpo, & dal mal della Pietra inſra tre giorni, cioè per tutto il dì 23. di Maggio ſi canterebbono ſucceſſivamente tre Meſſe in onor loro, & ſi guarderebbe il giorno della lor feſta tre anni continui. Fatto queſto voto, & poſtale addoſſo una reliquia del P. F. Girolamo tanto peggiorò, che incominciò a chieder licenza di levarſi da doſſo la detta reliquia. Pur ſconfortata non lo facea ma ſeguiva di raccomandarſi a Dio, pregandolo, che la ſanaſſi per li meriti delli tre Santi. Et così fece fintanto, che vinta dal dolore, & confuſa da tedio parve che la mancaſſe la ſperanza della ſanità, ſendo già ſtata trenta notte, & trenta giorni continui ſenza aver mai punto dormito. Et eſſendo ella ſolita di ſtar ſempre accompagnata da diverſe Suore, la notte della vigilia delli tre Santi chieſe per grazia di reſtar ſola, per poter più liberamente orare. Et così ſtando alle ſeie ore ne crebbe tanto il dolore, che perduta quaſi la ſperanza di dover ottenere la grazia ſe n'andò all'altarino della camera ſua dove con un lume acceſo erano alcune reliquie delli detti Martiri, & con puerile inconſiderazione, & empito toltaſi dal collo la reliquia, che ella v'avea, la gittò ſopra di quell'altarino ma con tale inavvertenza, che venne all'eſtremità di eſſo in tal modo che umanamente era impoſſibile non foſſe caſcata in terra. Nondimeno ſi rattenne in quell'eſtremo ſenza caſcare. Et le venne anco penſiero di cavar di camera il detto altarino, & metter ogni coſa nell'andita dell'infermeria tanto ſi ſentiva di mano in mano peggiorar. Stando in queſto concetto, vinta dalla ſtracchezza, & dall'affanno s'abbandonò colla teſta, & con le braccia ſopra di quell'altarino, & le parve ſubito d'addormentarſi. Ecco a lei apparire tre Frati dell'Ordin noſtro molto ſplendidi, i quali ella guardando diſſe a quello di mezzo, che gli parea che foſſe ſopra una nuvola: chi ſiate voi. Alla quale egli riſpoſe: Oh non mi conoſci tu? a cui ella diſſe: Padre no che non vi conoſco. Soggiunſe egli: a chi chiedi tu dunque le grazie? Riſpoſe ella: a F. Girolamo le chieggio. Et io ſon deſſo diſſe egli. Ma prima che tu riſani voglio che tu mi prometti due coſe; prima, che tu ti eſerciti quanto puoi nella virtù dell'obedienza; dipoi che domattina tu ti confeſſi, & ti communichi. Era in tal giorno la feſta della SS. Trinità, & anco delli tre Padri, ſendo alli 23. di Maggio. Et dette quelle parole le fece un ſegno di croce in ſullo ſtomaco, & un altro ſul corpo; dipoi la baciò la parte deſtra del viſo dove l'erano alcuni giorni innanzi uſcite alcune ſchianze roſſe. Poi le diſſe: hor ſtà sù & va, & ringrazia Iddio, & ſappi che le tribulazioni preſto preſto ſaranno, & preſto ſarà la gloria noſtra in terra; & mentre le parlava tenne ſempre la mano ſulla ſpalla di lei; la qual venne poi a deſtarſi con gran terrore, il quale ſi convertì ſubito in grandiſſimo gaudio, trovandoſi lo ſtomaco diſenfiato, & ſanato quaſi affatto. Et dirò queſta ſemplicità per narrare appunto come ella diſſe, che in quel punto ella andava guardando dove il ſuo corpo, & il ſuo ſtomacho le foſſe caduto. Et dopo queſto gittò trentadue pietre duriſſime, & nere come paragone, tra le quali ve n'era alcune groſſe come fave, altre da più bande taglienti, & con eſſe gittò circa una mezzetta d'acqua ſenza punto di ſangue; & gittandole non ſentì alcun dolore. Et tutto queſto poi vedendo il Medico, domandato Maeſtro Franceſco da Caſtiglione Aretino, diſſe tal ſanazione eſſere ſtata miracoloſa, & ſopra le forze, & ordine della natura. Pregò la Madre Priora il Medico, che non voleſſe parlar di tal coſa fuora del Muniſtero; ma egli non volle prometterle niente anzi lo divulgò per la terra alla prima occaſione.

D' UN

D' UN ALTRO MIRACOLO OCCORSO IN FIRENZE.

Una figlia di Piero di Matteo Berti, detta per nome Lisabetta, maritata a Bernardo Mazzinghi, doppo che fu alquanto di tempo stata col marito, le venne addosso una pessima infermità, talchè era tutta piagata dal capo a' piedi, & non poteva giacere, nè sedere in modo alcuno senza grandissima pena. Et essendo stata così un tempo, occorse, che uo giorno ebbe non sò che dispiacere dalla sua suocera domandata madonna Oretta, la quale infastidita del male suo le disse: tu ti morrai pur una volta, & ti ei leverai dinanzi. Quella povera figliola oon rispose niente, ma voltatasi a Dio disse: Signore, o tu mi sana, o fammi morire, perchè non posso piu vivere in questo modo. Subito che ebbe dette queste parole vidde la sua camera piena di splendore, & tre Frati, che venivano verso di lei, & quello di mezzo, che era più splendente degli altri dui, li disse: Sta su figliuola, che tu sei guarita. Et così detto sparirno. Et ella si pose in ginocchione, & cominciando a rendere grasie a Dio venne quivi la suocera, la quale si stupì vedendola levata. Et domandando lei della cagione, rispose, che pensava esser guarita, & esortava ancor lei a fare oratione, & ringratiare Iddio; & fatto alquanto oratione si levò sù, & narrolle il tutto. Di che ella fu molto lieta essendo molto affetta al P. F. Girolamo. Di lì a poco venne il fattore di Bernardo suo marito, che veniva per conto di certa seta, che le donne incannavano; & trovando la detta M. Lisabetta fuor di letto, che rassettava la casa molto si maravigliò. Et ella lo pregò, che subito andasse a darne avviso a suo padre, dicendoli, che venisse infin quì. Ma prima ella mandò per il suo Parrocchiano, al qual dette limosina perchè dicesse alcune Messe a riverenza de' tre Martiri. Ma il fanciullo considerando sì gran miracolo, corse di tratto alla bottega di Bernardo, & gli disse come la donna sua era guarita. Il quale venendo subito a casa, fattosi raccontare il caso, incominciò a farsene beffe, & comandò alla moglie, che ella entrasse nel letto, non potendo imaginarsi, che ella fussi guarita. Et mandato per alcuni Medici, consigliorno, che ella pigliassi il legno. In questo venne Pier Berti suo padre, & sentendo questo rumore disse alla figlinola, che facesse l' obbedienza, & si lasciassi medicare. Et cominciando ella a pigliare il legno in capo a otto giorni i piastrelli cascorno, & sonavano come se fossino stati al sole un anno. La suocera avendoli raccolti gli mostrò al marito, dicendogli: vedi tu, figliuol mio, se gli è vero quanto la tua moglie ti disse? Rispose, che percio non credeva, perchè il miracolo si suol fare in uno instante. In capo a 24. giorni doppo tal caso il detto Bernardo tornato un giorno a casa molto stracco si gittò sul letto, dove stato alquanto, sentì in camera un gran romore, & cominciò a gridar con molto spavento. La moglie, che per obedirlo stava ancora in camera per conto del legno, che pigliava, mandò la serva a vedere, che cosa avesse, la quale lo trovò in sul letto, che molto si raccomandava alla Annunziata, promettendo di mutar la vita sua. Et venuta la serva si fece da lei portare al luogo necessario, donde poi ritornato in sul letto, tenendosi sempre il viso turato con le mani, & gridando forte si morì. Et la donna sua udendo la cosa restò subito di pigliare il legno, nè fece altre guardie. Questo narrò detto Pier Berti. Et anco F. Antonino di Antonio Berti ebbe questo miracolo in scritto da una sua zia monaca di S. Marta, che era sorella di detta M. Lisabetta, & da lei proprio aveva inteso. Et io F. Vincenzo di Bernardo ho avuto il medesimo da Maria Caterina del Chiaro, la quale intese tutto da Maria Lisabetta.

N O T A

DEL P. GIO. DOMENICO MANSI

INTORNO ALLA SOPRASCRITTA VITA.

Sebbene sia questa la prima volta che la Vita di sopra recitata tutta intiera, come sta nel Codice manuscritto Lucchese venga posta in luce; contuttociò stimo mio dovere avvertire i Lettori, che una gran porzione di essa, divisa però e distratta in più parti fu copiata e stampata in Parigi nel secondo tomo della Vita di Fra Girolamo Savonarola di Gio. Francesco Pico Conte della Mirandola scritta in latino, nelle Note che a quella furono fatte, e ivi rapportata sotto il nome del suo autore Fra Timoteo Perugino. Principia l' Autore di queste Note a riferirla poco più avanti del capitolo sull' esperimento del fuoco, e poi seguita a valersene quà e là fino a dopo la morte dei tre Religiosi, e la narrazione di alcune poche grazie miracolose, e strane punizioni di alcuni chi vi cooperarono, lasciando tutto il rimanente, che qui viene diffusamente registrato.

JOANNIS DOMINICI MANSI

in sequentes literas

P R Æ M O N I T I O.

Cum in ea, quam dedi, vita P. Hieronymi Savonarolae legatur, intentatum fuisse adversus illum capitis causam, quod seculares Principes ad procurandum generale concilium adversus Alexandrum VI. per literas instigasset, easque a Duce Mediolanensi interceptas in adversariorum manus devenisse, natum hinc eruditorum desiderium, credo, eas literas videndi, quorum desiderio ut satisfacerem effecit ms. codex in Biblioth. Collegii mei servatus, easque hic subdo. Quod vero ex illis judicium ferri possit, sive pro Alexandro VI. in urgenda Savonarolae nece, sive pro Savonarola in castigandis Alexandri VI. vitiis, in medio relinquo. Profecto sicut nec Alexandrum excusaverim de nimia in vitia licentia, quam & Raynaldus in Annalibus non dissimulat; ita neque Hieronymum commendaverim, quod cum privatus fuerit, nimio studio vitia Principis emendandi & castigandi rapi se eo usque permiserit. Rursus sicut Alexander causationem aliquam praetendere potuit, extremum supplicium in Savonarolam decernendi; ita & potuit suam obtendere Hieronymus, quod haec molitus fuerit, Deo jubente & auctore.

AL

AL SERENISSIMO IMPERATORE

Esortandola a fare raunare il Concilio, e si obbliga in quello di mostrare per ragione naturale, e sopranaturale, che Papa Alessandro VI. non era Cristiano, ne avere punto di fede; tradotta in volgare per Frate Ignazio da Ferrara.

SErenissimo Imperatore. Il Signore Dio Padre della smisurata liberalità, e fonte ed origine di bontà, mostrando la sua singolare, e perpetua provvidenza e clemenza verso l'umana generazione, promise per Amos suo Profeta di non fare cosa alcuna, se prima non la facesse manifestare alli suoi veri Profeti. Ed avendo in questi nostri tempi deliberato far giudizio e misericordia in terra, cioè punire con li flagelli le abominazioni e peccati, che regnano nel suo Tempio, e cacciare i ministri scelerati della sua Chiesa, e rendere a quella la sua antica bellezza, e pietosamente incaminando i fedeli convertirli a se, ed alla sua Fede; e quelle cose a me, benchè inutil servo essendosi degnato rivelare, non ho restato già otto anni sono nel cuor dell'Italia, onde la fama per tutto è sparsa, chiamar, dico, li peccatori a penitenza, e manifestar l'ira di Dio, la quale è imminente al Mondo. E per questo con molte ragioni mi sono sforzato esaltar la fede di Cristo, ed esercitare gli uomini alla vera e sincera vita, e religion Cristiana, aspramente riprendendo i vizj. Di qui è che la verità, essendo molto odiosa a' cattivi, ha offeso di molti, e contro di me eccitatili e commossili, i quali gloriandosi del malfare perseguitano quantoche possono li buoni, acciò non siano per i loro gravi peccati svergognati. Ma il Signore gli manifesterà, e punirà lui con loro vergogna. Ora appropinquandosi il tempo della vendetta il Signor mi comanda e vuole, che io a Voi Re, e Principi della Republica Cristiana scuopra alcuni secreti, acciocchè voi sappiate in quanto pericolo (per il vostro sopportare, e per vostra negligenza, e per le vostre discordie) sia ora la Navicella di Pietro. Per la qual cosa ha castigato, e punito nell'ira sua i Re, a' quali sopra tutti toccava porvi riparo, avendo morto i loro carissimi figliuoli. Imperocche sotto il Cielo non vi può essere maggior peccato, che guastare il vero culto a Dio in disonor di sua gloriosa Maestà, il qual peccato lasciando impunito, e far vista di non vedere quello, che s'appartiene, e può impedire, non è altro, che dar libera licenza di peccare, e di nutrire i vizj enormi negli uomini, come al presente nella Chiesa di Dio vediamo, nella quale dal capo a' piedi non è sanità, ma una abominazione di tutti li peccati, stando voi quieti ed adorando voi il morbo, il quale nell'alta sedia di Pietro sede, e senza vergogna per tutto discorre. E però il Signore è adirato per l'insopportabil fetore. E già un pezzo fa non ha lasciato esser nella Chiesa alcun Pastore, testifico io in verbo Domini questo Alessandro VI. non esser Papa, e non potere esser ricevuto per Papa. Imperocchè, lasciando da parte lo scelerato suo peccato della Simonìa, con la quale ha comperato il Seggio Papale, ed ogni dì a chi più ne dà vende i benefizj Ecclesiastici, e li altri poi suoi manifesti vizj. E in frà le altre cose io affermo lui non Cristiano, e non crede esser alcun Dio; il che trapassa il colmo d'ogni infedeltà. E a tutto il Mondo, a tempo e luogo opportuno scoprirò altri suoi occulti vizj, come che adesso il Signore mi ha comandato. Per la qual cosa da parte di Dio, dal quale, o Serenissimo Imperatore, avete avuto codesto alto Impero, vi prego, e scongiuro voi con gli altri difensori della Republica Cristiana, che posto da parte ogni indugio, ed ogni terrena discordia cerchiate si faccia il Concilio in luogo atto, e libero, acciocchè si ponga riparo gagliardamente a tanto danno delle Anime, e così gran pericolo della Navicella di Pietro; altrimenti non potreste fuggire un gravissimo peccato, e l'ira di Dio. Di questo medesimo per comandamento di Dio ho avvisato il Re di Francia Cristianissimo ed il Re di Spagna, Inghilterra, ed Ungheria, affinche tutti insieme siano commossi a provvedere alla salute commune. Ed io mi obbligo quanto posso, ed assolutamente prometto, nè mai mi ridico, non solo, dico, provare queste cose con chiare ragioni dinanzi a tutto il Concilio, ma che Dio etiam con apertissimi miracoli dimostrerà quelle esser vere. Della qual cosa avendone da lui avuta certissima promessa, e confidandoci non in noi ma in Dio, la gloria del quale solamente cerchiamo, promettiamo certissima prova. E sebbene Dio rare volte usa questi miracoli, non è però mancato mai ne' bisogni, essendo apparecchiato sempre ne' bisogni ad ajutare quelli, che in verità gli domanderanno ajuto. Voi adunque, Serenissimo Imperatore, non vogliate con vero danno disprezzare il comandamento di Dio, anzi pigliate l'orme di Cristo, e mandate ad effetto quello, che appartiene all'onor di Dio, ed all'offizio vostro circa la religion Cristiana; acciochè superati prima gl'intrinseci nemici di Cristo, i quali sono più pessimi, possiate poi più facilmente aver vittoria degl'infedeli estrinseci; la qual vittoria Dio vi darà grandissima per premio delle vostre fatiche. Nell'ultimo questo vi dico, che non è cosa alcuna, che più si convenga alla Maestà, e grandezza vostra, nè cosa più santa, e gloriosa potete fare (sebben voi acquistaste tutto l'Impero Cristiano) che liberar l'onor di Dio dalla sopradetta avuta ingiuria; e sopra ogni cosa dovete avere a cuore di mondare, e liberare la Chiesa sua da tanta strana, e immonda polluzione. Il Signore Gesu Cristo si degni donarvi la sua grazia spirituale, e la felicità eterna. Amen.

AL RE, E REGINA DI SPAGNA

Della sopradetta materia di fare radunare il Concilio, tradotta in volgare per Frate Ignazio da Ferrara.

SErenissimi Principi. Più volte ho inteso le opre vostre grandi e gloriose nel vincere e soggiogar gl'Infedeli, e scacciare i nemici di Cristo, ed i pessimi suvversarj della Santa Fede; onde per il zelo della Chiesa, la quale è casa di Dio, molto mi sono rallegrato veggendo la Maestà vostra non aver cosa più a cuore, che l'onor di Dio, e difensione e dilatazion della Fede, siccome alla grandezza vostra si conviene. Ma se quanto più voi di fuora nella Chiesa di Dio edificare e mandate innanzi, altri

tri poi vi siano, che dentro guastino e mandino per terra, non potrà stare in essa alcuna cosa stabile e ferma. Imperocchè essendo scommosso il fondamento, tanto maggiore ruina è necessario, che abbiano le cose, che sopra di quello sono edificate. Avendo dunque Dio a me infra gli altri inutil servo, rivelato per sua grazia voler rinovare la Chiesa sua con il flagello, di già otto anni ho gridato in mezzo dell' Italia predicando la penitenza, prenunziando queste cose per manifestare la verità. E per questo sono incorso in molti pericoli e tribolazioni, le quali ogni giorno crescono, benchè per l'amor di Cristo mi siano dolci, sapendo non esser cosa nuova, ma di già lungo tempo detta dall' Apostolo, cioè che chiunque vuole santamente vivere, e camminare per la via di Cristo Gesù sarà sempre perseguitato. Ho gridato, dico, penitenza, acciocchè tutto il mondo, e tutti i popoli ritornino a Dio. Ma ora m'ha il Signor comandato, che molto più forte gridi, e che io manifesti in quanto pericolo sia la Chiesa sua per i peccati degli uomini, e per la negligenza de' Principi Cristiani, a' quali sopra ogni cosa tocca non sopportar quelli, che guastano la vigna di Dio, e molto meno essi lavoratori di detta vigna, i quali sono autori di tutto questo male. Essendo stato comandato a tutti d'aver cura, e custodire le cose del Signore; e non potendo altri che i Principi, ed i Re impedire tanto male, la qual cosa avendo fino ad ora trasgredito, è stata la principal causa, che Dio si sia sdegnato, ed in parte sfogato l'ira sua sopra i vostri figliuoli, come fece già sopra i primogeniti d'Egitto. E non dobbiamo pensare che sia piccol peccato non si curare del disonor di Dio: imperò quello è molto crudele, il quale per negligenza, e per non voler punire quelli che errano, dà licenza di peccare, massime quando non ci è altri che punisca quelli che errano: guardate vi prego quanta abusione regna nella Chiesa, e sopra tutto nella Chiesa Romana, dove in cambio di religione, di santità e clemenza, regna superbia, avarizia, e lussuria, ed ogni sorta di scelerità. E questi vizj non si fanno occultamente, ma sfacciatamente, ed alla scoperta, e senza alcuna vergogna. Avendo dunque Dio queste cose così nefande in orrore ed abominazione, già un pezzo ha lasciato la sua Chiesa essere sbattuta, e senza Rettore e Pontefice; ed ora ha voluto, che questa cosa venga in luce. Sappiate adunque Alessandro VI. non esser Papa, ed ancora non può essere, non dico solo per avervi lui con simonia usurpato questa Sedia, e per altri suoi manifesti peccati; ma etiam per le sue occulte scelerità, le quali a tempo, e a luogo publicheremo con orrore e meraviglia di tutto il Mondo. Delle quali cose questa principalmente vi manifesto per comandamento di Dio, che egli non è Cristiano, e non ha fede alcuna non dico formata, ma etiam informe. Onde v'annunzio il comando di Dio grande, e vi protesto qualmente sarà il danno dell' Anima vostra, se voi di questo non mi crederete. Di modo che posto da banda tutte le altre faccende, e le discordie che avete, cerchiate e sollecitiate, che si rauni un Concilio grande in luogo atto, e libero, acciocchè un male tanto dannoso alla Republica Cristiana più non si sopporti. Ed io mi offerisco, e prometto, che non solo con argomenti certissimi proverò le sopradette cose dinanzi al Sacro Concilio; ma etiam che Dio con segni sopranaturali manifesterà quelle cose esser verissime, perchè tutto questo certissimamente abbiamo da lui. E se forte per inconsiderazione, o negligenza per infino adesso avete in questo mancato (dico questo perchè vi ho per persone molto cristiane) ma ora che l'avrete saputo tanto con maggior cura e sollecitudine insieme con gli altri Re Cristiani dovete attendere a questa cosa tanto santa, buona, e necessaria. E di questo medesimo ne ho avvisato il Serenissimo Imperatore, ed il Re di Francia, quello d'Inghilterra, ed Ungheria, i quali sono i principali de' Cristiani; e di questa cosa ne conseguirete maggior laude, e più merito, levando dico un tanto gran male intrinseco dalla Chiesa, che se tutti li barbari, ed infedeli voi superassite, i quali nondimeno Dio vi darà nelle mani, ed avvanzerete tutti gli altri Re predecessori in felicità, e gloria in Cielo, e Terra, ed il nome vostro sarà sempre per tutto famoso. Il Nostro Signore Gesù Cristo custodisca, indirizzi, ajuti, e conservi cotesta coppia vostra in matrimonio congiunta tanto religiosa e rara, in esso, il quale è vera salute.

Lettera del P. F. Hieronymo da Ferrara a Papa Alexandro VI. esortandolo a temer grandemente il giudizio di Dio sopra di lui che essendo l'offizio del buon Pastore defendere, & ajutare l'Anime e onore di Dio: lui nondimeno ha dato fede, & favor in contrario concedendo la scommunica contra l'onor di Dio & scandalo grande de' Popoli.

Essendo Beatissimo Padre l'offizio del buon Cristiano defender l'onor di Dio, e la Fede Cristiana, & la rettitudine del ben vivere, & veduto io, che per il male esemplo di molti Pastori, le pecorelle essere in tutto fuor della via buona, e predicando per questo la verità dell' Evangelio, confermando, e fortificando la Fede, insegnando la vera vita Cristiana, & prenunziando per divina inspirazione le cose future, acciòche gli uomini si riducessero a vera penitenza, dando opera con ogni diligenza a nutrir la pace in questa Città. Et avendo per tal causa sostenute, e sostenendo molte persecuzioni dalli mali uomini, non meritavo dico, che almeno V. Beatitudine mi fosse contraria come ella è, & è stata sempre in questa nostra opera, ma più tosto ella mi prestasse ogni ajuto, e favore. Ma per l'opposito avendo quella udito, e letto le miei tanto manifeste escusazioni e purgazioni, & avendo etiam inteso la verità delle miei predicazioni, la qual verità gli empj solamente, e nemici della Croce di Cristo protervamente negando, la vanno impugnando, & voi avendo conosciuto queste tali cose, avete nondimeno prestato sempre fede a tutti li nemici calunniatori, a detrattori della verità. Et privandomi voi d'ogni ajuto, e di tutto quel favore, che voi non solamente come Cristiano, ma etiam per offizio vostro eri obbligato prestarmi, avete dico più presto aperto la via a lupi, & dato loro ogni forza & facultà d'impedire l'opera di Cristo. Ma Dio, il quale elesse le cose umili, & inferme del Mondo per confonder le forti, & abbassar le superbe, ha esaudito l'orazione de suoi umili servi, e poverelli. Io dunque sono apparecchiato a provare questa verità (per la quale ora da voi sopportiamo tanti mali) a provarla dico contra di voi, & contra tutti li suoi adversarj, & con ragioni naturali, & sopranaturali col divino adiutorio, a saranno queste cose per tal modo manifeste, a con tali argomenti saranno reprobati coloro, che impediscono quest'opera di Dio, che non la potranno negare. E noi in questa cosa non cerchiamo la gloria degli uomini, ma solamente quella di Xp̄ti Yhesu, per la quale sommamente desideriamo morire. Non vogliate dunque Beatissimo Padre indugiar più a provedere alla salute vostra.

Dal Convento di S. Marco di Firenze
Alli 13. di Marzo 1498.

Copia di una lettera del R. Padre F. Hieronimo da Ferrara, al Duca di Ferrara, a di primo d' Agosto, 1497.

ILlustrissimo & Eccellentissimo. Avendo inteso l'Eccellenza Vostra sbigottirsi alquanto della tardità delle cose che hanno a venire, l'amor che io por-

porto a quella mi ha mosso a scrivere per confortare & confermarla nella fede, ricordandoli che Dio non è come l'uomo mutabile e frettoso, ma nelle cose sue, massime in quelle della justitia, va fermo e adagio per provare la fede degli eletti suoi, e per manifestare più la malizia de' reprobi, li quali diventano piu cattivi facendosi beffe di queste cose, quanto che le vedono piu tardi, benchè il male non sia mai tardo. Non credevano similmente gli Giudei alli Profeti, perchè pareva a loro che le cose prenuntiate andassino ritardando; e pure finalmente ogni volta rimanevano ingannati insino all'ultima destrutione degli Romani. Bisogna adunque, come è stato detto, spesso aver viva fede, fare oratione, e perseverare con patientia. Sicchè non si turbi per la tardità la Signoria Vostra, perchè; *si moram fecerit expecta eum quia veniens veniet, & non tardabit: ecce qui incredulus est non erit anima ejus recta in semetipso: justus autem meus in fide sua vivit, dicit Dominus Deus*. Guardi la S. V. che se forse nella sua famiglia e corte sua sia qualche cosa non retta e cattiva, come è in questa Città, la quale sarebbe ormai libera, se li buoni quando potevano avessero fatto giustitia, e non avessero consentito alla moltiplicatione degli peccati, per gli quali saranno puniti insieme con li cattivi, come è stato predetto loro piu volte, e in questo modo ogni cosa prenuntiata a poco a poco si adempisce, e non è fallato uno jota, benche chi non ha occhj contradice, ma il tempo dimostra il tutto; le percussioni nostre non mi sinarriscano, nè danno tristitia alcuna all'animo mio, perchè so che averanno buon fine, e quando gli ordini umani mancheranno, Iddio allora ci caverà *in manu potenti, & brachio extento*. Benche non ci lascierà mai senza tribulatione, essendo questa la nostra medicina, perchè *virtus in infirmitate perficitur*. Priego adunque la S. V. che cresca nel ben vivere, e nel far giustitia, e che non dubiti perchè le cose nostre vanno per l'ordine suo; leggasi, o facciasi leggere le Scritture Sante, e massime li Profeti, come Hieremia, Esechiel,, e troverà quasi ogni cosa simile a questi tempi. Altro non mi accade scrivere se non che mi raccomando all'Ecc. V. Gratia Domini nostri Jesu Christi sit semper vobiscum. Amen. Florentiæ die primo Augusti 1497.

F. Hieronymus Ferrariensis propria manu.

Epistola la quale scrisse il R. Padre Fra Hieronimo da Ferrara a Fra Pietropaulo da Firenze Ordinis Prædicatorum il quale era recluso fuore di Firenze per esser lui con altri Frati in pericolo di peste.

Diletti in Christo Padri. Farei ogni cosa, perchè li Frati fussero libberati dalla peste, pure che non offendessino Dio. Io taccio quì & in ogni luogo tutta la processione, che si può fare con molte orationi per libberare quelli: ma ben mi pare che alcuno sia troppo pusillanime, il che è segno di poca fede. E' necessario aver fiducia in Dio e non nel fuggire; li secolari certamente non hanno tanta paura, come alcuno di voi costì dimostra. Noi abbiamo una volta a morire, e mi pare sia beato colui che adesso muore etiam di peste, perchè chi sà se la morte vi troverà poi in tanta buona dispositione, come adesso: perchè ciascheduno di voi, se però non è privo d'intelletto e della Divina gratia, si debbe esser preparato alla morte, e li quali forse non così bene si troveranno preparati un'altra volta; e quelli Frati nostri, che sono morti quà così listamente, sono passati e morti, come se fussero iti alle nozze e conviti. E così Fra Batista nostro da Faenza mi mandò a dire, che di gratia dicessi alli Frati, che lo lassassero ire alla patria sua, perchè le loro orationi dice che lo ritengano, e lo impediscano: & oggi intendo che Frate Antonio da S. Quintino gli è infermato di peste, el quale non ha mai conversato con chi ha questo veleno, e non l'ha potuto scampare per la sua cura e guardia grande che gli ha usata. Adonque considerate Fratres, che quello che è segnato non può fuggire a modo alcuno dalla mano del Signore, e quelli che hanno cura delli pestilentiati sono sani. Mi pare adunque troppo grande la pusillanimità che hanno alcuni di voi, e doveremo desiderar la morte, e non fuggirla: e per questo non mi pare, se altro non accade, che voi vi partiate, e forsi sarà necessario mandare costà alcuni del Convento di Fiesoli; e quando questo sarà vel manderemo a dire. Siate d'animo virile, e preparatevi alla morte, perchè Dio vi vuole esperimentare. La gratia *Domini Jesu Christi* sia con voi. Ex Florentia die 18. Agosto 1497. Valete. (1).

Lettera del R. Padre Fra Hieronimo da Ferrara, alla V. Madre Priora del Monasterio di Pisa di S. Domenico, dicendoli, che per buone e giuste cause, e per divina inspirazione e volontà di Dio fu mosso a procurar la separatione del Convento di S. Marco di Firenze dalla Congregatione di Lombardia. Alli x. di Settembre 1493.

Honoranda Madre la gratia di Dio vi conservi nell'amore di Gesù Cristo.

La lettera vostra mi è stata gratissima, e volentieri ho letto la vostra ammonitione, sapendo quella procedere da zelo di carità, & in questo conosco che voi mi amate in vera carità senza simulatione secondo la sententia di Gesù Christo. La Dio volessi che io potessi parlarvi a bocca, e dimostrarvi il principio, mezzo, e fine delle cose nostre; credo che tutti sarano secondo il desiderio vostro. Non può l'uomo dar sententia infra due parti, quando che ode l'una, e non l'altra. Grande apparenza ha quello che da voi mi è opposto: ma non ogni cosa che riluce è oro. Aspettate ancora qualche poco di tempo avanti che voi diate giuditio, perchè è scritto: *Nolite ante tempus judicare*; state a vedere doppo li fiori li frutti, che produrrà poi l'albero; dicendo il nostro Signore: *A fructibus eorum cognoscetis eos*. Questo separarsi dalla Congregatione di Lombardia in se puol esser bene, e male; e però qui non si può così presto dar giuditio dall'humana e fallace sapientia, la quale non vede se non quello di fuora. Nel corpo nostro può esser bene e male separar qualche membro; buono è quando il resto del corpo fosse guasto, acciocchè non guastasse il membro sano; e male sarebbe quando che il corpo fusse tutto sano dentro, e di fuora, cioè in apparentia & esistentia. Nè per questo non voglio dire, che la Congregatione di Lombardia non sia sana, ma bene inferisco questo che se ella sarà sana in esistentia, come in apparentia questo nostro membro reciso da lei s'infermerà e guasteràssi, siccome molti dicono. Ma se ella sarà inferma dentro in esistentia (benchè paja bella all'apparentia) questo nostro membro spiccato da lei non si guastarà, ma si sanerà, conserverà, & augumenteràssi per Divina gratia, essendo da quel-

---

(1) Epistolam hanc legas quidem inter epistolas Savonarolæ a P. Quetif Ord. Præd. vulgatas in append. ad vitam Savonarolæ a Pico scriptam, sed adeo mendose ut interdum sensum plane contrarium a mente Savonarolæ scribentis præferat: ut exemplum *Antonio da S. Quintino ec. e da lui ha derivato questo veleno, per la qual cosa vedete che non l'ha potuto fuggire*. Hic vero plane contrarium asseritur; *il quale non ha mai conversato con chi ha questo veleno, e non l'ha ec.*

quella spiccaro; perchè il giudito de' cuori umani e delle cose future non è degli huomini, li quali appena vedono quello che è di fuora, ma solamente di Dio, *qui scrutatur corda & renes*. E' necessario adonque a noi aspettare che quello di dentro apparisca di fuori. *Bona inquit arbor bonos fructus facit, & mala arbor malos fructus facit; non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala fructus bonos facere. Itaque arbor ex fructibus cognoscitur*. Dunque aspettare il tempo del frutto. Voglio ancora vostra carità sappi che così come è falso che noi abbiam preso nuovo modo di vivere, così credo che molte cose false vi siano state date ad intendere. Noi non abbiam preso altro modo di vivere, nè in mangiare, nè in bere, nè in altre cerimonie, che quelle della nostra regola, & constitutione; ben è vero, che abbiamo resecato alcune superfluità contrarie alli documenti delli nostri Padri, nelli quali oggi si sono perduti li Religiosi, è questo non fa alcuna dimostrazione di novità, perchè servare le costitutioni de' nostri Padri antichi (alli quali i Padri nuovi di quello tempo non si possano comparare nè in sapientia nè in santità) edificare, cioè Conventi poveri, vestire di grosso panno, vecchio, e rattoppato; mangiare e bere (secondo la determinatione degli Santi) sobriamente; avere cella povera senza alcuna superfluità; servare li silenti, e darsi alla contemplatione & solitudine lasciando la familiarità del secolo: non dico questo modo nuovo di vivere religioso; ma è ben nuovo di vivere alla religione de' mendicanti, edificare conventi come palazzi con colonnelli e marmi, & farci stanze, le quali fariano sufficienti alli Signori; lo aver possessioni contro alla professione di tutto l' Ordine, non avendo fede in Gesù Cristo, che dice: *Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis*. Vestire con di panno più vile, ma più vano e sottile, poco orare & in ogni luogo vagare e discorrere. Voler esser povero, ma che non li manchi nulla, e far simili altre novità in scandalo delle anime. Il nostro modo di vivere non dà scandalo, nè ammirazione alla città di Firenze, anzi grande edificazione, massime a quelli che veggono. Et nondimeno voglio che voi capiate, che non abbiamo ancora cominciato a fare quello che noi desideriamo, perchè poco o nulla siamo mutati dal primo corso, il quale è assai comune a tutti. Et quando ci parrà bene lo ristringeremo a poco a poco con l'ajuto delle orationi, e maturo consiglio. Considerate Madre in Cristo dilettissima quello che di sotto scrivo con diligentia lasciando da parte la sapientia umana, & prima facendo bene oratione, per la quale spero in Dio che sarete illuminata per questa nostra cosa.

Prima vi dico che questa nostra separatione innanti che ella sia stata fatta è nata nelli cuori di molti, già più d'un anno fa, & nessuno sapeva l'uno dell' altro, e tutti a buon fine el pensavano, fra li quali uno è Fra Tomaso Bussini, del quale mi scrivere che voi credete che ne sia stato malcontento: conciosiache nata la cosa da ognuno, e non è stata subitamente nè per sdegno o altra passione, come alcuni dicano.

Secondo avendo io questo pensiero, e non lo volsi manifestare, se prima non ne feci molte orationi, nelle quali più sempre mi sentivo confermare nel proposito di farlo: non essendo però così certo che io non ci vedessi un gran peso, e che in questo farei mormorare di me il mondo, e farei tutti i miei amici della Congregazione di Lombardia diventar nemici. Nondimeno la mente mi diceva che al buon savio apparteneva fare le cose buone, e non guardare al dir della gente, perche le mormorationi de' popoli, sono come fumo di paglia, e che poi la verità averà il luogo suo: *sicut scriptum est. Laudabunt omnes qui jurant in eo, & obstructum est os loquentium mendacium, & iniqua*.

Molti mesi feci fare oratione non solamente nel Convento nostro, ma per tutta Firenze: e voi e vostre figliuole ne avete fatte. Sò che la mia intenzione fu sempre diritta a Dio, perche non volevo altro in quella cosa se non quello che apparteneva all'onor di Dio, & alla salute delle anime, e di quello Dio è testimonio, il quale vede il cuor mio, e così etiam ero stimolato dentro dallo spirito a far questa separatione, parendomi sempre di udire: *egredere de terra tua, & de cognatione tua*. Et io per non esser ingannato lo rivelai sotto sigillo di Confessione alli più antichi, e più sapienti Padri di Convento, li quali furno, s'io non erro, otto. Et tutti mi dissero che a loro pareva bene, e pensavano che Dio m'avesse così spirato, e presto si dovesse mandare ad esecutione, e così comincial insieme con esso loro.

Quarto, lo rivelai a tutti li altri Sacerdoti, e tutti furno contenti, & piacque loro, & di molte volte dissi a quelli che parlasseno libberamente, e dicesse ro l'animo loro, & nondimeno acconsentirno tutti con un medesimo volere, come appare per pubblico Istrumento e contratto, il quale poi si mandò a Roma.

Quinto, facemmo fare per tutto oratione comune, e li Frati sette volte il dì si raunavano a fare per questo oratione, che Dio ajutasse la causa sua; e sempre dicevo loro che pregassero Dio che facesse quello che era più l'onor suo, e la salute delle anime, & credo ancora voi care Suore avessi questa retta intentione, e queste tali orationi sono durate circa sette mesi continui.

Sesto, dovete pensare che in tanta moltitudine, di tutti (che eramo più di novanta inclinati al ben vivere) ci siamo dico molti che Dio porta loro molto amore. Se adunque tutti questi servi di Dio desiderosi tutti di ristringersi a un perfetto vivere uniti in carità, & in un medesimo proposito, cercando solo quello che è l'onor di Dio & salute delle persone armati ancora di tante orationi, & pregando la sua bontà, che facesse io questo caso quello, che lui sapeva essere il meglio. Come può esser, dico, che siano poi stati ingannati (come alcuni dicano) & lasciatoli incorrer in quello che è suo disonore, & contrario alla salute loro? ove dunque saria la Divina providentia? ove saria la verità dell' Evangelio, che dice: *Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur*? ove sarebbe la bontà di Dio, & il sangue di Gesù Cristo? & dove ci troveremmo noi? Poiche per tante oratione in tanta vera unione, con si retta intentione, & in tanta perseverantia, non sono state dico esaudite? Dio harebbe fatto il contrario di quello che li suoi servi li hanno chiesto; or non vedete voi che questo sarebbe come un bestemmiare Dio, & negare la sua providentia, & dire che lui non sia buono, nè fedele, nè verace delle sue promesse? Certo, se noi siamo tutti ingannati in queste cose bisogna negar la verità dello Evangelio. Et se alcuno dicesse che Dio ci ha lasciati ingannare, perche noi non avevamo retta intentione, ma abbiamo seguitato l'amor proprio. Rispondo prima che Dio è testimonio solo lui di questo. Secondo dico che non è verisimile che in tanta multitudine, & unione sia stata la loro intentione in tutti depravata, non si vedendo in loro se non buone opere, & massime essendovi molti ferventi già lungo tempo stati nella via di Dio. Et certamente non per me solo e pochi quando che ancora non fusseno caminati rettamente, Iddio non harebbe abbandonato quelli suoi fideli, & massime che noi leggiamo, che in Sodoma, e nell'altre città dove che era grandissima moltitudine di uomini, se pure vi se ne fusse trovati dieci buoni, Dio non l'averebbe così destrutte. Crediamo noi adunque che infra cento Frati non sia trovato almeno uno che fusse stato obstaculo a questa ruvina? se dieci bastavano a tante migliaja di gente, certo uno saria bastato massime siando stati di fuo-

ra ajutati da tanti servi, & serve di Dio con loro continue e devote orationi. Dove saria dunque la misericordia di Dio? *Numquid obliviscetur misereri mei Deus?* Oh se potessi metter questa scrittura in voce, io vi farei intendere che il mondo è tutto in tenebre, e che oramai tutti li stati delli uomini, e donne sono depravati, & che è tempo di rinovare il popolo di Dio. Tempo è dico, Madre mia dilettissima, di cominciare a viver singularmente, perche quello modo così generale genera ormai nausa all' Omnipotente Dio, *sicut scriptum est: utinam calidus aut frigidus esses, sed quia tepidus es, incipiam te evomere e pectore meo.* Ormai è tempo di rinovarsi e sprezzare il giudicio delli uomini: *quia omnis homo mendax.* Tempo è di combattere contra li tiepidi, e falsi fratelli. Certo è vero quello che dice l' Apostolo: *omnes qui pie vivere volunt in Christo Jesu, persecutionem patientur.* Li tiepidi non anno molte tribulazioni, perchè il demonio non persegota li suoi, mi li ferventi patiscano gran contraditione, perche sono contrarj a satanasso. Le cose di Gesù Cristo non sono mai senza buona vittoria. Quando dunque voi fate bene, & non avete contrario nessuno, temete assai allora, perche non è consuetudine di Dio lassar i servi suoi senza guerra. E finalmente ben vivere *est bene facere, & mala pati, & sic perseverare usque in finem.* Et per questo hora dovete credere questa nostra separatione esser stata ajutata anzi fatta da Dio, perche ella ha avuto in diversi luoghi, e massime a Roma tanta contraditione, e tanta multitudine di avversarj & di tanta forza, che se Dio non l' ajotava lui, certamente non veniva mai a perfettione. Onde molti pratichi in Corte di Roma dicevano: questa cosa esser impossibile a ottenersi; & quando poi anno visto il fine, che ella si è ottenuta sono rimasti stupefatti confessando, e dando laude a Dio. Così dunque ci avete ajutato in quell' opera, la quale è il principio della nostra renovatione in vera vita spirituale, e più perfetta di prima: così ci ajuterete nel resto con le devote orationi, perche nostra intentione è di andar innanzi, & non tornar indietro. Et non bisogna temere, dicendomi, tu non sei la stessa vita, e però se tu morissi, come anderebbe quest' opera, e come anderebbe ella innanti? Vi dico *quod potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae.*

Iddio che ha fatto quest' opera la condurrà al fin suo. Noi siamo strumenti, e però non è difficile a Dio a far delli altri strumenti molto più sufficienti di noi: *scriptum est enim qui plantat, & qui rigat nihil est, sed qui incrementum dat Deus.* Stolta cosa sarebbe se io avessi in me quella sollecitudine dicendo, se io morissi chi reggerà, & condurrà quest' opera, come se Dio abbi bisogno de fatti mia. Bisogna, Madre mia, far bene e fiducialmente intrar a far l' opere buone, quantunque grande per l' amor di Dio, & non pensar di se medesimo, ma confidarsi in Dio: *Quoniam qui confidunt in Domino, sicut mons Sion non commovebitur.* La bontà di Dio è tanta grande che noi dovremo confidarci di ottenere da lui tutte le cose che sono da noi desiderate per onor suo e salute delle anime. Tutta questa tal pusillanimità viene da poca fede, & per non avere perfetta cognizione della bontà di Dio. Ogni cosa riesce a chi ha fede viva. Tre sono le arme contro le quali non può tutto l' Inferno, nè tutto il mondo far nulla, & fanno ogni grand' opera riuscire, cioè fede viva, oratione continua, & omil patientia. Et benchè le opere di Dio a noi paja vadino tardi, nondimeno riescono a poco a poco. Brevemente, è tanta la fiducia che io ho nella bontà di Dio circa di quest' opera, che spero (se voi e vostre suore farete oratione continue per noi) che Dio farà tale opera, che tutti ci troveremo consolati, & voi ancora particolarmente ne sarete grandemente consolata tanto quanto vi sarete affaticata per noi.

Io non mi credetti nel principio esser così lungo, ma forsi Dio mi ha voluto dare assai parole, acciochè più chiaramente di questa cosa restiate illuminata, benchè con la viva voce vi illuminerei e direi più cose le quali non si possono scrivere. Iterum vi prego facciate fare oratione speciale per noi come prima, sempre avendo intentione di voler quello che è più onore di Dio, & salute delle anime; e questo continuamente sia in voi, perche credo certamente che ogni cosa riuscirà bene, & voi senza dubbio ve ne troverete consolata grandissimamente. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. Amen

Ex Florentia die x. Septembris 1493.

Lettera del R. P. F. Girolamo alla Sig. Maria Angela Sforza Duchessa di Ferrara.

Dilettissima in Christo Gesù. Il desiderio, che nelle vostre mi dimostrate di piacere a Dio, e di essere ajutata dalle nostre orazioni, benchè indegne, non può procedere, se non dalla divina ispirazione e da buona mente. Credo adunque se acconsentirete alle sue sante ispirationi, & gli aprirete il vostro cuore, verrà ad albergare in quello secretamente, e vi illuminerà ogni dì più, quanto che più con buone operazioni e mente purgata cercherete di accostarvi a lui, e se considererete che ogni altra cosa fuor di lui è vana e caduca, e vi accosterete a quell' infinito e sommo bene, il quale adempie ogni mente devota d' incredibile giocondità & allegrezza, intanto che etiam nelle gran tribulazioni la fa star lieta e gioconda. Questa è tutta la forma del ben vivere cristiano, cioè di amare Dio sopra ogni cosa, e guardarsi da tutte quelle cose, che li possano dispiacere, siccome la diletta sposa inverso il suo diletto sposo, perchè l' amore insegna fare ogni cosa. Pregherò adunque il nostro Signore Gesù Christo, che v' infiammi del suo amore, essendosi lui degnato di venire al mondo in carne umana, acciocche visibilmente la creatura lo possi contemplare, e più facilmente potesse venire in cognizione della sua infinita bontà, per la quale ci ha redenti col proprio sangue suo. Giusta cosa è, poichè ci ha fatto così gran benefizio, che breve tempo spendendo noi in suo servizio, ci promette poi vita immortale & eterna gloria, se noi lo seguitiamo di buon cuore, e teniamo l' occhio nostro sempre fisso alle cose eterne, come che il padron della nave pensando sempre di tornare al porto vero e sicuro. Et in questo modo ricordandovi voi della brevità & incertezza di questa vita e delle pene eterne de' dannati, e della gloria eterna de' Beati avrete in orrore il male, e piglierete incredibil diletto del bene operare. Sono tanto occupato, che non posso esser più lungo, ma averò la S. V. in memoria nelle nostre orazioni, le quali saranno tanto più accette a Dio quanto che voi l' ajuterete ancora voi col fare etiam orazione per me, & con le buone e laudabili opere vostre. Et al Sig. consorte vostro, & alla S. V. mi raccomando.

Dal convento di S. Marco di Firenze
24. di Maggio 1497.

Al Sig. Gio. Francesco Pico Conte della Mirandola alli 8. di Maggio 1497.

Magnifice & illustrissime Domine. Gratia Christi Jesu tecum. Io credo, che la Signoria Vostra si maravigli, che secondo la promessa io non li abbi scritto in tanto tempo; ma da una parte le mie occupazioni mi hanno tirato indietro; dall' altra parte non sono stato eccitato dal vostro desiderio. Avendo ora rubbato un poco di tempo scriverò brevemente, acciocchè la S. V. meglio apprenda, perchè molte

volte

volte la parcità de' cibi più giova che l'abundanza, sumendo gli uomini piu avidamente il poco che l'assai. Tutta la radice del viver cristiano procede dal lume della viva fede, la quale presuppone in amore del nostro Salvatore Gesu Cristo, il quale amore opera sempre cose grandi: e quanto più cresce questo lume, tanto piu cresce l'amore e la buona vita, e quanto più cresce il lume della fede, tanto più cresce la purità del cuore, la quale è una mondizia dalli peccati & affezioni terrene: però quanto più è eccitata l'anima da questo lume, e che si sforza di purgarsi piu sempre dalle affezioni che sono fuor di Dio, tanto più viene a crescer, e farsi perfetta: e quanto più ella è perfetta, tanto più è eccitata dal vero lume alla purgazione: e quanto più l'anima, incitata da esso lume, si purga, tanto più da Dio è illuminata ed infiammata del suo amore, intantoche l'uomo si comincia non solamente a dimenticar le cose terrene, ma etiam se medesimo, e tutto tende in Dio per diventare una cosa medesima con lui. E però a voler viver bene bisogna che la S. V. abbi l'occhio alla sua coscienza che non s'infetti e macchi da peccato alcuno, nè di alcuna terrena affezione, e guardarsi da tutte l'occasioni di peccare o siano cattive compagnie e solazzi e giuochi, o altre cose vane, ma pigliarsi piacere delle cose divine, e quello spesso meditare e frequentare e orare con intenzione di accrescere il lume di dentro e la carità di Cristo Signore, come fa il governatore della nave, che tien sempre la mano al timone e l'occhio fisso dove che vuole andare. Colui che crede viver cristianamente & non ha l'occhio suo fisso a quello lume, non può saper quello che lui fa, nè dove voglia pervenire, e però farà poco profitto nella vita cristiana, e nell'amor di Cristo Gesu & è simile a quello che tira con l'arco, e non tien l'occhio fermo al barsaglio, ma lassa ire la frezza in incerto & a ventura. E perchè il Demonio sempre perseguita quelli, che in verità vogliano servire a Dio, bisogna, dico, prepararsi alle tentazioni, le quali sono di due sorte, cioè interiore ed esteriore, & in ciascheduna parte tenta diversamente. Ma niuna cosa è più efficace a superarle quanto che è l'umiltà e il dispregio di se medesimo, e l'esser vile nelli occhi propri, e le continue devote orazioni. E nondimeno si vuole avere sempre un Padre spirituale, al quale si conferisca ogni cosa e attendere alli consigli suoi, non si disperando mai del nome della virtù, benchè le tentazioni siano forti e durino molto tempo, ma confidandosi sempre nella bontà divina. E perchè le prime tentazioni esteriori date & escitate dal Demonio sono le irrisioni de' cattivi. Bisogna in questa parte aver l'animo forte nella via della verità, e non far stima del giudicio degli Uomini, nè di lor laude nè di lor vituperio, perchè questo sarebbe timore delli uomini, e perder la libertà e magnanimità dell'animo nostro, la quale ci ha donato il nostro Salvatore Cristo Gesù. Noi siamo stati segnati nella fronte col segno della santa croce, e con la cresima dall'Episcopo anzi da Cristo, acciò non ci vergognamo di portare e predicare la sua santa croce. Et perchè la nostra salute depende tutta dalla misericordia di Dio e non dalle nostre operazioni, se non in quanto lui le fa in noi per sua grazia, & è scritto, chi fa misericordia: però state misericordioso alle povere e miserabili persone massimamente a quelle che si chiamano vergognose. Potrei scriver molte altre cose, ma spero in Dio, se voi persevererete senza peccato e con orazioni frequenti, l'unione dello Spirito Santo vi ammaestrerà senza me di ogni cosa. La grazia di Gesu Christo con lo spirito vostro. Amen.

Ex conventu S. Marci e Florentia 8. *Maji* 1497.

F. Hieronymus Savonarola.

Al predetto Conte Gio. Francesco, dopoiche ingiustamente fu scommunicato.

Magnifice & illust. Domine salutem. Le cose nostre vanno per l'ordine suo e non sinistramente, come alcuni vanno dicendo; perchè queste cose non sono nostre, ma di Dio, e le cose di Dio si confermano e crescano nelle tribolazioni, le quali a noi tanto più sono leggieri, quanto che già molti anni le abbiamo previste e prenunziate, onde ora mettiamo in pratica quello che tante volte abbiamo predicato. Tutti li eletti e quelli che credono sono adesso più confermati e piu allegri che prima, benchè sia vero di questa nostra ingiusta scommunicazione, nessuno però delli buoni ne fa stima, sapendo che gli ha fatto in se tre male condizioni: prima, perchè gli è impetrata da cattivi: seconda, perchè ella è piena di falsè suggestioni; terza, perchè ella è impetrata per far male, e però avendo cattivo principio, e cattivo e pessimo fine pensi la S. V. quanto può valere. La punizione è già venuta verso di alcuni di loro, così è accompagnata con il peccato; & tuttavia Dio mena il bastone verso di quelli, benchè del continuo preghiamo per loro. Non dubitate che le cose da noi predette non abbino il lor buono effetto. Non bisogna ancora aprire altre cose che le predette, perche ancora non sono mancati li mezzi umani. Basta che il Sig. Dio ha dato segno di tale a chi è contra all'opera sua, che doveriano intendere. Noi viviamo allegramente con li nostri Frati, e tutti in Cristo Gesù nelle tribulationi sono giocondi e lieti, alli quali ho raccomandato la S. V. che preghino per quella & per la sua consorte, e per tutta la casa sua. Non vi partite per alcuna tribolazione dalla via della verità, perchè le tribulazioni non hanno mai a mancare, ma crescere. Bisogna esser paziente, perchè in questo modo si prova la fede nostra. Mando alla S. V. la risposta che ho fatta alla escomunicazione, e questa lettera satisferà ancora a m. Lodovico, perchè io non posso scriver tanto, e Fra Nicolao nostro è impedito, sicchè la S. V. mi perdoni, alla quale mi raccomando, confortandolo che non dubiti di queste cose, perchè Dio non lascierà l'opera sua e ogni cosa al tempo suo anderà bene, & videbitis cito. Della pace che mi scrivete farò tutto quello che io potrò. Questo dico perchè quella sa che molti sono li avversarij, e potrei forse pregar qualcuno che per questo sarebbe tutto il contrario. Gratia Domini nostri Jesu Christi tecum. Ex conv. S. Marci a. Julii 1697.

A M. Lodovico Pittori Cittadin Ferrarese.

Dilettissimo in Cristo Gesù. La pazienza & longanimità di Dio verso li peccatori dimostra la sua gran bontà, e nella pazienza de' suoi eletti si vede la forza della sua grazia; se Dio non lasciasse in terra li cattivi, ove sariano persecuzioni? e se mancassero le persecuzioni, ove saria la pazienza e probazione de' suoi Santi & eletti? e se mancasse la pazienza e probazione, ove saria la corona? Considerate nel nuovo e vecchio Testamento, e troverete maggior persecuzione e maggiori blastemmie ed ingiurie contra Dio & de' suoi Santi. Et acciocchè voi più non sbigottiate, io vi assicuro, che noi abbiamo da avere molte più tribulazioni di queste. *Hæc ergo locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum, reminiscamini, quia ego dixi vobis.* Le cose nostre qui vanno bene, e nelle tribulationi crescono, e questa persecutione ha fatto crescere li discepoli di numero e di merito, e alli fatti piu forti, & al bene piu avvezzi. Pregate Dio per noi. *Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum.*

All'

All' Illustrissima M. Giovanna Caraffa moglie del Conte Gio. Francesco Pico della Mirandola

Magnifica M. & in Christo Gesù dilettissima. Gran piacere ho ricevuto dalla vostra lettera per aver inteso voi desiderar piu tosto la morte che offender Dio. Questo dimostra, che siete nella sua grazia, e di già avete conseguito la sua misericordia e remissione de' vostri peccati. E se voi persavererete in questo buon pensiero, removendo da voi l'amore e vanità del mondo, e dandovi spesso alle devote orazioni, considerando con viva fede che presto passerà via questa vita, e che la gloria de' Beati sarà sempiterna, e continuamente voi a quella aspirando, spero che troverete assai consolazione, massime quando considererete l' amor che vi porta il nostro Salvator Cristo Gesù; perchè non dubito che facendo a questo modo, v' innamorerete di lui, e con gaudio camminerete a vita eterna. Amen. Pregherò Dio per voi che cosi sia. *Gratia & pax cum Spiritu suo semper*.

Di Firenze die [illegible] Decembris 1495.

Alla sopradetta Sig. Giovanna Caraffa.

Magnifica e diletta M. in Cristo Gesù. Io mi sono consolato nella vostra lettera considerando la vostra buona mente, e pronta volontà al ben vivere, & in quello perseverare; & etiam la vostra santa e ferma fede, la quale non è fondata in ragioni umane, nè in cose che si vedono, anzi è dono di Dio particulare, poichè io vedo che non manca per le tribulationi e persequtioni, quali continuamente abbiamo. Non bisogna dunque che V.S. si diffidi di poter sopportare le tribulationi quando pur piacesse a Dio darvene, perchè quello, che vi ha dato questa fede, e questa buona volontà, vi darà ancora forza e gaudio in esse tribulationi. E di questo al presente ne abbiamo continuamente esempli singulari dinanzi agli occhj nostri in questa città sì nelli secolari, come nelli religiosi, che non si potrebbe dire con quanto gaudio viveno in mezzo di queste sì grandi tribulationi; intantochè spesso mi dicono: Padre noi non sappiamo che cosa sia tribulatione. E quelli che muojano con tanta devotione & allegrezza si parteno di questa mortal vita, che nessuno di quelli, che li vedeno morire, dubitano punto, che non vadino in vita eterna. E questi non sono stati pochi insino a questa presente ora, ma sono stati in gran numero di uomini e donne, il qual numero non vi esplico per non errare; ma quelli che non credeno stanno mal contenti, e non possano fare che non mostrino la loro tristitia nel viso. Sicchè già si vede, che li eletti di Dio in queste tribulationi sono mirabilmente consolati per la speranza dell' altra vita, la quale Dio ci ha promesso, dove che ciascuno viverà felice in secula seculorum. Amen. La grazia di Cristo Gesù con voi sempre. Raccomandomi alle orazioni vostre, e non mancherò pregare Dio per tutta la casa vostra, siccome promissi al vostro consorte Signor Conte.

Di S. Marco di Firenze alli 13. di Agosto 1497.

Alla sopradetta Sig. Giovanna Caraffa.

Magnifica e dilettissima in Cristo Gesù. Sapendo la vostra buona mente verso Dio, mi sono escitato a scrivervi queste poche parole per confortarvi e confirmarvi nel vostro buon proposito, esortandovi che voi vogliate conoscere tanto benefizio, il qual val più che li tesori del mondo, & è dato a pochi, e massime a ricchi. Crescete dunque in spirito e verità preponendo sempre l'amor del nostro Signor Gesu Cristo a tutte le cose del mondo, & etiam a voi medesima, facendo sempre proposito piu tosto voler morire, che tornare in dietro con il peccato mortale. Non dovete però avete la coscienza vostra troppo scrupolosa, perche il Signore nostro è liberale e clemente e non risguarda ogni minutia. La carità estingue tutti li peccati, nella quale dovete vivere allegramente, e caminar per la via del mezzo, e declinar più tosto alla troppo speranza, che al troppo timore, perche il nostro Dio è dolce, e più volentieri s'inclina a far misericordia, che giustizia. Voi piacerete piu a lui, se viverete allegramente, non pensando a scropoli, ma sempre tendendo all'amor della sua bontà. E seppure la vostra coscienza s'inquieta, consigliatevi con i buoni e discreti e state al lor consiglio. Voi avete il vostro consorte il Conte Gio. Francesco, con il quale potete consigliarvi, e potete e dovete fidarvi del suo consiglio, perche so che vi consiglierà bene. Et umiliandovi a credere a lui, farete cosa che piacerà a Dio, e da quella umiltà procederà in voi grazia e tranquillità di mente e servirete a Dio con letizia. Io pregherò ogni dì spiritualmente per voi, e voi similmente per me. Altro non accade dirvi. La grazia di Dio sia sempre con lo spirito vostro. Amen. La Sig. V. veggi la lettera, che ho scritto a m. Dianora, e lei vedi la vostra, perchè quello che io scrivo a una scrivo all'altra, per quanto sia per allargarvi la coscienza, la quale so che avete troppo stretta.

Di Firenze 6. Nov. 1597.

A due giovane Ferrarese.

Dilettissime in Cristo Gesù. Avendo voi eletto di essere spose di Cristo Gesù Signor nostro, laudo sommamente il partito vostro, il quale avvanza ogni altro. E per piacere a questo vostro sposo tutto glorioso e magno, vi bisogna innammorar di lui, e intanto inebriarsi di lui totalmente, che vi dimentichiare di ogni altra cosa estranea fuor di quella. Et è conveniente, che a voler esser recettacolo di tanto Signore esso non trovi la casa imbrattata di cose vili, ma tutta pulita e monda di ogni terreno affetto, & in questo modo trovandola potrà dimorare e star con voi suavemente. Farò fare molto volentieri orationi per voi, e pregherò Gesù Cristo, che vi accetti e confermi con vera perseveranza nel suo verace amore. Pregare ancora voi per noi, la pace grazia e consolatione dello Spirito Santo sia sempre con voi, e alle carità vostre non posso scriver più diffusamente. *Bene valete in Domino*.

Di Firenze a 24. di Maggio 1497.

A m. Bertrando Ferrarese Protonotario Apostolico.

Reverende in Christo Pater & Domine. Le lettere della S. V. mi hanno dato piacere assai, vedendo, che quella nè per occasione di tempi nè per alcuna persecutione manca di fede, e questo è un segno che il vostro credere non procede da umana opinione causata da qualche ragione e da qualche causa estrinseca occorrente, ma dal vero lume *quod sursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio*. Onde la fede & il lume per il quale crediamo quello, che per ragione umana non ci è manifesto, la qual fede Dio dona alle menti ben disposte, e però da questo ha compreso la buona dispositione della vostra mente e rettitudine verso Dio; e vedo che non è come di quelli, de' quali è

li è

li è scritto che *ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt*. Sappi adunque la S. V. che le cose nostre vanno per l'ordine suo. E bisogna che le parole di Dio si adempino fino a un minimo jota. E se al presente venissero alcune cose da noi predette, come che alcuni desiderano non si adempirebbero alcune altre predette da noi, le quali verranno innanzi a quelle, come che sono le presenti persecutioni, e altre cose particolari, e però adempiendosi quelle, son buono argomento che si adempieranno tutte le altre, andando tutte per l'ordine suo, sicche tutto quello che ho detto, tutto sarà senz'alcun fallimento, e tanto più apparirà, che sia proceduto da Dio, quanto che sarà contra ogni opinione de' savj del mondo, e se voi non vedere diminuir li peccati principalmente di Roma, e di tutti li altri luoghi principali d'Italia, non crediate mai che alli giorni nostri, e per questo presto non venga il flagello da noi predetto, perchè non c'è altro rimedio che far penitenza con tutto il cuore, e viver da vero cristiano. Delle nostre tribulationi non bisogna maravigliarsi perchè già sono molti anni che le abbiamo previste e pronuntiate, le quali non cesseranno, anzi ne aremo di molte maggiori, & in queste ci gloriamo per molte buone ragioni, le quali credo facilmente la Signoria V. l'intenda. Nè per questo quella non temi, che l'opera di Dio s'interrompi, anzi per questo modo più crescerà e confermerassi. Siccome ancora le tribulationi de' SS. Martiri e Sacri Dottori non hanno debilitato, ma confirmato e cresciuto la verità della S. fede. E quando ancora io fussi morto non mancherà l'opera di Dio, perche a lui non manca strumenti da farli più atti di me: *nam qui plantat, & qui rigat nihil est, sed quod incrementum dat Deus*. Li Apostoli morirno e li Santi Dottori, e non mancò per questo la fede, anzi la morte loro fu un seme e buona causa a rinovarla. Non bisogna che la S. V. facci scusa meco dello scrivere di rado, perche so che ella è occupatissima, e io ancora sono in quel medesimo grado, basta che quando sarà di bisogno non mancheremo l'uno all'altro dell'offitio della carità. Io secondo la mia fragilità pregherò il Signore Dio che li dia gratia d'expedire per tal modo l'opera cominciata, che ella sia a gloria sua e devotione e tranquillatione della conscienza vostra in Cristo Gesù, e questo medesimo aspetto dalla S. V. che preghi per l'opera nostra. Et gratia Domini nostri Jesu Christi tecum.

Di Firenze a 12. di Luglio 1497.

A tutti li eletti di Dio Florentiæ commorantibus, confortandoli a perseverare nel ben vivere, dapochè restò alquanto di predicare.

Volendo noi, dilettissimi, imitare il nostro Salvatore, il quale dette luogo molte volte alla grande ira delli scribi e farisei, abbiamo lasciato il predicare fino a tanto che a lui piacerà; ma sapendo che il demonio non si cura de' corpi, ma delle anime, e che escitando queste persecuzioni, acciocche cessando il verbo di Dio possa meglio ingannare li uomini. Io penso che esciterà li tiepidi, li quali non cesseranno di divertir le anime dalla verità; e temendo che voi non vi lassiare ingannare, e avendo sollecitudine della salute vostra, quello che al presente non si può far in parole, e con il predicar lo farò in scritto, e forse quello sarà tanto più utile quanto sarà più universale, potendo la lettera aversi da quelli che non possano udir le parole; vi prego dunque, dilettissimi, che voi non vi turbiate delle tribulationi, e persecutioni mie, le quali io patisco per voi; anzi rallegratevi meco, che il Signore ci ha fatti degni di patire per amor suo, e per amor della verità, massime sapendo voi che continuamente io vi ho detto aver noi a patir gran persecutione, avendo da combattere con doppia potentia, sapientia, e malitia, e però vi dovete confirmare nella verità da noi predicata, vedendo adempire di mano in mano tutto quello che noi abbiamo predetto, e credete ancora le grazie e consolazioni promesse verranno. Considerate le sagre Scritture, e le opere fatte nella Chiesa di Dio per li tempi passati, e troverete che la Chiesa è sempre cresciuta nelle tribulationi; onde essendo lei piccola e quasi nulla nel suo principio per le gran tribulationi, poi si dilatò per tutto il mondo; e dipoichè quelle mancorno, ancora lei è mancata di numero e di merito. Ora volendo Dio rinovare, non è maraviglia se cominciano un altra volta le persecuzioni, nelle quali essa in ogni parte si farà perfetta. Ma pensate quanto è buono e benigno Dio, e quanto dolcemente si conduce, quando che non ci ha mandato addosso subito la gran persecutione, ma ci ha nutriti in esse a poco a poco, perchè prima per sua permissione li uomini reprobi si hanno fatte beffe di noi, dipoi ci hanno apposto di molte calunnie, dicendo noi essere ingannatori, ippocriti, eretici, e altre calunnie, le quali non trovando poi in noi in verità si sono sforzati per molte vie distorte di fare scommunicare & interdire senza causa, e non avendo ancora questo potuto ottenere ci hanno fatto molte insidie alla persona, e minacciatoci. Dipoi si sono manifestati apertamente tentando di darci la morte, e non abbiamo per ancora sparso una gocciola di sangue, perchè il nostro Signore conosce la fragilità nostra, e non ci lascia tentare sopra alle forze nostre; ma a poco a poco crescendo le tribulationi ci fa crescere etiam la fede e la virtù dell'animo a sostener maggior cose, e in questo modo ci prepara a maggior tribulatione, acciocche li uomini vedendo noi tante tribulazioni e persecuzioni non rimoverci dalla via della verità si escitino a meravigliarsi della nostra costanza, e comincino a pensare che noi non sopporteremo tal cose se non fusse vera la fede, e se non fusse un altra vita miglior di questa, e per questo cominciano ad accendersi al ben vivere, e seguitare ancora loro questa verità, e in questo modo per le tribulationi si dilaterà questo lume, e ne seguirà il contrario di quello che desiderano li nemici della ✠ di Cristo, li quali desiderando di spegner questo lume, più si accende. Onde non dovete dubitar che queste persecuzioni estinguano o diminuischino l'opera di Dio già cominciata, anzi per questo credete che la crescerà. Grande certo è stata la misericordia di Dio verso di noi quando che ci ha eletti a partecipar tanto lume, e non altro lume dico che quello che ha avuto sempre la chiesa di Dio della S. fede e che hanno avuto tutti li fedeli Cristiani, benchè alcuni ci apponghino il contrario perche sono privati di questo lume, e però non cessano mai di dire e far male, seguitando il padre loro Satanasso, ne avete manifestissimi segni nella vita parole & opere loro, quando che li loro ministri con tanta audacia, senza freno di timore o vergogna hanno profanato il tempio di Dio facendosi beffe delle parole di Cristo e nel luogo della verità santificato tante volte per il verbo di Dio hanno fatto molte sporcitie e lacerato il titolo della laude di Dio, con derisione e blasfemmie per avere in odio il verbo di Dio sforzandosi d'impedirlo per estinguer tutte le virtù, acciochè possino più liberamente peccare, & aprir la via alli giuochi e alli peccati. Pensate adunque che generazione di uomini (se sono però huomini) sia questa che fa cose che non farebbono li pagani & infideli, li quali hanno li tempi loro in somma reverenza, e gravissimamente puniscano le ingiurie di Dio, ma costoro non curano le ingiurie fatte a Dio farne giustizia alcuna, ma sibbene cercano di far vendetta delle punizioni giustamente fatte a qualche cattivo, e di già l'arebbero fatto, se non fussero stati impediti dalli buoni e giusti cittadini. Pensate ancora, chi sono

quelli

quelli che di queſte coſe ſi rallegrano come ſono li tepidi, li quali eſcitano e conſigliano quelli, ovvero li conſentono. Potete dunque per queſto eſſer certi che la via che vi ho predicato è quella della verità, poichè tra voi non vedete ſimil male e perverſe opererazioni, anzi tutte le ſante virtù e buone opere, e che voi non ſete perſeguitati ſe non dalla ſinagoga di Satanaſſo; e però eſſendo voi in mezzo di una generazione prava e perverſa, nella quale riſplendete come ſtelle nella tenebroſa notte, vi biſogna, dico, ſeguitare il noſtro Salvatore, e li ſuoi diſcepoli, e martiri, li quali per la perſecuzione non tornorno mai indietro, anzi più ſempre ſi confirmavano con pazienza e gaudio nelle virtù e confortavano li altri a far queſto medeſimo. Non vi vergognate, dilettiſſimi della ✠ di Criſto Gesù, anzi in quella gloriatevi; perchè ſe li uomini perverſi ſi gloriano di far male quanto maggiormente noi ci dobbiamo gloriare del ben vivere, e di eſſer perſeguitati dalli membri del demonio. Ora è, dilettiſſimi, di guadagnare, perchè il giudizio di Dio comincia ſempre nelli ſuoi eletti, li quali tribula e prova in molti modi come ſi prova l'oro nel fuoco, & il giudizio delli eletti è purgativo, & è con miſericordia, ma quello delli reprobi ſarà ſenza miſericordia. E non vi maravigliate che Dio laſſi far tanti mali alli cattivi ſenza punizione al preſente, e che di ciò non moſtri alcuna vendetta, perchè non può eſſer maggior ira di Dio contra di loro, che a laſſarli proſperare nel male e farli ſtrumenti di Satanaſſo ad eſcitare li buoni nelle virtù della vera pazienza. Onde così come Dio riſerba gran moltitudine di demonj in queſto noſtro aere caliginoſo, e non li fa ſtare nell'inferno come meritano per eſercitare li eletti nella ſua fede: così, dico, laſſa vivere li reprobi uomini e proſperare per quel medeſimo offitio che hanno li demonj. Dipoi il giudicio loro ſarà duriſſimo e ſempiterno. Ma noi ſperiamo una grand'eredità in cielo, la quale non mancherà mai per eſſere noi figliuoli di Dio, da lui come da padre in queſta vita caſtigati e non mortificati, come che ha fatto a tutti li ſuoi figliuoli; e certo maggior perſecuzione e paſſione ebbero li ſanti martiri, che non abbiamo ancora noi, e però non ci dobbiam dolere, nè lamentare, nè credere, che per queſte tribulazioni ſiamo abbandonati da Dio, anzi che noi ſiamo delli ſuoi figliuoli ordinati a vita eterna, la quale è promeſſa a quelli che patiranno perſecuzione per ſuo amore. E però doviamo ſtare allegri, e dimoſtrare agli uomini mondani, che la noſtra eredità e gloria, che noi ſpettiamo, è tanta grande, che noi non facciamo ſtima di coſa alcuna in queſta vita preſente; & eſſendo venuto il mondo a tanta cecità, quanto che voi al preſente vedete, biſogna a noi ſtimar che non ne manco al preſente ritrovarſi tra queſte generazioni di tiepidi e ſcelerati uomini, come ſe fuſſe al tempo delli apoſtoli tra li ſcribi, e fariſei, e fra li pagani & idolatri, e però biſogna armarſi contro la loro nequitia con fede viva & orazion continua & umil pazienza, perſeverando nel ben vivere, & in quello ſempre creſcendo, perchè non è coſa che poſſa più convincer gli avverſarj della verità, che la voſtra buona vita, la quale vedendo loro biſogna che rimanghino confuſi. E non vi dovete dolere che a voi ſia ſubtratto il verbo di Dio, perchè queſto non è ſtato conſiglio umano, ma divino, acciochè voi conoſciate quanto mal farebbero tal perſone ſe aveſſero la poteſtà, e che chiaramente conoſciate che non ſono criſtiani veri, e che non credeno nulla della fede di Criſto, quando che ſi ſono sforzati appunto in quel giorno (nel quale il noſtro Salvatore comandò alli diſcepoli che andaſſero a predicare l'evangelio a tutte le creature) levare, dico, dalla città il verbo di Dio & aprir li luoghi profani e li giuochi e tutte le coſe del demonio, il quale è inimico di Geſu Criſto. Ma pregate voi l'onnipotente Dio che ſi degni di aprire il fonte del verbo ſuo; perche quando Dio comanderà, ſi apri la bocca, e che ſi predichi, non ſarà uomo che poſſa reſiſtere. E ſe vorranno queſti cattivi eſſer pagani, noi ci dimoſtreremo eſſer veri criſtiani. E faremo come li Apoſtoli e martiri paſſati, alli quali era comandato che non predicaſſero, e loro riſpondevano che biſognava più preſto obbedire a Dio che alli uomini, e volentieri pativano ogni tribulazione per amor di colui che fu crocifiſſo per la noſtra ſalute. Vi prego adunque per le viſcere della pietà di Gesù Criſto, che in queſta ſanta ſolennità dello Spirito Santo vi prepariate alla ſantiſſima communione con vera contritione de' voſtri peccati e purificazione del cuor voſtro, acciocchè il P. Eterno per li meriti della paſſione del noſtro Salvatore vi mandi li doni dello Spirito Santo, per li quali non ſolamente con pazienza, ma con gaudio ſopportiate queſte tribulationi e molte altre maggiori, ed acquiſtiate la corona in vita eterna. State quieti di mente, manſueti, umili, caſti, integri, ſinceri, e caritativi, in continue orazioni vivamente, ſenza ira & odio difendendo la verità, & dimoſtrando la inſipienza degli uomini perverſi. Et in queſta ſolennità dolciſſima preparate li cuori voſtri all'avvenimento del Santo Spirito invocandolo con fede e deſiderio, acciocchè per il dono dell'intelletto vi facci le coſe inviſibili ed eterne, e per il dono della ſapienza ve le facci amare, ed ardentemente deſiderare, e per il dono della ſcienza vi facci diſprezzare le coſe terrene che paſſano in un momento, e per il dono del conſiglio vi indirizzi nella via della verità in ogni coſa che avete da fare. E per il dono della pietà vi facci pietoſi e benigni verſo il proſſimo, maſſime verſo le miſerabili perſone e molto più verſo li peccatori, avendo compaſſione alla miſerabil cecità loro & eſcitandovi etiam a pregare ferventemente per li voſtri nemici. E per il dono della fortezza vi facci forti a tollerar con gaudio per ſuo amore, e per la verità tutte le tribulazioni. E per il dono del timor ſanto vi conſervi nella via retta di Criſto Gesù con ogni umiltà e ſubiezione, acciocchè viviate giocondi e felici, non deſiderando nè temendo coſa alcuna di queſto mondo, ſapendo che il tempo paſſa preſto, il qual paſſato che ſarà, ci troveremo in quella felicità immenſa, e goderemo col noſtro Signore Dio e con li ſuoi Santi guſtando quello, che occhio mai non vidde, nè orecchio inteſe, nè in cuore umano aſceſe, quello, che ha preparato Dio a quelli che l'amano. La grazia del Padre, e la pace del Figlio, e la conſolatione dello Spirito Santo ſia con voi tutti. Amen. Di S. Marco di Firenze il dì dell'apparizione di S. Michele Arcangelo alli 8. di Maggio 1497.

DEFI-

DEFINITIO

Contra injuſtam excommunicationem latam erga Fratrem Hieronymum Savonarolam Ferrarienſem, per Magiſtrum Paulinum Bernardinum Lucenſem Ordinis Prædicatorum &c. edita.

QUæritur ſecundum uſum ſcholæ ad majorem evidentiam, An excommunicatio contra Fratrem Hieronymum lata, fuerit nulla, & videtur quod non. In dubiis pro ſuperiori eſt judicandum. De ſententia Excommunicationis Cap. *Inq.* In contrarium vero eſt Doctorum multorum opinio, qui ſenſerunt, probaverunt, & ſcripſerunt oppoſitum.

I. Antequam ponantur concluſiones, notandum, quod etiamſi excommunicatio illa juſta fuerit, non tamen Savonarola ſchiſmaticus dici poteſt; quoniam ſchiſmaticus eſt, qui renuit ſubeſſe ſummo Pontifici, ut capiti, nolens ejus officium recognoſcere ſuper totam Eccleſiam, non autem ille, qui eſt inobediens Pontifici. Alloquin quotidie multi homines, Principes, Urbes, & Regna, ſchiſmatis nomine cenſerentur, repugnantes voluntati Pontificis. Vocantur ergo inobedientes, & rebelles, non tamen ſchiſmatici. S. Th. 22. Q. 39. Art. 1. & comm. 2.

Cum ergo Savonarola centies fateatur, etiam poſtquam fuit excommunicatus, & adeo in ultima ſua ad populum concione, ſe pontificem ſummum ut Caput Religionis venerari, quin etiam diſerte aſſerat non ſua ſponte, ſed malignorum ſuaſionibus contra illum excommunicationis ſententiam fulminaſſe. Non igitur ſchiſmaticus, ſed fortaſſe pertinax, & rebellis poterit nominari.

II. Notandum quod in præſenti quæſtione aliud ſupponitur tanquam clarum: aliud quæritur velut dubium. Manifeſtum primum, Pontificem labi potuiſſe, & ſæpius lapſum in ſimili caſu, ut patet ex multis etiam temporibus noſtris, de quibus tacemus. 2°. Sententia contra præceptum caritatis lata, eſt nulla, & ſine peccato mortali nequit ſervari. 3°. Quod dari poteſt caſus neceſſitatis, & pluries datur, in quo tenetur quilibet fidelis ex præcepto caritatis ſubvenire Indigenti tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, ut patet per Theologos, & maxime S. Thom. 2. 2. Q. 43. A. 7. 4^{m}. Q. 33. A. 2. 3^{m}. Q. 32. A. 5. 3^{m}. 19. 33. A. 4. c. & com. ad 3^{m}. ubi habetur, quod propter periculum Fidei, & mortis tenetur ex præcepto quilibet publice corrigere etiam Prælatos delinquentes, ſicut Paulus Petrum reprehendit.

Quæritur autem tamquam dubium apud quoſdam de hoc ſingulari, an videlicet Savonarola erat in caſu neceſſitatis, ita quod ceſſante eo a Prædicatione, eſſet manifeſtum periculum fidei vel morum in aliquo vel aliquibus. Et quia hoc demonſtrari non poteſt, cum demonſtratio ſingularium eſſe non poſſit, ſed tantum experientia apud præſentes, & teſtimonio apud abſentes comprobari. Ideo hunc caſum ſingulariter explicando ut a fide dignis accepimus.

III. Notandum quod Savonarola concionibus ſuis in Urbe Florentia per annos fere 8. nil aliud optavit, & fecit, quam ut Religionem Chriſtianam, in ea urbe fere extinctam ſuſcitaret, & pacem inter diſſidentes cives componeret. Hinc factum eſt, juxta Divi Pauli teſtimonium, perſecutionem, atque invidiam eorum ſuſtinuerit, tam ſæcularium, quam ſacerdotum, quorum acriter vitia ad plebem traducere, & immanem crudelitatem minime verebatur, unde ingens odium natum eſt eorum, qui eum amovere ab officio cupiebant, & etiam e civitate pellere, Pontifici ſuadentes hominem pernicioſa dogmata docere, Summum Pontificem maledictis laceſſere, & Rempublicam perturbare. Rogare igitur Sanctitatem ſuam ut quoquomodo ipſum Romam accerſiret, arbitrati ſe per occaſionem itineris, poſſe in interitum hominis feſtinare. Quare laudatum hominem Pontifex, velut doctrina Evangelica concionatorem amice ad colloquium invitat; verum ipſe ad omnia humiliter ſe excuſando reſpondit, cum Dei nutu in valetudinem incidiſſe, quod Adverſarii intelligentes Pontifici perſuadent in Republica Florentina illi officium prædicationis interdicere, & inquiſitionem de falſa ejus doctrina Commiſſario Apoſtolico quam citius injungendam, itemque Congregationem S. Marci ab eodem Pontifice a Congregatione Lombardiæ ſejunctam eidem reuniendam, quod & factum eſt, reſcribente Pontifice poſt duos fere menſes, & poſt præclaras illas laudes doctrinam ejus plane pernicioſam deteſtante. Cæterum cum nec id ſatis pro voluntate ſuccederet, cum Dei nutu breve dirigendum Fratribus S. Marci, fuerit directum Fratribus S. Crucis in Civitate Florentia, ab eiſdem ſuggeſtum Pontifici eſt, ſub ſpecie Reformationis novam Thuſcia Congregationem erigendam, & conventuales quos dicunt in decem Conventibus demorantes, reformatis Fratribus duorum, aut trium conventuum permiſcendos; ſed id bonis omnibus non probatur, quibus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ hoc mandabatur: ſciebant hæc omnia in unum Hieronymum eſſe conſtituta, qui dixit, & ſcripſit hoc mandatum eſſe contra caritatem. Igitur Pontifex hotum ſollicitationibus exagitatus in eum ſententiam excommunicationis protulit, & publice denuntiandum duxit, & juſſit, unde & Hieronymus 8. menſibus a prædicatione ceſſavit. Interim publice editis defenſionibus, quibus excommunicationis cauſas, & crimina prætenſa diluta eſſe voluit, & apud Pontificem egit, ut re lucidius inſpecta, defenſionem ſuam reciperet. Quod cum obſtinatio inimicorum omnia ſæva minantium, minime impetraſſet, ratus ceſſationem ſuam, timorem hominum magis exiſtimandam quam pietatem: ac propterea videns vitia ſuccreſcere, animarum jacturam, ac totius incendium civitatis, quæ omnia ſole lucidiora patebant, pro ſalute animarum ad conciones rediit, nempe ad manifeſtum (quod evenit) ſui capitis periculum. Non equidem Summum Pontificem (cujus animum ſemper pie, & religioſe teſtatus eſt eſſe candidum) ſed impiorum ſævitiam ac infidelitatem execratus, atque in eorum ſcelera rejiciens quidquid geſtum fuerat. Hic igitur eſt quæſtionis hujus ſtatus. Cui ſane invocato totius cæleſtis Curiæ auxilio, atque adeo pro ipſa, quam ſcire cupimus, veritate, omnia quæ dicenda ſunt, Apoſtolico examini, atque judicio peritorum humiliter ſubjicientes reſpondeo tribus concluſionibus. Excommunicatio illa videtur injuſta: probatur primo.

Prima Concluſio ex Cauſa Finali.

I. Cujus finis malus, & ipſum eſt malum; ſed finis excommunicationis eſt malus, quamvis finis excommunicantis ſit bonus, quia eſt ceſſare a praedicatione contra bonum commune civitatis, & animarum, ut patet. Ergo.

II. Ex cauſa formali probativa. Nulla praeceſſit monitio, nec ad ſe purgandum citatio.

III. Ex cauſa formali poſitiva: continet enim plures manifeſtos errores, & mendacia. Ergo.

IV. Ex cauſa agente. Fuit procurata, extorta, & empta per malos. Igitur.

V. Ex cauſa materiali: Prædicare enim fidem Chriſti, & Chriſtianos mores, necnon praenunciare flagellum contra Italiam, & Eccleſiae & hominum reformationem, non eſt materia excommunicationis.

Minor omnium rationum aut patet, aut per testes probari potest,

Secunda Conclusio.

I. Excommunicatio illa videtur nulla. Probatur primo. Certum est quod is committit in legem, qui dum legis verba complectens contra legis nititur voluntatem. Sed excommunicatio habet multa falsa, unde debet intelligi si ita est, quae est clausula generalis.

II. Continet intolerabilem errorem, nempe quod praedicavit dogma perniciosum, de quo paulo ante tam magnifice loquebatur.

III. Est contra praeceptum caritatis, quia per experientiam patuit utilitas maxima praedicationis, & ruina animarum, & periculum sanguinis, cum per plures menses ab ea cessatum est.

IV. Idipsum viri optimi, atque doctissimi fatebantur, quorum judicium atque consilium Savonarola sequebatur, & non proprium tantum.

V. Multi qui interfuerunt, & scripserunt, id diserte asseruerunt, tum maxime Georgius Benignius Ordinis Minorum & Archiepiscopus Ragusinus, Dominus Hieronymus, & D. Dominicus Bentivenus Florentini D. Gaspar Venetus, D. Bartholomaeus Scala Florentinus, D. Joannes Nerius cives item Florentinus, D. Bartholomaeus Fontius, D. Jo. Franciscus Picus Comes Mirandulanus, Magister Paulus de Fucecchio Ordinis Minorum, & Frater Paulus Nolanus ejus Ordinis; qui omnes, & alii multi nequaquam tam aperte damnatum hominem defendissent, publice, atque constanter, nisi rem exactissime perpendissent, & clarissime judicassent, cum fuerint vita integerrimi, & doctrina singulari.

VI. Nullus hactenus a 60. annis ausus est publice, atque edito nomine contra eum scribere rationibus editis, aut refellere quidquam etiam ab amicis, & viri inimici rogati; & in tanta procerum adversus eum conspirationem, quod non est leviter praetereundum.

VII. Fuit hoc saepius ex commissione Apostolica severissime quaesitum & examinatum ab his, qui parum illi favebant, & libros atque impressas conciones e medio sublatas volebant, sed hactenus jure fieri posse non viderent.

VIII. Arbitrium, atque judicium bonorum magis est sequendum quam malorum. Ii non tam verbis quam opibus fatebantur nullam esse excommunicationem illam, cum certatim accorrerent ad eum audiendum multa hominum millia, & se conclamassent in concione, ignem libenter subituros pro veritate, & e diverso fugerent adversarii.

IX. Fratres ejus viri ferme 300. qui omnia pro Christo reliquerunt, & se illi dederunt, rem propius intuentes, idipsum probant, quos velle pro homine pugnare in sempiternum eorum interitum verisimile non est, cum essent multi & nobilitate insignes, & doctrina praeclari.

X. In ejus defensionem etiam Domini Florentini nomine publico scripsere ad Summum Pontificem, ne in tanta necessitate pateret ovile ovium lupis grassantibus.

XI. Magis est judicium conscientiae propriae quam praeceptum Superioris aestimandum. *S. Thom. De veritate Q. 17. A. 5.* maxime cum nullum proprium commodum, non vitae sordes nos seducunt. Sed & divina revelatio accidit, & futurorum praedictiones clarissimae quae non solum aestimanti sibi, sed & caeteris videntibus hujus rei fidem praebent quam maximam.

XII. Sanctorum exempla hoc docent in rebus etiam levioribus, praecipue D. Bernardi, qui vehementer arguit Adam monachum quod Abbati auctoritate Apostolica praecipienti nescio quid in scandalum aliorum, temere paruerit, illam obedientiam vocitans pejorem homicidio, ac propterea certo certius contemnendam, ut alibi dictum est.

XIII. Demonstrabitur per testes etiam juratos, & juridice examinatos, non tantum optimae vitae, & doctrinae singularis, sed etiam per homines adversarios, & qui ejus consenserunt, subscripserunt, & praesentes fuere damnationi, injuste Savonarolam fuisse condemnatum.

XIV. Judicium illud, atque damnatio suspecta probabiliter vel eo haberi poterat, tum quoniam utrorumque tam damnati quam damnatorum mores, & vita publice patebant, tum quoniam Pontifex exulibus Florentinis omnino favere videbatur, tum quia lata sententia condemnationis publicata non fuit, tum quia processus, atque examen editum nullius est fidei, verum & authenticum nullum apparet, tum quia nulla causa mortis exprimitur.

XV. Si non poenituit Savonarola, sed pertinax in sua voluit contumacia mori: cur ergo Sacramenta ei Ecclesiae tradiderunt? Si vero poenituit, cur non jusserunt, ut verbo, & ore suo recantaret publice dum iret ad mortem? Aut saltem libellos propria manu ederet? Non enim sufficit clam hoc fateri, sed publico scandalo succurrendum est, ut ipse probe vir doctissimus cognoscebat, maxime cum tam diserte asseruisset se nunquam esse recantaturum. Quin & in carcere constitutus aliqua scripsit quae nihil prorsus ostendunt aut praedicationis vanitatem, aut temeritatem accusant.

XVI. His accedunt, ut publice ferunt, miracula atque futurorum praedictiones, quae si falsa sunt inquirendum esse severissime videtur, quoniam non tantum Sanctissimam Sedem apud vulgus traducunt, & subsannant, sed & in Fidei Christianae periculum vergunt. Sunt igitur ea mendacia omnino detegenda.

Tertia Conclusio.

Manifestum igitur est eos omnes, mortaliter peccare, qui directe, vel indirecte huic excommunicationi favebant, si tum praecedentes duae conclusiones veritati nituntur, & de his non dubiam habent certitudinem, videlicet quia contra caritatem id facere convincuntur, id quod & praecedentes rationes probant, & D. Bernardi auctoritas plane demonstrat; id clarius erit si rationes adversarias espendemus; quibus paucis ut arbitror atque clarissime respondere his, quae non tantum ab iis, sed ab amicis ipsis ad exactionem rei certitudinis proponunt. Et

I. Ajunt, sententia Pastoris sive justa, sive injusta timenda est. XI. Q. 3. C. *Sententia.*

R.io Dicitur 1°, quod sententia nulla non est sententia. 2°. nisi contineat intolerabilem errorem, videlicet contra praeceptum caritatis. 3°. timenda, idest non ea superbia contemnenda, alioquin quo modo per plura capitula eadem quaestione dicitur, quod injusta sententia neminem ligat: certe horum unum est falsum, si glosas olim receptas rejiciamus.

II. Item Praelatorum facta non sunt judicanda, maxime a subditis.

R.io D. Bernardus respondet, Ergo invanum scriptum est: Omnia probate. Si ergo res ipsa satis patet, judicio non eget. Et iterum nec dico a subditis mandata Praepositorum esse dijudicanda ubi nil jubet ut divinis contrarium Institutis, sed necessariam assero & prudentiam, qua advertatur si quid adversatur, & libertatem, qua & ingenue contemnatur. D. Thom. de Verit. Q. ubi supra fere aliter respondet, quamvis & in idem redit. Inquit enim subditus non habet judicare de praecepto Praelati, sed de impletione praecepti, quae ad ipsum spectat, unusquisque enim tenetur actus suos examinare ad scientiam, quam a Deo habet, sive sit acquisita sive infusa. Omnis enim homo habet secundum rationem agere. His D. Thomae verbis inter alia nititur Savonarola, ut patet in literis ad procuratorem Ordinis.

III. Ita ergo & alii facere possunt hujusmodi exemplo, & erit scandalum multorum dicentium non obedire Pontificis imperiis.

R.io Omnes quidem id facere possunt, qui in simili

nili casu sunt constituti, ex quo aut Domino, aut homini resistendum est, idque patet, ac manifestum omnibus. Cæterum maxime cavet Hieronymus Savonarola, ac sæpius inculcat, enim res subobscura est, Prælato potius obediendum est.

IV. Nonnulli probatæ vitæ excommunicationem servabant, aut certe dubitabant, securius id esse rati, quam periculose contemnere.

R.^{io} Hi aut rem ignorabant, aut bona fide faciebant, aut rem ipsam minime impediebant, aut etiam licet alias boni haberentur, humano tamen timore tenebantur. Impii tum fere omnes, hac una in re religiosissimi erant, etiam qui aliquando excommunicationem contempserant irati Pontifici.

V. At ipsum utique, qui omnium Pastor non erat, quid expectabat an grex Christi pessum iret?

R.^{io} O frater nunquid caritas Christi te urgere non debet? Nonne unicuique mandavit Deus de proximo suo? Et S. Bernardus: Quid ad me, inquis, ille viderit, o odiosa perversitas! Sanguis Xpti est frater Adam. Et qui inquit non colligit mecum, dispergit. Dictum est & de hoc supra.

VI. At inquit hic est error Wicleffi.

R.^{io} Quid ita? Ille impius docuit nullam esse Episcoporum auctoritatem; excommunicationes meras nugas. (Et in quolibet casu etiam non admodum necessario, ad uberiorem fructum esse prædicandum, quidquid garriant Episcopi,) & quid horum obsecro unquam docuit, atque fecit Savonarola?

VII. Capitulum cum ex injuncto Extrav. de Hæreticis, prohibet ne quis audeat sine licentia Romani Pontificis praedicare.

R.^{io} Capitulum loquitur de Sæcularibus, & item id secundum ordinem statutum, ac perpetuum servandum. Cæterum in casu necessitatis quando silent leges, caritas loquitur, ac praecipit, secus est.

VIII. In Concilio Niceno decretum ut juste, aut injuste excommunicatus a Synodo sine licentia ejusdem non recipiatur a quoquam.

R.^{io} Mirum si a nonnullis hoc Arrianorum commentum contra nos suffragatur, deliuti ergo & catholicorum placita, proinde etiamsi gratis donetur illud, jam dictum est excommunicationem illam esse nullam, & contra caritatem latam.

IX. Nonnulli rem hanc paulo serius narrant: quam nos fecerimus, & Savonarolam accusant.

R.^{io} Quæ diximus bonorum testimonio probare possumus, quibus res illa explorata erat, & in civitate aderant, atque oculis vel auribus hauserant. Cæterum alii rem longissime auditam ferebant, loco, aut tempore, aut causa plurimum distanter ea referebant quæ proceres aut his factibus affeclæ per totum orbem falso disseminarant, ut hoc pacto bonam causam efficerent. Nullus tamen quod sciam rem propius agit, sed carpit, & per transitum mordet.

X. Contumacia justa est excommunicationis causa.

R.^{io} Non est contumax, qui toties reddita causa semet defendit, ac petit audiri, quandoquidem pro caritate proximi vitam ponit intrepide.

EPISTOLÆ HISTORICÆ.

JO. GALEAZ. MARIA

Dux Mediolanensis, & Ludovicus ejus patruus Alexandro VI.

SAnctissime pater & clementissime domine noster singularissime. A Portu Veneris allatæ hodie literæ ut vehementer miraremur effecerunt. Intelleximus enim classem regis Alfonsi ad locum illum profectam posteaquam hortando nihil cum oppidanis & praesidio profecit, ostentatis armis Alfonsi ... ut oppidum & arx dederetur petiisse: armaque ac vim opido admovisse, & oppugnationem ab XIIII. hora ad noctem continuasse. Nam neque causam ullam cognoscimus quae regem Alfonsum, cujus avo libertas cum regno reddita fuit, patri autem ter regnum pene amissum armis nostris restitutum est, oblitis veteribus & novis beneficiis ad inferendum nobis bellum movere debuerit; & si causa ulla erat, jus commune gentium omnium exigebat ut ante renuntiatum esset bellum, quam in me inferretur. Bello igitur inexpectato atque injusto lacessiti pro hoste qui nos hostilius habuit, habere non recusamus; eique (ut magis ingenue agamus) ita denunciamus sicuti literarum quas ad eum scribimus exemplum his inclusum docere poterit. Quod sanctitati vestrae pro nostra in ipsam & apostolicam sedem observantia declarare volumus, ut si aliter impostcrum res istas Alfonsi regis habere nos quam consueverimus intellexerit, sciat nos hactenus id solum egisse quod foedere cogente negare non poteramus. In posterum autem pro hoste habitos, hostilia & vires nostras contra eum exercere, qui nos ante illato bello quam denunciato voluit se hostis nomen habere. Hujus rei etiam sacro Collegio literas a nobis dandas duximus, ut testis sit nobis Ordo inter mortales primarius nos ad inimicitias indicendas impulsos, non voluntarie descendisse; quae ut ipsi sacro Collegio reddi possint eam rogamus, cui nos nostraque commendamus.

Ex Viglevano 17. Julii 1494.

DUCES MEDIOLANI ET BARI

Alfonso regi Neapolitano.

Moniti sumus a Portu Veneris majestatis vestrae classem ad ipsum Veneris portum contendisse, oppidanos, & eos qui in praesidio sunt, ad colloquium vocasse, & posteaquam hortando nihil profectum est, ut arcem & opidum traderent, minas & excidium ostentasse, vimque & arma insuper experiri cepisse oppugnationemque ante meridiem inceptam post solis occasum magno suorum damno frustra continuasse. Cepit nos hujus rei non parva admiratio, nam bellum nobis illatum ab eo videmus, cujus, si ratio praeteritorum valet, expectanda nobis beneficia fuissent. Nec belli & inexpectati motus causam ullam justam intueri possumus, quo magis enim superiorum acta recensemus, eo minus res ulla occurrit, quae videatur tam alieno bello causam dare debuisse; quando omnia in contrarium subveniunt. Restituta primum avo M. V. libertas, & ter assertum armis nostris in gente vestra Neapolitanum regnum, ut de multis ea sola quae maxime lucent commemoremus. Itaque profecta a nobis beneficia & non injurias ergam Majestatem vestram constat. Nisi ipsa forte injuriae loco numerare velit quod pacta per foedus Christianissimo Francorum Regi negare nolumus, de quo tantum abest ut ob id hostilis in nobis animus suscipi debeat, ut etiam gratia digni simus habendi. Per foedus enim vincti, Regi bellum erga Majestatem vestram molienti cui multa necessaria sunt, non quae possumus omnia praestamus: sed contenti foederis conditiones implere, a ceteris temperamus. Jure ergo miramur hostium loco nos acceptos, qui per superiora tempora benefici sem-

semper fuimus; & hoc tempore in eo solum laedimus, quod modeste eam fidem obligatam Francorum Regi, sicut aequum est, cogente foedere praestamus. Studium igitur offendendi, non justa causa apparet, ut pro hostibus Majestas vestra nos velit. In quo paribus armis ita lacessiti aeque valide (ut juvando servandoque hactenus est actum) respondere possumus, & debemus. Liberius autem & magis ingenue quam ipsa fecerit acturi sumus. Nam cum Majestas vestra, omisso communi omnium gentium more, prius arma intulerit, quam denuntiatae ab ea inimicitiae fuerint; nos cum provocati sumus, aperte tamen ut caveat, monemus. Deest quod ea, quae nulla re denuntiata nobis arma intulit pro hoste nos quoque imposterum habituros profitemur. Facturi autem sumus ut damno suo M. V. sentiat quantum a nobis beneficiorum hactenus acceperit, dum contenti foedus implevisse, a caeteris quae facere in manu nostra erat, abstinuimus; ac cognoscat quantum intersit in nobis cum hostili animo in hostem vires omnes exercemus ab his qui fuimus dum modicam opem quam foederato Regi debuimus ut aequum erat persitimus.

Vale 18. Julii 1494.

ALEXANDER VI.

Mediolani & Bari ducibus.

Incredibili cum molestia legimus literas nobilitatum vestrarum querelis plenas ob sollicitatam primum deditionem, & deinde tentatam aperte oppugnationem portus Veneris a classe carissimi in Christo filii nostri Alfonsi Siciliae regis illustris, cui demum tanquam hosti vestro etiam per literas vestras ad M. ejus directas quarum exemplum ad nos impressum misistis, qui vos ut asseritis hostiliter lacessiverit, bellum denunciatis. Haec res tanto nobis molestior fuit, quanto magis aliena videtur ab omni proposito & rationibus nostris, qui pacem Italicam & Ecclesiae quietem exoptantes, intellectis primum his Gallicis apparatibus in regnum Neapolitanum, illos quam pluribus & literis & nunciis tam apud carissimum in Christo filium nostrum Carolum Francorum regem christianissimum quam caeteros christianos potentatus, & praesertim apud nobilitates vestras (ex quibus omnia pende e videbantur) omni studio sedare conati sumus. Nunc vero cum res peccatis facientibus contra desiderium nostrum cesserit, atque omnis opera nostra fructu suo hactenus caruerit, non angi magnopere non possumus. In eodem tamen instituto insistentes non discedimus ab officio nostro; nec misericordiam Domini, qui non deserit sperantes in se, implorare cessamus ut sacerdoti suo fideliter ambulanti dexteram porrigat suae pietatis, etiam apud nobilitates V. quas denuo per praesentes pleno affectu requirimus, hortamur atque enixe rogamus pacem amplectantur ac hujusmodi simultatibus & suspicionibus de parte sua Italiae tranquillitatem anteponant. Sic enim non solum desiderio nostro, sed etiam ex causis saepius scriptis communi Christianorum necessitati ac honori vestro sanguinisque necessitudini consuletur tot mutuis beneficiis confirmatae, quae quanto a vobis in Alfonsum regem & in patrem atque avum majora commemorantur, tanto diligentius comprobanda sunt. Et a vobis pro vestra prudentia cavendum arbitramur, ne in eos collata deperdatis, aut ex ulla nova injuria vel odii suspicione deleri vel labefactari possint. Ipsi etiam Alfonso regi non desunt querelae. Nuper enim nobis & plerisque ex ven. fratribus nostris S. R. E. Card. ad vicum varum profectis, cum ad nos postea venisset, ibique secum ageremus de tollendis hujusmodi dissidiis vestris, ex quibus tot perturbationes provenire timerentur, invenimus certe M. S. omnis quietis & concordiae cupidissimam quae diceret astantibus praefatis Card. & praesentibus Italiae oratoribus apud nos agentibus nulla vos penitus injuria lacessitos in se & Ferdinandum patrem quiescentem tantum incendium concitasse, quo non solum regnum Neapolitanum sed universa Italia cum pernicie christianae religionis arderet; nec mirari quemquam debere quod ut se ab injuria tueretur, classem ejus in littora illa Genuensia non ad vestram aut ullius offensam destinaverit; sed sicut ratio defensionis exigebat ad vim propulsandam & impediendam hostium classem quae Genuae in eum solum publice summo conatu instruebatur. Quod si a vobis aliqua praetendatur injuria per quam aut amicitiae jura aut necessitudinis vincula vel minima in re ipse violasset, se & causam omnem justitiae suae nostro & sacri collegii aut caeterorum Italiae potentatuum judicio & cognitioni libere subijciebat, adimpleturus omnino quid super ea re per nos pro publica quiete judicatum & statum fuisset. Id a nobis scribi non patent nobilitates vestrae ut nunc querelarum vestrarum causas examinemus aut judicemus quis vestrum justiora arma assumpserint. Quoniam hoc sicut prolixum & intempestivum, ita supervacaneum & a proposito nostro alienum esse existimamus, praesertim cum nullae hujusmodi injuriae intercesserint; neque ea damna sunt illata quae tanto sanguinis vinculo totque mutuis beneficiis quibus astricti estis ullo modo aequare possint vel praevalere debeant. Sed ut declarata regia mente in amicitiam vestram & pacem propensissima vobis eadem suademus, ut armis tam perniciosis utrinque depositis, & sublatis quibusvis discordiarum fomentis res adjuvante domino ad concordiam redigant. Hoc nunc petimus, hoc solum exoptamus; nihil omnino studii aut operae praetermissuri, nihil intentatum relicturi quod ad reconciliandos animos vestros & Italicam quietem confirmandam pertinet; quoniam vero bellum & pacem ex vobis pendere non ambigimus, hoc non duximus praetermittendum, quod quemcumque res exitum habuerit ex omnium consensu vobis adscribetur; & quemadmodum ex consecuta pace magna vero vestra erit commendatio, ita belli & totius Italiae perturbationis culpa non sine magna vestra nota in vos solos rejicietur.

Datum Romae 7. Aug. 1494.

REX ALFONSUS

Ducibus Mediolani & Bari.

Illustrissimi ac potentissimi Domini gener fili & cognate nostri carissimi.

Scribitis non paucam cepisse admirationem quod classis nostra in Veneris portu delata opidanos ad deditionem initio pellexerit; post oppugnare etiam fuerit adorta. Admirationis etiam causas affertis quod bellum ab eo illatum videatis a quo beneficia potius fuissent expectanda: recensetisque beneficia in avum ac patrem nostrum collata & tanquam eorum nos immemores accusatis. Ac primum quidem beneficiorum in avum patremque commemoratio ipsa vestra mirifice nos delectat. Quippe cum & pater gratissimus eorum fuerit & ego gratitudinis meae tale testimonium praebuerim, & non in avum aut patrem vestrum gratiam retulisse crediderim; sed in vos ipsos qui me accusatis. Cum relata gratia beneficia vel maxime nota dum pro salute Mediola- Locus turbatus.
nensis status proque vita vestra decerto. Quo circa & admiratio ipsa Ill. DD. VV. parum aequa est & beneficiorum atque ingratitudinis exprobratio minus honesta. Atque eo inhonestior quo & patris gratitudo & nostra manifestior est. Absit autem ab hoc ipso meo responso omnis accusatio atque exprobratio, omnis denique increpatio. Nam & quae in nos ingeruntur & a genero sororioque, quos maxima etiam benevolentia prosequimur, accipimus, & hi etiam sumus qui pro Mediolanensi statu conservando opes cupiasque nostras, vitam denique i-

ipsam

psam exposituri extremis etiam periculis simus. Quod autem ad Veneris portum attinet sic habet & gener & sororie carissime. Gallorum rex Carolus quæ in nos paraverit & assidue paret fortassis excellentiæ vestræ non minus nota sunt, quam ipsi regi. Genuensi profecto populo sunt notissima. Nam dum Genuæ superioribus mensibus classis instruitur consensa vestro, & cum Galliarum regis pecuniæ tum vestra, propter quod noster literis suis de his ipsis queritur, & amicitiæ officia requisit; ab illustribus DD. VV. magistratuque Genuensi responsum est: deesse Gallico regi nullo modo posse, dum fœderis feudique rationem sequendam a vobis asseritis; nec multo post & pecuniæ a regis thesaurario Genuæ numerantur, & duces classis ab ipsa regis aula primarii Galliaram viri mittuntur; publicis etiam edictis preconisque classicarii milites vocantur ad stipendia capienda, ad regnum nostrum invadendum comportantur. E Massilia bellica tormenta omnis generis conducuntur. E Suevia magnæ peditum manus; & vobis etiam aditum præbentibus transcendunt alpes Gallicae copiae quibus etiam commeatus & aestiva praebentur, medioque in Mediolano Gallici Regis nomine scribuntur contra generum sororiumque exercitus; nihil nunc nisi pacem & patris sui exequias populorumque suorum tranquillitatem procurantem. Quod etiam contra omne jus gentium a vobis paratum sit, cui non fuit vel summae etiam admirationi? Siquidem patris mei Oratorem, egregium virum, ad vos honoris & cognationis gratia destinatum intra ditionis vestrae fines non admisistis: res profecto ne barbaris quidem gentibusque immanissimis usurpata, quin & in primis detestata. At nihilominus post patris obitum Ferdinandum Januarium alumnum nostrum eam iis mandatis ad excellentias VV. misimus; quae non sororii tantum verum etiam benevolentissimi fratris erant. Quibus quam fraterne responsum sit, quae in Gallia & tentata & acta fuerint docent. Atque ea quidem omnia sine alla nominis vestri injuria relata esse a nobis volumus, neque aliam in partem ab excell. VV. accipi quam in bonam cupimus. Inistis fœdus cum Rege Carolo, quasi non & fœdus nostram tot annorum praetergrederetur, quo stante & firmo, retinenda praemissorum ac pactorum fides erat. Nec derogare illi jure licuit, nec affinitatis & sanguinis violanda vincula, per quae humanum genus hominumque societas constet. Saltem tenere vos memoriae decuit quae in recuperanda Genua praestita fuerunt a Ferdinando Rege patre nostro, pro qua postea fœderis jure excellentiae vestrae sese obligarunt. Sed fuerint haec; dicitis vos Galliarum Regi jure feudi obnoxios; ipsum autem feudum non Mediolanum, non Papia, non aliud Mediolanensis status oppidum, sed Genua est feudum; pro Genua est obligatio. Genuæ etiam nobis bellum indicitur. Et Gallica vexilla contra nos ad comparandam classem in navibus in navalibus in Genuensi portu figuntur. Quae haec injuria est? quod nefas, bone Jesu! si pro feudi obligatione arma contra nos publice moventur & inferuntur, & Gallorum Rex Neapolitani Regni nomen sibi tam insolenter, ne dicam nefarie, arripuit? Nos eadem arma pro defensione nostra, quod naturae quidem leges, quod hominum consensus jubet, ad propulsandum non ad inferendum bellum sumpsimus. Non contra Mediolanum, non adversus Papiam aut Cremonam, sed adversus feudum, cujus jura contra causam nostram protenduntur, pro qua a Mediolanensi statu recuperando Pater noster triremibus suis abiuit. Nec vero adversus feudum arma sumpta sunt, sed ne feudum nocere ipsum nobis posset. Nec bellum infertur feudo, sed ne a feudo nec per feudum inferatur a nobis contenditur; armaque & juxta & secundum naturae atque hominum . . . . induimus. Atque ita quidem induimus, ut & superioribus mensibus Alexandrum VI. Pont. Max & illus. Venetorum Senatum excelsamque Rempublicam Florentinam per literas Oratoresque nostros rogaverimus. Quin etiam his ipsis diebus, sedente Summo Pont. adstante Collegio, audientibus Italiae potentatuum, qui aderant, oratoribus, & Pontificem ipsum maximum & potentatus Italicos rogavimus oravimusque, ut causam ipsam noscere amice vellent, Italicæque quietis memores esse, innocentiamque nostram in his motibus conscientiamque adverterent. Quod si quid per scelus fraudem insidiasque perperam a nobis tentatum comperuerint, aut de cetero servatum a nobis non viderint quod ab ipsis pro pace publica otioque Italiae constitutum fuerit, non deprecaremur quia & Pont. ipse maximus, & Italia universa contra nos arma sumerent, atque ad internecionem usque excidiumque nos insectarentur. Atque iidem hodie sumus; qui proinde ut Deum justitiæ nostræ propugnatorem habentes, ecclesia favente, & Pont. Romano causam nostram ut justam protegente, speramus sic cum primis Mediolanensem statum ducesque Mediolanenses amplexuri omni benevolentia & caritate simus. Hæc respondere vobis ad ea quæ nobis scripsistis voluimus, Ill. & Potentiss. DD. nam si ut excellentia vestra dicit, in ceteris temperavit, si nulla nos injuria affecit, si pauca quaedam Gallorum Regi contra nos exhibuit, si multos etiam menses ante bellum nobis indictum fuerit, cum arma ad propulsandum nobis sumpta conscientiæ vestræ . . . . . . quæ hæc noverunt judicio sententiæque permittimus. Nam ut aperte (sicuti mirabundi dicit) caveamus; ita quidem cavebimus ut cognationis & sanguinis memores ubique futuri simus, pacem & quietem rebus ceteris prælaturi, nec minus etiam ut qui Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ . . . . Summo Pontifice stantem pro nobis habeamus, Deum etiam ipsum pro causa nostra nostraque justitia staturum sciamus, divinisque auxiliis adfutura etiam humana.

Locus mutilus.

Sensus turbatus.

Sensus turbatus.

Cætera desunt.

FRANCISCI CARDULI NARNIENSIS

Oratio ad Maximilianum Cæs. August. in conventu Vindelico Principum Germanorum dicta pro libertate Italiæ, sive pro Ludovico Sforzia Mediolani Duce.

MAximilianus Romanorum Rex semper Augustus Serenissimo Friderico Siciliae, & Hierusalem Regi Fratri Carissimo.

Egit apud nos, & Illustriss. sacri Romani Imperii principes causam Italicæ libertatis, ex officio sibi a nobis delegato, Franciscus Cardulus, Narniensis, secretarius noster oratione copiosa, & gravi, qua omnium judicio tantam est laudem consequutus, quantam in Germania fortassis unquam nemo; qui cum Regnum quoque Serenitatis tuæ, quam speciali demereri obsequio studuit, ab omni prohibendum injuria persuaserit, non indigna nobis visa res est, ut hoc ei notum faceremus, quo intelligas nos, etsi rebus Italicis animum jamdudum intenderamus, tamen illius oratione permotos, una cum eisdem principibus expeditionem pro Italia decrevisse. In Augusta Vindelica, Civitate nostra Imperiali, die xv. Julii 1500.

FRANCISCI CARDULI NARNIENSIS

ORATIO.

Si quis forte miratur, Auguſte Cæſar, quid ſit quod Italia per tot ſæcula tot eminentium Oratorum, quorum ego fulgore perſtringor, alumna & parens, hodierna die in hoc conſeſſu Principum nobiliſſimo utatur hoc uno, eodemque parum idoneo deprecatore ſuae calamitatis, ut exiſtimet hanc cauſam non quanti putamus eſſe faciendam, is debet hoc quoque inter ejus adverſa numerare, quod intermiſſa poteſtas non modo libere vivendi, verum etiam loquendi de libertate videatur. Nam qui feliciſſime ſolent in hac exercitatione verſari, tacendum ſibi hoc tempore arbitrantur, eadem omnium ignavia pene fatali, qua dominatum patiuntur. Ita me unum, & infimum fortaſſis eorum, qui confugientem ad te Ludovicum Sfortiam ſequuti ſunt, ad ſuſcipiendum hoc munus excitavit jucundus & liberalis conſpectus tuus, qui cæteros recreavit. Et quantum infirmitas hujus meæ in dicendo facultatis potuiſſet ab eodem deterrere, tantum id adhortari viſum eſt, quod hujus magnitudo rei, cujus utinam foret ratio minuendæ, non videtur apud te, Cæſar, extenuari verbis poſſe. Nam cum ſemper ad decus, & laudem virtutum via contenderis, ut eſſes, qui perinde rebus geſtis ac dignitate præcelleres, facile intelligis quanta mihi offeratur ad dicendum materia, quæ tanta tibi ſubminiſtratur ad gloriam. Siquidem inſtituitur oratio mihi non de injuria cujuſquam privati, aut civitatis unius, aut exteræ nationis prohibenda aut vindicanda, ſed de recipienda per te totius Italiæ libertate, qua neque nos exigere a te majus, neque tu præſtare magnificentius quidquam potes. Agitur enim de liberando reddendoque Italiæ Ludovico, quæ carere tam poteſt eo, quam libertate. Agitur ne ſerviamus iis, quorum dominatio ut invaleſcere non poteſt ſine Imperii detrimento, ita, ſi cohibeatur, eſt allatura nomini tuo æternitatem. Agitur ne principatus, & caput Chriſtianæ Religionis, nomen quod unum etiam reliquum tenet, amittat. Quæ quanquam ut magna ſunt, ita tibi proviſa eſſe ratio celeberrimi hujus habendi conventus oſtendit. Tamen ita mihi de ſuſcipiendo bello dicendum videtur, ut oſtendam primum id quam juſtum ſit; deinde quam neceſſarium; tum quam idem facile; poſtremo quam tibi atque Imperio, & huic nobiliſſimae nationi glorioſum futurum. Quidquid tu, Caeſar, & vos Principes ornatiſſimi, ex Italiae feceritis utilitate, debet id quidem jure factum videri; ſed Ludovici Sfortiae tanto liberandi ac reſtituendi cauſa juſtior, quanto primum expulſi, deinde capti major injuria. Quae quanta ſit facilius intelligetur, ſi cauſas, & initia belli, quod ei uno tempore Gallus & Venetus intulerunt, expoſuero.

Hiſce annis Ludovicus Valeſius Aurelianorum Princeps, cum Mediolanenſem Ducatum falſo putaret ad ſe pertinere, quod avia paterna Valentina Vicecomes Philippo fratri potius quam ejus filia Blanca Ludovici Sfortiae mater, quae legitima non eſſet, ſuccedere debuiſſe in eo Ducatu videbatur, urbem Novariam cœpit proditione paucorum, & fiducia redeuntium copiarum, quibus Carolus VIII. Gallorum Rex in Neapolitanum Regnum pervaſerat. Ejus urbis oppugnationem ſuſtinere non potuit, atque, ut varietas fortunae tulit, paulo poſt Carolo vita functo, in regno ſucceſſit, & provectus ad fortuitum Principatum, qui temperare debebat inopinatae felicitati, facultatem ſibi oblatam eſſe, ad infenſandum denuo Ludovicum Sfortiam eſt arbitratus. Quanquam id aggreſſurus non videbatur ſine viribus Italorum: eo tempore Venetus eſt inventus, qui cum celeberrimos Apuliae portus loco pignoris, & Piſas urbem Thuſciae nobiliſſimam per ſpeciem tuendae contra Florentinorum potentiam libertatis obtineret, ipſe ſibi opinionis errore finxerat Italiae principatum, & intulerat Florentinis arma, quibus interim oppugnatio Piſanae urbis, & mentio pignoris ex Apulia reducendi cederet. Hos Venetorum conatus, & impetus Ludovicus Sfortia repreſſit, atque retardavit, cui ſemper ea conſilia, ſtudiaque fuerunt Italicae pacis, ut fines intra ſuos quiſque conſiſteret. Illi vero tanquam ſibi de praeſumpta dominatione, ſi opes Ludovici Sfortiae diutius ſteterint, deſperandum fuerit, adventum Ludovici Gallorum Regis, & Cremonam, & agri, quod fluvius Adua terminat, emercantur. Ita duo potentiſſimi hoſtes Gallus, & Venetus ineunt contra Ludovicum Sfortiam belli ſocietatem; alter cupidine dominandi, ſive ut maculam Novarienſi obſidione ſuſceptam deleret; alter quod ex mortalitate Ludovici Regis, & odio Gallicae nationis avare, & ſuperbe ſperabat Reipublicae ſuae, quae interitura non eſſet, Inſubriam, ſi Gallus ea potiretur, accepturum fuiſſe. Ludovicus autem Sfortia tantis utrinque viribus impetitus exceſſit, atque in Germaniam receptum ſibi ſtatuit, unde paucis poſt menſibus revocatus, nihil magis poſſe videbatur a populis ſuis, quam temperamentum amoris, & modum caritatis expoſcere, ut illa fuga, illud exilium optandum ſibi, expetendumque fuiſſe videretur, ex quo tam popularis, & honorifica reſtitutio ſequebatur; ſi quod gaudium fore putavimus, id exitium non fuiſſet. Nam poſt receptam Inſubriae partem, copiis eductis, cum victoriae propius quam qui vicerint, eſſet, detrectantibus bellum, quibus maxime fidebat, *Mendum hic aliquod intercessit.* Helvetiis, Novariam ſe recepit, ubi jam gliſcente proditione, cujus antea ne ſuſpicio quidem cuiquam erat ulla, cum neque illos educere ad pugnam, neque ipſe ſibi quaerere ſalutem fuga ſine dedecore ſuo, & miſerabili caede ſuorum, quos relinqueret, poſſe arbitraretur, pactus eſt hoſti deditionem, ſibi & ſuis incolumitate promiſſa. Sed non ideo tanti facinoris machinatores inſtituto ſceleri temperarunt, quo minus violentas ei manus afferrent. Quid ergo de tanta re dicam? Quid? Officium linguae vincit perfidiae magnitudo. Circumventus a ſicariis, & latronibus Innocentiſſimus atque optimus Princeps in manus hoſtium velut ad ſupplicium capitis ex Urbe proripitur. Fruſtra militum fidem, cui ſalutem ſuam commiſerat, invocabat, fruſtra indignitatem rei deprecabatur, fruſtra effugium aliquod implorabat; fruſtra nomen Caeſaris, auctoritatem Imperii teſtabatur, proditus a ſuis, deceptus ab hoſtibus, ductus in Galliam Lugdunenſem, contra jus gentium, contra leges pactionis, contra fidem, contra juſjurandi religionem carceri eſt addictus. Hoc factum non tam familiae ſuæ, quam Italiæ cunctæ funeſtum, & luctuoſum Cardinalis Aſcanius, qui Mediolani tunc erat, cum recta Romam verſus effugeret, unde Fratri ſubſidio venerat, interceptus a Venetis, quod ſibi profugio ſperabat eſſe futurum, non intellexit miſer, nihil intereſſe utrum per Venetos Gallis, an per Elvetios traderetur, ut homo tanta virtute, tanta dignitate, contra Religionem, contra Deum ſit coactus eamdem cum fratre calamitatem miſeriamque ſubire. Cauſa Ludovicum Sfortiam primum exturbandi, deinde capiendi quae fuerit audiſtis. Ego Valentinae Sorori, an filiæ Blancæ Philippi deberetur hæreditas ullam in partem coram legum Conditore non puto diſputandum. Quotus enim quiſque juriſperitus ſcire ſe mulieres arceri ſucceſſione Feudorum, & Mediolanenſem Ducatum, qui deſiverat in Philippo reverſum eſſe ad jus imperii proſcribitur. Sed judicio, ac munere tuo ex horum Principum auctoritate factum eſt, Caeſar, ut cujus in adminiſtrandis rebus ingenium per tot annos prudentiſmque cognoveras, eumdemque affinitate tua, eumdem jure Ducatus, & titulo dignum exiſtimaris. Quod cum ita ſit, non video quamobrem Gallus ad occupandam Inſubriam nomen prætendat hæredis, niſi ut aeque ditionem Imperii, atque Ludovici opes infringeret; præſertim cum id bellum conflaverit nefario fœdere, ac ſocietate Venetorum.

Qui

Qui quo semper fuerunt erga Imperium animo, declarant Italiæ, quas occupant. Civitates. Quare multa sunt, ex quibus apparet plus habiturum esse justitiæ bellum, quod pro Ludovico susceperis, quam hostium arma iniquitatis, quæ summa fuit, habuerunt; etsi auctoritatem Imperii sustinere, sua cuique reddenda curare, ire obviam ejus injuriis, cujus inimicos ducas tuos, peculiaris & propria videtur laus esse justitiae. Tamen oboriuntur alia multa, quibus est tibi magnopere providendum, ne tam impium sit detrectare pro Ludovico bellum, quam suscipere justum. Sæpe majores tui pro amicis, ne quid acciperent detrimenti bella gesserunt; tu necessarium, & propinquum injuriosissime spoliatum, & captum, atque inultum relinquas? Illi Regum, & Principum, sociorum imminutas opes non tulere. Tu Principatum, quem dederis, ereptum negligas? Illi alienos ex commendatione sola rerum suarum in fidem accepere; tu eum qui te atque hos Principes unicum perfugium, atque præsidium fortunarum suarum voluit, esse restituas? Illi remotos, & longinquos ab injuriis prohibuere; tu quem Fidem tuam, & hujus Nationis auxilium implorantem videris, eum sedibus, quas virtuti suæ commendasti, profugum, immo captivum esse patiaris? Eum reducem nolis? quem si Ducem non appellasses, omnino appellandum putares. Nuper intelligere poteras, si magno tibi ex instituto eo habebatur, quanto ex restitut. major habenda fuerit gloria, cum audiveris quotidie nunciari Mediolanenses, atque Insubres omnes, & Ligures inter hostium tela Rege coram Ludovicum Sfortiam requisisse, Ludovicum votis publicis expetisse, Ludovici vel solius, & nudi reditum quotidianis pene clamoribus flagitasse. Patere hoc loco, Cæsar, ejus laudes in tuas redundare, cui tu longe plena tribuisti rerum, quam ego tribuere possim ornamenta verborum. Mediolani cum essem intuebar ejus vitæ rationes, consilia in capiendis, gravitatem in obeundis negotiis, mutationes laborum loco remissionum admirabar. Obstupescebam sepe tantum in summa rerum patescere modum; tantam æquitatis religionem, tantam legum reverentiam cum viderem; ut quæ singulæ virtutes in singulis praedicantur, omnes ab uno penitus comprehensae viderentur, quae tamen omnes in uno ut esse possent, conditio secundarum rerum patiebatur. At vero extorris tantum patientiae documentum dedit, tantum animi robur ostendit atque praesetulit, ut major exilio videtur fuisse quam regno, calamitatis existimator, ut suae contemptor alienae. Cujus ergo te virtus, ut tantis eum beneficiis, tantis afficeres honoribus in prosperis suis rebus audita commovit, ea tibi praesens in adversis cognita & perspecta, testimonio, ac desiderio Italiae comprobata, multo magis, ut eumdem liberandum, & restituendum curares, accendera debet. In qua una re non justitiam modo, verum etiam officii, & pietatis laudem consequeris.

Ac bellum quidem quam sit justum diximus, nunc idem quam sit necessarium demonstremus. Dixerit fortasse quispiam, Principes ornatissimi, posse quidem hoc bellum videri justum, sed ita necessarium, ut sit omnino suscipiendum, quia privatim ad unum pertinet, non videri, nec interesse multum Italiene libertati Gallus an Ludovicus Sfortia potiatur Insubria. Ego ut affirmare possum Italiam, cujus ipsius per se res omnes maximae curae vobis esse debent, a Ludovici fortuna sejunctam esse non posse; ita plane contenderim hujus belli causam cum eodem vobis esse communem, si jus Imperii & potestatem retinere velitis adversus eos, qui non prius ostendere se Ludovici, quam vestrae Nationis esse professi sunt hostes. Nam cum Mediolanensis Ducatus ejusmodi semper fuerit, quo tamquam aequa lance liber Status Italiae servaretur, ut si forte cuiquam Italorum Principibus accessisset, facile imminere potuerit ad reliquum Italiæ dominatum. Quid facturum existimabimus Gallum avidum, & potentem? cui jam civitates ditionis vestrae complures ob metum coguntur imperata tributa nomine mutui pensitare, quibus expugnarit Emiliam, quibus Etruriam vexet, quibus etiam Neapolitano regno minetur? Uno nuntio, atque una significatione litterarum omnem Italiam servitute oppressam tenebit; ut intelligere possitis quam multos Ludovici fortuna secum trahat in calamitatem. Quae si fortasse vobis remota in praesens videtur, olim serpet longius & progredietur.

Atque utinam in perniciem Christianorum omnium ne invalescat. Putatis ne Gallos hac Imperatoria dignitate, hoc venerabili & prope divino Augusti nomine, cui antea semper, etiam cum intra fines suos coercerentur, inhiabant, de quo saepe numero decertarunt, compotes Italiæ factos velle carere? Putatis eosdem Principatum Christianae Religionis Romae divinitus constitutum passuros ibi manere? Ac non potius translaturos in gentem suam? Cum sæpe Pontifices Maximos invitos, & repugnantes ob eam caussam retinuerint, & proxime tam temerarias, & profanas in Cardinalem, hominem sacrosanctum sint ausi manus injicere? Prospiciendum est vobis, ne ut majoribus vestris pulcherrimum fuit tantam Imperii gloriam relinquere, sic vobis turpissimum sit nolle tueri, & conservare quod accepistis. Præcavendum ne Christianae rei domicilium & sedem, quam illi aeterna cum laude fulcierunt atque sustinuerunt, vos eo transferri cum dedecore vestro sinatis, ubi labefactari facile possit, ac pene concidere. Invenio apud Justinum martyrem, Hilarium Diaconum, Septimium Tertullianum authores in primis nostrae Religionis Caput si ex Italia demigraverit collapsurum. Quod si esset aliquando futurum, ubi quæso, facilius id eveniet quam in Gallia, quae pravis dogmatibus ex toto terrarum orbe sublatis una haereticos alit, una per tot annos Neophitorum labem toties a Gregorio Pontifice Maximo severissime castigatam nutrit, una simoniacam pestem ab Ecclesiæ incunabulis usque damnatam retinet, ut sacerdotia veneant, ut sanctum, & caeleste munus vile putetur esse quod emi potest. Vos igitur quos nulla hæresis, nullus error, nulla opinio labefecit. Vos, inquam, qui unius & singularis Dei cultum caste semper integreque servastis, ab hoc periculo templum Christi, quod ipse constituit, prohibere debetis. Quamquam non tam vereor, ne quid accidat ejusmodi, quam ne validior tempestas excitetur, ne propius impendeat procella qua Gallus & Venetus Italiam diutius prement. Scitis, hoc anno quantam Graeciae, quantam Illyrico, quantam Forojulio vastitatem Turcus intulerit, quantam fidelium hominum multitudinem in servitutem abduxerit, quantis etiam copiis nunc Italia minitetur. Cujus adeo tempestivam invasionem non aliunde crediderim quam ex Gallo Venetoque profectam; qui tantopere Italiam debilitarunt & fregerunt, ut occasionem tam feris hostibus ejus invadendae praebuerunt, oblaturi capiendae facultatem, nisi tam eorum dominatus inhibeatur, quam esset barbaries infidelium & feritas cohibenda. Quid quod immanissimus & teterrimus hostis augescentem Galli Venetique potentiam repressurus, exitiam Italiae comparavit? At omnia haec, inquiunt, remotiora sunt, quam quae vobis pertimescenda esse videantur, ut interea quaecumque contingant, Italiae conuivendum putetis. Esto nulla Italicae libertatis asserendae, nulla retinendae imperatoriae dignitatis, nulla protegendae religionis cura vos tangit. An vestrae pacis ratio negligetur? Nonne superioris anni ratio subit, cum lacessendos bello Rhaetos Helvetiosque putastis, quantae invicem acceptae clades fuerint, alenta vetus eorum odium adversus imperium Gallo? Quas gentes ille contra vos juvit, & sibi flagitio tam horrendae tam inauditae proditionis obstrinxit, eas idem cum volet tanto facilius Italiae concitabit ad otium vestrum, quod immotum creditis, perturbandum? Quis est, obsecro, vestrum, qui eum proximum casum in Ludovico Sfortia recognoscat, non suis fortunis & vitae diffidat? Cui omnia illa quae patitur non tam sunt calamitosa,

quod

quod ei fuerint subeunda, quam perniciosa vobis futura, quod introducta per Helvetios adversus Imperium possunt esse. Videtis ex alia parte quo sint loco rationes constituti, ut eis et illis promptum levi alicujus impetu renovare bellum, quod superioribus annis vobiscum gesserunt atrox & diuturnum. Per immortalem Deum nolite committere, ut sit vobis etiam domi, si non magnopere formidandum virtuti vestrae connitis, at certe lacessitis, propulsandum bellum, quod habendum procul & ultro inferendum fuerit pro vestra quiete servanda, si recuperanda libertas nostra contemnitur. Cujus adeo multae rationes implicitae cum vestris commodis & tranquillitate sunt, atque cohaerent, ut earum unaquaeque per te majoribus vestris nondum ad hoc imperii culmen evectis, satis ad expeditiones Italiae capessendas visa fuerit. Otho, Berengarium vendicare sibi nomen Augusti, & regnum Italiae cogitantem, non tulit. Henricus influentes Hunnos e primo Italiae limine depulit. Pontificem Maximum Innocentium reduxit Lotharius ab exilio. Conradus, quod paucae admodum civitates fidem mutassent, magnis copiis transgressus est alpes. Quod si praeterea multi pene privati sola unius rei causa ingentes exercitus adduxerunt; quanto majore studio in hoc bellum convenit una cum Caesare vos incumbere, quod ad neminem unum pertinet. In uno enim Ludovico Sfortia liberando & restituendo salus & libertas Italiae, auctoritas & nomen Imperii, vestrae nationis honor & dignitas, orthodoxae fidei caput & principatus, pax vestra communis, & domestica securitas defenduntur.

Quoniam bellum, quam sit necessarium, satis me, puto, dixisse; Restat, ut, quam idem sit facile dicam. Potest hoc bellum tanto facilius videri susceptum, quanto neglectum periculosius est futurum. Quod si confici posset ope dumtaxat Italica, nihil aliud in medium quam praesentes Italiae motus afferrent: tanto validiores in dies futuros, quanto difficilius aegriusque licentiam poterit ferre Gallorum. Sed quoniam supplex adhuc illa tuum precatur adventum, horum Principum implorat auxilium, unde potius hoc bellum, Caesar, effectum promptum dixerim, quam ex tua virtute summa & singolari, quam ex horum consilio Principum, quam ex hujus praesidio nationis? Ac primum, Caesar, in te tantam scientiam esse belli, tantum militiae usum, varia & diversa genera & bellorum & hostium a te gesta declarant, ut hoc tempore ad reducendam Italiae libertatem divino quodam consilio natus, ac reservatus esse videaris. Ea deinde, Principes, animorum vobis est magnitudo, ut degenerare ab illa perenni majorum & contestata virtute nolitis, & quod illi maxime florere in generis sui gloria viderunt, defensae Italiae laudem adametis. Jam vero in militibus vestris quanta rerum bene gerendarum spes constituitur, in quibus pene dixerim, solis remansisse videtur disciplina militaris & gloria. Quorum res gestas Italia vidit, plures quam caeterarum gentium audivit. Hoc loco mihi Gallos aliquis ne obiiciat, quos ut concesserim excursus atque impetus magnos & saepe fecisse, sic factis eorum demereri laudem, quippe qui semper, si tempus Arunte Thuscorum rege, qui primus illos excivit ab usque petatur, aut ex colluvie gentium Alpinarum, Germanis, Helvetiisque mixtos exercitus exegerunt, aut vocati productique ab Italis descenderunt in occasionem tam suae ipsorum caedis, quam ultionis alienae vel praedae. At Germanorum longe aliam videri fuisse rationem, ut Cymbros & Theutones ut praeteream; robur & firmamentum quondam Legionum & Principum Romanorum qui solebant esse? Germani. Odoacrum quatuor & viginti annis regem Italiae, qui maxime omnium statuere? Germani. Langobardi supra ducentesimum annum Italiae reges; qui fuere? Germani. Qui toties Italiae victrices aquilas intulere? Germani. Qui familias in ea plurimas & nobilissimas, unde mihi quoque antiqua mediocris alioquin faculentis origo fuit, reliquere? Germani. Qui Europam, qui Asiae partem lustravere tot Imperatorum auspiciis & ductu? Germani. Quoties transgressi sunt Rhenum? Quoties Gallorum tecta ceperunt? Testis est antiquissima Trevirorum & Nerulorum ambitio circa Germaniae originis affectationem, tanquam per hanc gloriam vestri sanguinis a similitudine Gallorum, & inertia separentur. Testis est ipsa Gallia, quae tot annos imperio paruit Germanorum. Testis est nomen hoc Francum, quod ante Pipini contra Bertarium profectionem, in Gallia, quod equidem invenerim, non est usurpatum. Testes sunt tot Caroli; testes tot Ludovici reges, quorum ex interpretatione nomina constat esse Germanica. Sed quid ego tam vetera consector & colligo? Cum proximis annis Maximilianus hic Caesar, cujus gesta literis commendanda studiorum quieti seposui, post redactos in ditionem filii Morinos, Batavos & Burgundiones, post receptas haereditario jure Pannonias post adjectos imperio Brysios, post fundatam Germaniae pacem, post excursiones Turcorum saepe compressas, exigua manu ad Sequanos penetravit. Quae cum ita sint: num dubitatis, eam gentem vobis ex Italia, tot vestris assueta victoriis, concessuram, quae domi concessit suae. Proinde si decernere velitis hoc bellum, quemadmodum velle debetis, ego nihil amplius dico, cum satis appareat in vestra potestate sitam esse victoriam.

Quae quam futura sit gloriosa reliquum est, ut paucis absolvamus. Quaecumque a me dicta sunt, Caesar, eo pertinent, ut ostenderem, quam sit Ludovici Sfortiae cum periculo multorum conjuncta fortuna, quae quantominus negligenda videtur pro salute communi, tanto tibi studiosius, est amplectenda pro gloria qua debet humana omnia videri leviora. Communicantur illa quae dixi cum multis. Haec tua, haec horum Principum, haec nationis hujus erit propria. Nihil ex ea sibi Ludovicus Sfortia vindicavit. Nihil assumet Italia. Nihil respublica christiana decerpet. Tota est futura vestra, Caesar & Principes, tota futura Germaniae, tanto amplior ea, quam vestri sunt adepti majores, quanto pluribus causis meritisque nitetur. Gessere quod illi multa saepe fessis rebus Italiae succurrerunt; saepe Saracenos incursantes ex Calabriae finibus arcuerunt & submoverunt. Magna sunt illa quidem, sed tamen eo tempore gesta, quo Italia uno tantum periculo facile sit perfuncta. Nondum Venetus concitaverat externas opes ad Italiae dominatum, sibi olim fortasse poenitendum. Non bis parvo intervallo Gallus irruperat; non terra Turcus imminebat & mari; non tantum in discrimen, quantum videmus, nostra religio vocabatur. Erat illa tunc firma & valens, ut negligentiam Principum ferre posset. Jam non potest, non eos habet, quorum innixa humeris fulciatur. Exolevit morum sanctitas, in cujus locum foedissima vitia migraverunt. Ergo illi, quantulumcumque fuit, quod egerunt, quod certe maximum fuit, eam consecuti sunt laudem, cui nulla aetas finem sit allatura. Cum vos bellum pro Italia, bellum pro Imperio, bellum pro pace communi, bellum pro christiana republica susciperetis; quanta virtutis vestrae laus & admiratio, quanta nominis claritudo, quanta ex vobis adjecta posteris aemulatio relinquetur & propagabitur ad memoriam hominum sempiternam? Ibit per secula fuisse Maximilianum Caesarem, qui sociis & adjutoribus Germaniae Principibus, innumerabiles hostes partim adventu compressit; partim uno impetu prostravit, appellatus Italiae liberator, cujus a cervicibus jugum servile dejecit, appellatus ejusdem pater, cui vitam dedit ex mortis pene faucibus ereptam; non urbem Romam ingressus est antequam pericula religionis undique propulsasset. Non prius Imperatoris nomen recepit, quam imperium conservasset, ut esset Principum religiosissimus antequam diceretur. Imperatorum fortissimus, antequam fieret Imperator. Age nunc lingua latina ex ore Gallorum erepta, hoc est ab interitu vindicata, quam

vobis

vobis referre poterit gratiam? nisi tantum illam, ut vestrum nomen illustret, ut famam in orbem terrae disseminet, ut effigiem non corporum, sed animorum, non marmoribus sed ingenis expressam reponat in testimonium laudis aeternae. Talia vobis proposita sunt trophæa, tales triumphi, talia monumenta, quae sive ab hominum sensu post mortem sunt abfutura, sive ad animam pertinebunt, quantum afferent in vita jucunditatis quando etiam cogitata, & sperata delectant? Equidem post illud perpetuae beatitudinis praemium vobis ab immortali Deo tribuendum (neque enim bene mereri de Italia quisquam potest, qui non idem de Religione bene mereatur) non video quem virtus in hoc exiguo vitae curriculo majorem capere possit fructum praeter hunc laudis & gloriae; pro qua excellenti animo viri tot se laboribus, tot periculis, tot etiam vitae dimicationibus objecere, ut ejus adeo quaerendae non exemplum modo, verum & incitamentum optimo cuique possint esse, cujus assequendae materia vobis ultro subministratur.

Amplectere tu Caesar in primis hujus occasionem, qua una in tanto rerum fastigio crescere potes, eoque magis, quod quam plerique majorum saepe qualibet ex causa petiverunt, eam tibi bellum plenum justitiae, plenum officii, plenum pietatis est allaturum. Quid enim tam justum quam reddere suis penatibus per summum nefas ejectum? Quid tam officiosum quam omni virtutum genere cumulatum? Quid tam pium, quam necessarium, & affinem? Nisi, Caesar, in animo tuo tantum religio aequitatis, tantum virtutum ratio, tantum necessitudo propinquitatis esset habitura momenti, ut Ludovicum Sfortiam, quem florentem antea rebus omnibus esse voluisti, eumdem nunc reducere postliminio velis. Ego tam jure communis humanitatis a te, quam contemplatione regum, & virorum Principum, quorum afflictae fortunae solent ad misericordiam multorum opes allicere, deprecarer ne quem tua fides in spem pristini status erexerat, recidisse in acerbiorem vitae conditionem patereris. Est sane calamitosum sedibus exturbari suis, calamitosius exterminari cum liberis, & fortunis. Est miserum ad exteram gentem supplicem se conferre, aut esse in hostium potestate; miserius a propinquo repudiari, aut non liberari. Est inhumanum non sistere ruentem aut lapsum non erigere; inhumanius praecipitantem impellere, aut arguere jacentem. Quid esset aliud tam Ludovicum Sfortiam in squallore carceris destinere, quam cum ipsum cum suis omnibus voluisse vel eundem fortunae gradum graviori ictu detrudere, vel committere periculo, aut interitui, aut ejus quam perficit captivitati? Praestabat ei multos degere in exilio reliquam vitam, quod instar mortis esset, quam infausto atque infelici reditu suo tam multis exitium importasse. Quo se vertet Insubria? Quid aget Italia, quae Ludovicum Sfortiam desideravit, poposcit, efflagitavit? Qua direptione civitatum, qua internicione populorum, qua urbium eversione, tanquam rea, quod jugum servitutis excutere sit conata, mulctabitur? Aut quanto segnius posthac spem omnem suam in tuam fidem convertet, cum te viderit eos deseruisse, quibus oppressis tuus honor, & dignitas incolumis esse non possit? Quare te, Caesar, Ludovicus Sfortia per nomen affinitatis, quo dignum existimasti, per auctoritatem Imperii qua Ducem instituisti, per fortunas suas omnes, quas tibi acceptas refert, per liberos suos, qui te patrem alterum putant; per existimationem tuam, de qua non minus est ipse, quam de sua restitutione solicitus, orat atque obsecrat, ut se fratremque suum diutius in custodiis clausum cohiberi, atque in hostium conspectu versari ne sinas, in libertatem vindicare cum possis. Quem si bello redemeris, non jam servitute, sed caedibus, incendio, vastitate Italiam liberabis. Et vos, Principes ornatissimi, cum videatis tot rerum summam in unius Italiae fortuna tentari, servate universi unam, in qua tam multa servantur. Considerate, quo sint erga vos animo, Italiam qui oppugnant. Tum quid status imperii, quid religionis nostrae diuturnitas? quid vestra securitas postulet, statuetis.

Etenim cum dubitare possit nemo, brevi tempore fore, ut nisi vos armis obstetis, aut insolentiae Gallorum, aut Venetorum libidini, aut immanitati Turcorum cedat Italia. Quo tandem animo esse debetis? Manabit hoc malum latius, quam putatis, & ad perniciem Christianorum omnium, nisi comprimatur, erumpet. Providete dum licet, dum potestis, ne duriorem vobis quam Ludovico Sfortiæ, qui jam nihil aliud opperiri, quam novissimum & sibi optabilem casum potest, conditionem statuatis. Sæpe majores vestros leviora moverunt; vos causa Italiæ, causa Imperii, causa religionis, causa communis omnium vestrum non permovebit? Reddite illi ex tot tantisque rebus honorem, qui magna vobis ornamenta ex minoribus saepe causis reliquerunt. Ostendite vos ceteris nationibus, quemadmodum consuestis, arma hostibus inferre, quam propellere a vestris moenibus, maluisse. Suscipite bellum tam facile, tam expeditum, quam necessarium & salutare. Omnis ad unum quodammodo patrocinium & auxilium vestrum sustulit animos Italia, collatura quod virium superest ad molem tantam periculi depellendam. Expectat opem hanc unam Fridericus Arago tam propter animi sui regias dotes, quam ob regnum patrium & avitum, non formidine modo, sed minis hostium liberandus; quibus adimi putat, quicquid erogatur in hoc bellum conficiendum; adeo videt & omnia in eorum potestatem nisi occurratis esse ventura. Instant & assident hujus expeditionis causa tot exules nobilissimi Mediolanensium, tot primores Insubriae civitatum, qui plus vobis officii quam Ludovico præstiterant, pollicentur. Adest vir amplissimus Fridericus Sanctoseverinas Urbis æternæ diaconus cardinalis non minori cura religionis, quam patriae caritate; cujus vel tacentis auctoritas & fides, quando de virtutibus ceteris me loqui parantem reprimit modestissimus ejus aspectus, & verecundia mea dicenti mihi præcurrit ad explicandas vobis hujus belli rationes. Quod si paulo ante sola Cæsaris expectatio pene jam profligasse videbatur; non id adventantis fama conficiet? Non hic tantum virtute præstabit, ut si exitus Martis foret incertus, possimus fortunae culpam non extimescere? Ecquis huic poterit cum in virtutibus reliquis, quae in hominem cadunt tum in laude militari par inveniri? Ecquis audebit se vobis opponere, quos ego non alios quam summos duces intueor? Ecquis resistere conabitur vestri generis exercitibus, quibus semper si praeterita meminerimus, omnia praevia, omnia prona, omnia cedentia fuere? Cum sit ergo perspicuum in manu vestra positam belli esse fortunam, quid expectatis? cur arma non capitis eam vobis laudem paritura, quae omnem antiquitatis memoriam superabit? Nam quid unquam ex omni vetustate sumetur illustrius, quam vos plurimis & maximis rebus hoc uno bello defensis & conservatis, commemorationem nominis vestri cum omni posteritate, cum literis annalium, cum religionis æternitate adaequandam relinquere? Atque illa me ratio, Cæsar, hortata est ad orationem tam gravem suscipiendam, quod animadverterem te solidae laudis & veræ gloriæ, cujus amore sapientissimus quisque flagravit, semper appetentem fuisse, ut ampla & magnifica quæ proponuntur, quocumque dicantur modo, facile tuis cogitationibus adhærescant. Itaque non mediocritas in dicendo mea, sed animi magnitudo tui, & horum Principum deliberatio facit, ut hanc frequentiam cum video, nihil aliud me putem cernere, quam initium recuperatæ Italicæ libertatis, tanto felicius, quanto major ad hunc tantum honorem gloria celeritatis accesserit.

JO-

JOANNES DOMINICUS MANSI

De geminis opufculis Jacobi *de natura rerum*, & Fretelli *De locis terræ Hierufalem*.

ADMONITIO AD LECTORES.

CUm primum ad defcribendum opufculum *de natura rerum* me contuli, de libello ejufdem tituli Bedæ adfcripto ne cogitavi quidem; ideoque typis excudendum ftatim tradidi. Poft aliquod tempus, typis ad alia excurrentibus, venit in mentem de Beda: eoque ftatim confulto, fero tandem recognovi opufculum fub ejus nomine vulgatum unum effe cum meo, fed Bedæ authori adfcriptum, mutato de induftria in tetraftico nomine *Jacob* in *Bedam*. Viderint proinde docti, utri tribuendum fit, & veniam indulgeant ofcitantiae meæ, qui non cautius providi ne opufculum jam typis & quidem accuratius excufum bis haberent. Ceterum opufculum hic datum, quamvis folecifmis & barbarifmis fcatet, ex vetuftiffimo codice tempore Caroli Magni fcripto me repetiiffe fciant, unde de fincero authore cui tribuendum fit conjecturam capere licet.

Perfimile mihi accidit in evulgatione libelli a Fretello Archidiacono fcripti *De locis terrae Hierufalem*; offendi enim illum jam evulgatum ab Allatio in fuis συμμίκτοις fub nomine Eugefippi cujufdam. Non tamen me pœnitet editionis meæ, eft enim plenior & inftructa præfatione feu epiftola authoris ad Raymundum Toletanum Comitem, quæ cum defuerit in codice Allatii, ideo caufam dedit errandi in vero nomine fui authoris. Infuper & Allatius codice ufus eft minus correcto, & in multis luxato, ut interdum fenfus ex eo exculpi non poffit. Fruantur ergo lectores eruditi hoc opufculo, habeantque tanquam novum, & authori fuo, Fretello fcilicet, nunc tandem reftituto. Quod nomen iftud fincerum authoris fui habendum fit, demonftrat etiam confenfus codicis ab Adrichomio confulti, in quo eidem Fretello adfcriptum vir ille doctus reperit.

SYL-

S Y L L A B U S

Auctorum qui citantur, notantur, emendantur, illustrantur in notis ad Lactantium.

Joan-

FINIS TOMI I.